UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros Decretalium, Tomus ...

In Librum I. Decrectalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

urn:nbn:de:hbz:466:1-73031

Visual Library

Th. 442a.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M
V
1

R. P. KRIMER, S. J.

# QUÆSTIONES CANONICÆ,

## IN LIBRUM PRIMUM DECRETALIUM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. KRAMER S. J.

# QUÆSTIONES CANONICÆ

IN LIBRUM PRIMUM DECRETALIUM

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# QUÆSTIONUM CANONICARUM,

## IN QUINQUE LIBROS DECRETALIUM,

## TOMUS I.

## IN LIBRUM I. DECRETALIUM, PER quadraginta, & tres Titulos distributum, in quo agitur

DE

CONSTITUTIONIBUS, SEU LEGIBUS universim; Rescriptis Summorum Pontificum, eorumque clausulis; & Lege non scripta, seu Consuetudine, de modis acquirendi dignitates, seu Prælaturas Ecclesiasticas; Postulatione, Electione, Translatione, Renunciatione; de eorundem Officio, & Potestate, de Prærequisitis ad Ordines, & nonnullis Præparatoriis ad Judicia.

*Accedente copioso Indice Quæstionum, & Materiarum, juxta Numerum Marginalem per totum opus continuatum*

HONORIBUS

*REVERENDISSIMI, PRÆNOBILIS, AC AMPLISSIMI DOMINI,*

## DOMINI FRANCISCI CLAUDII,

Canonicorum Regularium Sancti Augustini Præpositi ad S. Florianum vigilantissimi, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarii, &c.

AUTHORE


## R. P. FERDINANDO KRIMER,

Soc. JESU, Austriaco Riedavienſi, SS. Theologiæ Doctore, ejusdemque, ac Sacrorum Canonum Professore emerito.


*Cum Facultate Superiorum.*


*AUGUSTÆ VINDELICORUM,*

Sumptibus GEORGII SCHLÜTERI, Bibliopol.

Anno MDCCVI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



*REVERENDISSIMO, PRÆNOBILI,*

*AC*

*AMPLISSIMO DOMINO,*

# DOMINO FRANCISCO CLAUDIO,

CANONICORUM REGULARIUM SANCTI AUGUSTINI PRÆPOSITO AD SANCTUM FLORIANUM VIGILANTISSIMO, SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO, &c.

*Domino, & Patrono Gratioſo.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# REVERENDISSIME, PRÆNOBILIS, AC AMPLISSIME DOMINE, &c.

*Domine, & Patrone Gratioſe.*

OPeris poſthumi, Teſtamento Tibi dedicati ab Erudito Scriptore, hæreditatem cape; *Reverendiſſime, Prænobilis, ac Ampliſſime Præſul &c.* Profectò Tibi jure debetur Doctoris labor, qui Doctiſſimis jure, doctrinæ famâ, proximè ſuccedis. Teſtatur Roma Sapientiæ ſpecimina. Subſcripſerat dudum

dum manu propriâ, librum hunc Honoribus tuis deferendum, Author percelebris: Confirmatur jam Teſtamentum, morte Teſtatoris. Tuum ergo totum eſt, & ex aſſe, quod offertur.

Poſſide igitur Æſtimator Jurium, & æquisſimus ponderator, modò in re, cujus jus ad rem incomparabilis tua virtus, ingens tua in doctos benevolentia pridem comparavit. Amas, & foves Doctos, omnes inter Doctores primipilus. Fove pariter beneficentisſimis Gratiis, hæreditatem hanc tuam Tibi deferentem: atque unà noſtrûm, Tuorumque amoribus, Patriæ ſolatio, Doctorum Patrocinio, vive diutisſimè, felicisſimè: & Vale.

*Reverendisſimæ, Prænobilis, ac Amplisſimæ Dominationis Veſtræ*

*Honoribus Devotisſimus*

Authoris Ultimæ Voluntatis
Executor. S. J.

# FACULTAS REVERENDI PATRIS PROVINCIALIS.

EGo Franciscus Voglmayr Soc. JESU, per Provinciam Austriæ Præpositus Provincialis, potestate mihi factâ ab Admodum Reverendo Patre nostro Thyrso Gonzalez Præposito Generali, Facultatem concedo, ut Tractatus I. in Librum I. Decretalium, de Constitutionibus seu Legibus universim; Rescriptis Summorum Pontificum, eorumque clausulis; & Lege non scriptâ, seu consuetudine, de modis acquirendi dignitates, seu Prælaturas Ecclesiasticas; Postulatione, Electione, Translatione, Renuntiatione; De eorum Officio, & Potestate, de Prærequisitis ad Ordines, & nonnullis Præparatoriis ad Judicia, Authore P. Ferdinando Krimer, ejusdem Societatis Doctore Theologo, â tribus memoratæ Societatis PP. de more revisus, & approbatus, typis mandetur. In quorum fidem meâ manu subscripsi, & consuetum Officii Sigillum appressi. Lincii 8. Decembr. 1703.

Imprimatur

Rudolphus Lewenberg, è S.J.

Librorum Censor.

L.S.

Franciscus Voglmayr.



TRA-

# TRACTATUS
## IN
# LIBRUM PRIMUM
## DECRETALIUM.

LIber primus Decretalium. 43. Titulis comprehensus, præmissis Juris Canonici principijs, potissimùm agit De ordinibus, gradibus, Jurisdictione, & officijs Magistratuum, qui rebus, & gubernationi Ecclesiasticæ præsunt, ad extremum subjungens quædam, quæ circa personas, & res litigantium, versantur non tantùm civiles, sed etiam criminales. Et hæc est materia Tractatûs nostri, cui rectè tradendô præmittemus prolegomena Juris, exposituri reliqua secundùm ordinem titulorum.

## QUÆSTIO I.
### In Tit. I. De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

1 SIcut Imperator Justinianus suum Codicem; ita Summus Pontifex Gregorius. IX. Jus Canonicum auspicatur à summa Trinitate, & Fide Catholica; tum quia Deus Trinus & Unus, est fons, unde omnis lex participatur; tum quia fides Catholica est fundamentum, cui innititur Ecclesia, & universum jus Ecclesiasticum, & humanum. Quoniam verò de Summa Dei simplicitate, ac unitate in natura, cum Trinitate in personis, ex professo agunt Theologi cum D. Thoma 1. parte & cum eodem in tract. de fide; non mittimus falcem nostram in messem alienam, contenti hoc loco exponere, quæ pauculis hujus tituli capitulis statuuntur.

### ARTICULUS I.
#### *De doctrina Fidei Catholicæ.*

2 HÆc traditur in c. *Firmiter*, quod est primum in hoc titulo *de summa Trinitate*, ubi exponuntur articuli Fidei Catholicæ, qui credendi sunt circa SS. Trinitatem, & reliqua ejusdem fidei mysteria. Omissis porrò reliquis, ea solùm attingemus, quæ tangit Glossa in hunc titulum. quarè *not.* 1. *cit.* c. *Firmiter* definiri tanquam articulum fidei Catholicæ. 1. quòd *unus solus sit verus Deus, Pater, & Filius, & spiritus S. tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura, simplex omnino.*

Circa quod not. 1. per hunc textum significari, divinarum personarum *unitatem in natura, substantia, seu essentia*, non esse merè similitudinariam, qualiter multi homines dicuntur *unus* populus unitate solius convenientiæ, aut congregationis; sed unitatem *veræ identitatis*, ut constat amplius ex c. *damnamus*, quod est secundum, & finale h. t. ubi definitum est, quòd unitas trium Personarum in divinis, non sit unitas solùm *impropria*, nimirum *merè collectiva & similitudinaria*; qualiter multi homines dicuntur *unus* populus; &, multi fideles, *una* Ecclesia; sed vera, & propriè dicta, quâ scilicet *tres simul Personæ, ac quælibet earum,*

*est illa summa res*, videlicet *substantia*, *essentia*, *seu natura divina*. Quod pluribus confirmans ait, *quòd*, *licet Filius nascendo substantiam Patris acceperit*, *tamen Pater*, *& Filius*, *habeant eandem substantiam*, atque adeò, *eadem res sit Pater*, *& Filius*, *nec non spiritus S. ab utroque procedens*; ubi expresè subjungit: quòd hoc nomen *unum* ibi, cùm dicitur: *volo*, *ut ipsi sint unum in nobis*, *sicut*, *& nos unum sumus*, pro *fidelibus* quidem accipiatur, ut intelligatur *unio charitatis in gratia*: *pro personis* verò *divinis*, ut attendatur *unitas identitatis in natura*.

3 Hinc colliges. 1. esse secundùm fidem Catholicam, cum hac trium Personarum unitate in substantia, stare pluralitatem Personarum, vi cujus sint quidem *plures Personæ*; non autem *plures substantiæ*, essentiæ, seu naturæ. Colliges. 2. Deum in Personis trinum, esse *unam essentiam*, substantiam, seu naturam, *simplicem omnino*, ut patet ex textu supr. ubi notat gloss. in cit. c. *Firmiter*. V. *simplex omnino*, significari, quòd Deus, *in se* nullo sensu admittat compositionem. Compositio enim (ait gloss. cit.) propriè est, vel partis ad partes, ut in rebus corporalibus; vel proprietatis ad subjectum, ut est calor in igne; vel formæ ad substantiam, aut substantiæ ad formam; & nulla istarum compositionum cadit in Deum; & ideo dicitur *simplex omnino*; nimirum *nullo sensu compositus*. Et ideo in Deo *nemine cogitante* admitti non potest compositio ex partibus integralibus; vel ex subjecto & forma substantiali; vel ex substantia & accidente; vel ex natura & suppositalitate; vel ex essentia, & proprietate; nam sic non verificaretur, *quòd sit simplex omnino*, nimirum expers omnis compositionis, *nemine cogitante*. An autem in Deo admitti possit *compositio purè metaphysica ex genere & differentia*, vel ex natura & proprietatibus solùm logicè consideratis? apud Theologos agitur; & olim in tract. de Deo cum Izquierdo de Deo uno. *D.* 11. *n.* 50. diximus, si prædicata Dei sumantur ut conjuncta cum alio *proprio Dei* seu ut *divina*, Deum non esse ens metaphysicè compositum ex genere & differentia; secùs, si sumantur absolutè, ubi etiam responsum est ad contraria.

Not. 2. in eodem c. *Firmiter* secun- 4
dò definiri, ut articulum fidei Catholicæ, quòd *in Divinis Pater sit à nullo*; *filius à Patre solo*; *& spiritus S. ab utroque*; *quòd Pater sit generans*, *filius nascens*, *& spiritus S. procedens*, *consubstantiales*, *coæquales*, *coomnipotentes*, *& coæterni*, *& unum universorum principium*. Circa quod observat ibid. Gloss. V. *Cœterni*, posse moveri, quòd in Symbolo Athanasij dicitur: *tamen non tres Omnipotentes*, *sed unus omnipotens*; *non tres æterni sed unus æternus*, aitque, solvi dicendo, quòd in c. *Firmiter* illæ dictiones, ponantur *adjectivè*, & designent *Personas*; in symbolo autem *substantivè* & designent *essentiam*, quo sensus sit: sed totæ *tres personæ* coæternæ sibi sunt, & coaquales, *termino numerali cadente super personas*, *seu subjectum*; non autem *prædicatum*. Et ideo alii notant, terminum numeralem *duo*, *tres*, non verificari, si appellet *Omnipotentiam*, *æternitatem*, & reliqua Dei prædicata absoluta; eò quòd (ut concreta substantiva recipiant terminum numeralem, *duo*, *tres*, *substantivè*, nimirum ex æquo, *significata*) petant, ac requirant *pluralitatem recti & obliqui*; quod non evenit cum de Deo, vel etiam personis dicuntur *prædicata æternus*, *immensus*, *omnipotens* &c. secùs, cum ratio *personæ* dicitur de Patre, Filio & spiritu S. sunt enim tres, habentes suas personalitates distinctas; de quo plura dixi *in tract. de incarn. q.* 5. *à. n.* 265.

Ex hoc rectè dicitur, *tres personæ sunt unus æternus*, *unus omnipotens*; non autem *tres æterni*, *tres omnipotentes*. Nam concretum *persona* importat & *tres habentes*, & *tres personalitates habitas*; concretum autem *æternus* dictum *de Deo*, nec habet *pluralitatem recti*, nec obliqui: dictum autem *de personis*, nimirum Patre, filio, & spiritu S. esto significet pluralitatem recti, æternitas tamen *una est*; & ideo *tres æterni* verum non est; quia, licèt sint *tres Personæ habentes æternitatem*, *æternitas* tamen *habita simplex est*, non multiplex; loquendò de æternitate communi, & absoluta.

Deinde notandum ex eodem textu, tres 5
personas in Divinis dici *consubstantiales*, hoc est, quamlibet habere unam, eandemque naturam, essentiam ac substan-

tiam,

tiam, sic, ut Pater nihil habeat *essentialiter*, & substantialiter, quod non habeat Filius; nihil Pater & Filius, quod non habeat Spiritus S. pariter *essentialiter* & *substantialiter*; cum quo stat, quòd quævis persona *notionaliter* ( nimirum in eo, quo relativè opponitur alteri ) habeat aliquid, quod *notionaliter* non habet altera. Hinc sequitur *consubstantialitati duorum* non obstare, quòd unum non habeat idem *omni eo modo*, quo alterum; modò habeat prædicatum relativè oppositum illi, quod habet alterum, & ipsum caret; sic Filius est in Divinis Patri consubstantialis, licèt non habeat *notionaliter vim gignendi*, seu generationem activam, quam habet Pater; quia habet *notionaliter* generationem passivam activæ oppositam relativè: econtra non posse dici *consubstantiales*, quorum *unus nec* habet *notionaliter* prædicatum, quod eo modo habet alter, nec aliud ei relativè oppositum oppositione producentis & producti, vel immediatè, vel mediatè. Nam in hoc propriè sita est *consubstantialitas*; quæ utique non esset inter Patrem, & Filium in divinis, si Filius nec *spiraret Spiritum Sanctum* ( ut ponit hypothesis Græcorum ) nec etiam esset *spiritus*, ut patet rē legitimè consideranti. Et quamvis Spiritus S. nec generationem activam, nec passivam *notionaliter* habeat; adhuc tamē *consubstantialis* est Patri & Filio; quia cum notionaliter habeat spirationem passivam; & hæc relativè opponatur spirationi activæ, quæ supponit utramque generationem ( nam, ordine saltem, vel subsistendi consequentiâ, *gignere* & *gigni*, seu *esse Patrem* & *Filium* prius est quam *spirare* ) spiratione activâ mediante adhuc relativè opponitur utrique, consequēter manet consubstantialis utrique.

6 Not. 3. in cit. c. *Firmiter* definiri. 3. quòd hæc SS. Trinitas secundùm *essentiam sit individua, & secundùm personales proprietates discreta; quòd unigenitus Dei Filius à tota Trinitate communiter sit incarnatus, ex Maria semper Virgine, Spiritûs S. cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali, & humana carne compositus: una in duabus naturis persona.* Et ulteriùs, 1. quòd *licèt illa summa res sit* veraciter Pater, Filius, & Spiritus S. *tres simul personæ, ac singillatim quælibet earundem*; non tamen in Deo sit *quaternitas*; sed solummodò Trinitas ex hoc ipso, *quia quælibet trium personarum est illa res*, videlicet substantia, essentia, seu natura divina. 2. Quòd, licèt illa res sit veraciter Pater, Filius, & Spiritus S. non propterea tamen sit *generans, genita*, vel *procedens*; sed, *sit Pater, qui generat*; & *Filius qui gignitur*; & *Spiritus S. qui procedit*; *ut distinctio sit in personis*; & *unitas in natura*; & licèt *alius* sit Pater; *alius* Filius; *alius* Spiritus S. non tamen *aliud*: sed id, *quod est Pater, sit Filius*; & *Spiritus S. idem omninò*. 3. Quòd, licèt Pater ab æterno Filium generandò suam substantiam ei dederit, tamen nec dici possit *quòd partem suæ substantiæ* illi dederit; & *partem* ipse sibi retinuerit; cùm substantia Patris *indivisibilis sit*, utpotę *simplex omninò*: nec quòd Pater in Filium *transtulerit* suam substantiam generandò, quasi sic dederit eam Filio, *quòd non retinuerit eam sibi*: alioquin desiisset esse substantia. Ex quo sic concludit: *patet ergo*, quod sine ulla diminutione Filius nascendò substantiam Patris accepit: & ita Pater, & Filius *habent eandem substantiam*: & sic *eadem res* est Pater, & Filius, & Spiritus S., *ab utroque procedens*.

Ex his colliges 1. esse de fide, eandem 7
numero substantiam, essentiam, seu naturam per veram identitatem realem esse non tantùm in omnibus tribus Divinis Personis *simul* sumptis, sed etiam *in qualibet earum*, ut constat ex dictis præcedenti textu; & n. 2. Colliges 2. quòd in Deo *eadem res*, substantia, natura, seu essentia, sit veraciter Pater, Filius, & Spiritus S. consequenter, quòd tres Personæ, & *quælibet earum* sit illa res, substantia, seu natura. Colliges 3. Quòd in Deo non sit *quaternitas*, sic, ut *illa res*, substantia, essentia, seu natura, *relatè ad tres Personas*, superaddat aliquam novam unitatem, quæ cum tribus illis constituat numerum quaternarium; quia quælibet trium personarum est illa res, substantia, essentia, seu natura, ex num. præced. Colliges 4. Juxta doctrinam Catholicæ fidei hanc propositionem affirmativam: *illa res est generans, genita, vel procedens*, & istam negativam: *illa*

*res non est Pater, qui generat; Filius, qui gignitur: Spiritus S. qui procedit*, simpliciter & sine addito prolatam, esse certò falsam; quia cujuslibet contradictoria ex doctrina fidei Catholicæ est certò vera ex n. præced. Colliges 5. Quòd, licèt Pater, Filius, & Spiritus S. sint *eadem* numerò substantia, essentia, seu natura, non tamen sint *eadem* numerò persona; cùm in c. *Damnamus*. cit. (ut habetur n. 6.) expressè dicatur, quòd *tres Divinæ Personæ* sic sint *idem omninò in substantia*, essentia, seu natura, ut *alietas unius ab alia*, seu distinctio, *solùm sit in personis*. Colliges 6. Esse de fide tres Divinas Personas habere *identitatem inter se, mixtam distinctione; & distinctionem mixtam identitate*, ut manifestum fit ex textibus allatis; *identitatem* in substantia, essentia, seu natura, *distinctionem* in personis. Colliges 7. quòd Pater generandò filium, ei communicaverit *totam* suam substantiam, adeoque omne id, quod est in Deo substantia, essentia, seu natura; constat ex n. præced. si enim *aliquid*, quod est substantia, non communicâsset filio, eum generandò, non verificaretur, quòd ei dederit *totam* suam substantiam, sed quod dederit ei aliquid, sed non omne, quod est substantia, contra definitionem c. *Damnamus* loc. cit. hæc de doctrina fidei ex c. *Firmiter*, & c. *Damnamus*, in quantū spectat Mysterium SS. Trinitatis.

8 Cùm igitur certum sit ex fide tres Personas in Divinis habere inter se *identitatem in substantia, mixtam distinctione in personis*, quæri potest, quo nomine compellenda sit ea *identitas*, & *distinctio*? in quo utique conveniendum est prius, volentibus disputare de re. In hac re varij sunt Theologorum sensus, quorum proprium est agere de hoc mysterio, contra eos, qui ex ijs, quæ de natura, & divinis Personis à CC. & SS. PP. veraciter affirmantur, credunt inferri quandam contradictionem necessariò salvandam admittendò, inter naturam, & personas, saltem singulas, aliam distinctionem, præter eam, quam fides docet, qualem esse volunt aliqui formalem ex natura rei; alij virtualem intrinsecam; alij distinctionem in tertio. Illud hìc notandum illam identitatem trium personarum, & cujuslibet earum cum substantia, essentia, seu natura Divina, ab Innocent. III. vocari *identitatem substantialem*, & *distinctionem* in personis, *relativam*. Sic enim loquitur in epistola ad Episcopos in cruce signatorum exercitu Constantinopoli degentes, apud Odoricum Raynaldum in continuatione annalium ad annum 1204. folio 109. n. 22. dicens: inter omnes tres personas est *relativa distinctio in personis*, sicut est inter omnes *substantialis identitas in natura*. Alij identitatem illam nominant *essentialem*, & distinctionem *personalem*; de quo ex professo olim egimus *in tract. de Deo q. 1. de simplicitate Dei.*

## ARTICULUS II.

### *De damnatis varijs erroribus contra fidem Catholicam.*

PRæmittendum, quòd cùm Petrus Lombardus, agens de unitate essentiæ, & personarum Trinitate in divinis, docuisset, quòd *licèt in Deo sit quædam summa res, quæ veraciter est Pater, qui generat; Filius qui gignitur; & Spiritus S. qui procedit, tamen illa summa res nec sit generans, nec genita, nec procedens*; Joachimus Abbas Monasterij Florensis, scripserit libellum contra dictam Lombardi doctrinam, in quo eum appellat hæreticum, & insanum pro eo, quòd in suis dixit sententijs: *quoniam quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus S. & illa res non est generans, neque genita, neque procedens.* Rationem dabat Joachimus, quòd ille hoc modò non tam Trinitatem, quàm *quaternitatem* adstrueret in Deo, videlicet *tres Personas* & *illam communem essentiam, quasi quartam*; manifestè protestans (nimirum Joachimus) *quòd nulla res est, quæ sit Pater, Filius, & Spiritus S. in vera unitate identitatis in eadem numero substantia, essentia, seu natura*; sed tantùm in unitate similitudinis, & collectionis, qualiter multi homines, sunt *unus populus*; multi fideles *una Ecclesia*. &c. 9

Hâc Joachimi doctrinâ, seu potiùs error, delato ad Concilium Generale, sub Innocentio III. approbata est doctrina Lombardi, & damnatus error Joachimi, profitente sacro Concilio, quòd tres Personæ in Deo *vera unitate identitatis*, non meræ similitudinis aut collectionis, sint 10

*unæ*

*una substantia*, essentia, seu natura; *quæ substantia non sit generans, nec genita, nec procedens* quia *illi actus*, non attribuuntur *substantiæ*, sed *Personis*; nec per hoc concludi *quaternitatem*, quia cum quælibet trium Personarum sit illa summa res, substantia, essentia, seu natura, inde nequit relatè ad illas esse aliquid quartum; & contrarium sentientes, ut hæreticos esse censendos, nisi ab errore resipiscant, & correctioni Apostolicæ Sedis se supponant. Sic Rubr. in cit. c. *Damnamus*. Ex occasione hujus erroris, à sacro Concilio condemnati plura colligi possunt. 1. Responsum Concilij ad fundamenta Joachimi, nimirum non obstante doctrinâ M. Lombardi, nullatenus sequi *quaternitatem* in Deo; cujus ratio à Concilio data constat ex dictis. Impossibile enim est, quòd illa res constituat quaternitatem cum tribus, quando quodlibet eorum, est illa ipsa res, & illa ipsa res est unum ex illis, imò quodlibet eorum. Hinc nota 1. in cit. c. *Damnamus* damnari ut hæreticam prædictam *doctrinam* Joachimi, non ipsum Joachimum; quia protestatus est se omnia subjicere judicio Ecclesiæ, cum animo parato, illi obtemperandi; sic Barbos. in cit. c. *Damnamus*, *à n.* 2. Et ratio est, quia hoc ipso non adhæsit *pertinaciter* errori suo. Unde erranti in fide, non imputatur error, si ex simplicitate deficiat, & fidem suam supponat fidei Ecclesiæ; sic Fagnanus in c. *Firmiter. n.* 20. & Scriptores librorum, in principio, vel fine addentes protestationem, quòd suam doctrinam subjiciant judicio Ecclesiæ, eximuntur à nota hæresis, licèt errorem continerent; sic Zabarella in Clement. 1. *§. porrò.* de Sumâ Trinitate, n. 5. Ex quo vides, *licèt* damnato Authore, hoc ipso damnentur omnes ejus libri, sive boni sive mali; nõ tamen econtra; ita Sanchez in *Decalog. l.* 2. *c.* 10. *n.* 28. Farinacius in *tract. de hæretic. q.* 180. *n.* 3. quod tamen sic intelligè, ut, esto boni sint, non valeant allegari, quantum ad hoc, ut pro jure habeantur, quasi authoritatem in se contineant, licèt aliquando adduci possint tanquam rationabiles, ut notat Fagnan. *cit.* in c. *Damnamus n.* 18. Barbos. *ibid. n.* 10. Unde ulteriùs deducitur, quòd delictum Prælati; etiam circa fidem, capitulo in illud non consentienti, non noceat; quia delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare; per Reg. 46. *de reg. jur. in* 6. & constat expressè ex cit. c. *Damnamus*.

Alterum responsum ad probationem Joachimi, quâ in divinis voluit Personas esse *unum*, sicut multi homines sunt *unus* populus; & multi fideles *una* Ecclesia, eò, quòd Christus, loquens de Fidelibus, dixerit: *Volo Pater, ut sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus.* &c.) à Concilio datum fuit dicendo: illum textum quoad fideles, intelligi *de unitate charitatis in gratia*, sicut accipitur iste. *estote perfecti* (nimirum perfectione gratiæ) *sicut Pater vester cœlestis perfectus est*, perfectione naturæ; quia inter Creatorem, & creaturam, non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major dissimilitudo sit notanda. 11

Ad præcipuam verò dubitationem Joachimi, natam ex eo, quomodo *eadem numero res possit esse Pater, Filius, & Spiritus S. & tamen non esse generans, nec genita, nec procedens; cùm tamen Pater sit generans Filius sit genitus, Spiritus S. sit procedens?* (ex hoc enim inferebat, quòd vel nequeat admitti, quòd ea summa res sit Pater, Filius, & Spiritus S. sed aliquid quartum; vel non sit in tribus Personis una unitate identitatis, sed solùm similitudinis, vel collectionis) respondit concilium, etiam stante unitate identitatis trium Personarum in eadem numero substantia, essentia, seu natura, rectè ac sine repugnantia verificari, quòd ea res *non sit generans* &c. Sed solùm, *quòd sit Pater, qui generat*; per hoc apertè innuens: in hoc (*natura non est generans*) aliud negari prædicatum de natura, quàm affirmetur de Patre, cùm dicitur: *Pater est generans*. 12

Hujus ulteriorem expositionem dat Gloss. in c. *Damnamus*. V. *neque genita*, dicens: notandum. 1. in divinis esse quædam nomina *essentialia*, quædam *personalia*, quædam *notionalia*: essentialia esse, dicit, quæ in singulari numero dicuntur congruè de tribus personis singillatim, ut Deus *bonus*, Deus *justus*, Deus *æternus*; non autem in plurali, juxta symbolũ Athanasij: ibi non *tres* Dij: sed *unus Deus*; Non *tres æterni*, sed *unus æternus* &c. Personalia vocat, quæ supponunt personam, 13

& dicuntur in singulari numero tantùm, ut *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus Sanctus*; notionalia, quæ notant distinctionem in Personis; ut *generans*, *generata*, & *procedens*; ad hanc observationem Glossæ Joannes Andreas in margine lit. B, notat. 1. hæc prædicta *notionalia* sic esse appellata, *quia personas notificant*, aliquando distinctione, quia eas distinguunt; quandoque relatione, quia personas ad invicem referunt; quandoque proprietatibus, quia propriè personis insunt. notat. 2. quando ista nomina *notionalia* dicuntur *adjectivè*, verificari tantùm de personis, non de essentia; si autem *substantivè*, verificari tam de essentia, quàm personis. Ex quo infert hanc propositionem (*Pater est generans*) esse simpliciter veram, sive dictio generans dicatur adjectivè sive substantivè: si autem dicatur: (*substantia divina est generans*, falsam esse, si dictio generans sumatur adjectivè; non verò si substantivè. Rationē dat, quòd si prædicatum *generans* dicatur adjectivè de natura, seu substantia, denotet distinctionem in natura, seu substantia, & sensum faciat, quòd natura divina sit *natura generans*, seu quòd natura divina sit ratio applicandi subjecto significationem illius prædicati, quod significat oppositionem relativam, & distinctionem; quod falsum est; si autem dicatur substantivè, faciat sensum, quòd natura divina sit persona generans, quod est verum; sic Gloss. cit.

14 Breviùs dici potest, ly *generans* verificari æquè de natura divina, si servet eandem appellationem, quam habet dictum de Patre; nam in hac (*Pater est generans*) idem est vi prædicati appellantis supra subjectum, ac si dicas (*Pater, est Pater generans*) omne enim adjectivum, dictū de aliquo subjecto, illud ipsum repetit in recto. verissimum autem est, *natura, est Pater generans*; non autem, *natura, est generans*; sic enim idem est, ac, *natura, est natura generans*; certum autem est, nihil esse in Deo, quod sit *natura generans*, sicut nihil est, quod sit *natura distingueus*, vel *distincta*; aut *natura relativè opposita*; etsi verissimum sit, *in Deo, naturam esse Patrem distinctum, ac relativè oppositum Filio*; quia reverà ratio *Patris*, est origo oppositionis, & distinctionis; non autem ratio substantiæ, essentiæ, seu naturæ, quæ nō tantùm importat prædicata essentialia, sed etiam personalia, & notionalia; quod non est in alijs carentibus identitate mixtâ per distinctionem. Et ideo complures docent, has propositiones: *Pater est generans; natura non est generans*, etiam simpliciter prolatas, veras esse sine omni contradictione formali; 1. quia non affirmatur, & negatur idem sub eadem terminorum appellatione; quod requiritur ad contradictionem formalem; nam ly *generans*, in negativa non servat eandem appellationem, quam habet in affirmativa, ut ostensum est.

Secundò. In illis duabus propositionibus non est *idem* prædicatum. Nam ly *generans* in hac affirmativa *Pater est generans* (quæ secundùm fidem est necessariò vera) importat *generationem necessariam subjecto*; in hac negativa *natura non est generans* (quæ secundùm fidem simpliciter prolata etiam est necessariò vera; cùm hæc *natura est generans* secundùm fidem sit necessariò falsa) importat *generationem repugnantem subjecto*; Cujus ratio est, quia quando ex duabus formaliter contradictorijs affirmativa est necessariò vera, prædicatum est necessarium subjecto, ut in hac: *homo est animal*; si autem est necessariò falsa, prædicatum est repugnans subjecto, ut in hac: *homo est lapis*. cum ergo ex his: *Pater est generans*; *Pater non est generans*; affirmativa sit necessariò vera, ly *generans* in utraque significat *generationem necessariam subjecto*; & cùm in his: *natura est generans*; *natura non est generans*, affirmativa sit necessariò falsa, (negativa enim secundùm fidem est necessariò vera) ly *generans* in utraque significat *generationem repugnantem subjecto*: at generatio *necessaria* & *repugnans subjecto*, non est eadem; ergo. 15

Tertiò. Quia in formali contradictione debet utriusque propositionis subjectum esse *idem identitate purâ*, nimirum non mixta distinctione: at in his: *Pater est generans*, *natura non est generans*, Pater, & natura (quæ sunt subjectum) non habent identitatem puram, sed mixtam, ut docent plurimi; qui admittunt inter naturam & Patrem vel distinctionem formalem ex natura rei; vel virtualem intrinsecam; vel realem in tertio; vel rectius 16

ctius personalem: cùm *natura* verissimè non minùs sit persona realiter distinct. à Patre, quàm sit persona eidem relativè opposita (est enim veraciter Filius ex dictis sup.) ergo; sed de hoc ex professo Theologi.

17 Alterum quod damnatur in cit. c. *Damnamus*, continet errores Almarici, ut constat ex illis verbis: *reprobamus etiam*, & condemnamus, perversissimum dogma Almarici, cujus mentem sic Pater mendacij excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica censenda sit, quàm insana. Circa quod not. 1. Almaricum fuisse natione Gallum, patriâ Carnotensem, Lutetiæ Parisiorum impietatis Doctorem, ut notat Fagnanus in *cit.* c. *Damnamus n.* 28. Not. 2. Inter vesanos ejus errores recenseri præcipuos, qui sequuntur. 1. quòd Corpus Christi non aliter sit in pane altaris, quàm in alio pane & in quâlibet aliâ re, transubstantiatione denegatâ. 2. Deum sic locutum fuisse in *Ovidio*, sicut in Augustino. 3. Negabat resurrectionẽ corporum, paradysum, & infernum; dicebat enim, qui in se Dei cognitionem haberet, illum habere in se quoque paradysum; qui contrà peccatum mortale haberet, eundem habere in se infernum, non aliter quam dentem putridum in ore. 4. Altaria Sanctis dicata, & imagines thurificare Sanctorúmque invocationes, idolatriam esse. 5. Non solùm cum Armenis, Adam, & Evam nunquam carnali copulâ jungendos fuisse, si permansissent in statu illo, in quo Deus illos creavit; verùm etiam sexuum differentiam nullam, sed hominum multiplicationem æquè, ac Angelorum futuram. 6. Deum non videri in se, sed in creaturis, sicut lumen in aëre. 7. Illud (quod aliàs est peccatum mortale) factum in charitate, non esse peccatum, promittendô simul impunitatem peccatorum. 8. Ideas, quæ sunt in mente divina, & creare & creari posse; cùm tamen secundùm Augustinum in mente divina nihil sit, nisi æternum, & incommutabile. 9. Somniabat mentem contemplativi, seu Beati perdere *suum esse* in proprio genere; & redire *in illud esse ideale*, quod habuit in mente Divina. 10. Asserebat, omnes creaturas in fine in Deum redire, & in ipsum converti, ut fint unum individuum cum ipso; hinc negabat, in resurrectione duplicem fore sexum: sic Fagnanus *cit.* referens plures qui de Almarici tam gravibus erroribus scripserunt; demum addens Almaricum de his, & pluribus alijs vesanis erroribus, unà cum complicibus, ab Episcoporum, & Theologorum Parisiensium Concilio convictum, ex mœrore animi interijsse, ejúsque cadaver jussu Philippi Gallorum Regis, postea exhumatum, & flammis exustum esse Anno Domini 1208.

Omnes igitur errores isti damnati sunt à Concilio Lateranensi *secundo*, quod eâ potissimùm de causa fuit ab Innocentio III. celebratum; qua occasione notandum, ubi in Sacris Canonibus simpliciter fit mentio de Concilio *generali*, hoc semper denotari, etiamsi nomen Pontificis non exprimatur, ut notat Fagnan. in cit. c. *Firmiter*. n. 1. cujus rationem ibidem fusè tradit.

Præter errores prædictos notantur alij 18
sub hoc titulo in sexto, & Clementinis. Primus est in c. *Unico*, de Summa Trinitate in 6. ubi Gregorius X. cum Concilio generali Lugdunensi sic loquitur: *Nos hoc sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum S. ex Patre & Filio procedere; sive etiam temerario ausu asserere, quòd Spiritus S. ex Patre & Filio, tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat.*

Circa quod not. 1. olim fuisse errorem Græcorum, qui dicebant Spiritum 19
sanctum procedere à *solo* Patre, ut notat Gloss. in cit. c. *Unico*, V. *Fideli*: sed hic error extirpatus est per c. *penult.* ibi: *unde* ab *illo*, (nimirum Dei Filio) *sicut à Patre procedit.* & c. *ult.* dist. 5. de Consecrat. ibi: *cùm hoc ipsum sit, quod profertur à Filio, id est, procedens à veritate, &c.*

Not. 2. Alios negâsse Spiritũ S. procedere *æternaliter* à Patre & Filio; alios, quòd procedat ab utroq; tanquã *uno principio, per unã spirationem*: alios denique diversos alios errores docuisse, ac tenuisse circa Spiritum S. de quibus videri potest c. *penult.* 24. q. 2. ut notat Gloss. margin. cit. V. *Fideli*. Porrò hi omnes errores in dicto c. *unico*, Sacro approbante Concilio, damnati sunt, & definitum, ut dicitur in Rubrica dicti c. *Unici*: *Spiritum S.*

*æter-*

*æternaliter à Patre, & Filio, tanquam ab uno principio, & unica spiratione procedere*; consequenter doctrinam, huic oppositam, esse certò falsam, & contra veram fidem.

20 Not. 3. Fundamenta Græcorum, quibus ducebantur ad dicendum Spiritum S. procedere *à solo patre*, fuisse. 1. ex illo Joann. 16. *Spiritus Sanctus, qui à patre procedit*; item, quia in symbolo, apud eos edito, simpliciter continetur: *qui ex Patre procedit*: demum ex L. 2. C. de summa Trinit. ubi dicitur *Spiritum Sanctum, quem ex summo rerum Parente speramus*. Verùm (ut rectè notat. Gloss. in. cit. Clement. *Fideli* & V. *Filio* expressio Patris, non excludit Filium; sed potiùs includit; hujus ratio est; quia ipsorum opera inseparabilia sunt ex c. *sic enim. 2. Beatior*, 28. *q* 1. & c. *fin. dist.* 3. *de consecrat*. Rationem autem ulteriorem dant Theologi. 1. *quia submotâ à Filio, Spiratione activâ*, tollitur inter eum, & Spiritum S. oppositio relativa *producentis & producti*, quâ unâ juxta Conc. Florent. sess. 18. V. *Dico equidem*, in Divinis una Persona differt ab *alia*; 2 *consubstantialitas* inter Patrem & Filium, quam Græci concedebant; vel Filius esset *spiratus* seu *Spiritus*, quod negabant; ut breviter insinuatum est supr. 3. quia sic Spiritus Sanctus non esset passivus amor Patris & Filij mutuo sui amore spirantis Spiritum, amore fœcundo, ut diximus alibi.

21 Demum in Clement. *Fidei Catholicæ* habetur, fateri Concilium Viennense (quod habitum est sub Clemente V.) Unicum Dei Filium, in essentia Dei æternaliter subsistentem, verum corpus assumpsisse de Virgine, & in eo passum, etiam mortuum, lanceâ perforatum, approbando in hoc ordinem quem tradidit S. Joannes. & ibidem in §. *Porrò*, reprobat, & hæreticam judicat doctrinam, quæ habet, quod substantia animæ rationalis, seu intellectivæ *verè & per se* humani corporis *non sit forma*. Ubi not. 1. quòd textus eum condemnet *ut hæreticum*, qui vel *temerè* asserit animam rationalem non esse verè formam corporis humani, vel qui, *an sit?* vertit *in dubium*, ut constat ex verbis ibi. *temerè asserentem, aut vertentem in dubium*. not. 2. secundùm Gloss. ibid. V. *temerè* per hunc terminum idem importari, ac *præsumptuosè, stultè, sine causa, sine consilio* & ly *dubium*, ibidem accipi, *de dubio hæretico* nimirum cum pertinacia; sic Gloss. V. *in dubium*. Not. 3. ex hoc quòd in isto textu expresse mentio solùm fiat animæ *rationalis*; non inferri legitimè, quòd anima *sensitiva*, & *vegetativa* non sit verè, ac propriè forma corporis: non enim omissum fuit ideo, quòd contrarium, vel oppositum, de hac senti retur: sed quia de sensitiva & vegetativa non fuit opinio contraria sicut de rationali, seu intellectiva, de quo videri potest Gloss. ibid. V. *Intellectivæ*. Nam decisio quæstionis dubiæ referenda est ad expressa in dubitatione, & data ad eam resolutione.

# QUÆSTIO II.

## In Tit. II. De Constitutionibus.

22 *Constitutio generaliter*, & latè *sumpta* supponit pro qualibet lege, vel jure humano scripto, à quocunque habente potestatem ferendæ legis condito; *Specialiter* autem, & strictè pro illo jure scripto, quod vel summus Pontifex, vel Imperator, vel alius supremus Princeps condidit. c. *Constitutio. dist.* 2. Ex constitutionibus, aliæ sunt *civiles*, quæ à potestate sæculari; aliæ *Canonicæ*, seu Ecclesiasticæ, quæ à potestate Ecclesiastica conduntur, & promulgantur. Cùm autem juris humani scripti, tam Civilis, quàm Ecclesiastici, sint variæ species, ut constabit ex seqq. variæ quoque sunt species constitutionum. Cæterum hîc *constitutionem* sumimus latè, pro omni humano jure, vel lege scripta, generaliter acturi de legibus humani juris, tractatu in duas partes diviso.

## PARS I.

### *De Legibus in communi.*

CUm materia de legibus sit fundamentum potissimarum quæstionum, non tantùm in jure; sed etiam morali Theologia (nam ab earum justitia, publicatione, acceptatione, interpretatione, exten-

extensione, restrictione &c. plurimæ resolutiones dependent) tractatum hujus tituli de Constitut. in duas partes dividimus, acturi in 1. de lege in communi; in 2. de legibus in particulari.

## ARTICULUS I.

### *De Jure in genere.*

23 JUS in genere multiplicem acceptionem habet. Nam 1. significat *justum* generatim, sic, ut idem sit, ac *legitimum & rectæ rationi consonum*; quo sensu omne virtutis opus jus, & justum dicitur; *specialiter* autem acceptum, supponit 1. pro jure passivè sumpto, ut mox dicemus; 2. Pro *arte boni, & æqui*, seu scientia jurium, atque legum, & dicitur jurisprudentia, & *L. 1. ff.* de origine juris, definitur: *ars boni, & æqui*, seu *justi, atque injusti scientia.* 3. Pro *loco judicij*, hinc quis dicitur *in jus vocari, in jure comparere*, hoc est, in loco ubi judicium exercetur. 4. Pro sententia judicis. Nam hujus est, *jus dicere*, seu sententiam ferre. 5. Specialiter pro facultate legitima, directè, & formaliter percipiendi commodum libertatis propriæ ex usu alicujus rei, & sic sumitur *jus activè*; id verò, quod titulo ejusmodi facultatis in ipso residentis, ipsi debetur, vocatur *jus passivè sumptum*, seu *debitum*: de jure sic accepto agunt Theologi *in* 2. 2. D. Thomæ, & â nobis expositum est olim in impresso brevi tractatu Theolog. de Jure & Just. *q.* 1. *n.* 6. Cumprimis autem supponit hìc pro lege tum naturali, & divina; tum humana; inde dicitur *jus naturale, jus divinum, jus humanum*: sic acceptum *jus*, varium est, & multiplex, sicut ipsæ leges; & de jure sic accepto, secundùm quod restringitur ad *leges Ecclesiasticas*, in jure Canonico agitur. Quoniam autem frequens mentio incidit *juris*, non modò naturalis, & Divini; sed etiam Civilis, & Ecclesiastici, seu Canonici, de singulis aliqua præmitti debent.

### §. I.

### *De Jure naturali.*

24 JUS *naturale*, juxta Suarez de legibus *l.* 2. *c.* 4. *d.* 2. *n.* 9. *est hominis conscientia, recta præcipiens, & prava prohibens, fundata* (ut ait Lessius *de Jure & Just. l.* 2. *c.* 2. *d.* 2. *n.* 9.) *in natura rationali, & naturali conditione operũ, atq; adeò in ipsis rerum naturis*; non in libera alicujus voluntate. Hinc Ernricus Pirhing in Prolegomeno Juris Can. *n.* 8. *Jus naturæ* inquit, *non oritur formaliter ex ulla voluntate superioris; sed habetur ex ipsa natura objectorum, & actuum disconvenientium naturæ rationali, quà tali*, & fundat in qualibet natura rationali, etiam divina, obligationem non ponendi aliquid, ipsi dissonum. Et ideo in tract. de vitijs, & peccatis olim docui, dari quosdam actus (ut *mentiri, odisse*, & *blasphemare Deum*) qui mali sunt antecedenter ad omne jus positivum; nec ideo malos, *quia prohibiti*; sed, ideo *prohibitos quia de se mali sunt*, malitia fundamentali.

Juris Consulti, jus naturale, *sic definitum*, vocant *secundarium*, constituentes 25
jus naturale, *primævum* in eo, *quòd natura omnia animalia docuit*, ut dicitur in principio Institut. de jure naturali, & gentium; hoc est, ex instinctu, & inclinatione nobis communi cum brutis, ut est, maris, & fœminæ conjunctio; liberorum procreatio, & educatio; hinc jus naturale *primævum*, secundùm juris peritos, est ipse instinctus, & propensio naturæ sensitivæ, quæ hominibus cum brutis animantibus communis est. Verùm in ista locutione Juris-consultus dicitur *crassiùs*, & liberius accepisse *jus naturale*, teste Schneidewin. *l.* 1. *Instit. tit.* 2. *n.* 2. Nam jus *propriè*, naturam *rationalem* respicit; cùm alios gravet, & obliget; alios autem in agendô, vel omittendô, dirigat. Quare cum Theologis jus naturale *propriè* aliud non est, quàm naturale lumen intellectûs nostri, nobis inditum à Deo cum ipsa natura rationali; & propterea etiam dicitur jus naturale *participatum* à ratione divina, quæ est *jus* naturale divinum, & *imparticipatum*.

### §. II.

### *De Jure positivo.*

JUS positivum dicitur, quod non ex na- 26
tura rerum, sed ex libera Dei, vel hominum voluntate pendet, & vim obti-

net. Hinc jus positivum aliud est *divinum* à Dei; aliud humanum ab hominum voluntate. Et quidem *humanum*, aliud est *Ecclesiasticum*, si pendet à voluntate potestatis Ecclesiasticæ; aliud *laicum*, seu *sæculare*, quod à potestate seculari. Si jus agat de his, quæ principaliter, & directè pertinent ad statum Reipublicæ, seu imperij Romani (qui consistit in *sacris*, in *Sacerdotibus*, & *Magistratibus*) adeóque tractet de Religione, de Magistratibus, & generatim de omnibus, quæ ad publicam utilitatem talis reipublicæ spectant, dicitur *jus publicum*: Si verò de privata utilitàte singulorum, eorumque temporali pace, ac salute; dicitur *jus privatum*, licèt consequenter id ipsum redundet in publicam utilitatem; ita communis cum Casparo Manzio *in tract. de Ortu, & Progressu Imperij Romani l. 1. de Jure publ.* §. 1.

27 Ad jus positivum aliqui reducunt jus gentium, dictum ab Imperatore, *quod naturalis ratio, inter omnes gentes, constituit, & apud omnes populos peræquè custoditur, ac observatur*; sive, *quod omni humano generi, illique soli, commune est*, dicitur *jus gentium*; quia eo jure omnes gentes utuntur. Juris gentium esse dicitur Religio in Deum; pietas, & observantia erga parentes, & patriam: hoc jus (seu leges, & regulæ agendorum, vel omittendorum, communes propè omnibus gentibus) duplex est. Nam aliud est, quod naturalis ratio apud omnes gentes constituit, nullâ utilitatis, vel necessitatis causâ urgente; sed, quia sic agenda, vel omittenda, in se spectata, simpliciter bona visa sunt; at sic potiùs pertinet ad jus naturale (talia sunt religio in Deum, pietas, & observantia in parentes & patriam) aliud verò est, quod quidem naturalis ratio dictavit, eò, quòd illa agenda, vel omittenda, de quibus præcipit, non ex se, sed necessitatibus hominum sic exigentibus, vel alijs causis, & utilitatibus sic suadentibus, judicium rationis apud omnes gentes constituerit. Hoc jus gentium, legistæ vocant *secundarium*; illud, *primarium*, seu *primævum*. Ad secundarium jus gentium (quod in re propriè est jus gentium, cùm primævum à jure naturali secundario non differat) pertinet divisio dominiorum, coërcitiones criminum, bella, captivitates, & illæ leges, seu regulæ, quæ super his aliquid disponunt; & omnes propè contractus.

Ex dictis colliges 1. jus naturale à jure 28
gentium à nobis definito, & quovis alio jure positivo differre. Nam illud per se loquendô, & naturâ sua est immutabile; hoc autem mutari potest non tantùm per accidens, ratione objecti, vel materiæ mutatæ; sed etiam per se; quamvis omnes circumstantiæ, cum quibus antea obligabat, eædem maneant, cum pendeat à libera legislatoris voluntate. Colliges 2. Consuetudinem, quæ usu, & moribus populi, vel majoris partis ex aliqua communitate introducta est, & vim legis obtinet ad distinctionem aliorum jurium, atque legum, quæ scripto conceduntur, vocari *jus non scriptum*, seu *consuetudinem*. Quia verò jus positivum aliud est Ecclesiasticum, aliud sæculare ex n. 26. de utroque dicendum est.

## §. III.

## *De Jure sæculari, seu civili.*

BEcanus in 1. 2. *tract.* 3. *c.* 6 *q.* 9. *n.* 6. 29
(postquam dixisset, divisionem juris variam esse, & 1. si sumatur *ab objecto, & fine*, dividi in *jus publicum*, quod principaliter spectat ad salutem, & felicitatem publicam, nimirum populi, & in *privatum*, quod in bonum privatorum generatim; 2. *ab origine*, in jus naturale, quod originem suam habet à natura; *divinum*, quod immediatè à Deo; *humanum* quod ab homine. 3. *A forma* in jus scriptum, & non scriptum; illud scripturâ, non istud, constare, sed usu pro lege recepto) subjungit tandem, *jus civile* variè sumi: & quidem 1. pro eo, quod quælibet civitas sibi proprium constituit; sic dicitur *jus civile Romanum*, scilicet *cum addito*; & sic opponitur juri gentium, quod omnibus gentibus commune est. 2. Ut opponitur juri canonico, & sic supponit pro omni jure, quod statuitur à Magistratu sæculari, sive apud omnes, sive apud aliquem tantùm vim habeat. 3. Ut opponitur juri prætorio, quod ex authoritate Prætoris descendit, de quo dicemus infra *à n.* 34. Hic potissimùm *jus civile* sumimus pro eo, quod

oppo-

opponitur ratione originis juri canonico; quod spectat *jus* in prima divisione, notandum, sex olim, apud Romanos, species juris scripti numeratas fuisse, *legem, plebiscitum, Senatûs-consultum, placita Principum, Magistratuum, seu Prætorum edicta, responsa prudentum.* Sex enim erant Romæ, qui Romanis jura constituebant, populus, plebs, Senatus, Princeps, Magistratus, & prudentes urbis Romæ, seu jurisperiti.

30 *Lex*, prout constituit primam speciem Juris Rom. scripti, juxta §. 4. *Instit. de jure natur. gent. & civil.* supponit pro eo, quod populus, pulsis Regibus, acceptâque libertate, constitutis Consulibus ( penes quos, exemplo Regum, Summum jus erat, jure creandorum Magistratuum, pacis, ac belli, & legis ferendæ ) in comitijs à Consule rogatus pro lege, seu regula in agendis, vel omittendis habere voluit; sic Manzius *cit. in cit.* §. 4. Sed de Lege generaliter ex professo agemus infra *à. n.* 81.

31 *Plebiscitum*, erat Plebis statutum. Nam olim, quod populus Romanns Senatorio Magistratu, seu Consule interrogante constituebat, *lex* dicebatur, ut dictum est; *Plebiscitum* autem Plebis statutum: Nam *sciscere*, est *statuere*. Ea igitur, quæ Plebs suo suffragio sine Patribus ( nimirum Senatoribus, & viris Patricijs ) magistratu plebis ( nimirum Tribuno ) rogante jubebat, plebiscita vocabantur, teste Gellio *l.* 10. *c.* 10 Porrò *plebs* à populo differt, tanquam pars à toto. Nam appellatione *populi*, universi cives, & Romanorum ordines significantur, connumeratis etiam Patricijs, & Senatoribus. Etsi autem nomen *Patricij* sit æquivocum; hoc tamen loco per illud significantur ij nobiles Romani, qui à primis Senatoribus, sive à 100. Patribus, quos Romulus in Senatum adlegerat, oriundi erant: per *Senatores* autem, qui succesſu temporis, vel ab ipsis Senatoribus, vel populi suffragio in ordinem erant adscripti.

Inter *legem*, & *plebiscitum*, præter alia, hoc etiam discrimen, est, quòd potestas *legis* universum populum; *plebisciti* autem, plebem tantùm obligaret. Quia tamen ex hoc ipso rursum discordiæ natæ sunt; authoritate Q. Hortensij, tunc Dictatoris, factum est, ut plebiscita non minùs, quàm leges, universum populum tenerent, & æqualis eorum potestas esset, ut dicitur §. *lex est*, vers. *Sed & plebiscita. Instit. de jure natur.* &c. id quod lege Hortensia constitutum dicitur.

*Senatus Consultum* ( in quantum ter- 32
tia Rom. juris Scripti species ) est jus, quod senatus jubet, atque constituit. Cùm enim auctus sic esset populus, ut ægrè in unum, Sanciendæ legis causâ, cogi posset; æquum visum est, Senatum, vice populi, consuli. Ex quo vides, sicut leges conditæ sunt in statu *democratico*, eo nimirum tempore, quo summa rerum erat penes populum; sic Senatûs consulta in statu *Aristocratico*, quo nimirum tempore summa erat penes senatum, seu Optimates, non autem penes populum. *Senatûs-consulta* nomen suum desumebant potissimum à nomine Consulis interrogantis, ut *Claudianum* à Claudio, *Libonianum* à Libonio &c.

Quarta species juris Romani in statu 33
Monarchiæ conditi, vocatur *constitutio*, seu *placitum Principis*, & nihil aliud est, quàm jus, quod Princeps seu Imperator Romanus constituit solus. Constituto enim Principe data est ei potestas, ut quod ipse constituisset, ratum esset. Ut lex Regia, quâ Principi populus imperium, & potestatem jubendi leges, contulit, ei imperium suum, & potestatem omnem concedendô, *lex Regia* dicebatur, quòd per eam jus regnandi fuerit collatum; sic Manzius ad *cit.* §. 6. *n.* 10. esto etiam nunc dicatur *lex Imperij*, quòd lata sit de Cæsaris imperio, & imperiali ejus potestate. Porro *placita Principum*, & Constitutiones imperiales ( latæ scilicet ab Imperatore Romano ) sunt in triplici classe; quia tripliciter voluntatem, & placitum suum Imperator declarat, cùm illud pro lege habere vult, nimirum *rescribendô*, *decernendô*, *edicendô*. Prima igitur species constitutionis imperialis est epistola, seu *rescriptum*, quando scilicet Princeps vel epistolis, & libellis supplicantium, vel magistratui & consulentibus rescribit, quid pro jure servari velit; secunda species est *decretum*, seu sententia, quam Princeps vel pro tribunali sedens, solenniter in judicio, de negotio controverso, causâ cognitâ, vel etiam extra judicium ( audita utraque parte litigantium ) ferebat. Nam

ſententia imperialis reſpectu omnium ſubditorũ vim legis habet *L. ult. C. de Legibus.* Tertia ſpecies eſt *edictum*, quando videlicet Princeps aliquid ex ſemetipſo, motu proprio, vel aliquo ſuggerente, ſtatuit, prohibuit, juſſit; vel etiam, programmate publicè propoſito, vel voce præconis, promulgavit ad utilitatem omnium ſubditorũ. Hæ tres ſpecies in eo differunt, quòd reſcripta & decreta ſint de rebus præſentibus; edicta de rebus futuris; & illa ad certas perſonas in ſpecie directa; hæc verò generaliter, absque complexu rerum, & perſonarum emiſſa. Ex placitis Principum, ſeu conſtitutionibus, aliæ ſunt *generales*, quæ ſcilicet omnes tenent, ſeu ad omnes pertinent, & ab omnibus æquabiliter obſervari debent; aliæ ſunt *perſonales*, ſeu *ſpeciales*, quæ ſingularibus perſonis, cauſis, & rebus conſtituuntur; & ideo dicuntur quandoque *jus ſingulare. L. 16. ff.* de legibus, aliquando conſtitutio *perſonalis L. 1. ff. de Conſtitut: Princip.* interdum *beneficium L. 3. eod.* Communiter autem *privilegium.* Not. autem Sæpè aliquid, *quoad ſui orginem* eſſe juris naturalis, vel gentium, aut etiam poſitivi divini, *quoad formam* verò, in hac, vel illa civitate, ad ſortiendum certum juris effectum, humano jure eſſe aliquid *ſpeciale conſtitutum*, atque adeò, quoad eum, eſſe juris civilis vel Canonici, ut patebit per decurſum.

34 Quintam Romani juris ſpeciem conſtituebant *edicta Prætorum.* Pro quo not. bono Reipubl. non ſatis eſſe, *quòd condantur leges*, ſed requiri etiam, *quòd ſint, qui curent earum executionem*, & qui juri dicendo præſint. Quare poſt plebiſcita Romæ condita in ſtatu democratico; poſt ſenatûs conſulta in ſtatu Ariſtocratico; vel conſtitutiones Principum in Monarchico, conſtituti fuerunt aliqui, qui eorum executionem urgerent, & ſecundùm ea cauſas definirent; & hi vocati ſunt *Prætores.* Hi virtute poteſtatis ſibi tributæ, & ſecundùm jurisdictionem ſuam proponebant *edicta*, quæ *Prætorum edicta* dicebantur. Quamvis autem primitus omnis Magiſtratus *Prætoris* nomine vocaretur (unde ortum, quòd locus, in quo Magiſtratus jus dicebat, vel habitabat, *Prætorium* diceretur) poſtea tamen illi ſolùm Magiſtratui nomen *Prætoris* dabatur qui juri dicendo præficiebatur, & Summam judiciorum poteſtatem haberet. Ab initio unus tantùm erat Prætor, dictus *Urbanus*, quòd in Urbe jus redderet; ſed quia hic ſolus poſtea non ſufficit, Secundus conſtitutus eſt, dictus *Peregrinus*, quòd plerumque inter peregrinos jus diceret. Tandem Singulis Provincijs Prætores dati ſunt, qui dicebantur *Provinciales.* Non omni tempore Romæ fuit eadem poteſtas Prætorum; minor in ſtatu Monarchico; major in aliis. Aliquando tamen penes eos ſic juris publici, & privati poteſtas fuerat, ut ipſis novum jus condere, & vetus abrogare liceret. Et ideo jus eorum, ob honorem ipſorum, *honorarium*, dictum eſt. Ordinaria poteſtas erat circa judicia, cognoſcendô cauſas gravioris momenti, vel dandô alios judices; præſcribendo poſtulantibus formulas actionum, & judiciorum; tum intra, tum extra judicium authoritatem ſuam interponendô, jubendô, adjuvandô, vel emendandi juris civilis gratiâ edicta proponendô. Hinc illa pars juris Romani, quæ à Prætoribus, vi ſuæ poteſtatis, propter utilitatem publicam, propoſita fuit, *edicta Prætorum*, dicitur. Proponebant enim ſententiam ſuam, ut ſcirent cives, ſecundùm quod jus acturi in judiciis eſſent, durante officio. Hæc porro Prætorum edicta magnam vim habebant; minorem tamen plebiſcitis, ſenatuscon ſultis, & placitis Principum. Hæc enim e rant perpetua; illa tantùm annua, & cum officio, quod erat duntaxat annuum, exſpirabat. Hodie tamen perpetua ſunt, & omnes ligant, non jure *edicti*, ſed *Juſtinianeæ conſtitutionis*, qua pro lege haberi jubentur. Vocantur non tantùm *jus honorarium*, ſed etiam *Prætorium.*

35 Cùm plebs domeſticis legibus nunquã contentari poſſet, ut quieſceret; placuit, ne quis invidiæ locus eſſet, externas leges in urbem inducere. Hinc in Græciam præſertim Athenas, miſſi ſunt tres Legati, qui leges Solonis, juráque, & mores aliarum civitatum perdiſcerent. Hi poſt annum tertium reverſi, ſcriptas leges tulerunt. Quibus allatis, tribus prioribus, alii ſeptem Viri additi, qui decem ſimul ex Græcis legibus, & Romanis conſuetudinibus, Romanas leges condiderunt, ſcripſerunt, & publicârunt, omnibus in compendium redactis, & comprehenſis in decem tabulis

lis. Quia verò animadversum est, illis aliquid deesse, sequenti anno alias duas eisdem tabulis addiderunt, unde nomen, & numerus 12. *Tabularum* prodijt, ut dicitur *c. 2. dist. 7.* Quoniam verò istæ multùm obscuræ fuerunt, Jurisperiti (qui hìc *prudentes* vocantur) in principio cæperunt leges 12. tabularum interpretari, permissu populi, sed sine speciali authoritate, tam in statu Democratico, quàm Aristocratico Romanorum. In statu tamen Monarchico deinde interpretationes, seu responsa Jurisperitorum eam authoritatem acceperunt, ut judici ab eis recedere non liceret; hoc tamen non priùs, quàm eis Imperator Augustus hanc authoritatem respondendi constituerit, quem secutus Tiberius, & alij, *§. Responsa.* V. *quibus Instit. de Jure natur.*

36 Igitur *responsa prudentum* nihil aliud sunt, quàm sententiæ, & opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere. Quæ fuerit his responsis authoritas, constat ex priori num. Per *sententiam* intelligitur *responsum*, quo *decisivè* loquebantur; & per *opinionem*, quando *dubitativè*. Tunc autem Judici ab eorum responsis non licebat recedere, quando omnes in idem consentiebant; ita Manzius *ad cit. §. Responsa.* V. *quorum omnium n.* 14. Hanc porro authoritatem Jurisconsultis deinde ademit Imperator Justistinianus. Unde hodie non necessitant ad decisionem responsa Doctorum, sed tantùm præsumptionem faciunt, & tantùm eis credendum, quantùm probant, & non plùs. Ex quo colliges, ea tantùm responsa prudentum vim legis obtinere, quæ in Pandectas relata sunt, & hoc non ex se, sed ex legis constitutione, & authoritate Theodosij Imperatoris, & Justiniani *L. 1. §. Sed neque, c. de veteri jure enucleando.* Hæc de Jure Romanorum scripto. Ex glossis autem, & opinionibus comunibus, probabilis quidem, sed nulla certa probatio est; ut notat Scotanus *in Examine Juridico p. 1. Pandect. f.* 48.

37 Præter hæc notand. jus civile, seu sæculare commune plerumque nunc sumi pro jure scripto, quod est clausum, seu contentum in Corpore juris civilis, seu libro juris, quod Cæsareum dicitur. Hoc præcipuè dividitur in tres partes juxta nonnullos; nimirum in *Digesta*, *Institutiones*, & *Codicem.* Prima pars est *Pandectarum*, seu *Digestorum*, quæ complectitur 50. libros, distributos in tria Volumina; quorum primum *Digestum vetus*, secundum *Infortiatum*, tertium *Digestum novum* appellatur. Illud autem *volumen* (inter Digestum Vetus, & Novum) *medium*, *Infortiatum* dicitur; quod aliqui ab Authore, seu Inventore sic appellatum dicunt; aliqui ab *inforcisim* Chaldæorum vocabulo, quod idem est ac *dispositio.* Nam in eo sunt leges circa ultimas dispositiones; alii autem compositum volunt ab *in*, sumpto pro *valde*; & *fortis*, quasi volumen continens *Leges valde fortes*, ut notat Peregra in Elucid. *l. 1. elucid. 10. de Legibus n.* 256. Institutiones autem Imperiales (quatuor libris comprehensæ) sunt quoddam totius juris compendium, quo juris amantes suavius ad plenam juris scientiam perducerentur; Codex autem constitutiones, & rescripta Imperatorum antiquiorum complectitur. His tribus juris civilis partibus adjectæ sunt ad finem Authenticæ, seu Novellæ constitutiones Justiniani, & Le[illegible]rum, constitutiones feudales, aliæ imp[illegible] *thenticæ*, desumptæ ex Novellis, & suis locis subjectæ legibus Codicis, privatâ juris consulti operâ, nihil probant, nisi respondeant ijs locis, ex quibus desumptæ sunt, ut docet Bernard. Scotanus. *Pandectarum p. 1. de jure civili, & libri ejus fol.* 14. subjungens: *Leges Leonis nihil probare, contra Leges Justiniani sed tantùm comprobare;* Quia Leo non habuit plenum imperium, & ejus Novellæ nunquam fuerunt receptæ absolutè. Res judicatæ autem tantùm sunt fundamenta consuetudinis, & per se Legis virtutem non habent; sic Scotanus *cit. in Exam. Jurid p. 1. pandect. f.* 28.

38 Circa hæc breviter not. 1. cùm olim juris, & legum volumina essent propemodum infinita, ita ut impossibile fuerit hominis ætatem istorum voluminum lectioni sufficere (fuerunt 2000. librorum conscripta, & plùs, quàm tricies centena millia versuum à veteribus effusa, ut dicitur L. 2. §. *Omnia igitur.* V. *Sed cùm omnia*, C. *de veteri jure enucleando.*) Justinianum Imperatorem constitutiones Romano-

manorum Principum, olim confusas, & dispersas, atque inter se pugnantes, collegisse in tres Codices, Gregorianum, Hermogenianum, & Theodosianum, a suis authoribus appellatos; ut dicitur c. *fin. dist.* 7.

39 Not. 2. quòd his deinde multas extravagantes constitutiones, post illos tres Codices editos adjecerit, rejectis inutilibus, & additis necessarijs, annexas, omnesque in unum corpus, & volumen congestas, quod de suo nomine vocavit Corpus, seu Codicem *Justinianæum*, ut notat Manzius ad proœm. Instit. in Rubricam §. *& cùm Sacratissimus n.* 1. hic tamen Codex hodie non extat.

40 Not. 3. eundem confecto Justinianæo Codice, aggressum esse opus aliud difficillimum; & veteris juris prudentiæ volumina, atque juris consultorum scripta, & sententias, rejectis inutilibus, in unum volumen (quod constat 50. libris) congessisse, quos libros vocavit *pandectas*, & *digesta*; quia omnem juris doctrinam, certo ordine concinnatam, & digestam continent, ex jure veteri, & sententiis juris consultorum collectam: deinde verò mandâsse [illegible] Professoribus, [illegible] Theophilo, & Dorotheo, ut suo Cæsaris nomine, & authoritate, quoddam totius juris compendium ex pandectis, & Codice colligerent; quod in 4. libros divisum vocavit *Institutiones juris civilis*; quo etiam obtento, ad prioris Codicis emendationem, & secundam ejus editionem manum admovit, ac longè emendatiorē reddidit, quibusdā detractis, & novis additis, quæ in priori non habebantur. Et hic Codex est, quo hodie utimur. Postremò novæ Constitutiones, seu Novellæ (vulgò *authenticorum liber*) additæ sunt; quibus tandem accesserunt consuetudines *feudales*, & aliæ constitutiones Imperiales. Ex quibus colliges. *Institutiones hic* aliud non esse, quàm totius juris civilis elementa prima, in quibus breviter exponitur, & quod antea obtinebat, & quod postea desuetudine inumbratum, imperiali remedio illuminatum est.

41 Not. autem 4. quòd libri Institutionum, *in quantum sunt ex authoritate privata colligentium*, non necessitent ad decisiones causarum; licèt faciant probabilitatem, & præsumptionem, in quantum bona ratione moventur. Gloss. ordin. *in L. 1 C. de legibus:* quà verò sunt ab ipso Imperatore recogniti, & approbati, non minorem habent auctoritatem, & vim, ac cæteræ juris partes. Et ideo Institutiones juris canonici Pauli Lancelloti non sunt authenticæ; quia licet jussu Pontificis fuerint confectæ, ab eo tamen, morte intercepto, postea non sunt recognitæ, ut patet ex Epistolis eisdem subnexis. Ex quo vides valde utile esse, ut observetur, quo ordine partes juris civilis compositæ, & approbatæ sint. Nam cùm lex posterior priori contraria vel deroget, vel abroget; Codex Pandectis, & Institutionibus; Novellæ, omnibus juris libris derogant.

Not. 5. cùm Institutiones juris civilis 42
exhibeant solùm prima, & concisa juris rudimenta, eas in nonnullis accipere interpretationem ex Pandectis, ut cùm aliquid latiùs explicandum, qualiter fit in §. *fin. Instit. de nupt. & in* §. *fin. Instit. de publ. Judic.* vel limitandum, ut fit §. 30. *Instit. de rerum divis. junctâ L.* 37. *&* 38. *ff. de rei vind.* item §. 25. *Instit. eod. junct. L.* 7. §. 7. *in fine ff. de acquirendo rerum domin.* interdum autem ex institutionibus deciduntur Juris consultorum pugnantes opiniones, in digesta relatæ, ut fit *in* §. 34. *Instit. eod. junctâ L. In rem* 23. §. 3. *de rei vindicat. ff. & L.* 9. §. 2. *ff. de acquirend. rerum domin.* Quandoque per eas etiam digesta corriguntur §. 2. *Instit. de adopt.* nimirum, ut leges vi posterioris compositionis, vel ob constitutiones novas, quæ non pandectis, sed institutionibus variis locis insertæ sunt, mandato Imperatoris. *Constit. dedit* §. *sed cùm oportebat* 11. *ad magn. Senat.* Quando autem aliqui dicunt etiam Codicem interdum corrigi per institutiones, accipiendum est de Justinianæo; non eo, quo utimur; cùm hic post illas compositus sit; Sic Bernard. Scotanus *in Examine Juridico p.* 1. *Pandectarum de jure civili.*

Not. 6. in quæstione quid sibi velint au- 43
thenticæ in Codice? Responderi à Scotano cit. illas esse desumptas ex Novellis, & suis locis subjectas legibus Codicis, privatâ operâ Irnerij J. C. & consequenter nihil probare; nisi respondeant iis locis;

cis; ex quibus desumptæ sunt, ut dictum est *n.* 37. Constitutiones autem *Leonis*, propterea nihil probare contra Leges Justiniani, sed tantùm comprobare, quia Leo non habuit plenum imperium; & illæ Novellæ nunquam receptæ sunt absolutè, sic ille. Libri feudales, privato potissimùm studio Gerardi Nigri Capagisti, & Oberti de Orto, compilati sunt, ut habetur *c. unic. si de feud. Vasall. interpell. fuer.* & habent vim juris, ubi sunt recepti, ibique derogant juri communi; quamvis Jurista strenuus in casu, qui non est comprehensus consuetudine feudali, sine calumnia uti possit lege scriptâ *c. unic. de feud. cogn.* Ad extremum nota novum Codicem, quo nunc utimur, nominatum, esse *Codicem* repetitæ prælectionis, 50. decisionibus novis, in controversis causis, aliisque constitutionibus locupletatum, & confirmatũ esse 17. Calend. Dec. Anno 534. ut habetur *in const it. de Emend. Cod.*

44 Quoniam autem, ut experientiâ compertum est, frequenter evenit, quòd tam Sacri Canones, quàm etiam Leges ab Authoribus insertæ libris suis, & inde opinionem suam, & doctrinam firment; non rarò aut citentur falsò, aut in sensu non debito, imò quandoque pro casu, de quo tali loco nihil omnino agitur: atque adeò errare nolenti necessarium sit, ipsum juris textum inspicere, subjungo, aliorum imitatione, praxim referendi, citandi, ac inveniendi locum illum utriusque juris, de quo agitur; pro quo not. cùm suprà dixerimus, corpus Juris civilis constare tribus præcipuè voluminibus, *Institutionibus*, *Digestis*, & *Codice*, quibus accedunt Authenticæ, Novellæ, Libri feudales, & Pax Constantiensis; alios dictum Corpus dividere in sex volumina, *Institutionum*, *Digesti veteris*, *infortiati*, *novi*, *Codicis*, & authentici, ut notat Pereyra *in Elucid. l. 1. elucid. 19. de legibus sect. 10. n. 255.* quibus præmissis:

45 Primum volumen seu pars juris civilis, seu Cæsarei, continet *Institutiones Justiniani*, quasi quasdam introductiones ad jus civile, vocarique, & citari solet per vocem *Instituta*, seu *Institutiones*. Hoc volumen dividitur in quatuor libros; hi in titulos; & isti in paragraphos; hinc allegatione juris civilis, facta per ℣ ℣. & Titulos, hoc modo ℣. 1. vel ℣. *Ingenuus*, *Inst it: de Ingenuis.* notatur locus, seu ℣. quærendus in prima parte Corporis juris civilis, nimirum in eo libro Institutionum, sub quo est Titulus, *de Ingenuis.*

Altera pars juris civilis est *digestum*, 46 continens tria volumina, nempe digestum *vetus*, *infortiatum*, & *Novum.* Omnia sunt distributa in 50. libros continuatos; libri divisi sunt in titulos, & tituli in Leges. Circa hæc not. 1. hæc volumina vocari *Digestum*, non solùm, quia hoc opus *decoctum*, ut dicitur c. *Ne tales*, *dist.* 5. *de consecrat.* sed quia in eo omnia decidentia optimè digeruntur, & rectâ serie ordinantur. Vocantur etiam *Pandecta*, seu liber *Pandectarum*, quasi comprehendens totam juris doctrinam, à Græco *Pan*, quod est *totum*, & *dicti*, id est *doctrina*, quod ibi tota Juris consultorum doctrina reperiatur. Cur autem volumen medium inter vetus, & novum, dicatur *infortiatum*? diximus n. 37.

Not. 2. In citatione juris civilis pro *Lege* poni literam L. pro digestis duplex ff. 47 semper *addito titulo*, in quo ea lex continetur, v. g. hæc modo L. *Ex duobus. ff. de negotijs gestis*, ubi [illegible] notat *Legem*, duplex ff. *digesta*; reliqua verba *Titulum*; quamvis etiam quandoque, si lex constet pluribus §§. citetur §. talis legis, vel per cifram numeralem, vel per initialia verba.

Not. 3. à nonnullis quæri, cur modò per 48 duplex ff. *digestum* significetur, cùm olim per duplex dd. vel per D. & g. scriberetur? Pereyra *cit. n.* 255. hujus duplicem causam reddit 1. quòd olim Græci *Pandectas* per duplex i i. cum accentu circumflexo notaverint; unde factum, ut posteriores, ex ignorantia Græcarum literarum, credentes esse duplex ff. hoc signo abuterentur. Alteram, quòd multi credant, hunc librum esse auctum à duobus *Fridericis* Imperatoribus, ex quorum nomine, acceptâ primâ literâ, coaluit duplex ff. quo digestum significetur; licèt alij quandoque significare volentes *Pandectas*, denotent per literam *P.* Ex hoc colliges, si jus civile citetur per L. & ff. vel *P.* ac materiam tituli, ut priori num. ostensum est, significari legem illam contineri sub eo titulo Digestorum, vel Pandectarum.

Terti-

49 Tertium Volumen juris civilis, juxta primam ejus divisionem, &, juxta alios volumen quintum, est *Codex*, sub quo nunc intelligimus *Codicem repetitæ prælectionis* de quo n. 35. Hìc dividitur in duodecim libros, Titulos, & Leges. In citatione tamen non fit mentio libri in eo contenti, sed Tituli & Legis, addito C. magno, quo significatur *Codex*, v. g. *L. Si mulier. C. de Pactis conventis.* Cùm autem in eodem Codice contineantur aliquæ Authenticæ, quando illæ citantur, non ponitur *L.* sed loco illius dicitur *Authentica*, nominando illam per verba initialia, subjungendo C. & Titulum v. g. *Authentica, quas actiones, C. de Sacrosanctis Ecclesiis.*

50 Et quoniam suprà diximus, præter Institutiones, Digesta, & Codicem, in Corpore juris civilis, seu Cæsarei contineri aliud volumen, quod dicitur *Authenticum*, græcè *Authenticon*, latinè *Auctoratum* (cui nempe fides habeatur, quasi accersitis aliunde probationibus non egeat, sed sit instar exemplaris, seu originalis à se, non ab alio dependentis, eò, quòd Justinianus has postremas constitutiones Authenticas, quæ *Auctoratas*, sic appellatas; quia ipse illarum *author* fuit, nec aliunde profectæ sunt, & fundatum in illis jus omnino ratum esse voluerit) cùm inquam hoc *authenticum*, seu liber Authenticorum in eodem Corpore contentus sit, aliqui volunt illud esse volumen *sextum* ex his, quibus constat Corpus juris civilis; esto nos cum alijs supra dixerimus aliquid annexum Codici.

51 De hoc volumine, seu Authentico, ea, quæ subjungimus, sic exponit Pereyra *cit. à n.* 260. dicens: Authenticum dividi in quatuor partes; primam continere alios tres libros Codicis; Secundam, novem collationes Authenticorum; tertiam, duos libros feudorum: quartam constitutiones Federici, & Extravagantes Henrici, tractatúmque de pace Constantiæ. Pro quo. Not. 1. primam partem non citari verbis initialibus legis, ut fit in citatione Codicis; sed posito ejus numero, & loco legis, dicendô: *Authentica* v. g. *Authentica* 1. vel 2. & apponendô titulum v. g. *de Infamibus.* ubi sensus est, denotari legem Codicis, contenti in libris Authenticorum: aliqui tamen citant eodem modo, quo citatur Codex, addendo numerũ trium posteriorum librorum sic: L. *Eos qui.* C. *de aquæ ductu, lib.* 11. Not. 2. secundam partem, quæ specialiter vocatur *Authenticum*, distribui per *collationes*, titulos, & Capita; sed, quando citatur, poni titulum authentici, & initium paragraphi, seu Legis hoc modo: *Authen. Ut cum de appellatione cognoscitur*, §. seu *L. aliud quoque;* nam perinde est, sive ponatur §. sive *L.* Antiqui autem addunt numerum collationis; sic in proposito exemplo addunt: *collation.* 8.

52 Advertendum autem ex Pereyra *cit. n.* 256. quòd Justinianus hoc opus (nimirum *Authenticum*) distinxerit in novem velut libellos, quos *collationes* fortè appellavit; quòd earum Leges intulerit ad vetustissimum Romanorum jus, quod nuper in librum Pandectarum redegerat; cui operi accesserunt plurimæ constitutiones, quæ propterea *Novellæ* appellantur, quia nunquam antè ipsi corpori Juris insertæ fuerunt; hinc: Not. 3. esse quosdam, qui hanc secundam partem citant per *numerum Novellarum;* quia in nonnullis editionibus Novellæ cernuntur numeratæ; differunt igitur citationes, in quibus nominatur *Authenticum*, quòd, quando locus citatus est *in Codice*, ponitur initium Legis, & tituli Codicis. quando autem est *in collationibus*, ponitur titulus Authentici cum ℈.

53 Not. 4. tertiam partem dividi in libros, titulos, & paragraphos, seu leges, & citari posito initio §. & tituli, addendô, *de feudis*, vel in Libro feudorum, v. g. §. *donare autem, de feudis, qualiter olim poterat*; ubi adverte, à nonnullis loco §. poni hanc vocem *textus*, ut in exemplo posito: *textus, donare autem.* Eodem modo citatur quarta pars per § vel textum, & titulum in tali extravagante, v. g. *textus in Extravag. Qui sint Rebelles;* &, *textus, Vasalli nostri, de pace Constantiæ.* Ad extremum monet Pereyra *cit. n.* 260. in fine, ut locus citatus (præsertim titulus, sub quo sit capitulum, vel lex citata) facilè reperiatur in Corpore juris Canonici, vel Civilis, recurrendum esse ad initium voluminis, ubi communiter, præter indicem rerum, & verborum sunt alii duo, unus titulorum, alter capitulorum,

rum, seu legum cum numero paginæ: expeditius autem esse, quærere paginam tituli; quia sub eo facilè reperitur Lex, vel capitulum citatum. Si autem quæras, quomodo quis cognoscere possit, in quo volumine ex tribus digestorum, sit locus allegatus? Respondet Pereyra citatus: Juristas non habere regulam determinatam ad hoc cognoscendum; & ideo singula percurrenda esse per dictos indices.

## §. IV.

## *De Jure Canonico, seu Ecclesiastico.*

54 *Canon*, si *strictè* sumatur, significat constitutionem Ecclesiasticam, editam in Concilio generali, teste Fagnano c. *statuta Canonum. de Constitut. à n.* 18. latè autem, omnem constitutionem, seu regulam Ecclesiasticam, sumendo hanc pro jure condito ab Ecclesiastica potestate. *Canon* enim latinè *regula* dicitur. c. *Canon. dist.* 3. *&* c. *Regula, eod.* hinc à *Canone* sic accepto jus conditum ab Ecclesiastica potestate *Canonicum* dicitur, & definitur: *jus positivum à summis Pontificibus Ecclesiæ Catholicæ traditum, constitutum, & approbatum*, actiones fidelium proximè ad divinum cultum ordinans, & Christianam justitiam in eis conservans, & augens. Si *Canon* sumatur *latè*, comprehendit omnes species Ecclesiasticæ Constitutionis, nimirũ *Canones* etiam *strictè* sumptos; *decretum*, quo intelligitur id, quod statuit Papa de consilio Cardinalium, & absq; ullius consultatione; *Epistolam decretalem*, quæ est constitutio Ecclesiastica, quam Papa vel solus vel cum consilio Cardinalium, ad alicujus consultationem transmittit, & promulgat; *dogma*, quo intelligitur constitutio Ecclesiastica pertinens ad doctrinam fidei; *mandatum*, quo significatur constitutio Ecclesiastica pertinens ad disciplinam, & mores; *Interdictum*, quo significatur Constitutio Ecclesiastica prohibens aliquid, sine pœna: si autem prohibeat sub pœna, dicitur *sanctio*, ut videri potest apud Pirrhing *h. t. n.* 2. & alios. Not. tamen 1. hos terminos, *Canon*, *Decretum*, *Epistolæ Decretales* frequenter sumi *promiscuè*, ac pro synonimis, in latiore nimirum significatione; frequentiùs autem nomen *Canonis* usurpari pro constitutionibus Pontificum, quæ in Corpore juris continentur, Sic Fagnanus *cit. n.* 22. *ex.* c. *Si Romanorum dist.* 19. Ex quo infert Bullas Pontificum, motus proprios, Brevia, Regulas Cancellariæ, decreta consistorialia, & alia hujusmodi (quæ eduntur à summis Pontificibus sinè Concilio, & extra Corpus juris versantur) non appellari secundùm communem usum, *Canones*.

Not. 2. *Canones*, seu decreta Concil- 55
liorum generalium nullam habere auctoritatem juris, nisi consensu, & auctoritate summi Pontificis congregata, & confirmata sint, ut dicitur c. *significasti de electione*, & notat. Barbos. *in cit. c. n.* 5. Nam de his, quæ sunt universi corporis Ecclesiastici, spectat ad universalis Ecclesiæ Rectorem, Pastoremque, ac Supremum Judicem omnium Christi fidelium, ut pluribus videri potest apud Suarez, *l.* 4. *de legib. c.* 6. *n.* 6. *n.* 2. & Layman *l.* 1. *Theol. mor. tr.* 4. *c.* 6. §. 2. 9. Et ratio est, quia lex non fertur *nisi in subditum* (cùm *legem condere* sit actus jurisdictionis) unde, cùm soli Romano Pontifici Universitas fidelium, tanquam Christi in terris Vicario, commissa sit; solus etiam Romanus Pontifex eam ligare legibus poterit; aut is, cui committit, prout contingit in Concilijs generalibus, ejusdem Authoritate convocatis, & approbatis.

Not. 3. inter cætera Concilia œcume- 56
nica, seu universalia, quatuor esse, quæ principaliter totam fidem Christianam complectuntur, & ideo ab Ecclesia Catholica, tanquam quatuor Euangelia, probata, & recepta esse, nempe Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonense. *c.* 5. §. *inter cætera*, & *c.* 2. *dist.* 15. quamvis etiam reliqua Concilia generalia, Summi Pontificis Authoritate convocata, & approbata, vim, & authoritatem habeant, ut dicitur *c.* 3. *cit. dist.* 13.

Not. 4. inter Concilia *particularia*, 57
seu non œcumenica (ad quæ scilicet non vocantur omnes Episcopi totius Orbis) alia esse *nationalia*, alia *Provincialia*, alia *synodalia*, & *diœcesana*, seu *Episcopalia*. *Nationalia* sunt, quæ convocantur ab aliquo Primate, seu Patriarcha, convocatis Archiepiscopis, & Episcopis unius Regni, aut nationis, seu duorum, tri-

um, & plurium Provinciarum. *Provincialia* sunt, quæ coguntur ab Archiepiscopis, seu Metropolitanis convocatis omnibus Episcopis suffraganeis, seu Coepiscopis Provinciæ, ad quæ etiam Capitula Cathedralium Ecclesiarum invitantur, sed sic, ut in his habeant suffragium solùm consultivum non decisivum; Abbas in c. *ult. n.* 2. de his, quæ fiunt à Prælatis.

58 Et quamvis aliqui cum Fagnano in c. *Referente de Præbend. n.* 2. velint, *Metropolitanum*, & *Archiepiscopum* esse synonima, seu idem importantia; alii tamen docent, esse differentiam, quòd idem *relatè ad civitates minores* dicitur Metropolitanus, *relatè autem ad Episcopos*, sibi subjectos, seu suffraganeos, dicitur Archiepiscopus, seu Princeps Episcoporum. Et ideo *Metropolitanus* is est, inquit Gothofredus *ad L.* 20. §. 5. *C.* de Episcopali audientia, qui potestatem habet in minorum civitatum Episcopos, ut colligitur ex c. *Cleros* §. *ordo* V. *Metropolitani*, *dist.* 21. hinc Ecclesia *Metropolitana* est matrix Ecclesia, ex qua aliæ coloniam duxêre. Et licet Benedict. Pereyra in Elucidario de proprietate Sermonis Theologici, Canonici, & Civilis *l.* 10. *n.* 279. dicat, has voces, *Archiepiscopus*, & *Metropolitanus* coincidere; *Metropolitannm* tamen exsplicat relatè ad *Principem civitatem* ( seu residentiam ) dicens: *Metropolitanus est Episcopus, præsidens civitati, quam aliæ civitates, Episcopos habentes, agnoscunt, ut Matrem, & Caput.*

59 Not. 5. Concilia *Episcopalia* esse, quæ fiunt ab Episcopis in suis diœcesibus, convocatis Prælatis, & Parochis; Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. §. 1. *n.* 1. sed adverte, hæc concilia *Episcopalia*, rectiùs dici *Synodos*, quàm *concilia*, ut patet ex c. *sicut olim* 25. *de accusat.* Et his annumerari possunt capitula, seu Congregationes, in quibus de Superiorum Suorum authoritate Regulares ejusdem ordinis conveniunt, de quibus agitur c. *penult.* & *ult.* de statu Monachorum.

60 Not. 6. ut Concilia non œcumenica vim, & authoritatem habeant in diœcesi, provincia, vel Natione, non requiri consensum, vel approbationem Summi Pontificis, modò in ijs nihil statuatur contra canones, vel consuetudines universalis Ecclesiæ; ita Laym. *cit. n.* 2. Decreta verò Concilij generalis omnes omnino Christianos obstringunt c. 1. *dist.* 15 & c. 1. *de constit.* sicut statuta Concilij particularis subditos solùm tamdiu quamdiu in regno, provincia, vel diœcesi sunt. Nam *extra territorium jus dicenti, impunè non paretur*, ut dicitur c. 2. *de constit. in* 6. & *L. fin. ff. de Jurisdictione*, Concilia enim provincialia neque definiendi, neque *generaliter* constituendi vim aliquam habent; sed tantùm curandi, ut id servetur, quod alias statutum est, & generaliter, seu specialiter observari præceptum est; ita Lancellotus. *instit. Juris Can. l.* 1. *tit.* 3. intellige *pro tota Ecclesia*, nec enim statuta subditos extra diœcesim constitutos, aut ignorantes ( nisi supinè ) ligant. Lancellot. *cit. Nam extra territorium, jus dicenti non paretur impunè*, c. *Ut animarum, de constitut. in* 6. quod tamen sic accipe, ut procedat de statutis Concilij particularis, *non relatis in Corpus Juris Canonici*, ut dicitur *c.* 2. *de elect.* & c. *nec Episcopi, de temporib. Ordinat.* vel non approbatis *generaliter* à Summo Pontifice; secus enim perinde obligant omnes Christi fideles, acsi ab ipsomet Concilium convocatum, & celebratum esset. Nam juxta Justinian. Imper. in *L.* 1. *C.* de jure veteri enucleando, *omnia nostra facimus, quibus authoritatem nostram impertimur.*

Not. 7. decreta, & constitutiones Pon- 61
tificum æquipollere canonibus, & decretis Conciliorum; cùm hæc ab illo vim suam, & authoritatem habeant. Hinc omnis voluntas Pontificis per Epistolam, vel decretum, vel edictum promulgata vim habet, & authoritatem juris, quoad vim obligandi naturaliter *c.* 2. & 3. *dist.* 19. *ibi: sic omnes sedis Apostolicæ Sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius D. Petri voce firmatæ sint.* Et hoc procedere de decretis Pontificum, etiam non insertis juri, æquè ac insertis, docet Chassaing de privileg. Regular. *tr.* 1. *c.* 1. *propos.* 2. & habetur c. *si Romanorum* 1. *dist.* 19. ubi Nicolaus Papa scribit Archiepiscopis, & Episcopis, per Gallias constitutis, *quòd decretales Epistolæ Romanorum Pontificum sint recipiendæ, etiamsi non sint Codici canonum compaginatæ;* & infrà *; itaque nihil refert, utrùm sint omnia, nec ne, decre-*

*decretalia Sedis Apostolicæ constituta inter Canones Conciliorum immista &c.* 2. ead. Agatho Papa scribens omnibus Episcopis: *sic omnes Apostolicæ Sedis Sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius divi Petri voce firmatæ sint.* Hæc tamen intellige *pro foro interno*, ut diximus suprà. Nam in externo jus commune præponderat Concilijs; hæc Bullis; istæ Brevibus; his signaturæ; & hæ vivæ vocis oraculis; ita Cassaing. cit.

62 Not. 8. per *Corpus Juris Canonici* intelligi volumen in se complectens 1. Decretũ Gratiani, sic dictum à Collectore jurium priùs sparsorum. 2. Quinque libros Decretalium collectos jussu Gregorij IX. 3. Librum sextum Decretalium Bonifacij VIII. 4. Clementinas, ac 5. Extravagantes Joannis XXII. & communes, seu aliorum Pontificum.

63 *Decretum*, seu prima pars Juris canonici, constat ex sententijs S. Scripturæ; decretis, & responsis Conciliorum, ac Sũmorum Pontificum; legibus Romanorum Imperatorum; sententijs SS. Patrum, Historicorũ Ecclesiasticorum, & proprijs ipsius Gratiani. Dividitur in tres partes, quarum prima continet cum una centum distinctiones divisas in Canones, seu Capitula. Secunda 36. Causas, quarum singulæ dividuntur in suas quæstiones, & hæ in canones, seu capitula, inter quas quæstio tertiæ causæ 33. continet septem distincti ones de pœnitentia. Tertia demum decreti pars habet quinque distinctiones de consecratione, pariter subdivisas per canones, seu capitula.

64 Altera pars Juris canonici continet quinque *libros Decretalium*, in quibus comprehenduntur varia Summorum Pontificum rescripta, & responsa, mandato Gregorij IX. per S. Raymundum, ejusdem Capellanum, & Pœnitentiarium, collecta, & in varios titulos, & capitula distincta. Hi libri vocantur *Decretales*, à majori parte eorum, quæ in illis continentur. Nam in opere Gratiani multò plura sunt decreta Conciliorum, quàm epistolæ decretales Summorum Pontificum. Et ideo opus Gratiani dicitur *decretum*; Gregorij IX. verò, *Decretales*.

65 Tertia pars Juris Canonici complectitur *librum sextum* Decretalium, jussu Bonifacij VIII. ex diversorum Pontificum responsis congestum; dicitur *sextus*, eò, quòd primùm post accesserit quinque libris decretalium; & complectitur quinque libros, hi, rursum titulos, & isti canones, seu capitula, ad normam decretalium Gregorij IX.

Quarta pars comprehendit Constitutiones Clementis V. tum in Concilio Viennensi, tum antè, & pòst editas, & ab earum authore vocantur *Clementinæ*, licèt illas Joannes XXII. Clementis successor primùm absolverit, & promulgaverit. Constant pariter quinque libris in titulos, & capitula distinctis. 66

Quinta demum pars continet eas constitutiones, quæ hodie, & etiam postquam insertæ sunt Corpori juris canonici, adhuc retinent nomen *Extravagantium*, instat non insertarum Corpori juris canonici, eò, quòd ob suam paucitatem, & diversorum Pontificum auctoritatem, certum sibi nomen non appropriaverint. Ex his aliæ sunt, quas condidit Joannes XXII. Successor Clementis V. & citantur prout alia capitula Decretalium, nisi, quòd addantur inter extravagantes *Joannis XXII.* aliæ, quæ factæ sunt deinde sub alijs Pontificibus, & ad distinctionem priorum, dicuntur *communes*. 67

Cùm autem interea temporis, à Sumis Pontificibus priores subsecutis, editæ sint aliæ rursum constitutiones, & leges Ecclesiasticæ, eas Petrus Mathæi J. C. Lugdun. juxta modum titulorum in antiquis decretalibus communẽ, in unum librum collegit quem hodie *librum 7. decretalium* appellant; quia tamen hæc collectio â nullo Pontifice auctoritatẽ accepit, defactò constitutiones in ea contentæ, retinent eã tantùm vim & valorem, quem ante collectionem habuerunt, & non citantur aliter, quàm aliæ Bullæ Pontificiæ, nimirum sub nomine Pontificis illius, qui talem constitutionem fecit addendô prima verba Bullæ, annum, & diem emanationis v. g. *in Constit.* seu *Bulla Sixti IV.* incip. *Deo, & hominibus, edita* 14. *Apr.* 1484. 68

Quoad Decretum Gratiani advertendũ, illud, si spectetur eius Voluminis Collector, nullam habere juris auctoritatem. Sic enim ille consideratur, ut homo privatus, omnino carens omni potestate legislativa; imò, ut rectè notat Suarez *l.* 4. *de leg. c.* 5. *à n.* 6. Decretum illud hactenus nulla auctoritate publica, quoad omnia in illo 69

contenta, confirmatum fuit. Ex hoc sequitur, singula capitula, quæ in decreto continentur, esse revocanda ad suam originem, sic, ut eis non tribuatur major authoritas, quàm ipsorum Auctori, à quo desumpta sunt. Scripta verò SS. Patrum non inserta juri communi, secundum locum obtinent post decreta Rom. Pontificum, ut ait Lancellot. *cit. Non enim debetur par authoritas scripturis canonicis, & expositoribus earum*; c. *neque dist. 9. & exemplis sana ratio præponitur.* c. *Sana eod.* Inserta verò decreto non habent vim legis (cùm ipsi, quà tales non sint conditores legum Ecclesiasticarum) magnam tamen, ut diximus, authoritatem.

70 Sequitur 2. nec ipsas *Rubricas*, decreto, ejúsque capitulis, præpositas, habere auctoritatem canonis, ut docet Fagnanus *in c. 1. de constitut. n.* 40. nam rubricas composuit Gratianus, vel alius non majoris authoritatis. Excipe 1. *rubricam decreti*, quam volunt esse authenticam (cùm sit generalis ad totum decretum) item *Rubricas decretalium, Sixti, Clement. Extravag. ac Legum civilium.* Hæ enim sunt authenticæ, & allegari possunt ad decisionem causarum, si orationem perfectam habent, ut notat Fagnanus *loc. cit n.* 42. & in c. *cùm creatura n.* 30. *de celebrat. miss.* dicitur autem *Rubrica* hîc summatio quædam, & compendium, præfixum titulis, & capitulis eorum, quæ in subnexo textu dicuntur, sic dicta à terra rubra, minio proxima, quòd tali plerumque colore verba ejus signentur, quæ aliquando est generalior *nigro*, hoc est, ipso textu, cujus summam continet. Sic Pereyra *in Elucidar. n.* 216.

71 Sequitur 3. Constitutiones Imperatorum, vel responsa Juris consultorum, quæ Gratianus in Corpus decreti transtulit, non esse eo ipso *canonizata*; seu, non eo ipso habere vim canonis seu legis Ecclesiasticæ; quia Gratianus eis dare non potuit vim canonis. Aliud est de cæteris Juris canonici partibus, ut decretalibus, Clementinis, & Extravagantibus. Nam has vim, & auctoritatem juris habere, indubitatum est, cùm ipsos Summos Pontifices habeant Auctores. Cùm autem in hoc volumine (nimirum in decreto Gratiani) nonnulla reperiantur inserta, quæ dicuntur *Palea*, inter Juris consultos dissidium est, quid sit, vel denotet hæc vox *Palea?* Aliqui dicunt per *Paleas* significari res viles, & inanes; alij dictas volunt à suo Authore, quem dicunt fuisse Protopaleam Cardinalem; P. Engel *in proœm. de juris canon. origin. n.* 6. censet ex græco significari per eas, rerum antiquiorum additiones: Barbosa *in proœm. decreti, n.* 9. vult per eum textum, cui præfigitur vox *Palea*, intelligi responsum *Paleæ*; quem ait, fuisse discipulum Gratiani, consequenter notari dictum illud esse *Paleæ, discipuli Gratiani*, esto alij velint per *paleas* ibi intelligi quasdam additiones ab ipso Gratiano, non eodem tempore, factas, sed tum in principio compilationis, tum successivè: Pereyra *cit. in Elucid. n.* 254. censet illis locis, ubi reperitur apposita vox *Palea*, denotari eas rubricas, & capitula, sui magistri libro inserta esse *à Palea Gratiani discipulo*; quæ proinde sumpserunt nomen ab eodem homine inserente; consequenter plus authoritatis non habere, quàm habeat earum Author.

72 Quoad quinque libros *decretalium* librum *sextum Clementin.* & *Extravag.* notandum, omnes canones in eis contentos (quatenus eis derogatum non est, per canones posterioribus temporibus à Summis Pontificibus editos, aut consuetudinem legitimam) habere vim, & auctoritatem juris, quo omnes Christiani obstringantur, ut dicitur *c. 1. de constit.* cùm authorem habeant Summum Pontificem, cujus jurisdictioni in causis Ecclesiasticis, & Spiritualibus, ac pertinentibus ad æternam animæ salutem, tanquam Christi in terris Vicario, subsunt *omnes Christiani* sine discrimine sexûs, & statûs, *c. 4. de Majorit. & obed. Extrav. 1. eod.* inter communes; & ideo Damasus Papa relatus in *c. Violatores 25. q. 1.* ait: *in Spiritum Sanctum blasphemare, Sacrorum Canonum Violatores, quoniam eius instinctu, ac dono dictati sunt.*

73 Not. 9. cùm dixerimus, corpus juris canonici constare quinque partibus, nimirum decreto, 5. Decretalibus, libro Sexto, Clementinis, & Extravagantibus: ut sciatur, in qua parte locus juris citatus quærendus sit, advertendum 1. canones, seu *capitula* nominari, & citari, vel per *numerum*, quem habent sub suo titulo (ut c. 1.) vel à verbis initialibus ut c. *licet*, ubi sensus est, quærendum,

vel

vel canonem, vel capitulum, quod incipit à verbo *licet*, vel est in ordine, primum, secundum, prout sonat numerus, sub quo citatur, si autem in uno titulo plura sint capitula, quæ incipiunt ab eodem verbo, tunc ad distinctionem, ut sciatur, quale ex illis intelligatur; simul addi numerum v. g. c. *licet*, *elige secundum*, communiter sic. c. *licet*, *el.* 2. quo notatur capitulum primum, vel secundum ex incipientibus à verbo *licet* in eodem titulo. Multi verò dum citant legem, vel capitulum, exprimunt non tantùm illius verba initialia, sed etiam numerum in ordine capitulorum v. g. c. *Per tuas.* 7.

74 Advertendum 2. quoties citantur canones, seu capitula Decretalium, Clementinarum, & Extravagantium, semper etiam exprimi *titulum* (sub quo quærendus est canon, lex, vel capitulum) per materiam, de qua ille titulus agit, v. g. *de rescriptis*, *de liberis*, & *posthumis* &c. quo casu sensus est, legem, vel capitulum citatum, quærendum esse in titulo agente *de rescriptis*, vel materia citata.

75 Advertendum 3. quando citantur leges, canones, seu capitula cum titulo, cõmuniter etiam exprimi partem juris suo nomine proprio, in qua ille titulus quærendus sit v. g. *digestis*, *Institutionibus*, *Codice*, dixi *communiter*; nam hoc fallit *in Decretalibus*, quæ sunt secunda pars juris canonici; hæ enim citantur expresso solo capitulo, & titulo, quamvis addant aliqui hanc vocem *extra*, per quam notatur capitulum illud & titulum esse *extra decretum*, nimirum in decretalibus quærendum. Si autem capitulum, & titulus sit in libro sexto decretalium, semper additur: *in Sexto.*

76 Advertendum 4. quando citatur *causa*, ex secunda parte decreti cum capitulo, & quæstione, quibus ea causa constat, *causam* citari juxta ordinem numeralem v. g. c. *quicunque. causa.* 1. *q.* 1. ubi nor. *quæstionem* scripto exprimi communiter per *lit. q.* & *causam*, per solum numerum, non addendo ly *causa* v. g. c. *quicunque* 1. *q.* 1. Nam per cifram 1. denotatur *causa prima*, per q. *quæstio*; aliqui tamen etiam illi cifræ apponunt ly *causa*, ut suprà ostensum est; his præmissis:

77 Advertendum 5. quando citatur jus canonicum per *solum capitulum*, & *distinctionem* v. g. c. *scimus*, distinctione 43. denotari primam partem decreti; si citetur per *capitulum*, *causam*, & *quæstionem* sine alio addito v. g. sic: c. *Sacerdotes* 2. *q.* 7. vel *Sacerdotes*, *causa* 2. *quæst.* 7. aut etiam *c.* 8. 2. *q.* 7. denotari secundam partem decreti. dixi *sine alio addito.* si enim jus canonicum citetur per capitulum adjunctis verbis: *de pœnitentia*, *cum distinctione* (v. g. sic c. *Magna pietas*, *de Pœnit. dist.* 1. (denotari, citatum capitulum esse quærendum in quæstione tertia, causæ 33. (ubi incipit tractatus *de pœnitentia*, divisus in septem distinctiones) ac inter capitula, quæ habentur in distinctione per numerum expressa. Ubi verò citatur *capitulum cum addito*: *de Consecratione*, simul exprimendo sub certo numero ejusdem tractatûs *distinctionem*, v. g. *c. In Christo*, *de Consecrat. dist.* 2. denotari illud capitulum, quærendum esse in tertia parte decreti, nimirum in distinctione nominatâ, tractatûs *de consecratione.*

78 Advertendum 6. quando citantur decretales, non nominari ipsum *volumen* decretalium, sed tantùm *capitulum*, & *titulum* v. g. sic c. *à nobis de sentent. excommunic.* vel citando capitulum sub solo numero v. g. 2. 3. &c. Ex hoc habetur, quando citatur jus canonicum expresso *solo capitulo cum titulo*, seu materia, dictum capitulum esse quærendum in illo libro ex quinque, quibus decretales constant, in quo habetur titulus, vel in quo agitur de illa materia, v. g. *de sent. excommunicationis*: apud antiquos autem quandoque reperitur citatio decretalium, nec *capite*, nec *titulo* allegato, præfigendô scilicet hæc nomina, *titulus*, *caput*; sed hoc modo: *Extra*, *de foro competente*, *si diligenti*, ubi sensus est quærendum extra decretum (nimirum in decretalibus,) titulo de foro competenti, in c. *Si diligenti.*

79 Advertendum 7. librum sextum decretalium (qui continet tertiam partem in corpore Juris canonici, ac, sicut decretales in quinque libros divisus est) eodem modo, quo decretales, citari per *capitulum*, & *titulum*; eo tamen discrimine, ut ad distinctionem à decretalibus, citatis capitulo, & tituo addatur ly *in Sexto* hâc v. g. formâ scribendi: c. *Alma*

*Mater.* de Excommunic. *in 6.* quo notatur illud capitulum esse quærendum in titulo de sententia excommunicationis non contento in *decretalibus*, sed *in libro Sexto*, qui constituit teriam partem Corporis in jure canonico.

80 Advertendum 8. quartam partem, ut diximus *n. 66.* in corpore hujus juris, continere constitutiones Clementis, à quo vocantur *Clementinæ*, quæ pariter constant quinque libris, hi titulis, & isti capitulis, & citant ur primò allegandô nomen *Constitutionis*, quod habet ab Authore, cũ ejus verbis initialibus v. g. *Clement. Exivi* additô titulô, v. g. *de verborũ significatione;* sensus est *in titulo, qui agit de verborum significatione, inter Clementis constitutiones, seu Clementinas, denotari eam quæ incipit à verbo, Exivi.* In quinta demum parte, quæ continet *Extravagantes*, citatio fit, sicut in *Clementinis*, hoc discrimine, quòd apponatur nomen Authoris, si est *Joannis XXII.* v. g. sic: Extravag. *S. Romana*, de Religios. domibus Joann. XXII. vel si est inter *communes* sic: *Extravag. Rem, de dolo, & contumac. inter commun.* ubi vides Extravagantem citari sub verbis initialibus, & per expressum titulum; quo notatur eam quærendam in libro sub titulo, qui agit de ea materia v. g. *de dolo*, vel *religiosis domibus;* ac demum, an quærenda sit inter extravagantes *communes*, an verò inter eas, quæ à *Joanne XXII.* conditæ sunt; hæc tanquam prolegomena quædam præmittenda erant his, quæ deinceps tractanda veniunt.

## ARTICULUS II.

### *De natura legis in genere.*

81 Franciscus Suarez *l. 1. de Legibus. c. 12. n. 4.* naturam legis describens, *lex*, inquit, *est præceptum commune, justum, stabile, sufficienter promulgatum.* His prædictis nonnulli doctores addunt *acceptationem*, quàm volunt esse conditionem essentialem, sine qua lex non possit obligare. *Lex* dicitur vel ab eo, quòd ipsi per jus directionem, & præscriptam normam in agibilibus seligant agenda à non agendis. Hanc nominis ethymologiam pluribus examinat Azor *instit. moral. tom. 1. l. 5. c. 1. q. 3.* Est autem notandum, legem, *generaliter* acceptam, supponere pro quolibet jure, tam naturali, & divino, quàm humano; & sic consideratur, ut quid superius ad *statutum, præceptum, dogma*, & reliquas species, de quibus Suprà. si autem sumatur specificè, importat aliquid distinctum ab alijs, ut mox patebit. Et quamvis aliqui negent, *jus naturale*, in quantum supponit pro naturali lumine indicante, quid bonum, quidve malum sit antecedenter ad omnem prohibitionem Dei, esse propriè *legem*; rectiùs tamen affirmatur cum Castropalao *p. 1. operis moral. tract. 3. D. 1. pu. 1. n. 3.* de quo fusiùs egi *in tract. de vitijs, & peccatis.* Et ratio est, quia etiam illi definitio *legis* exactè convenit.

Not. 2. *legem*, in quantum dicitur *à li-* 82
*gando* ( quia ligat homines ad sui observantiam, ut notat D. Thomas *1. 2. q. 90. a. 1.* ) varijs nominibus appellari juxta varias functiones, quas habet. Nam, cùm *lex* doceat, dirigat, instituat, præscribat, quid, aut qualiter agendum, vel omittendum; quandoque pœnas, vel præmia decernat: ab his suas quoque denominationes accipit, ut dicatur *doctrina, institutio præscriptio* &c. Et quamvis lex aliàs varijs nominibus appelletur, specialiter tamen dicitur *jus, constitutio, statutum, Sanctio. Jus*, quia jubet, & imperat, cuique tribui, quod suum est; *constitutio*, & *statutum;* quia constituit, & statuit, quid sit faciendum: *Sanctio*, quia sancit pœnam non obtemperantibus *L. Sanctio ff.* de pœnis. Inter ista porrò nomina hæc est differentia, quòd leges Supremi Principis Secularis dicantur *jus*; decreta Summi Pontificis, *constitutiones:* inferiorum autem Principum, Provinciarum, civitatum, & populorum, *statuta;* sic Azor *tom. 1. Instit. moral. l. 5. q. 1. & 2.* Suarez *de Legib. l. 1. c. 1. & 2.* Salas *1. 2. tr. 24. d. 1. à sect. 1. & seq.* Hinc

Ex data legis descriptione not. 3. ad o- 83
mnem omnino legem, quæ ligat ad sui observantiam, requiri. 1. quòd sit præceptum *commune, justum, stabile, sufficienter intimatum ei*, à quo ex obligatione observanda est; pro quorum expositione supponendum 1. homines ab initio cum libertate conditos, nulli publicæ potestati humanæ, quæ eos gubernâsset, subjectos fuisse; multiplicationem verò illos in communitates coadunâsse, quarum gubernationem,

tionem, cùm adverterent, non posse in singulis subsistere, libertate nativâ spontè abdicatâ, aliquos in unicum; aliquos in multa capita, jus gubernandi transtulisse. Ex hoc facto, quæ etiam nunc extat, orta est gubernatio; una, *Monarchica;* altera *Aristocratica; democratica* tertia. Monarchica autem alia Ecclesiastica, alia civilis.

84 Supponendum 2. legem ex duplici capite dici *præceptum commune;* uno, quòd sit perfectæ communitatis agendorum, & omittendorum norma: altero, quòd *in finem boni communis* feratur, ut constabit ex seq. præsertim ex natura potestatis gubernativæ, ac legislativæ, prout distinctæ à potestate, seu jure proprietatis.

Supponendum 3. legem ideo dici præceptum *justum*, quòd contra æquum, vel justum, nulla sit possibilis *legitima* potestas, sub hac *justitia*, tria potissimum comprehenduntur. 1. *conformitas ad legem naturalem, & æternam*, non quidem positiva, sed negativa, id est, difformitatis exclusio; quod enim primæ regulæ omnis honesti, quæ est norma cæterorum dissonat, nequit alijs esse directrix ad honestum. 2. *moralis possibilitas*, quod enim subditorum viribus, circumstantijs eorum ritè perpensis, inobservabile est, sub legem non cadit; hinc lex prohibens communitati omnia, v. g. convivia, foret injusta, teste Vasq. in præsenti. 3. *necessitas moralis;* quia injustum esset subditos sine rationabili causa legibus onerare.

85 Supponendum 4. legem dici *præceptum stabile ex fine, quem habet*, nimirum subditos per tale medium dirigendi ad felicitatem temporalem talis communitatis, circumstantijs id exigentibus. Hinc fit, quòd eo durante, illicitè (quamvis validè) in ea, sine causa rationabili, Superior dispenset; magis autem peccaret, si fine stante eam abrogaret.

Supponendum 5. cùm lex obliget voluntatem, quæ neque fertur, neque ferri potest in incognitum; & nemo possit velle obtemperare, nisi cognoscat, quid agere, vel omittere teneatur; in quantum consideratur, ut potens in actu primo proximo, vel saltem in actu 2. obligans, necessariò requiri ad legem (in quantum ligat ad obtemperandum) quòd *promulgetur*, intimetur, vel innotescat illis, quos ligare, seu obligare intendit, seu quos jubet facere, vel omittere, quod ipsa petit, ne dicatur velle, quòd quis feratur in incognitum.

## ARTICULUS III.

### *De Legis divisione.*

PRima divisio legis generatim acceptæ 86
est, in divinam, naturalem, & humanam. *Divina* Deum authorem habet; & alia est *Naturalis*, de qua n. 24. & hæc non tribuit formaliter, sed supponit materiæ talis legis, moralitatem fundamentalē, seu materialem; consequenter antecedit omne liberum exercitium divinæ voluntatis; alia *Positiva*, quæ nascitur â libera Dei voluntate. *Prima*, quia præcepta naturalia in decalogo contenta promulgat, ex communi jam usu, & acceptione, dicitur naturalis divina; *Posterior*, quia ponit, quod non erat in naturali, appellatur *Positiva*. Lex positiva, secundùm quod restringitur ad divinam, dividitur in veterem, & novam legem. Illa per Moysen, hæc per ipsum Christum, ejúsque discipulos fuit promulgata. Lex humana dicitur *rectum judicium rationis, ab habente potestatem legislativam, per discursum probabilem, seu prudentem factum, subditis agenda, vel omittenda præscribens.* Sed sic non tam *formaliter*, quàm *causaliter* lex accipitur; nimirum non tam pro voluntate Legislatoris, à qua vim obligandi habet; quam pro judicio rationis legislatorem dirigentis ad præcipiendum, vel prohibendum, quod exigit finis potestatis legislativæ.

Lex humana, sic accepta, in varias o- 87
mnino classes, seu species dividitur, nimirū in leges gentium, civiles, & Ecclesiasticas, de quibus jam diximus *à n.* 26. hæ rursus subdividuntur in legem positivam, & negativam, favorabilem, & odiosam, præcipientem, & prohibentem, præceptivam, pœnalem, mixtam, irritantem, derogantem, abrogantem, declarantem, inhabilitantem, revocatoriam, suspensivam, diœcesanam, jurisdictionis &c. &c. de quibus saltem secundùm præcipuas species in seq.

ARTI-

## ARTICULUS IV.

### *De natura legis in specie.*

88 LEx in specie, definitioni legis in communi, superaddit, quod à judicio rationis, & intentione legem ferentis, *directè*, ac *immediatè ordinetur in bonum commune*; ita S. Thomas receptus ab omnibus 1. 2. *q.* 90. *a.* 4. Nam, ut legislator prudenter legem ferat, priùs considerare debet, an *nunc* talis lex conveniens sit bono Reipub. cujus gubernationi præest, ut eam, ac ejus membra, per talem legem, tanquam medium convenienter ad finem (qui est rectus, ac felix ejusdem status temporalis saluti animarum non oppositus) dirigat, & opportunè perducat. Præmisso tali judicio accedit voluntas, quâ vult eos, quorum gubernatio ipsi commissa est, obligare ad observantiam eorum, quæ prævio illo judicio decrevit, ab illis, agendô, vel omittendô, observari. Tertiò demum, hanc ipsam voluntatem suam ijsdem signo aliquo manifestare debet, ut nimirum sciant, quæ sibi ex obligatione agenda, vel omittenda sint.

89 Et ideo ex quolibet horum actuum defectu, necesse est, deficere legem. Nam sine prævio judicio de conducentia ad bonum commune, non erit *justa*, & *rationabilis* voluntas legislatoris; sine animo, seu intentione illos obligandi, nullam inducet *obligationem*, ut manifestum est in alijs, quæ habent rationem puri consilij: sine intimatione autem facta illis, quos obstringit ad suæ voluntatis legislativæ observantiam, impossibilis erit observantia, quæ formaliter sita est in voluntate, id, quod legislator vult, agendi, vel omittendi; ita Suarez *lib.* 1. *de Legib. c.* 4. *n.* 6. & *c.* 5. maximè *n.* 22. & alij communiter.

90 Etsi autem lex, *universim accepta*, prout est quid superius ad legem naturalem, & divinam, non importet actum aliquem superioris, ordinantis eos, quos obligat, ad rectè agendum, ut diximus n. 24. secus tamen dicendum est *de lege positiva*, tam divina, quàm humana, ut liquet ex definitione legis, seu juris positivi, *cit. n.* 26. differt autem lex à *consilio* per hoc, quòd, licèt etiam consilio dirigamur ad rectè operandum: non ordinemur tamen per ipsum ad rectè operandum, *tanquam per actum alicujus superioris, respicientis directè, tanquam finem, bonum commune.* Nam consilium, quà tale formaliter, non est actus superioris, ut talis; cùm dari possit etiam ab æquali, vel inferiori; Sic Castropal. *cit. operis moral. parte* 1. *tr.* 3. *d.* 1. *punct.* 1. *n.* 3. Differt etiam à *præcepto*, quòd licèt præceptum non sit, nisi proveniat à superiore, quà tali, non tamen petat, ut proveniat à superiore *intendente directè, ac immediatè, bonum commune.* Præcepto enim satis fit, directè intendendô *bonum privatum ejus, cui imponitur*; cujus ratio est, quia præcepta dari possunt uni de communitate, in ordine ad privatum ejus bonum immediatè, & directè, ut inductione constat: aliam quoque differentiam inter *legem* & *præceptum* ponit Menoch. *de arbitrar. l.* 1. *q.* 69. Sanch. *l.* 8. *de matr. d.* 28. *n.* 27. Vasq. 2. 2. *d.* 151. *c.* 3. Suarez *cit. c.* 10. *n.* 9. nimirum, quòd præceptum exspiret morte imponentis; non autem lex; cùm spectato suo fine sit de se perpetua juxta numerum 85. his præmissis:

### §. UNICUS.

### *An, & qualiter sit de ratione legis in specie, respicere bonum commune?*

ANte resolutionem supponendum, 91
cùm quæritur, an sit de ratione legis in specie, quòd respiciat *bonum commune?* debere hoc intelligi de bono communi, *prout opponitur bono personæ privatæ*, non autem prout significat omnes sub ratione communitatis, conflatæ ex pluribus partibus convenientibus sub una ratione communi istis, non alijs; sic integra provincia, vel Regnũ constat ex pluribus cõmunitatibus, quarũ quælibet habet specialem rationẽ, omnibus sub ea contentis, cõmunem; non autem cõmunem omnibus constituentibus illam provinciã, vel Regnum. Tales sunt *pupilli, minores, milites* &c. Unde, licèt ea, quæ constituta sunt in favorem *militum, minorum, pupillorum*, non respiciant directè, ac immediatè commune bonum totius *provinciæ*, vel Regni, sed tantùm *commune bonum* unius partis in genere v. g. pupillorum; adhuc tamen leges sunt; quia non respiciunt directè bonum privatum, hujus determinati pupilli, *in quantùm hic est*; sed

in

in quantum pupillus est; quæ ratio est communis omnibus pupillis,

92. Et quia etiam privilegium considerari potest, ut concessum, vel certo generi personarum, aut locorum sub una ratione communi v. g. *Clericis, Religiosis Mendicantibus*, *Ecclesiis mendicantium* &c. vel personæ particulari, directè in bonum ejus; lex propriè erit juxta primum, non autem secundum modum concessionis; sic Castropal. *cit. n.* 7. Nec aliter intelligi debet c. *Privilegium dist.* 3. ubi dicitur *lex privata*; quod etiam ex his ipsis verbis colligitur, cùm textus non dicat simpliciter, quòd sit *lex*, sed lex cum addito diminuente, *privata*. Similiter impositiones vectigalium, & tributorum, quæ justæ sunt, & procedunt à potestate legislativa, directè quærunt bonum reipublicæ; cùm ei maximè conducens sit, *esse defensam*, qui finis est tributorum; adeóque esse propriè leges: quæ autem procedunt â jure proprietatis, directè quærere bonum Principis, cujus est proprietas, ut diximus n. sup. & dicemus n. 64.

93. Ex eodem fine boni communis (ut vitentur tot lites, & dominiorum incertitudo, & pax inter subditos conservetur) dispositiones juris de præscriptionibus, habent rationem legis propriè dictæ, licèt inde, mediante nimirum bono communi, sequatur etiam commodum personæ privatæ, modò finis legis immediatus sit bonum ipsius communitatis, vel principalis partis ejus. Hinc sequitur, constitutionem, vel dispositionem, quâ legislator vult communitatem sibi subditam obstringi ad ejus observantiam, si non quærat directè bonũ commune, sed privatum hominis particularis, non esse *legem*, nec habere vim obligandi *in vim legis*; cùm non sit actus ad quem se porrigat potestas *legis lativa*, quæ legitima sit in iis, quibus inesse debet potestas rempub. vel commissam sibi communitatem gubernare, ut mox dicemus; sic Panorm. in Rubric. *h. t. n.* 2. quibus positis:

94. Resp. omnino esse de natura legis, specialiter acceptæ, quòd ex intentione, eam ferentis, directè ordinetur in bonum commune. Probat. ex *L. lex est ff. de Legibus ibi*: *Lex est commune præceptum*; & ratio est ex eo, quòd potestas, seu jus *jurisdictionis gubernativæ* in eo differat à jure proprietatis, quòd illud directè respiciat bonum commune illorum, qui gubernandi sunt, istud autem directè bonum habentis jus proprietatis. Et ideo etiam Aristoteles 1. *Polit. c.* 2. ait: *jus* (seu, quod idem est, legem) *esse justi judicium, & ordinationem civilis societatis*. Leges enim de se sunt regulæ perpetuæ; consequenter non respiciunt personas particulares, quæ finem habent, sed totam remp. vel communitatem, quæ de se stabilis est. Et ideo non pro privato, sed communi, & publico subditorum commodo ferri debent; ita S. Thom. *cit. q.* 90. *a.* 2. *& alij*, quibus positis:

Quæstio est an sit de ratione legis, 95.
latam esse ab habente curam communitatis? Resp. alteram conditionem ad legem requisitam communiter dicunt, *quòd feratur ab eo, qui curam communitatis habet, politicam, seu jurisdictionis* pro quo not. 1. apud Theologos, & Juristas, usurpari *potestatem* metaphoricè, sub diversis nominibus. Nam 1. *Baculus*, potestatem significat, ut habetur *c.* 1. de sacra Unct. ubi dicitur, quòd Romanus Pontifex non utatur *baculo* pastorali; tum propter historiam, tum propter mysticam rationem, quia, ut notat Gloss. *ibid. baculus* significat potestatem *datam per hominem*; Summus autem Pontifex à solo Deo accipit potestatem. Sic apud Hebræos (teste Azor *p.* 2. *l.* 1. *c.* 12. *q.* 13.) *dextera* metaphoricè *potestatem* significat, quia in illa apud homines major est potentia & virtus; apud Pomponium *in L.* 2. *ff. de orig. jur.*: accipitur *manus* pro *potestate*, vel Suprema authoritate Regis; & *gladius* apud Ulpianum *L.* 3. *ff. de Jurisdict. omn. Jud.* ut idem sit, *habere potestatem gladij, atque habere merum imperium*, ut notat Pereyra in Elucidar. *à n.* 1183.

Not. 2. *potestatem* esse facultatem ali- 96.
cujus, qui authoritatem, & eminentiam super alios habet ad eorum regimen, & gubernationem, ut docet Molina *de Jure, & Just. tr.* 2. *d.* 21. §. 2. ex D. Thoma *in* 4. *distinct.* 24. *q.* 1. *a.* 1. In genere duplex est, *Ecclesiastica*, & *Laica*: ista est, per quam reguntur homines in ijs, quæ ad temporalem pacem, salutem, & utilitatem spectant; illa, per quam ad felicitatem æternam. Laica, seu civilis potestas adhuc duplex, una, *Suprema*; altera,

*inferior*, & *non suprema*. Supremam habent, quicunque in temporalibus non agnoscunt Superiorem: non supremam habent, qui in temporalibus civilem superiorem agnoscunt. *Ecclesiastica* duplex etiam est, altera *Supernaturalis ordinis*, & divini juris, quâ homines ad supernaturalem per media supernaturalia diriguntur; altera *naturalis ordinis*, & juris, quâ homines ad finem naturalem, & humanum, quantumvis Ecclesiasticum, operâ, & ministerio Sacerdotum, referuntur.

97. Not. 3. *jurisdictionem* esse speciem potestatis, & apud Sylvestrum, V. *Jurisdictio*, dici quasi Juris-dictionem à *jure dicendo*, & juxta Hervæum sic describi: jurisdictio est, quâ præsidens alicui reipublicæ, potest dicere jus, statuendo, sententiando, vel cum obligatione subditorum ad habendum id, quod dicitur, pro justo. Breviùs, & clariùs Azonius sic definit: *Jurisdictio* est potestas, de publico introducta, cum necessitate juris dicendi, vel æquitatis statuendæ.

98. Not. 4. Jurisdictionem in genere aliam esse *ordinariam*, & dicitur potestas publica, quæ alicui ex proprio munere, vel officio competit; aliam *delegatam*, quæ ex speciali alicujus Superioris mandato convenit; aliam *voluntariam*, quæ exercetur solùm in volentes; aliam *contentiosam*, quæ exercetur etiam in invitos; aliam *privativam*, quæ conceditur cum inhibitione, ne alij de illis causis, seu causa possint cognoscere; aliam *cumulativam*, quæ scilicet sic à Principe conceditur alicui, ut alios judices neque privet jurisdictione.

99. Not. 5. apud Lessium *de Just. l. 2. c. 9. d. 3.* reperiri divisam potestatem in *publicam*, quæ datur in Principe, & Magistratu in ordine ad bonum publicum, & *privatam*, quæ datur in homine privato, in ordine ad bonum privatum. duplici autem modo fieri potest, aliquem gerere *curam communitatis*. 1. per potestatem dominativam, & œconomicam; qualem habent parentes in liberos, Domini in servos, mariti in vxores. 2. per potestatem politicam seu jurisdictionem, quâ possit subditos coërcere, & bonum non proprium, sed commune directè suâ jussione procurare; quibus positis.

100. Resp. ad legem substantialiter requiri, latam esse ab eo, *qui curam habet communitatis politicam*, seu jurisdictionis; ita Suarez *de Legib. l. 1. c. 8. à n. 2.* Salas *eod. d. 1. S. 9. n. 54.* cum D. Thom, *1. 2. q. 90. a. 3. ad 2.* cum alijs. Nam cura solùm dominativa, & œconomica, non præstat jus, seu facultatem exigendi aliquid sibi non debitum; nec etiam semper attendit directè commune bonum: at sine hac potestate non stat potestas ligislativa, consequenter ipsa lex, ut rectè notat Castropalaus *cit. p. 1. n. 8.* cum alijs; ergo.

101. Præter duas conditiones jam præmissas, nimirum quòd directè respiciat bonum commune subditornm, & procedat ab habente politicam curam communitatis, Quæstio est. 2. an de ratione legis sit *scriptura? 2. promulgatio. 3. populi acceptatio. 4. perpetuitas.* Et ad 1. Resp. ad legem non requiri scripturam substantialiter. Ratio est, quia legislator voluntatem suam voce manifestare potest, quæ tamen subditos obliget. Nam ut dicitur *c. 1. de jurejur. in 6. juramenta, statuta, & consuetudines Ecclesiarum, scripta, aut non scripta, inviolabiliter observari debent.* Idem colligitur ex c. *institutionis 25. q. 2. c. In istis, dist. 4.* & c. *Consuetudo, dist. 1.* Dixi non requiri *substantialiter*. Nam, *legem in scripturam redigi*, perquam *conveniens est*, ob multa bona, quæ, si lex scriptò teneatur, redundant in Rempublicam, si tenor legis per scripturam pateat, quo caveantur plurima mala, quæ non tantùm ab his, qui obtemperare; sed etiam ab illis, qui secundùm leges judicare debent, irrepere possunt additione, vel diminutione, ut palàm est in consuetudinibus, seu lege non scripta, in qua, & subditi, & Judices non rarò *consultum* dicunt, quod placitum, aut in rem suam est, vel vi, metúque frequenter extortum.

102. Ad 2. de promulgatione non est dubium, vel ad efficaciam, seu ad substantiam legis humanæ requiri, vel saltem ut conditionem, *sine qua non*, omnino necessariam esse *aliquam promulgationem*, seu publicationem ejus, quod legislator ex potestate sua politica, seu jurisdictione gubernativa observari vult, ut cum communi tenet Azor *l. 5. instit. moral. c. 3. q. 1.* dicens: ad naturam, & substantiam legis esse

esse necessariam promulgationem. Non enim potest habere vim obligandi, nisi nota sit; non potest autem esse nota, nisi manifestata, qualis autem esse debeat, & sufficiat, dicemus in seqq. Sicut etiam de acceptatione; quâ verò ratione debeat esse stabilis, dictum est *n.* 85.

## ARTICULUS V.

### *Quæ promulgatio sit de substantia legis?*

103. NOn est dubium, aliquam legis promulgationem esse vel de ejus substantia, vel saltem requisitam, ut complementum, seu conditionem *sine qua non*. Nam sine hac vim obligandi, vel proximam, vel in actu secundo habere non potest; cùm non possit de illa subditis constare, adcóque vim suam exercere, ut subditi se illi (utpote non cognitæ) conforment, ut docet communis. Hanc porrò publicationem debere *communitati fieri*, ex eo est, quia lex pro bono communitatis fertur. 2. Quia singuli non obligantur, ut singulares personæ; sed quatenus partes sunt communitatis; ac proinde ipsa communitas debet quasi priùs obligata esse; ita S. Thomas 1. 2. *q.* 90. *a.* 4. Isidorus relatus in c. *Erit autem lex*, *dist.* 4. Suarez *l.* 1. *de legib. c.* 11. quos citat & sequitur Castropalaus *p.* 1. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 1. *n.* 9. & noviſſimè P. Jacobus Illsung, *in Theol. practica d.* 1. *tract.* 2. *n.* 3. Et ratio ulterior est; quia lex non fertur alicui, sed toti communitati, & est regula operationum totius etiam communitatis, & non privati duntaxat alicujus. Quare sapienter Imperatores Valentinian. & Martianus rescribunt *l.* 9. *C. de legib. Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab hominibus debent, ut universi præscripto earum manifestiùs cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur.* Quæ verba habentur in præfatione novell. Martiani, de matrimonio Senatorum, extatque integra in libro novellarum Martiani tit. 4. & in Breviario Alarici. Eadem habet Justinian· *novell.* 66. *cap.* 1. §. 1. & 3. pòst paulò adducenda: quibus locis æquam, ut vides, rationẽ reddunt Imperatores, nempe ignorantiam subditorum, *qui non possunt jussa exequi, quæ ignorant inculpatè.*

Not. præterea 1. nullam legem habere vim obligandi, ut sæpe diximus, in actu primo proximo, consequenter nec in actu secundo, nisi publicata sit, eâ saltem publicatione, vi cujus in subditis causare possit vel actualem scientiam, vel actualem vincibilem ignorantiam; sic Azor *lib.* 5. *Instit. moral. cap.* 3. *q.* 1. dicens: ad naturam, & substantiam legis esse necessariam promulgationem, non enim potest habere vim oligandi, nisi nota sit, non potest autem esse nota, nisi manifestata; & ideo in L. *Leges sacratissimæ, ab omnibus intelligi debent, ut universi, præscripto earum manifestiùs intellecto, prohibita declinent, & faciant præscripta;* id, quod etiam traditur *c.* 3. *dist.* 4. ubi dicitur: *Leges instituì, cùm promulgantur*; ubi bene notandum ly *præscripto earum manifestius intellecto.* Vid. dicenda n. 128. 104.

Not. 2. ad hoc, ut lex possit vel scientiam, vel ignorantiam vincibilem causare in aliqua communitate, debere ejus notitiam per eam esse *diffusam moraliter*; dicetur autem *moraliter diffusa*, quando ex loco promulgationis, quasi continuè ejus obligatio ad alia vicina, & distantia loca extenditur, ut notat Suarez mox citandus. Hinc sequitur, quòd lex, quæ est in aliqua legislatoris metropoli, aut curia sufficienter promulgata, atque indefinitè lata, non necessariò, & propterea in omnibus ejus ditionibus statim obliget; ita Suarez *de Leg. l.* 3. *c.* 17. cui concordat S. Thom. 1. 2. *q.* 90. *a.* 4. *ad* 2. *Lex obligat*, inquiens, *in quantum ejus promulgatio in omnium notitiam, per se, vel per alios potest pervenire.* Hanc doctrinam omnibus legibus communem esse (nisi legislatores, peculiaribus statutis, eam particularibus casibus applicent, docuit P. Henricus Herdinck, vir æquè timoratus, ac sapiens, valdeque cautus, cùm anno 1665. materiam de legib. in tertia Theologiæ lectione traderet *d.* 1. §. 4. *in M. S. Viennæ Austriæ.* 105.

Not. 3. quòd, sicut lex non obligat membra communitatis, ad quam dirigitur, nisi ei à legislatore per se, vel alios intimetur; sic nec obliget illos, nisi communitas morali *saltem certitudine* sciat, illam saltem in Residentia Principis, vel aliquo loco esse publicatam. Nam lex 106.

ignorata non obligat; ergo cùm membra communitatis non ligentur lege nisi in quantum illâ ligatur communitas ex n. 103. nec ligabuntur, nisi in quantum communitas obligatur; hæc autem non ligatur, nisi saltem morali certitudine noverit promulgationem à legislatore factam per se, vel alios; ut *manifestius* præscripta intelligat juxta numerum 103. ergo

107. Not. 4. à pluribus doceri, quoties dubium est, an impositum sit præceptum naturale, divinum, vel humanum de aliqua re, eo non obligari dubitantem; quia, donec constet de præcepto, possidetur voluntatis libertas contra legem; sic P. Matthæus de Moya *in qq. select. theolog. moral. tr. 1. q. 5. n. 16.* & D. Th. apud P. Suarez *tom. 5. in 3. parte d. 40. s. 5. n. 15.* Sanch. *l. 2. de matrim. d. 41. n. 36.* Sà V. *dubium, n. 2:* aliique complures; nam *obligare* supponit *legem existere*, & eam existere, à subditis *cognosci*: dicunt autem rem dubiam secundùm jus Canonicum, quando utrinque sunt opiniones probabiles; ita Fagnanus in c, *Ne innitaris à n. 148.* & Aristoteles *Topic. c. 9.* ibi: *dubitationem habent, quando utrinque sunt rationes suasibiles*, quod complures constituunt in suspensione intellectûs, & per rationabilem assensum in unam partem ex oppositis rite deponitur. dicunt autem in tali casu esse dubium juris, quod contingit, quoties dubia est res, in qua lex nascitur; sic de Moya *cit. tract. 3. d. 1. q. 5. n. 18.* hinc, cùm reservatio peccati nascatur *ex suppositione peccati*, eo ipso, quòd dubium est peccatum, est dubium juris de reservatione contracta; quod etiam procedit de obligatione confitendi peccatum dubium.

108. Hanc porrò regulam ( *in dubio melior est conditio possidentis* ) non tantùm in foro fori, & justitiæ; sed etiam in foro poli, & conscientiæ valere docet P. Joseph. Gibalinus *tom. 1. de scientia Canon. l. 3. c. 7. q. 6. §. 3. n. 7.* & apud eum Henriquez, Suarez, Filliucius, Arriaga; & P. Matthæus de Moya *cit. n. 18.* cum M. Joanne Martinez de Prado Thomista *tom. 1. qq. moral. c. 1. q. 9. n. 3.* ibi: dico tamen 1. *etiam in foro conscientiæ, in dubijs, melior est conditio possidentis,* & alij; quia quamdiu quis est in possessione immunitatis ab aliquo debito, cujuscunq; virtutis sit, non peccat non solvendo; nec per dubium superveniens à possessione dejicitur; cùm ergo humana voluntas naturâ suâ libera sit respectu hominum; ut à libertate sua dejiciatur, pro hoc, vel illo actu, tanquam debito ex hac, vel illa virtute, convinci eam necesse est, de subjectione huic, vel illi debitâ in tali casu, quod non fit dubia duntaxat voluntate legitimi superioris; ita illi, sed de his dicemus infrà.

Not. 5. juxta quòsdam dupliciter posse *legem solenniter constitui*, 1. Si solenniter *edatur*, vel *publicè promulgetur*, ut videtur colligi ex *c. 1. de Postulat. Prælat.* ubi dicitur *legem obligare, si solenniter editur, vel publicè promulgatur.* Solenniter *editur*, cùm in consistorio Papæ, vel consilio Principis aliquid agendum, vel omittendum à subditis, directè propter bonum commune, concluditur; *solenniter* autem, seu juridicè *promulgatur*, vel voce Præconis, vel affixâ in loco publico scripturâ, factâ legitimâ authoritate. 109.

Not. 6. quamdiu illa *solennis editio* legis non sufficit, ut tale conclusum in notitiam communitatis, pro qua constituitur, devenire possit, legem nullo modo esse *constitutam*, hoc est, eam Principis voluntatem vim proximè subditos obligandi non habere, etiam respectu illorum, ad quorum notitiam devenit; quia usque tunc *non est regula communis*, seu communitati patefacta; *ex n. 103.* ita Suarez *l. 3. de lege humana c. 16. n. 2.* Salas *de legib. d. 12. s. 1. n. 6.* & alij, cujus ratio est ex *n. cit. & seqq.* 110.

Nec obstat id, quod n. 109. retulimus *ex c. 1.* de postulat. Prælat. ubi legi tribuitur *vis obligandi* etiam tunc, cùm *solenniter editur*, atque adeò, sine publica promulgatione, ubi contendunt Abbas *in dict. c. 1.* & Reginald. *l. 13. n. 155.* Nam ibi *solennis editio* non accipitur tantùm *formaliter*, ut ait Suarez *cit.* quatenus præcisè respicit legislatorem, sed *realiter*, quatenus etiam dicit ordinem ad subditos, quibus intimatur; unde ibi particula *vel* non tam disjunctivum, quàm copulativum sensum habet, nimirum: *legem obligare, cùm solenniter editur, & publicè intimatur*, cujus ratio est ex dictis *n. 86.* Accedit, quòd ad summum sequatur, solenni eâ editione legem constitui, 111.

stitui, quantum explicat vim obligandi *planè remotam*, & nondum passo, in quo proximè potens sit causare obligationem, applicatam: non autem *vim proximam*; hoc enim habere non potest, nisi quantum sic vulgata est, ut in communitate causare possit saltem moraliter certam notitiam de sui constitutione, ut dicemus infrà; denique dici potest, *solenni editione* legem obligare, *non absolutè, sed sub conditione*, si solenni, seu publica promulgatione subditis innotescat; non autem secus, cujus ratio est ex dictis, *à n. 86. & 103.*

112. Ex dictis deducitur, nullam Superioris dispositionem vim legis propriè dictæ, seu proximè obligantis, aut obligare potentis, obtinere, quamdiu caret solemni, hoc est, publica promulgatione, seu intimatione, relatè ad communitatem, voluntate Legislatoris ea lege obligandam. Nam hæc promulgatio est de substantia, vel saltem conditio sine qua non, voluntatis legislativæ, in quantum proximè potentis obligare communitatem, ex illa obligandam, ut ex dictis constat, *à n. 103.*

113. Et hoc procedit non tantùm de constitutione Principis, *novi juris inductiva*, seu prohibentis, seu præcipientis; sed etiam *merè declarativa legis à se conditæ*, ut secundùm illum sensum obligationem accipiat, quem esse ex intentione Legislatoris Princeps declarat. Prima pars deducitur ex dictis; quia saltem aliqua promulgatio publica est de substantia legis tam præcipientis, quàm prohibentis, *per n. 86. & 103.* & ita tenet communis. Unde Cardenas in Crisi Theol. *Tract. 1. d. 9. c. 11. n. 422.* (licèt alioquin valde strictus in hac materia) expressè docet: *legem Pontificiam non obligare in Provinciis, donec in his certitudine morali sciatur promulgatio Romæ facta*, & differt. 1. ad propositiones ab Innocentio XI. damnatas *c. 18. n. 198. legem Pontificiam, in quantum præceptiva, vel prohibitiva est, non obligare communitatem, ad quam fertur, ante certam notitiam, de ipsius publicatione Romæ facta.*

114. Secunda pars de legis propriæ declaratione, colligitur ex ijsdem principijs; quia in quantum tali declaratione Princeps vult *omnes teneri* ad legem suam, *in sensu à se declarato* observandam, innovat legem antea datam *sub tali sensu*; ergo ut velit communitatem per eam *sub eo sensu* obligari, substantialiter necessaria est promulgatio, quæ sufficiat causare notitiam, vel culpabilem ignorantiam ejus, ut dictum est *n. 103. & seq.* aliàs vellet subditos suos obligatos constitutione, carente vi obligandi; ita Suarez *l. 8. de leg. c. 15. n. 17. & l. 4. c. 14.* Bonacin. *de legib. d. 1. q. 1. p. 4. n. 12.* & alij. Idem etiam procedit de rescriptis, seu epistolis, & responsis Principum, in quantum constituunt legem propriè dictam; ita Castropal. *cit. tr. 3. d. 1. p. 10. n. 4.* cum Suarez Bonacin. & alijs, sive sint constitutiva novi, sive declarativa juris, jam antè à se, vel prædecessoribus conditi. Ratio est eadem, quæ prioris.

115. Et quamvis *condere leges declarantes*, quid sit justum (intellige declaratione authenticâ) pertineat ad potestatem collatam Petro, & successoribus ejus, ut docet Matthæus de Moya *in qq. select. theol. moral. tr. 1. q. 4. §. 1. n. 4.* ex c. *In novo, dist. 21. c. Ita Dominus, dist. 19. c. Omnes, dist. 22.* Extravag. *Unam sanctam, de majorit. & obed.* c. *Solitæ, eod.* c. *Cùm adveniant*, c. *Quodcunque 14. q. 1. c. Ad Apostolicæ, de rejudicat. in 6.* c. *Novit, de Judic.* c. *Venerabilem, qui filij sint legitimi*; ea nihilominus declaratio, ut *in sensu declarato* ad legis observantiam stringat, indiget aliquâ solenni, seu publicâ promulgatione, ex eo, quia aliàs vellet obtemperari constitutæ legi *in sensu legis*, à subditis ignorato; & ideo etiam *legem prioris revocatoriam*, eodem modo, ac aliàs substantialiter constare debere promulgatione solenni, seu publicâ tenet Azor *tom. 1. Instit. moral. l. 5. c. 3. q. 7.* Bonacin. *cit. d. 1. p. 4. n. 13.* & alij; cùm enim hoc sit de substantia omnis legis, ex dictis; & hæc etiam sit lex, tollatque possessionem alterius; idem erit de substantia ejus, ac aliarum. Hinc

116. Valde probabiliter deducunt aliqui, quòd non sit mens Pontificis, irritantis contractus, ex natura rei validos, & licitos, eos priùs irritare comparatione eos ignoranter celebrantium, quàm in unaquaque diœcesi sit sufficienter promulgata, aut aliâ viâ ad omnium cognitionem poterit pervenire. Sic Molina *de just. tr. 2. d. 395.* Ratio est, quia nullus legis

conditor intendit legem condere, sine eo, quod est de substantia omnis legis, seu juris, in quantum obligantis; at de substantia omnis legis, seu juris positivi, est ejus notitia, quæ non habetur, nisi aliquâ saltem publicatione talis juris; ergo. his generatim præmissis:

## §. I.

### *Quæ promulgatio sit de substantia legis civilis?*

117. ANte resolutionem supponendum 1. varias esse leges civiles. Nam aliquæ dantur solùm pro una Provincia, seu parvo regno; aliæ pro pluribus. 2. Quasdam procedere à legislatore nemini subjecto, ut ab Imperatore, Rege, Republica libera; alias à subjecto. 3. Inter leges alias esse suspensivas, quæ scilicet feruntur voluntate Principis restrictâ ad certum tempus, v. g. *ad bimestre*, nolentis, ut ante illud, à die promulgationis computati lapsum, subditi eâ lege teneantur, seu ligentur; alias autem, secus, & sine tali restrictione, his positis:

118. Quæstio est 1. an leges civiles, quæ à Legislatore nulli subjecto conduntur pro una tantùm Provincia sibi subdita, substantialiter indigeant promulgatione *publica*, seu solemni, & juridica (de qua *n.* 109) in qualibet ejus civitate? vel sufficiat, eam publicatam esse in Metropoli illius Provinciæ, Ducatûs, vel parvi Regni, aut Principis Residentia? notandum autem, quæstionem posse procedere, an hoc lex civilis habeat ex natura rei? an solùm ex Legislatoris ordinatione? quo posito: Resp. spectatâ naturâ legis propriè dictæ, probabilius esse, quòd sufficiat, eam legè esse publicè, ac juridicè, seu solemniter intimatam in præcipua talis Provinciæ civitate, cum requisita temporis latitudine, de qua *in seqq.* Ita Sylvester *v. lex q.* 3. *&* 6. Azor *tom.* 1. *Instit. mor. l.* 5. *c.* 3. *q.* 2. Suarez *l.* 3. *de legib. c.* 16. *n.* 7. *& c.* 18. *n.* 6. Salas *eod. D.* 12. *sect.* 2. *n.* 11. Bonacin. *D.* 1. *q.* 1. *p.* 16. quos refert, & sequitur Castropalaus *cit. p.* 11. *n.* 2. Probatur, quia (si non sufficeret ad obligandam talem provinciam solennis promulgatio legis ab eo conditæ, in præcipua illius civitate, & consequenter necessaria foret amplior ejus intimatio) id vel esset ex *natura rei*, seu *jure naturali*, vel *positivo*? non *ex natura rei*: nam jure naturæ sufficit legis intimatio in eo loco facta, unde ad omnes de illa communitate, quos ligare debet ejus notitia, saltem moraliter certa, diffundi possit, ex *n.* 103. *& seqq.* sed notitia legis moraliter certa, ex Principe alicujus provinciæ civitate, in qua promulgata est, ad omnes de illa provincia, quam ligare debet, diffundi potest, saltem successivè, præsertim, cùm ejus obligatio suspenditur, ut non incipiat ante lapsum certi temporis, quod judiciô prudentum sufficiens est, ut morali certitudine innotescat tali provinciæ, vel ejus parti potiori: ergo. Non etiam *ex jure positivo*. Nam nullo jure positivo assignatur amplior promulgatio, quando lex unam tantùm provinciam ligare debet, quod intellige, quando Legislator non exprimit, quòd nolit subditos priùs obligatos, quàm in singulis ejus Provinciæ civitatibus, vel oppidis, diœcesibus, aut Parochiis publicetur solenniter, prout factum est in decreto Tridentini, quo irritantur matrimonia simpliciter clandestina, nimirum sine præsentia Parochi, & testium, quin tale decretum vim suam obtineat ante lapsum certi temporis, computandi à die publicationis factæ in singulis Parochiis; ergo.

119. Quæstio est 2. an leges civiles, quæ à Legislatore, nulli subjecto, conduntur pro diversis provinciis sibi subditis, substantialiter indigeant publica, seu solenni promulgatione in qualibet provincia? ante responsionem not. hanc quæstionem posse duppliciter intelligi. 1. an hoc sit *ex jure naturali*, ut lex vim obligandi plures provincias non habeat priùs, quàm in singulis solenniter publicata sit? 2. an solùm *ex voluntate Legislatoris*, atque adeò ex jure positivo?

120. Ad 1. Resp. probabilius esse, jure naturæ ad substantiam legis sufficere, quòd solenniter publicata sit in loco debito, nimirum tali, unde illius notitia moraliter certa, aut culpabilis ignorantia, in alias terras eadem ligandas, moraliter diffundi possit; ita docet Salas *D.* 12. *de legib. s.* 9. *n.* 34. Bonacin. *tom.* 2. *D.* 1. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 18. Cardenas *in Crisi Theol. tr.* 1. *de opinion. probabil. D.* 9. *c.* 20. *à n.* 420. cum communi; quia jure naturali non requiritur amplior promulgatio ad substantiam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tiam, seu essentiam legis, quàm sufficiat, ut voluntas legislatoris integræ alicui communitati per eam ligandæ innotescere possit certitudine saltem morali: nam hoc posito cessant omnia incommoda, ex ignorantia legis nascentia, propter quæ doctores contrarij, ad essentiam legis, quà potentis obligare plures provincias, volunt requiri promulgationem in qualibet, ut constabit ex dicendis.

121. Ad 2. Resp. ad hoc, *ut leges civiles*, latæ *pro pluribus provinciis*, singulas obligent, jure civili, seu voluntate conditoris requiri promulgationem in qualibet; Constat ex Authent. *Ut factæ novæ constit.* tum ex ejus Rubrica, quæ indefinitè loquitur; tum ex ipso textu, ibi *Sancimus, ex illo nostras constitutiones valere, ex quo in commune factæ sunt manifestæ; in provinciis autem, ex quo directè per Metropolitas palàm factæ sunt, vel postea factæ fuerint*, & paulò pòst: *Sancimus in provinciis, post insinuationem, valere:* & apertè in ead. authent. c. 1. §. 1. ibi: *Ne igitur importunitatem patiamur de his per singulos dies & formas scribere cogamur*, propterea sancimus seniorem in Justinianæo Codice legem valere, *hic quidem, ex quo insinuata est in provinciis autem, ex quo directè, & palàm facta, in unaquáque metropoli, aut alia civitate.*

122. Dices: Imperatorem non loqui citatô locô *indefinitè*, ac *universaliter*, de omni lege, sed expresè solùm *de legibus suis, quæ pro testamento sunt*; ergo non rectè dicitur universaliter, leges civiles, in quantum subsunt voluntati suorum legislatorum, non habere vim obligandi, etiam in actu primo singulas provincias ei subjectas, nisi priùs in qualibet promulgentur. Et quamvis verba *Rubricæ* generalia sint; non tamen sunt verba *legis*: ergo illa Justiniani constitutio procedit solùm de legibus *testamentarijs*, quas imperator speciali favore ultimarum voluntatum, ne legum ignorantiâ cassari debeant, suspensas, quoad vim obligandi voluit, dum dicto modo promulgarentur; ita Vasq. 1. 2. *d.* 156. *c.* 3.

123. Ante respons. not. quòd Justinianus Imperator statim ad initium illius authenticæ, *in præfatione* reddat causam suæ novæ sanctionis, seu constitutionis nimirum, *quòd causæ legum prius conditarum, semper multorum negotiorum*, additionum, responsionum, & similium *occasiones præbuerint; & quia id maximè fiebat occasione constitutionum, quas super successionibus scripserat, necessarium sibi visum, ea brevi lege corrigere*; quo posito constitutionem suam, à nobis n. 121. allatam subjecit. Ex hoc autem satis clarè colligitur, *Rubricam tituli*, loquentem universaliter *de quavis ejus lege*, conformem esse menti Justiniani, volentis ea lege declarare *in universum*, quando velit leges à se conditas in provincijs vim obligandi obtinere, cùm non tantùm leges de successionibus, sed super alijs quoque materijs occasiones ei plurium negotiorum fuerint; quibus cavendis universaliter, potissimam negotiorum occasionem (in ignoratione legum exinde natam, quòd in provincijs publicatæ non fuerint) dicta constitutione suâ *Sancimus*, corrigere voluit. Et quia tunc potissima negotia causabant ignoratæ in provincijs *leges de Successionibus*; id, quod in his, quoad earum obligationem correctum voluit, in alijs quoque ex intentione sua in præfatione præmissa declaratum voluit, quibus positis:

Ad object. in n. 122. Resp. verum esse, quòd Imperator citato loco non loquatur indefinitè de omnibus legibus suis, *si spectentur præcisè verba*; secùs *si intentio*. Nam ubi constat de intentione legis, & sermonis, non attenduntur verba; intentio autem imperatoris erat, occasiones tot molestorum negotiorum, sibi factorum ex ignorantia legum in provincijs, & recursu ad legislatorem, tollere; quod ut fieret, cùm maximè illa negotia propter ignorantiam legum de successionibus nascerentur, correctione harum, & alias correctas voluit, ut præmissum est. 123.

Responderi potest 2. cum dist. Imperator cit. loco non loquitur indefinitè *spectato solo textu*, transf. *spectato textu iuncto Rubricæ*, nego. Nam textus infra *Rubricã* scriptus, specificè loquens, non limitat Rubricam *loquentem generaliter*, quando ille solùm id, quòd specificè exprimit, facit *exempli causâ*, vel tanquàm regulam reliquorum; præsertim, quando *Rubrica* habet sensum perfectum; ac intentionem legislatoris plenè explicat, prout est in præsenti. Unde, quando Menochius *l.* 6. de præsumpt. tota præsumptione 1. dicit; 124.

Rubricam per subscriptas leges, quæ claræ sunt, & distinctæ, explicandam esse, & limitandam; accipiendum est, *quando textus appositus est ad limitandam Rubricam*; non autem, *quando solùm apponitur exempli gratiâ*.

126. Et quamvis ex Decio & Alciato, Menochius velit, *Rubricam non disponere tanquam legē, nec posse pro textu allegari*; sed esse tantùm indicē legis, & demonstrationem, quæ in textu habentur; contrarium tamen affirmant plures, prout constabit ex dicendis *à n.* 1317. Et ratio est ex Rodriquez, Fermosino, *de Legib. Eccles. ad c. Cùm omnes, de Constit: n.* 26. quia, quando *Rubrica* decidit plures casus, *nigrum* autem (nimirum textus illi subscriptus) unum, *hoc videtur facere solùm exempli gratiâ*; vel ponere duntaxat illum casum, tanquam magis dubitabilem (aut frequentiorem, vel etiam declarationis, aut correctionis indigum) quo casu, cùm *exempla non restringant* regulam §. *hactenus, Instit. de gradibus*; non excluduntur alij casus expressi in Rubrica. sic Gloss. *in L. Emptor. ff. de rei vindicat.* V. *Superfluum.*

127. Ex dictis coll. legem civilem, quæ non suspenditur ad certum tempus, ut primùm lata est in præcipua Provinciæ civitate, *statim* obligare omnes in ea civitate, qui ejus habent notitiam, vel habere potuerunt; ita Suarez *l.* 3. *de Legib. c.* 17. *à n.* 5. quod intellige spectatô forô externô; juxta dicta in præmissis. Nam tali casu sufficienter promulgata est in tali loco; in foro tamen conscientiæ transgressionem ei non imputandam ad culpam, qui reverà tunc ignoravit. Nam eo casu quoad Deum, erit transgressio solùm materialis, nimirum legis *verè* ignoratæ; in foro tamen fori, scientia præsumeretur, & ignorantia probanda foret ab eam ignorante, ut dicemus infra. *V. n.* 129.

128. Dixi: *omnes in ea civitate*; nam reliquos non obligaret, usque dum sufficiens notitia ad ipsos perveniret, de tali lege in ejus provinciæ metropoli, vel alia civitate, ad hoc à legislatore electa, solenniter publicata; ita Suarez *loco cit.* Castropal. *p.* 1. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 11. *n.* 7. & alij. Nam ut dicitur *c.* 1. *de Concess. præbend. in* 6. §. *Neque obstat: lex*, seu *constitutio*, & *mandatum, nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut ipsi post tempus, intra quod ignorare minimè debuissent.* Unde, quando dicimus, ut lex obliget *totam provinciam*, quam ligare debet, sufficere; quòd solenniter publicata sit in ejus metropoli v. g. debere intelligi *de publicatione, in quantum sufficiens est causare legis notitiam, vel culpabilem ejus ignorantiam in tota communitate*, vel majori ejus parte; nam sine hoc, quod innotescat sufficienter *toti communitati*, nullum etiam particularem obligat, esto is legis publicationem audijsset. Nam lex non ligat priùs singulos, quàm arctet totam communitatem; ergò non priùs, quàm huic sufficienter innotescat *ex n.* 103. anteced. patet quia singuli de communitate in tantùm ligantur lege, *in quantum sunt partes communitatis lege obligatæ.* Nam ex hoc lex differt à præcepto, quòd hoc respiciat singulos, quia in ipsorum bonum ordinatum est; lex verò communitatem, cujus bonum directè respicit.

Hinc pro majori dictorum explicatione notandum, promulgationem legis in aliqua metropoli factam, non eo ipso, quod voce præconis, vel scripto affixa prostet, censeri *sufficientem*, quod sic proclamata, vel affixa sit; sed necessariò debere intelligi, *cum latitudine temporis sufficientis* ut ad notitiam totius communitatis moraliter devenire possit, nimirum attenta vastitate loci, & hominum, per quos diffundi debet; citiùs enim vulgatur aliquid in oppidulo & inter paucos; quàm in communitate admodùm frequenti, & vasta, ut per se notum est. Unde ly *statim in n.* 127. non debet intelligi, quasi immediatè, & seclusâ omni morâ post affixionem, vel evulgationem decreti; sed cum temporis latitudine, moraliter, seu prudentum judicio, requisitâ, ut in tali loco majori saltem parti innotescere possit. 129.

Deinde observandum per legis publicationem non intelligi quamlibet publicationem, per quam legis notitia possit acquiri: certum enim est, ignorantem legem eà non obstringi, sed promulgationem *solemnem*, quæ, ut ait Vasq. 1. 2. *disp.* 155. *cap.* 2. ostendat principem, ut principem loqui, & imperare publicâ authoritate, qua pollet, & cui omnes pariter obedire tenentur. Quare si cui innotesce- 130.

ret

ret lex nondum eâ solennitate promulgata, nondum eâ teneretur: ideo Vasq. *ibid.* promulgationem ad legis essentiam pertinere dicit. Est siquidem lex imperium per se aptum, ut ad operandum obliget, cujusmodi non est Superioris imperium, mente retentum; neque enim quacunque ratione explicatum, sed propositum eâ solennitate, & modo, quo sufficienter omnes intelligant esse præceptum Principis, *& non priùs*. Nam aliàs legislator vellet lege sua *formaliter* obligatos, qui debitam legis notitiam non habent, quod est impossibile. Et ideo lex in metropoli alicujus provinciæ solenniter promulgata, qua debet ligari tota Provincia, non obligabit priùs incolas dictæ metropolis, quàm etiam ad reliquas ejus provinciæ civitates debita notitia de solenni ejus promulgatione in metropoli diffusa sit (saltem nisi aliud legislator declaret; quia sic civitates illius Provinciæ comparantur *ad totam provinciam*, ut ejus *partes*; hæ autem non ligantur, nisi ligetur tota provincia, ut constat *ex n.* 103.

131. Not. 2. ad hoc, ut lex vim suam exerat, seu effectum obligationis in subdito pariat, cui licitè pro sensu composito talis legis, contravenire non possit, & necessariam in quavis lege, *ex natura legis præcipientis, vel prohibentis*, à nobis intelligi publicationem, seu intimationem ejus solennem (de qua n. 109.) non secundùm se, sed cum latitudine temporis, etiam, postquam facta est in civitate, vel Residentia Principis, quod requiritur consideratis circumstantijs, ut in tali communitate innotescere possit mens, & intentio legis. Secus enim observantiam legislator imprudenter exigeret (si, quid subditus, vi talis legis teneatur, scire non posset) ac ejus transgressorem injustè puniret; cùm, non servare legem, quæ sciri non potuit, careat omni culpâ. Ex quo tandem sequitur, ex hoc præcisè, quòd voluntas Principis in uno loco publico talis civitatis, vel provinciæ, aut Regni, vel per solemnem scripturam, vel voce præconis vulgata sit, nondum censeri eam sufficienter promulgatam promulgatione requisita, ut lex sit substantialiter constituta *in esse potentis obligare*, nisi prout conjuncta cum ea latitudine temporis, quæ moraliter, seu prudenti hominum judicio necessaria est, ut innotescat Communitati per eam ligandæ.

## §. II.

### *Quid dicendum de legibus in aliis Regnis, & Provinciis, Romano Imperio non subjectis?*

132. RESp. quoties in illis Regnis, & Provincijs, neque consuetudo, neque particulare statutum vim legis sufficienter promulgatæ suspendens extat, toties in, & de ijsdem, juxta legis naturam num. præced. positam, judicandum esse, nimirum statim obligare modô jam explicatô. Hinc licèt valde probabile sit, quòd, quando ditiones illæ magnam habent vastitatem, etiam in illis sufficiat unica promulgatio explicata, (si spectemus præcisè naturam legis, secundùm jus naturale) id tamen debere intelligi de promulgatione legis cum latitudine temporis, ad eum finem moraliter, seu prudenti hominum judicio, necessariâ.

133. Si quæras, an lege teneatur, sciens ejus promulgationem in uno loco, si nondum est promulgata in sua provincia, & habet vim obligandi suspensam ad certum tempus; affirmat Sylvester V. *Lex n.6. dicto* 3. quia *frustra expectatur eventus, cujus nullus est effectus*, c. *cùm contingat, de offic. delegat.* ergo qui est certus de constitutione, frustra exspectat promulgationem in sua provincia, vel lapsum certi temporis: sed verius esse contrarium, sentit Navarrus *l.* 1. *consilorum*. 1. *n.* 17. & Suarez *l.* 3. *c.* 18. tum quia sic mens legislatoris est, *non obligare priùs*; tum quia lapsus tanti temporis obligationi legis appositi, est speciale juris beneficium; nemini autem juris beneficium auferendum est. *arg. L.* 4. *§. si quis condemnatus*, ff. *de re judicata*; quod tamen postremum intellige. 1. In casu, quando vis obligativa legis, ex voluntate legislatoris est suspensa ad certum tempus. 2. De lege etiam non suspensa; quando nondum est promulgata in sua provincia, ubi id, vi juris positivi communis, vel municipalis, requiritur *ex n.* 121. demum etiam in casu, quo sufficit promulgatio legis in Principe loco talis Regni, si non effluxit latitudo temporis, ex natura rei necessarij, ut ad communitates aliarum provinciarum moraliter diffundi possit.

## §. III.

### *An ad legem canonicam sufficiat unica Romæ solennis promulgatio?*

134. AFfirmativam, quòd sufficiat unica Romæ solenniter facta promulgatio, tenet Suarez *l. 4. de legib. c. 15. n. 3.* Vasquez *in 1. 2. d. 156. c. 2.* Reginaldus, Escobar, & fermè omnes moderni Canonistæ, cum Pirhing, *de Constitutionibus n. 32.* qui tamen *n. 31.* contrarium vocat non improbabile; hanc opinionem affirmantium, sufficere unicam Romæ promulgationem solemnem, esse certam, apertè docet Castropal. *cit. p. 12. n. 2.* imò Cardenas in *Crisi Theol. tr. 1. d. 9. c. 2. a. 11. n. 416.* expresè asserit, negantem, esse antiquatam, nec amplius manere probabilem post decretum Alexandri VII. quo damnavit tanquam scandalosas (consequenter certò falsas) has tres propositiones, quarum 1. est in numero octava: & sic sonat: *duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licitè accipere, applicando petenti partem specialissimam fructûs, ipsimet celebranti correspondentem; & hoc post decretum Urbani VIII.* 2. Illa, quæ in numero est nona: *post decretum Urbani VIII. potest sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ stipendij parte sibi reservatâ.* 3. Quæ in eodem catalogo est duodecima: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate*, quæ propositio, ut notat Cardenas *n. 417.* ideo damnatur, quia opposita pars præcepta est à Paulo V. & Urbano VIII. in decretis Romæ more solito publicatis, non autem in singulis provincijs, & diœcesibus.

135. Opinionem suam sic probat Cardenas: opinio, licèt antè probabilis, postquam fit incompatibilis cum principio certo, non manet amplius probabilis; sed opinio docens, *quod lex Pontificia non obliget in Provinciis, donec in illis promulgetur*, post hoc decretum Alexandri VII. est incompatibilis cum principio certo; probat, nam in eo decreto Alexandri VII. quo damnantur dictæ tres propositiones, continetur hoc principium certum: *quòd leges Pontificiæ, Romæ more solito promulgatæ, obligent in Provinciis, licèt in illis non sint promulgatæ*; propositio enim contradictoria, quòd *non obligent in provinciis, si in illis promulgatæ non sint*, ibi damnatur ut scandalosa, consequenter ut certò falsa; sed cum illo principio certo incompatibilis est propositio docens, *quòd lex Pontificia non obliget in Provinciis, donec in illis promulgetur*; ergo.

Negativam docet Sotus *l. 1. de Just. q. 1. n. 4.* Angelus V. *Lex q. 12.* Medina *in 1. 2. q. 1. a. 4.* Molina *tom. 2. d. 995. n. 4.* Emmanuel Sà V. *Lex n. 9.* & complures alij apud Joannem de Cardenas mox citandum *n. 413.* loquentes de legibus Pontificijs corpori juris non insertis. Eandem negativam tenet Gibalinus *tom. 2. de scientia Canon. l. 7. c. 2. q. 1. n. 7.* dicens, esse gravium, & plurimorum Doctorum, juri etiam, & rationi conformiorem, & oppositâ multò probabiliorem, & praxi veteris Ecclesiæ maximè consentaneam; ac pro eadem citat Sotum, Becanum, & plures alios. 136.

Unde opinio istorum, qui negant sufficere unicam solùm Romæ factam, solennem promulgationem, vult, ac requirit, ut in singulis provincijs promulgentur. 1. quia jus civile, ubi canonico non adversatur, solet ab Ecclesia usurpari, argumento desumpto ex *c. 1.* de novi operis nuntiatione. Accedit nimia vastitas Ecclesiæ, ubi non videtur una Romæ facta promulgatio sufficere ad scientiam, vel ad minus vincibilem ignorantiam inducendam per totam Ecclesiam. 2. quia secùs ex ignorantia talium legum gravissima mala in rempubl. Christianam inducerentur; si enim universaliter procederet etiam in legibus irritantibus contractus naturaliter subsistentes, inhabilitantibus habiles, suspendentibus, vel annullantibus jurisdictionem tam Ecclesiasticam, quàm civilem, quòd per unam Romæ factam publicationem vim suam in actu secundo exerceret, non tam essent leges, nimirum ordinationes justæ, & directè bonum comune spectantes, quàm occasio ruinæ, quæ à gravissimis Reipubl. inde necessariò emergentibus damnis desumitur. Vel enim illæ nescientes obligant, vel non? si secundum; ergo per illam unicam promulgationem vim obligativam non acquisiverunt: si verò acquisive- 137.

quisiverunt? multa matrimonia erunt putatitia, multæ Sacramentorum administrationes invalidæ, contractus quoque naturaliter obligantes adveniente legis notitiâ declarabuntur nulli; quæ omnia manifestam nata sunt in rempublicam inducere confusionem; ita Suarez *l. 5. de legib. c. 33. n. 8.* Laym. *l. 1. tr. 2. c. 1. & 2.* Sotus *l. 1. de just. q. 1. a. 4.* Et ideo P. Henricus Herdinck. *in M. S. d. 1. de leg. §. 7.* hanc negativam publicè Viennæ Austriæ docuit, esse *probabilem*, affirmativam verò *probabiliorem* ex auctoritate, & gravitate Doctorum eam tenentium.

138. Becanus *in 2. 2. tr. 3. c. 6. q. 6. n. 6.* secutus præcitatam opinionem negantium, infert eum, qui habitat in aliqua Provincia, ubi ejusmod leges Pontificiæ non sunt promulgatæ, liberum esse in conscientia, licèt eas non servet. Azor *l. 5. instit. moral. c. 3. q. 3.* docet, opinionem negantium esse magis consentaneam juri scripto, affirmantium, consuetudini, & mori jam recepto. sed hic mos est tantùm pro foro externo; imò, ut notat Reginaldus *l. 13. n. 156.* non satis constat juri scripto, cui conformis est sententia negantium, derogatum esse universaliter contrariâ consuetudine; hinc eam etiam ipse probabilem censet.

139. Ex his opinionibus oppositis probabilior videtur, quæ affirmat sufficere unam promulgationem solennem Romæ consueto more factam, non utcunque, sed completam, seu sumptam cum latitudine temporis requisita, ut moraliter diffundi possit, hoc est in notitiam deduci comunitatum, quæ per ejusmodi legem, vel constitutionem Ecclesiasticam ligandæ sunt; non autem aliter; quod intellige saltem de promulgatione illarum legum, in quantum præcipiunt, vel prohibent sub culpa, in libera earum transgressione. Nam de legibus irritantibus, & similibus dicemus infra *à n. 152.* Inter has etiam & leges præcisè præcipientes, vel prohibentes discrimen est; illæ enim etiam obligant ignorantes, ut dicitur communiter, quia non attendunt præcisè, & per se obligationem ad culpam in transgredientibus, sed solùm actûs nullitatem, quam, ubi deinde cognoscunt, tenentur in conscientia eo actu non uti, aut quæ per illum acquisiverunt, non retinere: lex verò prohibens, aut imperans ligat subditum, ut non possit sine culpa facere, aut omittere talem actum, & quamdiu ignorat invincibiliter, neque peccat, neq; obligatur. Quare Suarez ait *lib. 3. de legib. c. 18. n. 11.* obligare quidem tunc legem in actu primo, nondum tamen in actu secundo.

Ratio autem nostræ responsionis est; 140.
quia nec ex natura rei, nec jure positivo major publicatio legis requiritur, ut lex, in quantum obligat ad culpam, vim istam obligandi exerere possit in subditos, ut constat à n. 119. ac dicemus in resolutione contrariorum. Et ratio ulterior est; quia tota vis, & quasi causa formalis in hac re morali, quâ contrahitur obligatio, relatè ad superiorem, habetur ab actu imperij ita subditis solenniter intimati, ut hac intimatione solenniter factâ, in eorum notitiam devenire possit, seclusâ culpabili negligentiâ ad sciendum, quid superior ab illis exigat; sed hoc habetur, licèt ea solennis publicatio Romæ, vel in alio loco facta sit, modò sumatur in illa temporis latitudine, de qua suprà n. 129. his enim positis cavetur malis omnibus, quæ authores contrarij prudenter metuunt, si publicatio solennis non fieret in singulis provincijs, vel diœcesibus; ergo. Et pro hoc plurimum facit frequentissima jam praxis Ecclesiæ, obligantis omnes Christi fideles ad observantiam novarum constitutionum, licèt extra Romam solemniter non publicentur, quod certè Summi Pontifices, qui efficaciter obligare volunt, nullatenus facerent, si vel ex natura rei, vel jure canonico alia solemnis publicatio necessaria foret, id, quod mihi magno est argumento pro hac sententia; esto oppositam omnino judicem valde probabilem, præsertim quoad leges irritantes, inhabilitantes, & similes, quæ propter obligationem ad culpam inducunt alios etiam effectus, ut aliquid annotavimus n. 139.

## §. IV.

### *Resolvuntur argumenta contraria.*

141. INduplici classe sunt rationes in contrarium; aliquæ enim militant contra sententiam, quæ tanquam probabilius affirmat, sufficere unicam promulgationem solenniter factam in aliquo loco, Romæ v. g. cum illa temporis latitudine, quam exposui-

posuimus; aliæ, quæ negant probabilitatem opinioni contrariæ, ut insinuavimus n. 134. Ad primam ergo rationem pro prima classe, relatam n. 137. Resp. concedi, quod facti canones, & Summi etiam Pontifices, *in causis Ecclesiasticis decidendis* omnino acceptent leges civiles Principum, rationabiles, & justas; quando jure canonico nihil constitutum est, quo tales causæ decidi possent; cùm, ubi lex canonica deficit, nulla videatur magis idonea, quàm civilis, & causa controversa decidi debeat secundùm aliquam regulam æquitati, quam maximè attendit jus Ecclesiasticum, præ cæteris opportunam. Dico *in causis decidendis*; nam aliud est *in modo condendi*, ac *ferendi leges*. In hoc enim est longè alia ratio. 1. quia etiam in civilibus & ad obligandas plures etiam provincias, sufficit promulgatio legis, quantum est jure naturali, & spectatâ naturâ legis, solenniter facta in metropoli totius Regni, modò ea talis sit, de qua egimus n. 129.

142. Deinde, licèt Ecclesia, etiam in hoc ipso, posset, si vellet, imitari leges Principum, qui volunt eas debere publicari *per singulas provincias*; non tamen tenetur; imò se id non sequi, patet ex pluribus constitutionibus solùm Romæ publicatis, quas nihilominus ubivis locorum (postquam ad absentium notitiam pervenerint) perinde obligare, legislator constituit, ac si personaliter omnibus intimatæ forent; necessarium quoque erat, ut non imitaretur eum modum ferendi leges, qui observatur in civilibus; quia si penderet essentialiter à promulgatione in singulis, sæpe vis obligativa sacrorum canonum in provincijs temporaliter subjectis jurisdictioni diversorum Principum, inanis, & omni effectu destituta maneret; cùm frequenter contingat à Principibus secularibus in suis Provincijs promulgationem legis Pontificiæ impedir.

143. Ad alteram rationem in n. 137. *quòd gravissima in Rempublicâ Christianam incommoda inveherentur, si lex Ecclesiastica non publicaretur Solenniter per singulas diœceses.* Resp. hæc omnia facilè caveri, esto loquamur de una promulgatione Romæ solenniter facta, si attendatur, prout hoc à nobis asseritur, nimirum *nō utcunque accipiendō promulgationem Romæ factam*, quæ fit intra horam voce præconis, vel affixione scripturæ in uno urbis loco celebri, sed sumpta cum latitudine temporis, ut exposuimus n. 105. & 129. Si enim non obligent, nec vim suam exerant priùs, quàm cuilibet communitati, *vel* singillatim promulgentur; *vel* solennis promulgatio in Residentia Papæ facta, morali certitudine innotescat (è quibus alterutrum omnino dicimus necessarium, & quodlibet eorum sufficiens ex *n.* 140.) cessant omnia incommoda, quæ prudenter timeri possent ex earum legum ignorantia, quam Authores contrarij putant nascituram, si Romæ tantùm promulgatæ, etiam in alijs Provincijs obligarent.

Ex hoc colliges, nos non utcunque as- 144.
serere unicam Romæ publicationem solenniter factam sufficere; sic enim præcisè sumpta nondum lex, in vi proximè potentis obligare, vel reliquos effectus suos in actu secundo inducere, est completa, consequenter inepta, ut operetur, nisi compleatur publicatione sumptâ cum latitudine temporis, de qua dictum est, ut in communitatibus, pro quibus lex ejusmodi condita est, causare sui scientiam, vel culpabilem ignorantiam possit; si enim hac publicatione positâ nihilominus contra legem fiat, non legis culpa est; sed culpabiliter ignorantis. Et istam publicationem jam sæpius expositam, dicimus esse conditionem saltem sine qua non, etiam in dictis legibus irritantibus, inhabilitantibus, suspendentibus &c. omnino necessariam, id quod suadet ratio desumpta ex damnis cæteroquin in Rempublicam redundaturis, contra naturam legis, in n. 137.

Et ideo leges revocatoriæ privilegio- 145.
rum, facultatum &c. non habent vim obligandi, quousque promulgatæ non sunt, non solùm in provincia, sed etiam in civitate, ac Parochia secundùm Escobar, *theolog. mor. q. 2. l. 5.* Becan. *in 1. 2. f. 3. c. 6. p. 6. n. 7.* & communis doctrina est, debere intimari illi, cui aufertur privilegium, vel potestas. Hinc addit Azor *instit. mor. l. 5. c. 3. q. 6.* indulgentias non finiri, donec de earum revocatione certiores facti sint, quibus fuerint Pontificum beneficio concessæ: sed his satis cavetur, si publicatio earum facta sit juxta n. 129.

Pro

146. Pro solutione aliorum, quæ authores contrariæ opinionis in suum favorem assumunt, not. 1. quando in c. *Infirmitas*, de pœnit. & remission. dicitur: *lege medicos non teneri, nisi postquam eam Prælati promulgaverint*; solùm probari, quòd hoc requiratur, quia legislator *expressè* statuit *pro tali lege*; sicut statuit in lege irritante matrimonia clandestina, quæ, ut vim habeat, debet in qualibet Parochia publicari, ut habetur in Trident. *sess. 24. de Reform. c. 1.* sed à particulari lege, in eo, quod non habet ex natura rei, arguere universim ad omnem legem, non valet argumentum.

147. Not. 2. potissimas rationes contra authores, qui docent sufficere unicam Romæ solenniter factam publicationem, nec requiri, vel ex natura legis, vel ex generali voluntate legislatoris Ecclesiastici (quod in singulis provincijs solenniter publicetur) desumi ex magnis incommodis, & detrimentis, quæ redundarent in Rempublicam Christianam; huic tamen sequelæ jam cautum est per ea, quæ diximus n. 143. & constabit magis ex sequentibus.

Not. 3. legem aliquam posse considerari 1. in quantum est præcisè novi juris inductiva, præcipiendo, vel prohibendo sic, ut ejus transgressio scienter & liberè facta imputetur ad culpam. 2. in quantum est merè pœnalis, nimirum non obligans ad culpam in conscientia, esto etiam scienter non observetur, sed præcisè ad subeundam pœnam. 3. in quantum obligat sub culpa simul, & pœna, quo sensu dicitur lex mixta. 4. in quantum est merè declarativa legis naturalis, aut positivæ, divinæ, vel humanæ, 5. in quantum est revocativa alicujus facultatis, priùs concessæ. 6. in quantum irritat aliquem actum naturaliter subsistentem, vel inhabilitat aliàs habilem, vel annullat jurisdictionem Ecclesiasticam, aut civilem &c. ut igitur in particulari de singulis agamus occasione objectionis factæ.

148. Not. 4. quæstionem posse fieri, an unica Romæ promulgatio in ejusmodi legibus sufficiat, non tantùm *ad effectum obligandi*, ut exposuimus, sed etiam ad *efficaciter* in actu secundo *inducendum effectum irritandi, inhabilitandi, anullandi, revocandi?* Nam ut actus nulliter fiat, non semper requiritur culpa, vel *formalis* transgressio legis ad culpam imputabilis, sed sufficit transgressio *materialis*, & inculpabilis omissio formæ, aut alterius alicujus ad valorem actûs substantialiter requisiti, ut patet ex plurimis exemplis, præsertim in legibus irritantibus matrimonium cum impedimento dirimente etiam ignoranter contractum.

Not. 5. opinionem negantium (*sufficere unam Romæ factam solenniter promulgationem, ut dictæ leges in alijs, etiam extra Romam, Provincijs, habeant vim sufficienter obligativam in actu primo*) posse in duplici sensu intelligi. 1. si legi canonicæ, *solùm* Romæ solenniter promulgatæ negent vim obligandi in Provincijs, *positâ solâ illa promulgatione, & non requisitâ latitudine temporis*, ut moraliter diffundi possit taliter promulgatæ legis debita, & requisita notitia; & in hoc sensu, judico horum opinionem esse omnino veram, ut diximus suprà; Secundò, si legi canonicæ, solùm Romæ solenniter promulgatæ negent vim obligandi in Provincijs, *positâ illa promulgatione simul cum requisita latitudine temporis, intra quod ad earum communitates moraliter diffundi possit taliter promulgatæ legis notitia debita*, nimirum moraliter certa. & in hoc præsens quæstio est magis dubia; ad quam 149.

Resp. 1. probabilius esse, ut lex canonica, *in quantum est merè præceptiva, vel prohibitiva*, habeat vim obligandi in actu primo proximo, vel potiùs in actu secundo, etiam in Provincijs, sufficere unicam Romæ factam promulgationem cum latitudine temporis, intra quod moraliter devenire possit in notitiam moraliter certam earum communitatum, quæ tali lege obstringendæ sunt, de publicatione Romæ facta. Nam qui habet moralem certitudinem de voluntate sui legitimi superioris aliquid præcipientis, vel prohibentis alicui communitati, sub qua ipse continetur, tanquam pars illius, non potest licitè illi contravenire, sed obligatur præceptum implere, & prohibitum vitare; qui enim moraliter certus est, aliquid esse legitimè præceptum, vel prohibitum, est moraliter certus, oppositum tali voluntati esse moraliter illicitum; consequenter se teneri, ad ei non contraveniendum; sed licèt voluntas illa legitimi 150.

Superioris Romæ solenniter publicata, non sit solenniter, ac juridicè publicata in Provincijs, fieri tamen potest moraliter, quòd intra latitudinem sufficientis temporis communitates talium provinciarum acquirant moralem certitudinem de publicatione facta Romæ, ac tenore integro talis legis, adeóque moralem certitudinem de voluntate sui legitimi Superioris; ergo. Sic Cardenas *in tract.* ad propositum: damnatas ab Innocentio *XI. dissert.* 1. *n.* 198. & *alij.*

151. Resp. 2. probabilius esse, ut lex canonica, *in quantum est declaratoria juris divini, naturalis*, & *positivi*, obliget etiam in provincijs, sufficere unicam Romæ factam esse promulgationem, cũ temporis latitudine, ut & in illis dictis earum communitatibus morali certitudine innotescat. Quia sic etiam in illis Provincijs moraliter certum est, oppositum juri sic declarato, esse contra jus divinum, consequenter illicitum, atque adeò in praxi nullatenus exercendum; idem quoque dicendum est de lege canonica, seu Pontificia *declarante aliam legem canonicam, seu Pontificiam*, quæ prius quidem legitimè, nimirum Romæ solenniter publicata fuit cum debita latitudine temporis, sed ambigui sensûs fuit, propter varietatem contraria opinantium. Ratio est eadem, quæ prioris. Nam eorum, quæ jam certò sciuntur, non requiritur nova promulgatio; hæc enim requiritur ad eum finem, ut mens, & voluntas legitimi Superioris perveniat ad notitiam certam omnium subditorum, quæ si jam præsupponatur, ulteriùs necessaria non est, sicut quodvis medium, jam obtento fine.

152. Resp. 3. probabilius esse, ut lex canonica, seu Pontificia (*in quantum est irritans, inhabilitans, suspendens, annullans, revocans, puniens* &c. ut exposuimus à n. 147.) habeat vim efficaciter inducendi prædictos effectus etiam in alijs Provincijs, sufficere unicam Romæ promulgationem post latitudinem temporis moraliter requisiti, ut illis morali certitudine constare possit de talis legis publicatione Romæ facta. Nam sub his terminis sententia, propugnans sufficere unicam Romæ publicationem post dictam temporis latitudinem, sine alia juridica promulgatione in Provincijs, cavet omnia incommoda, de quibus loquitur sententia contraria in n. 137.

Ad illud dilemma *in cit. num.* 137. 153.
Resp. & dico, quòd leges *irritantes* &c. Romæ solenniter publicatæ, non obligent alias provincias ante latitudinem temporis requisiti, ut habeant, aut habere queant moralem certitudinem de talis legis promulgatione facta Romæ; dist. conseq. ergo per illam unicam promulgationem, *ante* latitudinem illius requisiti temporis, vim obligativam in alijs provincijs non acquisiverunt. C. *post* latitudinem illius temporis requisiti. N. consequentiam. ex n. 150. Ratio hujus est, Nam qui moraliter certus est, aut, si voluisset, potuisset habere certitudinem moralem de promulgata lege à legitimo Superiore conditâ, vi cujus aliquis contractus, sine tali forma celebratus, jure positivo irritus sit; seu nulliter fit, & tamen omittit talem formam, sibi nullitatem imputare debet, non defectui promulgationis sufficientis, ut legi se conformare possit; & sic de alijs; aliàs etiam culpabiliter ignorans jejunium (cujus notitiam concione non temerè neglectâ habuisset) culpam conijcere posset in legem, non satis notam.

Et ideo non pauci, etiam ex præcipu- 154.
is Authoribus ad vim legis Pontificiæ requirentes ejus promulgationem in provincijs, non tam requirunt *promulgationem juridicam*, quàm *publicationem*, seu *notitiam* factæ promulgationis Romæ, *moraliter certam.* ut rectè observat Cardenas *cit. num.* 134. id, quod apertè suadet ratio, quam desumunt ab incommodis alioquin nascituris ignoratâ lege, etiam in inculpabiliter ignorantes vim exerente; quod sanè locum non habet in sententia, quæ prærequirit moralem certitudinem, vel saltem culpabilem legis ignorantiam in communitate, ad hoc, ut vim inducendi effectus suos obtineat, ut dictum est. Unde quando Molina *tom.* 2. *de Just. d.* 3. *q.* 5. *n.* 4. apud Nicolaum Rodriquez Fermosinum, de legibus Ecclesiasticis ad Rubric. tit. *de Constit. n.* 18. de sententia docente (*sufficere unam Romæ publicationem*) sic loquitur: *opinio illa, quòd Pontificiæ leges statim post duos menses à publicatione Romæ facta obligent totam Ecclesiam, nec necessaria sit publicatio in singulis provincijs, aut diœcesibus,*

*bus, ad effectum, quòd nullus præsumatur illas ignorare, profectò non est tam certa, quàm certa supponitur; quia potius contraria meo judicio est probabilior*: solùm negat uni, Romæ tantùm, factæ promulgationi, *certam* sufficientiam *intra bimestre* per omnes Provincias inducendi, seu causandi necessariam notitiam talis legis, ut vim habeat obligandi, seu reddendi transgressionem imputabilem ad culpam ex præsumpta scientia legis.

155. Quòd autem Molina judicans probabiliorem sententiam, quæ docet unicam Romæ solennem publicationem insufficientem, ut statim obliget post bimestre, non rejiciat opinionem, quæ admittit, unam Romæ publicationem cum debita temporis latitudine sufficientem, ut obliget etiam in Provincijs: confirmatur ex ejus verbis *tr. 2. d. 395.* apud Patrem de Cardenas *cit. n. 203.* ubi sic loquitur: *sanè dicendum est, mentem Pij V. fuisse, bullam à se latam, non priùs contractus, alioquin ex natura rei licitos, irritos comparatione ignoranter eos celebrantium reddere, quàm in unaquaque diœcesi esset sufficienter promulgata: aut aliâ viâ ad omnium cognitionem potuerit pervenire*; ex quo clarè patet, juxta sententiam Molinæ non requiri determinatè *promulgationem* in omnibus provincijs *juridicam* legis; sed sufficicere *certam notitiam* de promulgatione legis Romæ facta, præsertim cùm ex antè citatis ejus verbis solùm colligatur, eum, & meritò negare *sufficere bimestre*, ut lex Romæ publicata *ubique* obliget; quia revera ejus notitia intra bimestre moraliter diffundi non potest, non modò non per totum Christianum orbem; sed sæpe nec per unam diœcesim; maxin è cum Molina expressè dicat: *aut aliâ viâ* (quàm promulgationis *in Provincijs*) ad omnium cognitionem poterit pervenire; ergo non unicè per promulgationem in Provincijs.

156. Ex dictis colliges 1. etsi promulgatio legis etiam solennis *physicè loquendo* fieri possit intra brevissimum tempus, & coram paucis personis: revera tamen, *loquendò moraliter*, & ut vim suam exercere possit obligandò, vel alios effectus (v. g. nullitatis, revocationis, suspensionis &c.) inducendò, non fieri tempore brevissimo, & coram paucis; sed successivè, toto nimirum eo tempore, quod moraliter necessarium est, ut illa promulgatio ad notitiam totius communitatis per illam obligandæ deveniat; nec aliter verè, ac proprie dici *promulgari*; nec censeri debere ante hoc tempus *integrè promulgatam*. Sic Castropal. *p. 1. t. 3. d. 1. p. 11. n. 6.* Ratio constat ex dictis.

Coll. 2. Si legis publicatio in notitiam absentis deveniat miraculosò modò (cùm tamen humanò modò venire non potuerit) nullo modo obligare ad illius observationem, quia respectu illius non est publicata, ut constat *ex n. 103. & seqq.* ita Suarez *l. 3. c. 17. n. 14.* quod tamen videtur intelligendum de lege positiva humana. Nam si divina sit, miraculosè cognita, habet intimationem authoritativam ipsius conditoris, cujus unius virtute miraculum illud, seu notitia, ultra vires naturæ, patrata est. 157.

Coll. 3. esto quis habeat privatam notitiam legis publicatæ v. g. Romæ, id ipsum ignorante Communitate per eam liganda, cujus ipse pars est, & membrum; non propterea obligari eà lege, tali communitati non cognita; ratio sumitur *ex n. 103.* Nam obligatio legis non descendit in membra, nisi membra sint communitatis ea lege ligatæ. 158.

Coll. 4. quando dicimus ad legem Pontificiam, ut obliget in Provincijs, sufficere unicam promulgationm integram Romæ factam juxta n. 139. debere intelligi, nisi aliter in ipsa bulla habeatur; si enim voluntate legislatoris suspendatur ad certum eventum, aut circumstantiam, eâ nondum positâ, suspensa manet vitalis legis, ut patet ex casu decreti Tridentini, quo irritantur matrimonia clandestina.

Ad alteram classem objectionum, quas facit Cardenas, ut diximus *à n. 134.* contra sententiam negantem sufficere unicam Romæ promulgationem, contendens eam defacto non amplius esse probabilem. Resp. hanc assertionem Patris de Cardenas, tam indefinitè, ac universaliter acceptam non posse admitti, quia sententia negans sufficere unicam Romæ factam promulgationem, & requirens ejusdem legis Pontificiæ *promulgationem in Provincijs*, ad hoc, ut in illis vim suam, vel obligandi, vel revocandi, aut annullandi, exerat potest habere plures 159.

sensus

sensus veros, etiam nunc, & post decretum Alexandri VII. ut patebit ex seq. consequenter nullatenus in compossibiles cum eo, quod stabilitum est infallibili authoritate Ecclesiæ in illo, aut aliis similibus decretis, quæ retulimus n. 134.

160. Nam 1. doctrina negantium, sufficere unicam Romæ factam promulgationem (antequam hæc integrè facta sit, juxn. 156.) defacto est verissima, ut constat ex dictis; aliàs Pontifex subditum legesuâ vellet obligatum, hoc est, vellet, ut se legi Pontificiæ conformaret, cujus nec notitiam, nec culpabilem ignorantiam haberet; quod est certò falsum, & omnino impossibile, ex præmissis n. 86. Secundo doctrina negantium *sufficere unicam Romæ factam promulgationem, ad obligandum extra Romam unum, vel alterum, qui ejus notitiam habet, ignorante illam communitate, cujus ipse pars est*, defacto probabilis est, ut ostensum est n. 156. quia nullo modo contradicit illi decreto Alexandri VII. nec propterea docet ullam ex illis propositionibus damnatis, quæ relatæ sunt à n. 134.

161. Hinc omnino negatur, ex hoc, quòd certum sit, ex definitione Pontificia esse scandalosam hanc propositionem (*duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadē missa licitè accipere, applicandō petenti partem specialissimam fructūs ipsimet celebranti correspondentem, & hoc post decretum Urbani VIII.*) ex vi ejus decretalis, inferri, illatione evidenti, vel certâ hanc ut certam: *ergo leges Pontificiæ, postquam Romæ publicatæ sunt, obligant quemlibet etiam privatum in Provinciis, privatâ notitiâ scientem eam promulgationem, esto id ignoret communitas, cujus ipse pars est*, consequenter etiam bene negatur propositionem huic illatæ oppositam, esse evidenter, vel certò falsam; quod tamen esse deberet, ut Cardenas rectè concluderet.

162. Hujus ratio est 1. quia, cùm ea propositio *octava* (& sic de alijs) solùm damnetur, *ut jacet*, & consequenter; in quantum est concepta sub illis terminis *complexis*, ut notavimus alibi; ex eo, quòd sit certò scandalosa, atque adeò, ut ponit Cardenas, sit certò falsum, ipsam (prout jacet) sequi, *esse probabiliter tutum in praxi*: solùm sequitur, eam opinionem non posse jam ampliùs esse probabilem, quæ cum illa, in quantum complexè sumitur, est vel evidenter, vel certò incompatibilis; non autem secus. Nam quod solùm probabiliter, & non cum certitudine etiam morali opponitur propositioni evidenter, vel certò veræ, non evidenter, & certò falsum est, sed solùm probabiliter & cum incertitudine etiam morali. Unde licèt quis supponat certò veram hanc copulativam *Petrus, & Paulus currit*; consequenter, certò falsam esse quamlibet simplicem, dicentem: *Petrus non currit, Paulus non currit*: certum tamen est, si ponatur ea propositio (*Petrus & Paulus currit*) certò falsa, nullatenùs inferri legitimè, & determinatè hanc *Petrus non currit*, vel istā determinatè, *Paulus non currit*, certò falsam esse; quia copulativa affirmativa certò falsa, potest manere certò falsa, modò una simplicium sit certò falsa, licèt altera sit vera, similiter, si propositio aliqua complexa *causalis*, vel *modalis*, sit certò falsa, potest *dictum propositionis* manere verum, modò *causalis*, vel *modus* sit falsus; imò licèt dictum, ac etiam causalis sit vera, *modò applicatio rationis, seu causalis* sit falsa, vel quia non habet vim causandi, vel quia illi dicto ineptè applicatur. Sic, si ponas certò falsum: *Petrus currit, quia vestitus est in albo*: potest esse verum dictum, quod Petrus *currat*; & *causalis*, seu ratio, quæ assumitur, quòd vestitus sit in albis; & tamen propositio *causalis* manere falsa, ex defectu in causali, non habente connexionem cum dicto, vel ineptæ applicationis ad hoc dictum.

Sit enim hæc propositio causalis: *qui* 163.
*non potest recitare matutinum, & laudes, non tenetur ad reliquas partes, quas potest, quia major pars trahit ad se minorem.* Hæc propositio juxta Patrem de Cardenas est certò falsa; & tamen inde non sequitur, quòd vi ejus *determinatè* hæc simplex (*major pars trahit ad se minorem*) sit certò falsa, cum alteri materiæ applicata, rectè concludat, ut dicemus à n. 174. sed solùm, *quòd vel* materiale, seu *dictum illius propositionis* causalis, vel *hæc ipsa*, vel *ejus applicatio ad hoc determinatum dictum*, sit certò falsa; ergo, si dicit certò falsum, qui asserit: *pro eadem Missa etiam post decretum Urbani VIII. licet accipere duplex stipendium, quia illud de-*

*cretum*

*cretum non est publicatum in provincijs*, non rectè infertur illatione evidenti *certò, ac determinatè falsam esse illam causalem* (*quia non est publicatum in provincijs*) sed, *vel dictum* vel *dicti causam*, vel *hujus applicationem ad hoc dictum*, *ut ostensum est.*

164. Deinde supponamus cum eodem Authore, illam propositionem esse certò falsam ex damnatione Pontificia, quâ illam pronuntiavit tanquam scandalosam; hoc tamen supposito, ut dicta propositio maneat certò falsa, non requiritur, ut omnes ejus partes sint certò falsæ, sed sufficit, quod sit certò falsum, vel illius propositionis complexæ *dictum*, vel *ratio dicti*, vel hujus *ad illud applicatio*; sed hìc non concluditur *determinatè*, certam illius falsitatem unicè ac determinatè fundari *in ea causali, quia decretum Urbani VIII. non est publicatum in provincijs*

165. Majoris prima pars videtur omnino certa; nam ut sit certò falsum, *dari aliquod totum*, v. g. hominem; non requiritur, qnòd sit certò falsum, *dari aliquam ejus partem* v. g. *animam*; cùm sufficiat esse certum, deficere unam ejus partem essentialem, *vel hanc, vel illam*; ergo, ut sit certò falsum, quòd *liceat* (consequenter, quòd nec post decretum *Urbani VIII.* sit prohibitum) *accipere duplex stipendium pro una Missa, uni applicando partem specialissimam fructûs, celebranti correspondentis*; non requiritur necessariò, quòd unicè, vel determinatè falsa sit hæc causalis, *quia decretum Urbani VIII. non est publicatum in provincijs.*

166. Probatur hæc consequentia. Nam, si certò esset falsum, *nullam dari rationem*, seu *fundamentum intrinsecum, ex quo fieret illicitum in dicto casu, etiam post decretum Urbani VIII. accipere duplex stipendium*, illa propositio ex sui damnatione retineret suam falsitatem, esto verum maneret, *decretum Pontificum non obligat in Provincijs, si non est publicatum in illis*; ergo tam ex eo, quòd esset falsum *nullum dari fundamentum intrinsecum*, quo illud duplex stipendiũ sit illicitum; quàm quòd *lex Pontificia non publicata in provincijs non obliget in illis*, potuit proficisci illud decretum condemnatorium dictæ opinionis, ac esse falsum; at probablius est, profectum esse ex primo capite.

Nam, ut rectè P. Illsung in *Arbore Scientiæ boni, & mali*, seu Theol. pract. tr. 6 d. 5. n. 168. *2. sequitur.* 2. Congregatio Cardinalium, authoritate Vrbani VIII. edidit decretum (contra quorumdam Doctorum, spectatis rationibus naturalibus, probabilem sententiam) quo declaravit, Beneficiatos non posse accipere aliud stipendium pro ijs sacrificijs, quæ ratione beneficij ab ijs exiguntur solo numero, loco, aut tempore in fundatione expresso, nisi dantem moneant de incertitudine; *cùm incertum sit, an non debeatur applicatio fructûs ejus sacrificij juxta intentionem Fundatoris.* Ex hoc enim illa propositio absoluta (*quòd liceat pro una missa duplex stipendium accipere*) sine ulteriori modificatione prolata, omnino evadit falsa. Nam accipere stipendium *certum, ex pacto applicandi fructum, de quo promittens incertus est, quòd possit*, iniquum est, & contra justitiam. 167.

Neque danti stipendium securitatem præstat sacerdos in similibus casibus sacrificij alijs debiti, accipiens pro eodem aliud stipendium, offerendô illi pro hoc stipendio fructum suum specialissimum ipsimet celebranti respondentem. Nam *hujus communicabilitas est vehementer incerta* (cùm non egrediatur subjectum celebrantis) & apud authores est admodum controversa, ut constat Theologis; his prænotatis:

Infert Pater Illsung *loc. cit. in fine*, sic loquens: *Unde quo minùs altero monito, & consentiente, stipendium acceptari possit, prohibitum est ab Urbano VIII. Anno* 1625. & deinde ab Alexandro VII. renovata prohibitio in dicta propositione octava (de qua n. 134.) damnata tanquam scandalosa. Ex hoc autem colligitur, rationem prohibendi, Urbano fuisse, *injustitiam*, quam continet talis contractus, *incertũ pro certo dandi absque monitione, & consensu dantis certum*; & Alexandro VII. damnandi eam doctrinam, quam quidam defendebant tanquam non illicitam, existimantes, *cessare injuriam* (consequenter fundamentum prohibitionis Pontificiæ ab Urbano VIII. factæ) *si sacerdos fructum specialissimum alteri, secundum stipendium offerenti, applicaret*; ex quo ad summum sequitur, ex vi decreti dictam propositionem damnantis, fal- 168.

sum esse, *licitum esse illum contractum ex eo capite*, quòd eo casu *cesset injuria*, in ejusmodi contractu contenta; non autem ex eo, quod decretum Urbani *non sit publicatum in Provinciis*. In eandem responsionem cadit, quod adducit Cardenas loco cit. ex propositione inter damnatas numero decima, cujus tenorem dedimus n. 134. Nam ratio, propter quam Urban. VIII. prohibuit propositionem dicentem: *licere sacerdoti, cui Missæ celebrandæ traduntur, satisfacere per alium, collato illi minore stipendio, aliâ parte stipendij sibi reservatâ*, fuit occasio satis communis periculi, seu via laxandi *cupiditatem turpis lucri*, quam (esto jure naturali illicitam) multi excusabant. Et ideo, quia per hoc, quòd quidam nec curantes prohibitionem, insistebant illi doctrinæ, negantes, illud prohibitonis fundamentum in dato casu, etiam post prohibitionem Urbani VIII. habere locum: meritò Alexander VII. hanc propositionem condemnavit, ut scandalosam, non ideo, quòd decretum Urbani VIII. vim non haberet, ex eo, *quòd non sit promulgatum in provincijs*; sed ex eo, quòd falsum sit, tali casu non deficere periculum cupiditatis immersæ turpi lucro, quo titulo jure naturali eorum authorum doctrina falsa est.

169. Et ideo, etiam stante toto illo decreto Alexandri VII. in quo damnatur dicta propositio nona, potest aliquis Beneficiatus habens sufficiens stipendium, etiam *in summo* pro suscepta obligatione celebrandi certis diebus, si non sit personaliter obligatus celebrare, licitè id peragere per alium dando illi stipendium *justum licèt non summum*, sed medium, v. g. intra latitudinem justi stipendij, retenta sibi reliqua parte, quæ illi ex tota massa fructuum beneficialium respondet; quia in dato casu deficit *periculum cupiditatis* exinde quærendi turpe lucrum; nec læditur *jus substituti* (quia ponitur ei dari justum pretium) nec *substituentis*; quia totum jus transtulit in eum, qui onus, sub quo datum est stipendium, per substitutum (ut suppono) fideliter exequitur. Sic P. Illsung *loc. cit. tr. 6. D. 5. n. 169.* qui doctrinam hanc typo dedit, post decretum illud Alexandri VII. cum legitima superiorum approbatione.

170. Quod verò affert ex propositione, in eodem decreto inter damnatas duodecima, quæ sic habet (*mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis non obtenta ad id Episcoporum facultate*) non facit certò falsam hanc doctrinam: *Leges Pontificiæ non obligant in Provinciis, in quibus publicatæ non sunt.* Nam ea propositio potest esse certò falsa, licèt ista sit vera, ut si simpliciter, & sine addito restringente in mendicantibus asseratur ea facultas non sublata, utcunque per decretum Pauli V. & Urbani VIII. (à quibus dicitur emanâsse decretum inhibens mendicantibus eam facultatem) *quia in provinciis promulgatum non est*, sed ex eo, quòd decreta eorum Pontificum non exponantur bene v. g. dicendò, *procedere solùm, ubi non adest verum privilegium, sed tantùm ejus prætextus, vel, quòd agant de privilegijs solùm eatenus, in quantum sunt contraria Tridentino, volentes, sua non esse talia* &c. sed de hoc satis.

171. Illud hìc notandum, potissimam hujus authoris intentionem per hactenus allata ipsius argumenta, eò tendere, ut ostendat, antiquatam, & non ampliùs probabilem esse illorum opinionem, qui docuerunt, *legem Pontificiam non obligare in provincijs, nisi post juridicam ejus promulgationem in illis, vel diœcesibus*; factam nimirum *authoritativè*, hoc est, per eos, qui jurisdictione pollent ad publicandas leges Ecclesiasticas suis subditis more consueto, publicatione factâ per cathedras, vel affixionem ad valvas Ecclesiæ &c. Nos id non requiri, sed sufficere unam Romæ publicationem, sed *factam integrè* juxta *n. 156.* diximus esse probabilius; quamvis negemus à P. Cardenas, vi argumentorum, quæ ab illo hactenus allata sunt, legitimè probari, quod intendit.

172. Ex dictis coll. 1. verum esse, quòd damnatio facta ab Alexandro dicat: *Post decretum Vrbani scandalosum est dicere, quòd licet ei sacerdoti dare alteri stipendium dimidiatum* in casu *num. 167.* Secundò etiam, quòd vi huius decreti falsum sit dicere: *post decretum Urbani licet sacerdoti accipere integrum stipendium, & dare alteri dimidiatum, etiamsi pro causali fuerit assumptum; quia decretum Urbani non est in provinciis juridicè promulgatum*, negari tamen ex hoc sequi determinatè: *ergo falsum est, quòd decretum Urbani non obliget,*

*obliget, ubi non est juridicè promulgatum;* sed solùm: *ergo falsum est, licere illam divisionem stipendij, etiam post decretum Urbani*, quia per hoc, *quod non sit publicatum alibi*, non cessat ratio, propter quam ex natura rei illicita est ea divisio, nimirum *occasio cupiditatis turpis lucri;* cùm ergo hæc ratio stet, etiam post decretum Urbani licèt alibi non publicatum, rectè falsum dicitur, *licere illam stipendij divisionem, etiam post decretum Urbani.*

173. Hinc resp. in forma ad illius argumentum in n. 135. & quidem 1. cum dist. majoris: opinio, licèt antè probabilis, non manet probabilis, post quam evidenter, & certò fit incompatibilis cum principio certo, conc. si solùm probabiliter, & etiam cum incertitudine morali fiat incompatibilis cum principio certo, neg. maj. ex n. 162. Hinc transmissâ minore quoad incompatibilitatem solùm probabilem, ac incertam; nego eandem quoad incompatibilitatem evidentem, & certam; consequenter etiam nego consequentiam. Ad probationem minoris resp. simpliciter negando, quod in dictis decretis Alexandri VII. (de quibus n. 134.) contineatur hoc principium certum, *leges Pontificiæ, Romæ more solito promulgatæ, obligant in provinciis, licèt in illis non sint promulgatæ;* simpliciter etiam nego, hanc propositionem priori contrariam (*leges Pontificiæ non obligant in provinciis, si in illis promulgatæ non sint*) ibi damnatam esse, ut scandalosam, consequenter, *ut certò falsam.*

174. Nam in hac propositione causali, damnatâ tanquam scandalosâ: qui non potest matutinum & laudes, non tenetur ad minorem, quam potest, *quia major pars trahit ad se minorem*, continetur hæc: *major pars trahit ad se minorem.* Quæro jam, estne hæc propositio *major pars trahit ad se minorem*, damnata ut scandalosa, & quidem indefinitè, seu universaliter, ex eo, quòd illa propositio causalis, & priorem continens, ut scandalosa damnata sit? vix credam, id affirmari ab ullo, cùm in electionibns, & alijs, quæ geruntur à Communitatibus, capitulariter, vel collegialiter etiam defacto rectè procedat; sed similis priori propositioni causali est ista: *Sacerdos potest duplicatum stipendium licitè accipere pro eadem missa*, unum nimirum prò parte correspondente generaliter missæ; alterum pro parte correspondente specialiter celebranti, *etiam post decretum Urbani VIII.* seu ut explicat Cardenas, non obstante decreto Urbani VIII. prohibente talem acceptionem, *quia decretum non publicatum in provinciis illis non obligat;* ergo licet hæc (*decretum Pontificum non publicatum in Provinciis, in illis non obligat*) concederetur inclusa in illa damnata tanquam scandalosa, non propterea ista contenta damnata esset ut scandalosa; cujus ratio est ex n. 163.

Resp. 2. ad idem argumentum in n. 175. 135. transmissâ majore, nego min. ad hujus probationem neg. ma. Nam ex certa falsitate propositionis affirmativæ complexæ, & causalis, malè concluditur: ergo hæc determinatè pars complexi, est determinatè falsa; & contradictorium illius, certò verum, ut constat ex n. 163. aliàs ex hoc, quòd certò falsum sit, *in hoc cubiculo datur fornax, quia est viridis*, inferre liceret, ut falsum determinatè: *ergo fornax non est viridis*, quia est contenta in propositione complexa certò falsa. Damnatur igitur sententia dicens licitè accipi duplex illud stipendium, etiam post decretum Urbani, tanquam scandalosa; quia etiam, si tale decretum non sit publicatum in provincijs, per hoc non deficit ratio illiciti, quæ est cupiditas turpis lucri, & venditio specialissimi fructûs ex missa respondentis celebranti; quæ est manifestè simoniaca; non igitur evidens, aut certum est, propositionem negantem, solam publicationem Romæ factam sufficere, ut ubique obliget, esse incompossibilem cum principio certo, post decretum Alexandri VII. ut contendit Cardenas in n. 135.

## §. V.

### *An leges Pontificiæ promulgatæ, primùm obligent post bimestre, lapsum à die promulgationis factæ?*

176. SUpponendum, stando in natura legis ex dictis colligi posse, quando leges tam canonicæ, quàm civiles obligent; hæc enim est, quod lex, postquam debitè publicata est, suppositis cæteris ad legis naturam essentialiter requisitis, statim obliget, nisi legislator apponat terminum à die promulgationis factæ computandum,

ante cujus lapsum nolit legem à se conditam, & promulgatam, vim obligandi in actu secundo obtinere. Et quoniam leges imperiales à suo conditore sic constitutæ sunt, ut licèt rectè promulgatæ sint, nihilominus intuitu boni communis suspensæ quoad vim obligandi maneant, donec à die publicationis elapsum sit bimestre, ut manifestum est ex authent. *Ut novæ constitutiones*, collat. 5. quæstio est, an idem dici possit, vel debeat de legibus canonicis?

177. Aliquorum opinio est, esse probabile, quòd leges Pontificiæ non statim obligent à promulgatione, sed post bimestre ab illa, si in illis legibus nulla exceptio fiat. Ratio desumitur ex bono utili, quod non minùs censendus est velle Pontifex, quàm Imperator, cujus leges id habent; *arg. c. 1. de novi operis nuntiatione.* Nam statuta Canonum adjuvantur constitutionibus Principum, quando nominatim de his, & expressè nihil statuunt: hinc jus canonicum in obscuris admittit interpretationem à jure civili, in clarè constitutis, ut notat Wagnereck in *c. Ecclesiæ S. Mariæ de constit.* Ex hoc enim existimant auctores, se probabile argumentum ducere in omnibus materijs, in quibus canones nihil statuerunt, ita, ut defectum canonum suppleant leges civiles; ita Sebastianus Saccus *cit. c. 3 n. 24.* Reginaldus *l. 13. n. 152.* Emmanuel Sà *V. Lex.*

178. Alij autem opinantur, etiam esse probabile, quòd in dato quæstionis puncto, Pontificiæ leges cum Imperatorijs non sint æquales. Pontifex enim in multis materijs fecit particulares suspensiones suarum legum. Sic circa matrimonia clandestina, eorumque invaliditatem, legem suam prohibentem, ad 30. dies suspendit. Idem in alijs decretis Tridentini fecit Pius V. non est itaque censendus Pontifex consensisse *in generalem* aliquam æqualitatem cum legibus Imperatorijs; aliàs in casibus particularium suspensionum frustra egisset; ita Suarez *de legib. c. 3. n. 18.* Vasquez *in 1. 2. d. 156. c. 3. n. 14.* & cum illis magna pars Doctorum. Hanc postremam opinionem judico probabiliorem, tum ex rationibus, quibus utitur; tum quia rationes in contrarium non sunt urgentes, & argumentum desumptum *ex c. 1. de nunt. novi operis*, jam solutum est n. 141.

Dices: in Bulla Pij IV anno 1564. quæ incipit: *sicut ad sacrorum*; & impressa est ad calcem Tridentini, ubi proposita quæstione (*ex quo tempore cœperint obligare decreta illius Concilij, & jus positivum spectantia?*) *respondetur, quia jure etiam communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant, æquum nobis, & justum visum est, prædicta decreta à Calendis Maij proximè prætériti omnes obligare.* Ex hoc quidam sic arguunt: ergo Pontifex per illam constitutionem expressè jus *commune*, id est, *civile*, approbat, recipit, & tempus pro legis obligatione sancitum, etiam in constitutionibus Ecclesiasticis æquum, & justum esse, agnoscit; quod maximè locum habere debet in hisce legibus, cùm Ecclesia latiùs longè, quàm Imperium pateat, neque credibile sit, statim Germanis, Gallis, Indis, alijsq; Transalpinis posse innotescere legē, quæ in Campo Floræ, & ad Valvas Vaticani Romæ pependerint; Sic P. Robertus König *de constitution. n. 20.* ℈. *Dico.* 2. remittens ad Molinam *de jure & just. D.* 395 contraria removentem. 179.

Verùm hæc objectio non evincit intentum. Nam constitutio Pij IV (de qua *num. præced.*) approbat quidem, & hoc in casu speciali decretorum Concilij Tridentini, quæ sunt juris positivi, recipit jus commune, tanquam *æquum*, & *justum* in eo, quòd nolit obligari subditos à die promulgationis *statim*, sed *post lapsum certi temporis* à promulgatione; qualiter fieri debet secundum jus civile, nimirum post juridicè factā promulgationem in Provincijs; cùm in dato casu super hoc non fuerit quæstio; ut constat ex priori numero & supra: sed nec probat, Pontificem loqui de tempore post promulgationē Romæ *factam integrè* juxta n. 156. Nam in hoc casu cessat ratio; cùm includat tempus necessarium, ut lex Romæ publicata moraliter diffundi possit quoad sui notitiam ad communitates in singulis Provincijs; nec aliam promulgationem intelligat Molina, ut constat ex dictis *n. 154 & seqq.* Quarè

Ad objectionem in n. 179. Resp. cum distinctione, & concedo quòd Pontifex in illa constitutione recipiat jus civile tanquam justum, *ut detur sufficiens tempus*, quo lex Romæ publicata, *moraliter venire possit in notitiam aliarum provinciarum;* 180.

*arum*; sed nego, quòd recipiat jus civile, determinatè *quoad bimestre*, vel universaliter quoad omnem legem canonicam; cùm expresè dicat: *quoad prædicta.* Justum agnoscit Pontifex etiam in eo jus civile, quòd leges suas etiam in aliquo loco juridicè promulgatas suspendat ad bimestre; sed in hoc non imitatur jus civile; imitatur tamen in eo, quòd & ipse concedat tempus, dum lex Romæ promulgata *promulgetur integrè*, hoc est, *morali certitudine innotescat alibi*; non autem, quòd, postquam promulgata est *integrè*, adhuc suspendat eam ad bimestre, ut facit jus civile. Nec aliud tenet Molina, à n. 155.

181. Occasione dictorum quæri potest, an Consiliarij Principum, vel illi, qui sunt de Magistratu, præscientes legem aliquam condendam, vel jam conditam, mox promulgandam de imminuendo v. g. pretio mercium, aut pecuniæ, possint eâ scientiâ uti, & citiùs, quàm lex promulgetur, similes merces, vel pecunias, currente pretio alicui hujus rei ignaro, distrahere? aliquorum sententia est, non esse licitum, neque Principi, neque Magistratui, nec alteri, cui hoc ab illis est revelatum; quia hæc praxis est abusus publicæ potestatis legislativæ in alicujus subditi præjudicium, hoc non licèt: ergo. Alij econtra probabiliùs docent, licere; quia usus talis scientiæ, non est usus, atque adeò nec abusus talis potestatis; pretium etiam, cùm sit currens, non potest esse injustum; nec me charitas obligat, ut cum meo damno proprio, consulam alieno. Excipiunt tamen *dilationem* promulgationis *eo fine* factam, ut vel ipsi, vel eorum amici, ex hac occasione tempus nanciscantur res suas distrahendi. Talis enim dilatio esset immediatus usus, & abusus potestatis legislativæ; ita de Lugo *tom. 2. de just. d. 27. c. 8. §. 7.* hanc sententiam probabiliorem dixit *in M. S. delegib. d. 1. §. 10.* P. Herdinck; dixi; *obligat tamen charitas*, ne sic fiat, ut in allato casu emptor cadat de statu suo. Nam sic alterius grave damnum præponderat.

182. Ex dictis collig. 1. quòd, etsi Pontifex Pius IV. laudaverit eam juris civilis constitutionem, *quoad prorogationem temporis*, ut lex civilis maneret suspensa ad bimestre etiam post promulgationem; tamen *quoad hoc determinatè* tempus non acceptaverit. 1. quia ipse illis decretis Tridentini *trimestre* constituit ex specialibus causis. 2. quia alij Pontifices constituerunt solùm *unum mensem*, ut apertè habetur in c. *Cùm singulæ, de præbend. in 6.* ibi: *providemus, ut infra mensem, postquam præsens constitutio pervenerit ad eosdem* (qui scilicet habent plures Prioratus) *unum ex ipsis, quem voluerint, reliquis dimissis, eligere teneantur.* ubi vides legis obligationem suspendi solùm *ad mensem*; & hoc solùm titulo deliberationis pro uno reliquis dimissis eligendô.

Colliges 2. leges Pontificias, imò, & inferiorum Papâ Prælatorum constitutiones, & leges (quod etiam procedit de civilibus, & municipalibus, postquam integrè promulgatæ sunt, jùxta *num. 156*) ubi vim earum legislator expresè non suspendit, statim obligare; Sic Castropalaus *cit. p. 1. tr. 3. d. 1. p. 12. à n. 4.* Nam in tali casu nihil obstat, quò minùs lex totam vim suam exerat. 183.

## ARTICULUS VI.

### *An sit de substantia legis, quòd acceptetur à populo?*

184. QUæstio fieri potest de quavis lege humana, tam civili, quàm Ecclesiastica. Et quoniam in hac re, *generaliter affirmare, vel negare*, occasionem præbet multis non rarò inconvenientibus, ijs præsertim, quibus sufficit, legisse in libro alicujus, dictum generaliter, *lex non acceptata non obligat*, unde plurimi abusus, & justissimarum quandoque legum observantia prætermittitur, magno boni communis detrimento, paucis de utroque agendum erit.

### §. I.

### *An in lege civili necessaria sit acceptatio populi?*

185. PRima sententia tenet affirmativam; sic Abbas, Hostiens. Felinus, Innoc. Joann. Andr. *in c. 1. de Treuga &c.* aliique apud Suarez *l. 3. de legib. c. 19.* Altera est negantium; quam sequitur Suarez *loc. cit. & l. 4. c. 16.* cum multis alijs apud Castropalaum *p. 1. tr. 3. d. 1. p. 13. n. 8.* Pater Herdinck supra cit. probabile judi-

cavit, populi acceptationem ad vim ipsius obligativam requiri tanquam conditionem essentialem; argumentô sumptô *ex l. de quibus ff. de legib.* ubi dicitur: *leges ex nulla causa alia nos tenere, quàm, quòd judiciô populi receptæ sint.* Alij inde probant, quia *sub hac conditione* populi potestati legislativæ sè sponte subjecerunt; Lessius *l. 2. c. 22. d. 13. n. 98.* Filliuc. Becan. & Reginald. in præsenti: sed & probabile censuit, eam absolutè non requiri (quia subditus non esset subditus; non enim subesset, nisi quando vellet; ex quo notabilis perturbatio in rempublicam redundaret) & ideo idem P. Herdinck, & Suarez *de legib. l. 3. c. 19.* cum Vasquez, Maldero, & Lorca in præsenti, subjungebat, inter has sententias, *probabiliorem videri, primò*, quæ docet, tunc eam requiri, quando legislator contra illam non excipit; secus, si excipit, si enim non excipit, inquit Escobar *theol. mor. l. 5. c. 2. n. 100.* existimandum erit, eum velle, suas leges non antè, quàm populus acceptaverit, vim obligandi exercere. 2. Quæ docet, tunc requiri, quando totus populus, vel major pars per eam sentit, se plùs gravari, vel quòd contineat aliquid, de quo dicam infrà à num. 198.

186. Ante resolutionem videtur necessarium, præmittere explicationem illius quæstionis, *quando lex aliqua censeatur usu acceptata, vel non acceptata?* in hac re, ut *non acceptatio* vim habeat, ne lex post talem non acceptationem justè, seu legitimè dicatur non esse *usu firmata*, consequenter non obligare, plura meritò in considerationem veniunt. Unde, ut in re, quæ maximæ & necessitatis, & utilitatis est, rectè procedamus, quæres 1. an ex hoc rectè colligatur, legem debitè promulgatam, non esse usu receptam, vel acceptatam, quòd non venerit in usum, seu exercitium, & observantiam *per merum non usum necessarium*, nimirum ubi non urgebat tempus, eam in usum deducendi? Responsio est negativa; quia solus non usus legis, seu actus simpliciter negativus, ubi in usum eam deduci non oportebat, non inducit *desuetudinem*, & *non acceptationem*, quæ vim habet abrogandi legem; sic Azor *tom. 1. l. 5. c. 4. q. 1.* Salas *hic d. 13. sect. 2. num. 11.* & complures alij apud Castropal. *cit. p. 13. n. 91.* cujus ratio est, quia talis non usus *necessarius*, non est expressa *non acceptatio*, ut ex se patet; sed *nec est tacita*, ut constat in simili. Nam certum est, non usum privilegij affirmativi (seu concedentis facultatem faciendi aliquem actum positivum v. g. *accipiendi decimas, comedendi carnes diebus aliàs vetitis, eligendi ad beneficia*) non censeri *tacitam ejus renuntiationem* propter non usum *necessarium*, v. g. *quia nunquam evenit casus*, quo quis uti potuisset, quia talis non usus non potest significare voluntatem internam se abdicandi eo jure. Et ideo *servitus aquæ ducendæ non amittitur per non usum*, si ideo non duxisti, quia fons exaruit *l. 35. ff. de servitutib. præd. rustic.*

Idem est, si non usus proveniat *ex pacto*; quod verum est de non usu, *etiam diuturno*, si privilegium concessum sit *absolutè & non sub conditione usûs*, quia talis non usus *necessarius*, nec ex natura rei, nec ex juris dispositione inducit voluntatem abdicantem se privilegio, aut renuntiationis acceptationem in concedente; ergo idem dicendum venit de merè negativo, & necessario non usu legis absolutè latæ, & non sub conditione usûs; quod addo, quia aliud est, si *importet talem conditionem*, quale est privilegium de *nundinis*, ut habetur *l. 1. ff. de nundinis*: ibi: *nundinis, impetratis à Principe, non utendô, qui meruit, decennij tempore usum amittit.* 187.

Ex hoc per oppositum colliges, tunc dici legem *non acceptari, quando non observatur ipso facto, dum instat tempus illam observandi*; atque adeò cum eo tempore fit contrarium ei, quod lex petit. Nam tunc planè verum est, eam legem usu non recipi. 188.

Quæres 2. an talis non acceptatio legis, seu usus contrarius legi, eo ipso habeat vim efficaciter abrogandi, vel tollendi talem legem? Resp. quòd sic, si sit completus, & perfectus, nimirum factus secundùm eas conditiones, quas habere debet. Nam consuetudo contraria, si sit legitima, & perfecta juxta *c. fin. de consulat.* potest abrogare legem, usu aliàs receptam, ut ibidem dicitur, & constabit ex dicendis. idem ergo poterit desuetudo, seu non usus legi contrarius; cùm & hic fundare possit consuetudinem legitimam, atque perfectam legi contrariam. Conditiones autem necessariæ, ut talis non usus, seu desuetudo 189.

legi

legi contraria, legitima sit, & perfecta, sunt istæ: Prima, quòd talis desuetudo, seu non usus inductus sit à tota communitate, vel saltem majori ejus parte. Secunda, quòd fiat cum consensu legislatoris. Tertia, quòd duret aliquo tempore, quæ tamen intelligenda veniunt, secundùm limitationes, statim subjungendas.

190. Requiri, quòd inducatur *à tota communitate*, vel majori ejus parte, colligitur ex eo; quia, cùm omnes, qui requirunt acceptationem ad substantiam legis, in quantum obligantis, loquantur de acceptatione *populi*, seu *subditorum*, ac *communitatis* cæteroquin per eam ligandæ, per n. 185. eo ipso, ut verificetur *non acceptari legem*, verificari debet, vel *totam communitatē*, vel *majorem ejus partem* ei resistere, seu contravenire per non usum, seu omissionem usûs, cùm lex cæteroquin urget ad usum. Nam sicut sine consensu majoris partis non habetur consensus alicujus communitatis; sic nec dissensus, ut colligitur *ex L. Quod major, ff. ad Municipalem*; ita Suarez *hic l.* 4. *c.* 16. *n.* 19. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 4. *q.* 5. & alij. Secundò requiri *consensum saltem tacitum, legislatoris*, deducitur *ex c. fin. de consuetud.* Nam consuetudo vim abrogandi legem non habet naturâ suâ; sed legislatoris voluntate per legem *in c. fin.* & alibi declaratâ. Habetur autem consensus tacitus, cùm lex, sciente legislatore non observatur; nec urgente observantiam, vel puniente transgressionem, intellige, quando potest citra majus malum; ita Sylvester V. *lex* 9. 6. Alij dicunt non requiri scientiam Principis; quòd Principe etiam ignorante transgressionem legis desuetudo vim habeat abrogandi legem; cùm id possit consuetudo. Sic Felinus *in c.* 1. de Treuga, & pace, n. 13. Suarez *cit. l.* 3. *c.* 19. & maximè *l.* 4. *c.* 17. & alij: ambæ sententiæ conciliari possunt, dicendò non requiri quidem consensum expressum, & *personalem* legislatoris; requiri tamen, & sufficere *tacitum*, vel *legalem*; hoc est declaratum *in c. fin. de consuetud.* ut dicemus infrà. Nam ex hoc eam vim habet consuetudo.

191. Cæterùm sufficere consensum *tacitum*, seu *præsumptum*, qui habetur, quando factâ legis promulgatione, cùm posset, ejus observantiam non urget, valde probabile est. Nam ex hoc rectè præsumitur, quòd prudenter nolit, communitatem obligari lege suâ, in sensu composito repugnantiæ majoris partis alicujus communitatis (intellige, quando justam repugnantiæ causam habet, ut dicemus n. 198.) & hæc præsumptio locum habet, sive legislator sit conscius, sive nescius inobservantiæ, & aderit semper tacitus ejus consensus. Sic. Azor *p.* 1. *l.* 5. *q.* 2. Abbas, & Felinus *in c.* 1. de treuga, vel pace. Ad quod demum 3. requiritur, ut *aliquo tempore* hìc non usus, seu desuetudo duret; causam reddit Castropalaus *cit. p.* 1. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 13. *n.* 10. quia debet contra legem præscribere. Quantum autem tempus requiratur, variant doctores. Pro resolutione distinguendum est, an talis non observantia legis fiat *sciente*, vel *ignorante* Principe? quo posito:

Resp. ut per desuetudinem, seu non 192.
observantiam legis, factam ignorante Principe, imò & sciente (quantum est ad tempus requisitum) lex censeatur abrogata, sufficere *decennium*. Ratio est; quia consuetudo longi temporis sufficit ad abrogandam legem *receptam*; ergo desuetudo longi temporis sufficiet à fortiori ad eam *impediendam*; decennium autem in jure reputatur *longum tempus* juxtà Gloss. communiter receptam *in c. fin. de consuetud. in* 6. ita Suarez *l.* 4. *de Legib. c.* 16. *n.* 12. qui ibidem ad legem *impediendam*, maximè *civilem*, censet sufficere etiam tempus decennio minus; cùm *ad tollendam jam receptam* vim habeat decennium. Dixi: *imò & sciente*; nam tali casu, ubi Princeps scit legem à se conditam, ac debitè promulgatam, à majori parte communitatis non observari, nec tamen ejus observantiam, cùm potest citra gravius damnum, urget puniendo transgressores, videtur tacitè consentire, ut dictum est; & hoc casu ad non observantiam, quâ lex in desuetudinem abiisse dici possit legitimè, sufficere tres vel quatuor actus, docet Abbas, Felinus, & alij *in c.* 1. de Treuga.

Præter hoc notandum, quando quæri- 193.
tur, an ad inducendam legis obligationem expectandus sit consensus, acceptatio, vel approbatio populi, seu subditorum, etiam postquam solenniter, prout expositum hactenus, promulgata est?

hanc

hanc acceptationē dupliciter intelligi posse, unam quodammodò actualem, quæ est ipsamet observantiâ legis: eam enim servandò, eo ipso acceptatur. Altera est approbatio legis tanquam justæ, quæ ad obligationem, aut ipsam observationem subditos excitat. Ea verò approbatio iterum duplex est: prima est judicium quoddam de legis æquitate, & ejus utilitate, quia non modò justa in se, sed populo commoda, atque utilis judicatur: Altera est consensus voluntatis, quæ legislatori edicenti acquiescit, & obligationi, quam videt sibi per illam legem imponi: quibus positis:

194. Ad quæstionem initio ℣. propositam Resp. 1. In lege civili *ad ejus constitutionem* nullam ex modo dictis acceptationem populi esse necessariam; ita Suarez *l. 3. de Legib. d. 13. s. 1. & 5.* cum alijs. Nam vel potest Princeps justè populum sibi subjectum adstringere, ut acceptet, ac exequatur legem â se latam, quæ habeat cæteras conditiones legis justæ, vel non? si potest; ergo populi acceptatio non est necessaria; si non potest; habet potestatem diminutam, ac inefficacem ad regendum populum, quod admitti non potest. Nam sic in nullo casu posset Princeps populum sibi subjectum, etiam sine causâ legitima reluctantem adimplere legem, etiam justissimam, pœnis justè compellere ad legis observantiam, quod manifestè repugnat rectæ gubernationi, & ordini in quavis communitate bene ordinata. Et ideo complures ex authoribus, qui docent, leges civiles, ut valeant, requirere acceptationem populi, hoc non tribuunt *defectui potestatis* in Principe laico; sed potius, voluntati ejus, nolentis obligare subditos independenter à populi consensu. Licèt enim Princeps laicus potestatem acceperit à populo, ut multi volunt, (à quo liberè electus est) & hic potestatem ferendi leges concessam potuerit restringere sub conditione, *si populus legem acceptet*; quia tamen non constat de hac restrictione, pactum illud inter Principem, & populum, tenet absque illa conditione. Nam ubi constat de pacto, & non constat de conditione, pactum tenet sine omni conditione. Confirmari potest discurrendo de singulis. Nam acceptatio actualis, quæ est ipsa legis observantia supponit legem totam, ac ejus obligationem; non enim obligat, quia observatur; sed observatur, quia obligat; unde talis observantia est potiùs effectus legis, & obligationis; cùm ista inducat illam; &c.

Resp. 2. in lege civili, ut *firmitatem* 195.
obligandi obtineat, requiri, quòd *defacto* acceptetur, hoc est (cùm lex urget) in usum, & observantiam deducatur; secùs, cessare illius obligationem desuetudine completâ secundùm dicta à n. 190. Ratio est, quia desuetudine legitimâ, & completâ, legis obligatio impediri, & abrogari potest, ut constat à n. 189. ergo ut *firmitatem* suam in obligando retineat, seu *vim obligandi contineat*, necesse est, illam in usum, & observantiam deduci, cùm urget; dixi *firmitatem*, hoc est vim semel cæptæ obligationis etiam deinceps continuet; non autem primùm, ut vim acquirat. Dixi 2. *desuetudine completâ*. Nam antequam legis non observantia completa sit juxta n. 190. & seq. contravenientes Peccant. Non enim est, unde excusentur: non ex voluntate legislatoris nolentis obligare; cùm intendat potiùs legem suam stabilire: non etiam ex non usu, & desuetudine; hæc enim, nisi legitimè completa sit, non habet vim impediendi, vel abrogandi legem: ergo.

## §. II.

### *Resolvuntur argumenta contraria.*

COntra prædicta dices 1. Potestas legis- 196.
lativa in Principe laico, est immediatè à populo, illi communicata sub conditione, si *populus in legem consentiat*; ergo ante hunc consensum lex civilis nondum est essentialiter constituta. Sed nego universaliter antecedens; nam hoc fallit in Principe, qui Regnum aliquod in bello justo vi, & armis occupavit, ut rectè notat Cardenas *in Crisi Theol. tr. 1. de legib. d. 29. n. 46.* deinde Resp. 2. N. ant. quoad ly *sub conditione, si populus in eam consentiat*; cujus ratio est ex n. 194. Aliàs enim populus potiùs se regeret, non autem Rex regeret adæquatè populum; & populus subesset, quando vellet, ut diximus n. cit.

Dices 2. quando major pars communitatis legi resistit, est moraliter certum, 197.
legem

legem bono communi esse disconvenientem; consequenter non esse justam, & obligantem ex n. 84. ergo, ut justa sit, & obligans, consequenter essentialiter constituta, necessarium est, quòd ei major pars populi non resistat. Resp. dupliciter fieri posse, quòd ei populus, vel totus vel major pars resistat. 1. *rationabiliter*, & ex justa causa. 2. *non rationabiliter*, nec ex justa causa. Ex hoc Resp. cum distinctione, & concedo legem purè humanam, & civilem non obligare in casu, quo ei, saltem major pars communitatis, *ex justa, & rationabili causa, moraliter certa, resistit*; non autem secùs. Nam ex eo præcisè, quòd lex gravis sit, non evadit justa resistentia; cùm illud gravamen lege impositum exigi possit à gravi necessitate boni communis, ac Reipublicæ conservandæ V. n. 92.

198. Dixi 1. si resistentia sit *rationabilis*, & *justa*; ratio est ex n. 84. quia revera legislator humanus, populo *rationabiliter* resistente ipsi legi, non potest præsumi eo casu nihilominus velle obligare. Dixi 2. si resistat ex causa justa, *moraliter certa*. Nam, ubi est dubium, num adsit justa causa parendi legitimo superiori (cùm hic sit in possessione potestatis legislativæ, & debitæ sibi subjectionis à suis) impediri licitè non potest, ubi morali certitudine de lege constat, & abest moralis certitudo de legis injustitia. Ex hoc sequitur, quòd, quando major pars communitatis, sciente, nec puniente, cùm posset, Principe, non observat legem, reliquos excusari ab observatione legis, licèt nondum elapsum sit sufficiens tempus, alioquin necessarium, ut contra talem legem sit præscriptum; sic Castropal. *cit. p. 1. tr. 3. d. 1. p. 13 n. 12.* Quia tali casu minor pars communitatis meritò præsumit de tacito consensu Principis.

199. Dices 3. certum est, legem latam sub expressa conditione, *si populus acceptaverit*, non esse plenè constitutam, populo non acceptante; at Princeps Laicus, hoc, & non alio modo potest ferre legem; quia sic, & non aliter accepit à populo potestatem legislativam; nam potestatem illi populus contulit, ut ferat leges eo modo, qui est aptior populo, cujus bonum tenetur ipse respicere in ferenda lege; at modus ferendi legem solùm sub ea conditione, talis est, nam populus melius cognoscet, quod sibi utile, vel inutile sit, quam legislator: ergo.

Deinde potestas regia, quondam à populo translata fuit eà conditione, ut ferret quidem leges, sed Reipublicæ commodas, & utiles; alioquin se ad obsequendum, & servandas leges minimè teneri; ideóque Julianus juris consultus *l. de quibus 32. §. 1. D. de legibus* dixit, leges nullâ aliâ ex causâ nos tenere, *quam quòd judicio populi receptæ sunt*; consentitque Papinianus, dum, ut alias, retuli, legem vocavit ex Demostene *tis póleos cinìn synthícin*, communem reipublicæ sponsionem, quasi cives collatis inter se suffragijs, ad ejus præscriptum vitam spondeant, quæ Juliani & Papiniani dicta, nequaquam passus esset in corpus Digestorum, quod confici curavit, referri Justinianus, si ejusmodi populi judicio, & tacito consensu existimâsset, suam authoritatem infringi.

Ad argumentum in n. 199. Resp. data majore; N. min. cujus ratio est ex dictis, n. 194. & constabit etiam ex seqq. 200.
Hinc ad alterum Resp. tacitam illam conditionem potestati legum-lativæ, ut commodas, & utiles civibus leges duntaxat ferat, non à populo positam, sed ex sua natura inesse, cùm Princeps teneatur omnino subditorum commodis providere, itaque ferat ipsa æquitas, sapienter enim Ammian. *lib. 19. Finis justi imperij, ut sapientes docent, utilitas obedientium æstimatur, & salus* quod hausit ex Platone *lib. 5. politicor.* & ab Aristotele *lib. 8. Ethicor.* ad Nicomach. qui ait, id spectare ad Principes, quòd communiter conducit Reipublicæ. Quare Instinianus rescribens ad Senatum Constantinopolit: *l. unica §. 14. C.* de caducis tollendis, ait: *quod communiter prodest, hoc privatæ nostræ utilitati præferendum esse censemus; nostrum esse proprium, subjectorum commodum imperialiter existimantes.* Et ne plura congeram, audi Ciceron. *lib. 1. officior.* Omnino, qui reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant, *ut, quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum*: alterum, *ut totum corpus reipublicæ curent, ne dum aliquam partem tuentur, reliquam deserant.*

Ex hoc autem aliud non sequitur, quàm 201.

Principi unam Reipublicæ curam omnibus alijs præhabendam, ipsique, non privatis commodis, sed subditorum, maximè studendum, consequenter prudentiâ summâ, & æquitate in ferendis legibus utendum esse: &, si necessitas graviores aliquando sanctiones exigat, illas tamen, quantum fieri poterit, humanitate temperandas. Inde tamen non sequitur, illum à consensu, approbatione, & acceptatione populi in suis edictis pendere, aut invitis non posse leges statuere, quamvis nihil injustum valeat statuere; alioquin populi esset de statutorum æquitate, & utilitate judicare, & illa vel accipere, vel abijcere, quod absurdissimum foret; cùm & sæpissimè plebs ineptissimè judicet, & æquum arbitretur, quod iniquissimum est. si autem necessaria foret approbatio Universitatis in Comitijs generalibus, vel optimatum, plebe reluctante foret eadem difficultas, quæ in Principe; proinde vix ulla lex sortiretur effectum.

202. Dices 4. in c. *In istis* 3. *dist.* 4. expressè dicitur: *leges instituuntur, cùm promulgantur; confirmantur, cùm moribus utentium comprobantur;* ergo leges non acceptatæ nõ obligant. Verùm ex hoc textu non probatur, valorem, & efficaciam legis, ab acceptatione dependere, 1. quia hic textus non habet authoritatem Canonis, tametsi aliqui eum attribuant D. Augustino, quòd additus sit post verba sancti; in re tamen non est D. Augustini, sed Gratiani, ut observat Suarez *l.* 3. *de legib. c.* 19. *n.* 1. Deinde esto haberet vim canonis; communiter tamen respondetur, leges moribus firmari *de facto*; non autem *de jure*. Unde sicut *mores legi contrarij* eam infirmant, ac tandem abrogant, tacito nimirum legislatoris consensu; vel completâ præscriptione: sic mores legi conformes eã confirmant, sed non constituunt.

203. Nec juvat, quod ibid. Subjungatur: *unde illud Telesphori Papæ, quo decrevit, ut Clerici generaliter à quinquagesima jejunandi propositum susciperent, & à carnibus, & delicijs abstinerent, quia moribus utentium approbatum non est, aliter transgressionis reos non arguit.* Nam, vel est sensus, ideo non obligare decretum Telesphori; *quia non fuit acceptatum?* vel, *quia annuentibus Pontificibus, consuetudine contrariâ, fuit abrogatum?* Si dicas hoc *secundum*; nihil prodest. Nam *acceptatio*, & *consuetudo populi* diversa sunt, ut rectè notat Cardenas *cit. tr.* 1. *in Crisi Theol. D.* 29. *n.* 57. Illa enim explicat contravenientiam legis, quin importet *tempus certum, cum legislatoris consensu legali*; quod tamen explicat *consuetudo* habens vim abrogandi legem; ergo licèt decretum illud abrogatum sit *consuetudine*; non tamen probat, quòd *non acceptatione*, nisi confundas hanc cum illa, & si hoc dicas, adhuc non probas, *acceptationem* esse de substantia legis; quia nec de *consuetudine* id dici potest; hæc enim non tollit, nisi *firmitatem*, seu continuationem, ex n. 139.

Si autem dicatur *primum*; ly *quia non* 204.
*fuit acceptatum*, vel intelligitur *consentientibus saltem tacitè Pontificibus?* vel *invitis?* at hoc dici non potest; ergo illud. Si autem ex eo præcisè decretum illud desijt, quia acceptatum non est, dissimulantibus Pontificibus, non probatur acceptatio esse necessaria ad valorem, & efficaciam legis, ergo. Prima major probatur: nam in *c. denique, dist.* 4. S. Gregorius Magnus, agens de eodem decreto Telesphori, & consuetudine illi opposita, dicens: *Unde nec à tali consuetudine* (nimirum, comedendi carnes à dominica quinquagesimæ) *averti possunt*, subjungit: *& ideo cum venia* (nimirum indulgentiâ, seu dissimulatione) *relinquendi sunt*, ne *fortè pejores existant, si à tali consuetudine prohibeantur. Ut enim ait Salomon: qui multum emungit, elicit sanguinem.* Ex quo clarè patet, quòd decretum illud Telesphori firmitatem non habuerit, sed abrogatum sit, non attribui *non acceptationi*, sed *contrariæ consuetudini, cum venia Pontificum.* Talem autem consuetudinem habere vim abrogandi legem, etiam validam, & rectè, plenéque constitutam, etiam usu priùs receptam constat ex n. 189.

Demum ex ipso textu cit. c. *In istis*, de 205.
quo n. 203. constat nullam authoritatem tribui *non acceptationi*, sed Pontificum duntaxat indulgentiæ; qui, si non fuisset justus metus, quòd *pejores existent*, si pœnis eorum resistentiam coërcere vellent, censuris, & pœnis Ecclesiasticis eos ad dictæ legis observantiam etiam invitos cogere potuissent, ut constat ex facto in plu-

rimis

rimis casibus, ubi mala graviora timenda non sunt. Et ideo nihil ad hunc finem probatur, etiam ex illo textu, qui habetur in c. *cùm olim, 6. de Cleric.conjugat.* ubi dicitur, nos igitur attendentes, quod orientalis Ecclesia *votum continentiæ non admisit &c. mandamus, si aliud impedimentum canonicum non obsistat, ad confirmationem, & consecrationem ejusdem procedas;* ex quo textu aliqui deducunt, quòd unica causa ab ipso Pontifice allegata, *quæ Græcos à voto continentiæ excusat*, fuerit, quòd legem *non admiserint*, hoc est, non receperint; cùm ergo id procedat in lege tam gravi, tanti momenti, ac honestatis, & alias ubique locorum receptâ, quantò magis obtinebit in legibus minoris momenti, & necessitatis.

206. Ex hoc, inquam, textu non probatur, valorem, & efficaciam legis dependere ab acceptatione subditorum; nec in dato casu, *unicam causam*, Græcos excusantem, fuisse, *quòd non admiserint*: sed solùm, *quòd Pontifex illos cogere noluerit*, ad vovendam continentiam, illisque contrarium volentibus *annuerit*, præ ipuè, quòd tempore Innocentij antiquissima esset consuetudo, non emittendi illud votum in Ecclesia Orientali; quo casu, si lex contrarietur tam antiquæ consuetudini, Pontifices facilius mitigant leges suas, & consuetudini cæteroquin non pravæ indulgent consensu suum, ut dicemus n. 208. ergo nihil etiam ex hoc textu probatur, invito etiam legislatore, solius acceptationis defectu, legem non habere valorem, & efficaciam.

207. Dices 5. *l. de quibus.* 23 *ff. de legib.* Julianus ait: *ipsæ leges nulla alia ex causa nos tenent, quàm quòd judicio populi receptæ sint;* ergo leges civiles judicio populi non receptæ, seu acceptatæ nos non obligant; quia sic deficit unica causa nos tenendi, seu obligandi. Resp. dupliciter hunc textum intelligi posse 1. Quòd hoc sit *ex natura legis*, tanquam aliquid substantialiter requisitum, ut dicatur plenè constituta. 2. Non quòd sit de natura legis, sed quòd solùm *ex benigna interpretatione voluntatis in legislatore*, nolente legem suam firmitatem obtinere, nisi populi judicio per legis observantiam, & usum comprobetur.

208. In primo sensu textus malè accipitur, & perperam explicatur: quia satis apertè constat, id esse contra intentionem Principum laicorum; tum, quia id arguit defectum efficacis potestatis, omnino necessariæ ad rectam gubernationem; tum, quia sic liberum esset subditis obedire, ubi, & quando volunt, quo vinculum debitæ subjectionis omnino tolleretur; quo casu essent subditi solùm, quantum vellent; quod sanè plurimas, easque graves omnino turbationes causare aptum est in republica, ut constat experientiâ. In secundo autem sensu admitti potest; cùm vis obligativa *non à judicio populi*, cujus est parère, non judicare, sed à legitima voluntate superiorum in legem derivetur; ergo cùm superior declarat, se nolle, quòd lex sua in actu secundo liget subditos, nisi facto ab ipsis comprobetur, quod quidem in rebus perquam onerosis, & antiquæ consuetudini non pravæ, contrarijs meritò præsumi potest (cùm ea potestas non sit in destructionem, & ruinã, sed in ædificationem boni communis) independenter ab exercitio, quo lex in usum deducatur, non obligabit, non naturâ legis, tanquam indigeret ea populi comprobatione, sed veniâ Principis eo casu, populo ex benignitate suâ cursum dictæ consuetudinis indulgentis, aut novo legis onere gravare nolentis.

Et hæc præsumptio solùm locum habet, 209.
ubi adest rationabilis, & justa causa, propter quam communitas contra legem se opponit. Nam legislator nunquam prudenter præsumi potest, etiam tacitè consentire in transgressionem, consequenter abolitionem legis à se conditæ, nisi quando adest rationabilis, & justa causa, legem hîc & nunc non deducendi in observantiam; opposita enim voluntas manifestè repugnat voluntati, quam legislator habet in condenda lege; cùm hæc fundetur in voluntate, quam habere debet, per leges suas providendi bono communi, ac ejus conservationi. Quare dicta præsumptio cessat, ubi Princeps populum parère reluctantem, etiam opinione justæ causæ in contrarium, nihil ominus ad legis observantiam compellit, nisi manifesta sit iniustitia legis, quia possessio stat pro legislatore. Hinc

Ad objectionẽ ex *l. de quibus.* in n. 207. 210.
Resp cum dist. leges ex nulla alia causa nos tenent, quàm quòd judicio populi, *dependenter ab indulgentia Principis*, receptæ sint, C. *independenter ab indulgentia Principis*, N. ant. Ratio constat ex di-

ex dictis, & confirmari potest ex eo, quia textus non loquitur de obligatione legis, quam ipsa lex inducit, cùm debitè promulgata est; sed de obligatione legis *continuata*, & *perseverante*; hoc enim sonat: quòd judicio, seu, ut aliàs dicunt, *moribus populi* receptæ sint; quod appellat legem deductam in usum, & consuetudinem. Quid verò dicendum, quando communitas supplicat principi pro suspensione, vel abrogatione legis, an, dum à Principe detur resolutio, interim obligent? dicemus à n. 224. Et ex his patet etiam responsio ad rationes sententiæ, requirentis acceptationem populi tanquam conditionem essentialem ad substantiam legis, de qua superiùs.

## §. III.

### *An in lege Ecclesiastica necessaria sit acceptatio populi?*

211. SUpponendum ex dicendis à n. 233. in legislatore tam Ecclesiastico, quàm civili, esse potestatem obstringendi subditos ad acceptandam, & observandam legem à se conditam, & debitè promulgatam; unde quæstio est in præsens, an valor & efficacia legis Ecclesiasticæ sic dependeat ab acceptatione populi, ut eâ seclusâ non habeat valorem, & efficaciam invitos obligandi, licet ritè publicata sit, & per cognitionem debitam subditis applicata? In hac re dico cum P. de Cardenas *cit. n.* 56. defacto nullum esse canonem, vel legem, aut constitutionem, Ecclesiasticam, quæ dicat, vel declaret expresè, ut lex Ecclesiastica, postquam ritè promulgata est, & munita reliquis ab acceptatione subditorum distinctis, & cognita, inducat vim obligandi in actu secundo generaliter, *expectandam esse populi acceptationem, seu hanc esse de natura, & substantia legis Ecclesiasticæ*, nam omnes canones in contrarium allegari soliti, loquuntur de casu duntaxat singulari, ubi ex indulgentia legislatoris factū est, quòd in *tali* casu, vel *talis* lex constituta non obstrinxerit, ut constat ex dictis à n. 202. ubi responsum est ad eos canones, quibus contrarij nituntur. In idem recidit *L. de quibus*, ut constat ex n. 207. præterquam, quod in modo ferendi legem, Ecclesia non necessariò sequatur jus civile, ut diximus n. 178 Unde licèt hoc necessarium foret in lege civili, non tamen obtineret in Ecclesiastica. Existimo tamen cū eodem n. 65. valde probabiliter dici, etiā leges Ecclesiasticas non obligare ante *communem* acceptationem ex benigna interpretatione Legislatoris Ecclesiastici, *quando causa rationabilis subest*; non autem quasi hoc necessarium sit ad valorem, ac efficaciam legis. Unde, ubi hæc præsumpta voluntas ex contraria illius voluntate constat (ut, cùm urget legis observantiam) hæc præsumptio non habet locum. Ratio huius est ex dictis à n. 209 Et ideo dicendum, etiam legem Ecclesiasticam impediri posse (*ne firma sit*) desuetudine ritè completa. Constat hoc ex dictis à n. 189. Ex eo autem, quòd sic impediri possit à *firmitate*, seu *obligationis inductæ continuatione*, non sequitur, quòd antecedenter ad talem desuetudinem, & non acceptationem, non fuerit essentialiter constituta, cùm etiam lex omnino valida, & essentialiter constituta, tempore subsequenti per legitimam consuetudinem, à firmitate sua impediri, & omninò abrogari possit, ut dictum est à n. 189. & 190,

212. Si autem lex Ecclesiastica (idem est de civili) per continuatam inobservantiam, & desuetudinem, præsertim ignorante Principe, quoad obligationē abrogata est, & à Principe, seu legislatore innovetur, & quasi reproducatur, urgendo deinceps illius executionem, dicendum est, subditos etiam invitos obligari, supposítis cæteris conditionibus justæ legis; Sic etiam *Lessius l. 2. Just. c. 22. n. 98. Covar. l. 2. Variarum, c. 16. n. 6. §. Quanto*, & alij. Nam in hoc casu cessat ratio, propter quam lex non acceptata, secundùm authores contrarios non obligat, nimirum præsumpta voluntas legislatoris dissimulantis inobservantiam legis; nec aliquis canon extat, qui pronuntiet, eam acceptationem legislatoris, vel ex natura legis id exigi; & aliunde legislator subditos etiam invitos simpliciter pœnis cogere potest ad obedientiam, ut diximus n. 194. & seqq.

213. Dixi: *nullum esse canonem, qui generaliter suspendat legis vim obligandi, seclusâ populi approbatione.* Nam idem etiam de lege canonica probant eædem rationes, quibus usi sumus à n. 185. pro lege civili;

civili; & quidem à fortiori; quòd certum sit summum Pontificem potestatem Ecclesiæ gubernativam non à subditis, sed immediatè à Christo, cujus Vicarius est in terris, accepisse; consequenter vim legis canonicæ obligandi in actu secundo, postquam ritè publicata, & debitè cognita est à subditis, non esse suspensam seclusâ populi acceptatione, loquendo generaliter, sive spectemus jus naturale, sive positivum.

214. Hinc, si quæras, an, & quando subditi peccent non acceptandò legē debitè promulgatā? Resp. quòd Caramuel in *Theol. fundament. n.* 1173. & *Quartò. fund.* 19. *loco cit.* apud Patrem de Cardenas n. 73. doceat; homines liberos (scilicet *non servos*) quibus minùs necessaria jubentur, teneri acceptare præcepta, nisi fortè acceptaverint aliam legem, quæ illos privet libertate leges non acceptandi; ubi not. quòd Cardenas cit. ex principijs Caramuelis clarè ostendat, ipsius assertum procedere de quibusvis legibus, etiam *utilissimis Reipublicæ*, modò non sint *simpliciter necessariæ* ad ejus conservationē, vel obtinendum finem, ad quem Respublica instituta est; has enim *simpliciter necessarias*, docet, in ipsa Reipublicæ erectione acceptatas esse.

215. Verùm contrarium extra dubium est. Nam hæc propositio (*populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam*) est 49. inter damnatas ab Alexandro VIII. tanquā scandalosas. Nam, si peccat populus, sine ulla causa non acceptando legem, ex eo est, quòd obligetur acceptare legem; cùm nemo peccet faciendò, vel omittendò aliquem actum, nisi obligatio sit, cum faciendi, vel omittendi. Quare dicendum, *graviter peccare subditos*, qui sine gravi, & justa causa reijciunt, seu recusant observare legem, debitè promulgatam, si habeat reliquas conditiones justæ cæteroquin legis; sic Cardenas *cit. n.* 78. cum comuni. Ratio est ex declaratione Pontificia, damnante oppositum tanquam scandalosum.

216. Deinde, si dato casu non esset obligatio acceptandi legem, id vel esset ex natura legis, essentialiter exigentis ad sui valorem, & efficaciam, populi acceptationem? vel ex benigna interpretatione mentis legislatoris nolentis legem aliter obligare? non primum? ex n. 201. & seq. non etiam secundum? nam vel illa interpretatio fundatur in eo, quod legitimè præsumi possit, legislatorem nolle subditos obligare, quando *ex rationabili causa* recusant legē acceptare; vel etiam, quando *sine ulla causa*, sed solùm ex suo arbitrio? si dicatur primum; nihil est contra præsens nostrum assertum, juxta dicta n. 197. secundum autem dicere, absurdum est, & nulli rationi consonum. Nam si locum haberet ea præsumptio voluntatis, non obligandi populum, *si pro puro nutu legi resistat*, non peccaret, sine ulla causa non recipiendò legem à Principe promulgatam contra infallibilem summi Pontificis declarationem in materia morum pertinente ad conscientiam, de qua n. 215.

217. Nec prudenter credi potest, Principem condere legem, *ea conditione*, ut non obliget, etiamsi populus absque ulla causa legislatorem confundat, ejus gubernationem quodammodo per illam legis planè frivolam rejectionem contemmendò, deinde, cùm, ut dixit Gregorius M. *supra. n.* 204. eo duntaxat casu Pontifex dissimulet non observantiam legis, quo cæteroquin (si legem urgeret) *pejores fierent*; necessarium est, quòd, si non dissimularet, peccarent (aliàs enim *non fierent pejores*) sed hoc verum non esset, si lex etiam sine ulla causa licitè acceptari non posset; ergo.

218. Denique ex ipso etiam textu legis civilis, de qua suprà, colligitur, non posse contrariam sententiam fundari in eo, quòd Princeps *in omni lege sua*, saltem tacitè dicat: *Volo per hanc legem populum obligari, nisi pro nutu suo resistat.* Nam in illo textu, ut rectè observat Cardenas *cit. n.* 83. non dicitur, *nos ex nulla alia causa legibus teneri, nisi, quia populi* libero, ac mero nutu *comprobatur*; sed quia *judicio populi*; quod sonat *judicium conceptum* ex rationabili, & justa causa; & ut notat P. Herdinck sæpè *cit ex causa* non vulgi, sed *prudentum judicio sic æstimata*, pro qualitate materiæ, circumstantijs temporum, & locorum &c.

219. Ex dictis colliges, hanc propositionem (*leges Principis Ecclesiastici non obligant ante acceptationem*) sic *indefinitè* prolatam, non posse rationabiliter admitti. Sic enim vi datæ hujus universalis sequere-

tur, quòd Pontifex non velit obligari subditos lege sua ante acceptationem, etiamsi nullam habeant justam causam non acceptandi, consequenter, quòd *annuerit irrationabili voluntati subditorum*, quod rationabiliter de Legislatore Ecclesiastico, imò nec Laico, cogitari non potest. Similiter (*leges Principis laici non obligant ante acceptationem, quia iste non potest justè velle, ut priùs obligent*) esse omnino rejiciendam, si procedat etiam in casu, quo carent justa, & rationabili causa non acceptandi legem cæteroquin justam. Nam ex dictis constat, vim legis etiam civilis non pendere essentialiter ab acceptatione populi; & rationabiliter præsum: non posse à Principe etiam laico ferri legem, ut nolit eam obligare, si populus eam irrationabiliter rejiciat.

220. Si quæras 2. an, ubi major pars communitatis acceptavit legem, eo ipso etiam obligetur minor? Resp. in hac quæstione aliquos distinguere, & affirmare, *quando communitas, ut communitas est*, acceptat legem in communi, eâ teneri totam communitatem, & singulos, in quantum ejus membra sunt; non autem: si qui pauci sint, qui in eam non compromiserunt. Ex quo inferunt, ad hoc, ut obligentur singuli opus esse, quòd acceptent singuli, vel per se vel per compromissarios, de quo plura Cardenas *in Crisi tr. 3. D. 29. à n. 111.* sed dicendum, ubi major pars communitatis acceptavit legem justam, teneri eadē singulos de illa. Nam, si necessaria foret acceptatio singulorum, vel per se, vel per compromissarios, id esset vel ex natura legis, vel ex interpretativa voluntate Legislatoris? neutrum dici potest; non primū, ut constat à *n.* 194. non etiam secundum; nam hæc voluntas interpretativa Legislatoris (*ut mea lex obliget, volo exspectare acceptationē singulorum; etsi eam etiam absque ulla causa rejiciant, nolo, quòd obliget*) non potest cadere in prudentem Legislatorem, tum propter ingentem difformitatem in tali communitate, ubi obedientes, & acceptantes legem, obligarentur; resistentes etiam irrationabiliter immunes essent, tum quod valde irrationabile foret, tam irrationabili subditorum voluntati annuere.

221. Dices: si tali casu etiam illi, qui non acceptarūnt, tenerentur, potestas legislativa potiùs esset in destructionem, & ruinam; quàm in ædificationem; sed talis potestas nulla est, consequenter etiam usus ejus, atque adeò & leges inde profectæ. Sic Caramuel pluribus locis, prout refert Cardenas *cit. D. 29. num. 5. & seqq.* Verùm communis propè omnium Doctorum sententia est, In Prælatis Ecclesiasticis esse potestatem obstringendi populum, etiam invitum ad legis observantiam, ubi non est rationabilis, & justa causa resistendi; ita plurimi apud Carden. *loc. cit. n.* 10. Hujus ratio est 1. ex decreto Alexand. VII. de quo *n.* 215. deinde, quando Paulus 2. *Corinth.* 13. asserit: Deum dedisse hominibus potestatem *in ædificationem, non in destructionem*, vel volunt universaliter intelligi, quòd homines non possent uti potestate concessa *in invitos, etiam sine ulla causa rationabili;* vel tantùm in *invitos ex causa justa, & rationabili*? primum dici non potest; ergo secundum; sed sic jam conceditur potestas, quam intendimus; ergo. Prima min. probat. 1. quia lex, quæ non excitat in Republ. scandalum, tumultum, vel communis pacis exterminationē, sed potiùs tranquillitatem, & pacem, atque boni communis conservationem, non est in destructionem, sed ædificationem; at plurimæ tales leges latæ sunt in utraque Republica, etiam in invitos, sed invitos immeritò solùm, & irrationabiliter; ergo potestas hôc modô cogendi invitos, non est in destructionem; ergo nec talis potestas; ergo datur potestas obstringendi populum, etiam invitum ad legis justæ observantiam.

Ex hoc patet ad argumentum *in n.* 221. 222.
nam *major* universaliter accepta est omnino falsa; & evidenter contra praxim Ecclesiæ, cùm plurimæ leges sint, ad quarum observantiam etiam per censuras, & pœnas gravissimas Ecclesia compulit earum observantiæ renitentes. Procedit ergo solùm, quòd potestas cogendi, etiam invitos ad legis observantiam, potiùs esset in destructionem, quando cogerentur etiam tunc, ubi est omnino gravis, & valde rationabilis causa resistendi, consequenter periculum esset, quòd inde pejores fierent, in graviora ruituri mala, ut sunt defectio ab Ecclesia, tumultus, & eversio pacis publicæ, scandala gravissima &c. non autem, ubi nulla rationabilis, & justa illis causa suffragatur.

§. IV.

## §. IV.

*An, si tempus instat observandi legem, ejus observantia præteriri possit, prætextu, quòd populus non consenserit.*

223. COmmunis doctrina est, tribus modis dici legem aliquam esse acceptatam. 1. quando sufficienter promulgata à majori parte communitatis non reijcitur; quia, qui tacet, consentire videtur. 2. quando Magistratus alicujus loci, scripto, vel verbo ostendit, eã sibi placere. 3. quando major pars communitatis, intellectâ ejus promulgatione incipit eam servare. Sic Becanus *tr. 3. de Legib. c. 6.* Ex his per oppositum intelliges, quando dici debeat lex non acceptata. Si autem quæras 1. quæ non acceptatio valida, ac licita sit ad hoc, ut dicta non acceptatio excuset à culpa inobservantiæ, in casu quo alioquin observanda lex foret? Resp. quod tunc, si præcessit desuetudo legitimè completa secundùm dicta n. 189. & seqq. 2. quando propter rationabilem, & gravem causam in contrarium, prudenter, & meritò præsumi potest, legem ea conditione latam à Principe, ut non obliget, dum usu recipiatur, secundùm di-
224. cta n. 197. & 209.

Si quæras 2. an in casu, quo communitas supplex à legislatore petit legis abrogationem, ejus obligatio suspendatur? loquimur autem de casu solius legis *humanæ*, pro cujus abrogatione supplicatur. Resp. probabiliùs, quando ea lex est *difficilis* observationis, vel contrariatur *receptæ consuetutini*, cæteroquin non pravæ, nec oppositæ juri naturali, & divino, eam suspendi tali casu, donec Princeps informetur de tali difficultate, vel consuetudine recepta; ita Castropal. *cit. p. 13. n. 4.* & apud eum Suarez *l. 3. c. 19. n. 12. & l. 4. c. 16.* Colligitur *ex c. Certificari de sepultur.* ubi Clemens III. interrogatus, qualiter ea clausula (*salvâ justitiâ Ecclesiarum Parochialium*) quæ ponitur in privilegijs recipiendi cadavera defunctorum ad sepulturam in Ecclesijs non parochialibus, intelligenda veniat quoad portionem canonicam Parochialibus debitam? respondit: intelligendam *secundùm cujusque provinciæ consuetudinem rationabilem, & c. 1. de constitut. in 6.* ubi Bonifacius VIII. dixit: quòd, licèt Romanus Pontifex novâ constitutione tollat priorem, contrariam in jure communi contentam, quamvis id non exprimat, *speciales tamen consuetudines, & statuta rationabilia non tollat, nisi id exprimat.* Ex his enim sumitur ratio præsumendi, ex benigna interpretatione legislatoris Principem nolle legem suam obligare in talibus circumstantijs, dum super difficultate informatus mentem suam declaret, cùm meritò præsumatur, particulares ejusmodi consuetudines, & statuta ignorâsse; quia non revocat, vel tollit, quod ignorat, nisi exprimat, ut rectè notat Gloss. *in cit. c. 1. V. Facti.*

225. Dixi *suspendi legem, pendente supplicatione;* quod dupliciter intelligi potest. 1. ut subditis interim liceat agere, acsi lex posita non esset. 2. ut eo casu abstineatur ab omni actu legi contrario, expectandô Principis resolutionem: *in primo sensu*, pendente supplicatione, *suspendi legem*, probaliter docet Bonacin *D. 1. q. p. 4. n. 41.* Salas *D. 18. S. 4. n. 21.* & alij apud Castropal. *cit. p. 1. tr. 3. D. 1. p. 13. n.* 14. etsi ipse judicet probabiliùs, legem *suspendi solùm in secundo casu*, nisi prudenter metuatur turbatio in communitate (quia tunc prudenter præsumitur voluntas legislatoris nolentis obligare in talibus circumstantijs) quod non rarò evenire solet, ubi lex difficilis est, & antiquæ consuetudini contraria; ex n. 208.

226. Notand. autem de qualitate causæ judicium non esse sumendum à quocunque, sed, ut aliàs monui n. 218. ubi diximus (*an causa resistendi legi sit rationabilis, & justa*) non debere mensurari ex judicio vulgi, & privatorum; sed consilio prudentum, vel facto eorum, qui cæteroquin in tali communitate sunt timoratæ conscientiæ, & studiosi boni communis; non privati commodi, ex quo frequentissimè tamen nascitur, leges aliquas Reipublicæ supra modum proficuas, & necessarias, ab his etiam, qui præsunt, negligi, & inobservantiâ impediri; his præmissis:

227. Ad quæstionem initio §. propositam Resp. quando lex urget, nõ posse licitè illius observantiam præteriri prætexu *quòd non sit acceptata*, quando non præcessit

non

*non acceptatio valida, & licita*, hoc est desuetudo priùs legitimè completa juxta n. 189. & seq. Nam si eo casu posset licitè illius observantia negligi, vel esset, quòd nulla lex obliget, antequam populus acceptet? vel quod hæc sit voluntas legislatoris? non primum, ex dict. sed nec secundum; nam hæc præsumptio indefinitè non procedit ex n. 216. ergo. Hinc illicitè non obtemperatur legi, ubi tempus adest, quo urget, si eo solùm titulo, *quòd non sit acceptata*, negligatur, seu non observetur, quando falsum est, *non esse acceptatam*, & tunc solùm resistitur, cùm urget; nisi adsit rationabilis, & gravis causa excusans in eo casu particulari. Nam in hujus defectu nec adest superioris voluntas legitimè præsumpta, nec desuetudo ritè completa, quæ sola legis cæteroquin justæ inobservantiam in circumstantijs, quibus aliàs observanda foret, à culpa liberant, ut constat ex dictis. Dixi n. 189. *nos loqui tantùm de casu legis humanæ.* Nã Cardenas in tract. ad propos. prohibitas ab Innocentio XI. differt. 1. in hac ipsa materia tres quæstiones movet circa leges Pontificias, in quibus quandoque sunt tria specialiter observanda circa acceptationem, quando lex illa est declaratoria alicujus veritatis. 2. prohibitoria. 3. pænalis, & non acceptata, nihilominus vim habeat, ut secus agentes peccent? Igitur sit.

## §. V.

### *An Lex Pontificia, merè declaratoria alicujus veritatis, pendeat ab acceptatione?*

228. QUæstio hæc movetur occasione decretorum, quibus Pontifex nonnullas propositiones condemnat, & declarat tanquam scandalosas in materia morum, & in eo stat, *an licitum sit in conscientia non acceptare*, seu *non conformare se illi decreto, in quantum declarat doctrinam in propositionibus condemnatis contentam, esse scandalosam?* Pro negativa stat Cardenas *in tr. ad propos.* ab Innocent. XI. condemnatas, differt. 1. n. 22. & apud eum Molin. *tom. 2. de just. disputat.* 325. Lessius *c. 20. dub. 23 n. 192.* Idẽ docet Castropal. *tom. 7. tr. 32. D. 4. p. 24. n. 5.* Rebell. *l. 8. de just. q. 13. §. multò minùs.* & multi alij. Procedit autem quæstio pro casu, quo alicui *morali saltem certitudine constat de tali decreto declaratorio* promulgato Romæ, vel etiam in Provincia; quo posito:

Resp. ubi morali certitudine constat de 229.
tali decreto declarante, non esse licitum illud *quà tale* non acceptare, seu *nihilominus in praxi agere contra declaratam veritatem.* nam cui morali certitudine constat declaratio facta per tale decretum, ei morali certitudine constat infallibilis veritas per illud declarata; sed cui morali certitudine constat infallibilis veritas per illud declarata, illi nequit esse licitum, non acceptare, seu nihilominus in praxi agere contra declaratam veritatem; probatur: veritas declarata, est, *quòd in praxin, seu usum deducere doctrinam, in propositionibus condemnatis contentam, sit scandalosum;* sed hæc veritas, ex vi talis decreti est infallibilis (aliàs Summus Pontifex in eo, quòd toti Ecclesiæ in materia morum proponit, tanquam Christi Vicarius, posset errare) cui autem hæc veritas infallibilis morali certitudine constat, ei nequit esse licitum, non acceptare, seu nihilominus agere contra declaratam veritatem; certum enim est, illicitum esse, facere actum, quem quis morali certitudine novit, esse verè scandalosũ. ergo. Hæc de illis decretis, *in quantum declaratoria sunt.* Ex hoc concludes, in his decretis Pontificijs, in quantum declaratoria sunt, non esse locum suspensioni (de qua n. 225.) pendente supplicatione contra ea apud Pontificem; quia, cùm Pontifex quà talis declarat aliquam veritatem declaratione non potente fallere; facta semel declaratione non potest facere, quòd veritas declarata non sit infallibilis, consequenter, quòd non sit illicitum contrarium agere.

## §. VI.

### *An lex Pontificia, in quantum prohibitoria, vel pœnalis pendeat ab acceptatione?*

230. QUæstio hæc dupliciter intelligi potest de Pontificio decreto prohibente 1. quando prohibitio necessariò consequitur ad declarationem alicujus veritatis; 2. independenter à tali declaratione. Resp. si loquamur de decretis Pontificum

non

non necessariò consequentibus declarationē veritatis, de illis discurrendum secundùm doctrinā traditam â n. 211. nimirùm ea nō dependere ex natura rei ab acceptatione populi, sed solùm ex voluntate legislatoris, ubi est rationabilis, urgens, & gravis causa in contrarium, cujus ratio ibidem data est. de his verò, quæ necessariò consequuntur censet Cardenas *cit. differt. 1. n.* 235. peccari, non acceptandô illa, in quantum prohibitoria sunt.

231. Rationem dat, quia suppositâ declaratione Romanæ Cathedræ, formaliter, vel virtualiter docentis ea objecta esse illicita, eo ipso manent prohibita: ergo cùm necessariò acceptari debeat declaratio ex n. priori; eò ipso debet necessariò acceptari prohibitio. Idem dicendum, ait, de illis decretis, quod attinet ad prohibitionem *docendi*, & *propugnandi* propositiones damnatas; quia jure naturæ prohibitum est, *docere tanquam licita ea, quæ sunt certò illicita.* Sed ex hoc solùm sequitur, quòd suppositâ declaratione Romanæ Cathedræ, objecta illa maneant prohibita jure naturali, & divino, non autem Ecclesiastico: Nam ea declaratio non affert Pontifici necessitatem ea specialiter etiam *jure humano* prohibendi, quæ jure naturali, & divino vetita sunt.

232. Quoad alteram partem de his decretis, *in quantum pœnalia sunt*, omnino dicendum, valde probabile esse; leges Ecclesiasticas *in quantum pœnales*, ubi populus ex rationabili, gravi, & urgente necessitate resistit, ex benigna legislatoris mente non obligare, nisi deducantur etiam *secundùm quod pœnales sunt*, in usum; non autem ubi ejusmodi causa deficit. Ratio est ex dictis. Cardenas tamen cit. licèt hoc idem *n.* 238. probabile censeat; *n.* 240. absolutè negat, posse non acceptari hæc decreta, etiam quà pœnalia, *in quantum scilicet sub excommunicatione prohibent, doceri* doctrinam reprobatam à Cathedra Romana; rationem dat, quia nulla est causa rationabilis ad excludendam eam pœnam; *sed hoc ultrà non probat;* & vix convincenter ostendi potest.

## ARTICULUS VII.

### *An humanæ leges obligent in conscientia?*

233. NOn defuerunt, qui dicerent, legem humanam non inducere debitum *naturale, seu obligationem conscientiæ*, nisi quatenus declarat legem divinam; ità Gerson, & Almainus apud Castropal. *p.* 1. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 14. *n.* 1. sed contrarium certum est; imò multi esse de fide docent, ut ostendit, & tenet Cardenas *in Crisi p.* 2. *D.* 22. *n.* 13. de quo ambo fusè agunt; & colligi poterit ex dicendis *in seqq.* Loquuntur autem omnes *de lege justâ*, per quam legitimus Superior obligare intendat etiam naturaliter, seu in conscientia; his præmissis, sit

### §. I.

### *An quælibet lex inducat obligationem conscientiæ?*

234. VIdetur dicendum negativè; cùm plurimæ sint leges *purè pœnales*, aut solùm *permissivæ*, quin obligent in conscientia; sic jure gentium permittitur, homines justo bello captos in servitutem redigere; contra injustè occupantem terras alienas bellum movere; legitimè solutô primô matrimoniô inire secundas nuptias &c, Econtra Castropal. *cit.* cum D. Thoma 1. 2. *q.* 92. *a.* 2. *ad* 1. & *q.* 93. *a.* 2. tenet, nullam esse legem *veram, justam*, & *rationabilem*, quæ vim obligandi non habeat; quia juris naturalis est; debere parêre legitimo superiori, quando ex potestate, sibi, ut superior est, competente, constituit legem veram, justam, rationabilem cum intentione obligandi; & hoc omnino probabiliùs dicitur, nec obstant, quæ in contrarium instantiæ afferuntur. Nam, ut jam notavimus suprà de ratione legis non est, nisi ut aliquos, seu communitatem aliquam liget, eam nempe, quam legislator gravatam vult, boni communis intuitu, ut aliquam actionem præstet, vel omittat; esto eum, in cujus favorem ea lex, alios obligans non stringat, ut manifestum est in multis, utroque jure. Ex his ad particularia descendendô

235. Not. 1. legem, qua conceditur, quòd in bello justo capti possint in servitutem redigi, non esse legem veram *relatè ad capientem* (sic enim est meræ facultatis, & concessionis) sed *relatè ad sic captos, & alios*, qui prohibentur, ne justum ejusmodi bellatorem in usu sui juris, & facultatis impediant. Sic Respondetur ad omnes casus;

quibus alicuj privilegium, aut facultas aliqua juris dispositione conceditur. Ex hoc sequitur, *per dispositionem* aliquid *permittentem* v. g. (ut evitentur majora mala) eatenus *legem* esse, quatenus gravat, ac obligat alios permittenti subditos, ne permissione utentem perturbent, de quo plura dicam de lege permittente à *n.* 308. id, quod etiam intelligendum venit de privilegij concessione.

36. Not. 2. leges etiam *merè pœnales*, esse veras leges. Per has enim inducitur obligatio primùm *in judices*, ut ubi boni communis ratio postulat, legum transgressores puniant; deinde in *subditos*, ne justæ pœnarum impositioni, & executioni resistant. Ad hoc autẽ sufficit culpa politica, seu civilis; quo salvatur, quâ ratione leges certarum Religionum, quæ in conscientia non obligant ad actũimmediatè præscriptũ um; sed tantùm ad subeundam pœnã supposita transgressione, *leges* sint. Quando autem *consilium* in *l. Legis virtus. ff. de legibus.* numeratur inter *leges*; eo loco nomen *legis* sumi latè, pro qualibet regula, operantem, ratione suasiva boni decentis dirigente. Cæterùm *consilium* à lege, propriè dicta omnino distingui, diximus à n. 90.

237. Not. 3. Ex eo textu ad Timoth. 1. *justo non est lex posita*; & ad Galat. 5. *si spiritu ducimini, non estis sub lege*: non deduci, nullam humanam legem obligare posse, nisi quatenus declarat legem divinam. Nam eorum verborum sensus alius non est, quàm justos *charitate*, & *spiritu Dei* operari bonum; non autem, timore pœnæ; adeóque esto nulla lege alia ducerentur; juxta illud: *oderunt peccare boni virtutis amore.* Cæterùm, cum lex non tantùm sit, ut metu culpæ, aut pœnæ coërceat hominum voluntates à malo, sed etiam (ut diximus in tract. de Incarnat.) ut præbeat materiam virtutis, & laudabilis meriti, dũ voluntate legitimi superioris se conformant, etiam justo, & his, qui Spiritu Dei aguntur, meritò lex posita est.

238. Not. 4. Cùm dicitur, peccatum esse *dictum, factum*, vel *concupitum contra legem Dei*; non excludi legem *humanam*; cùm etiam transgressio constitutionis humanæ consequenter redundet contra legem Dei. Nam, ut rectè dicitur Lucæ 10. *qui vos spernit* (nimirum legitimos suos præpositos) *me spernit*. Et ideo rectiùs dicitur, quòd Princeps etiam sæcularis (etsi quòd electus sit, habeat à populo, vel subditis) potestatem regendi subditos, electione suppositâ, immediatè habeat à Deo. Nam *per me Reges regnant, & conditores legum justa decernunt*, ait Dominus Proverb. 8. & Sap. 6. *Audite Reges, quoniam data est à Domino potestas* vobis. Hinc Paulus ad Rom. 13. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est*; & quidem ita, ut, si quis tali potestati resistat, Dei ordinationi resistat. Hinc omnino dicendum est, cùm legitimus superior legem constituit, quâ velit ejus transgressionem, legi oppositam, esse prohibitam, eo ipso peccare violatione legis; sic enim resistitur divinæ ordinationi, ut dictum est.

Et quoniam ex lege æterna Dei tenemur obedire mandato hominis, in quantum præcipientis, vel prohibentis aliquid ex vi potestatis à Deo datæ, & positâ tali lege humanâ, inobservantia hujus, *ab illa* æterna lege graviter prohibita est, etiam cum jactura æternæ salutis, rectè colligitur, quòd homo possit præcipere aliquid, vel prohibere aliquid, non *directè* sub pœna damnationis; sed *indirectè tantùm*; quatenus ponit sub lege sua actum, vel omissionem debitam, quâ, culpabiliter non positâ, transgressor, vi legis æternæ, reus fiat illius pœnæ. Unde licet homo non cognoscat ea, quæ geruntur in alterius conscientia; nihilominus ab illo potest alius obligari in conscientia ad positionem, vel omissionem actûs externi, cùm talis obligatio non tendat ad ea, quæ in conscientia fiunt, sed ad ea, quæ externè. Nam ut *externè* fiat, quod præcipitur, plurimùm præsertim apud ingenuos, & honesti studiosos potest metus culpæ contra Deum, vel componendi omissionẽ actûs debiti cum lege; cùm hoc sit dissonum rectæ rationi. 239.

Ex hoc habetur, eo ipso, quòd scienter quis lædat legem humanam, lædi etiam legem divinam. Nam humanus legislator regit potestate acceptâ à Deo, ut diximus; hinc, cùm ipse legem imponit, Deus obligat, ut illa servetur; & pœnam æternam illis constituit, qui contra eam graviter agunt. Et ideo non faciendô, quod lex humana præcipit, Dei legem violat de parendo justæ legi constitutæ ab eo, qui ad hoc potestatem à Deo habet, 240.

non

non violaturus cæteroquin hanc æternam legem Dei, nisi violaretur lex humana.

## §. II.

### *An lex injusta ex parte rei præceptæ inducat obligationem conscientiæ?*

241. TRiplici de causa lex potest esse *injusta* 1. ex parte *rei præceptæ*, cùm præcipit, quod contrarium est bonis moribus, vel bono communi; 2. ex parte *præcipientis*, cùm in eo deficit potestas ferendi talem legem: 3. exparte subditorum, quando deficit fundamentum, & ratio, propter quam lex illis imponitur; quo posito: Resp. legem *injustam* ex parte rei præceptæ, quæ scilicet contraria est juri naturali, & divino, nullam inducere obligationem conscientiæ. Ratio est, quia hoc ipso non est lex; cùm de ratione legis sit, quòd justa sit secundùm ordinem rectæ rationis, ut dictum est n. 84. alioquin daretur obligatio ad peccatum formaliter. Idem dicendum venit, quando res præcepta adversatur bono communi, cujus utilitas, & commodum, directè intendi debet à lege, ad hoc, ut lex sit, juxta n. 91, Nam in hoc bono directè quærendo fundatur potestas legislativa, in quantum pollet virtute inducendi obligationem conscientiæ, nimirum in ædificationem, non in destructionem, & ruinam Reipublicæ, cujus illi regimen à Deo commissum est.

242. Ex hoc colliges, quando constat per legem conditam, seu potiùs jussionem ejus, qui alijs præpositus est ad illius Reipublicæ conservationem, principaliter, & directè quæri bonum privatum, cum onere, & detrimento communitatis, nullam induci obligationem conscientiæ in subditos; sic enim ea jussio, seu lex, non foret lex; quia non foret *justa* ex parte rei præceptæ; tametsi alias ea res præcepta, etiam à subditis executioni data, non esset peccatum. Idem à fortiori sequitur, quando res præcepta directè tendit ad id, quod bono communi positivè nocivum est; quod frequenter fit, ubi Præpositi locorum condunt leges directè faventes utilitati Potentiorum, amicorum, consanguineorum, viciſſim obsequia præstiturorū &c. magno populi, & majoris partis subditorum detrimento; qualiter fit edictis publicis excludendo exteros à vendendis mercibus leviori pretiô, ut illi pauci suas distrahant graviori, & lucrô suô; egenis tantô pretiô destitutis &c.

## §. III.

### *An lex injusta ex parte præcipientis inducat obligationem conscientiæ?*

243. REsp. negativè; quia lex humana, in quantum inductiva obligationis conscientiæ, debet procedere à Superiore, quâ tali, hoc est, munito potestate legislativa in tali materia, & respectu talium personarum; ergo dispositio, quæ non procedit à Superiore, quà tali, non est lex; ergo, ubi talis dispositio est injusta ex parte præcipientis, non inducit obligationem conscientiæ: excipe tamen, nisi in certis casibus, amore boni communis, hanc potestatem suppleat is, à quo id pendet; qualiter interdum contingit, cùm quis occultô laborat impedimentô, propter quod est incapax muneris, & officij, quod gerit, dependenter à quo cæteroquin habenti tale munus legitimè, talis potestas jure competit, de quo agitur *in l. Barbarius ff. de offic. Prætor.*

244. Ex hoc defectu multæ hominum dispositiones, quas tanquam leges observari volunt, injustæ, consequenter nullæ sunt, & omni virtute carent in conscientia ligandi eos, in quos feruntur. Cujus ratio est, quia *nulla jurisdictio extendere se potest ultra limites*, ut dicitur *l. ult. ff. de jurisdict. omn. jud.* Cùm enim statutum sumat vires à potestate statuentium, per *c. à nobis 1. de sent. excommunicat.* ubi in disponente, vel statuente non est potestas disponendi, vel statuendi aliquid de tali re, vel in talem personam, dispositio, vel statutum, viribus caret.

245. Et ideo leges sæculares, quæ generatim latæ sunt, per se, & ex objecto imponentes onus, seu gravamen, aut derogantes juri acquisito, ad personas, & res Ecclesiasticas se non extendunt; ita Bartolus *in l. cunctos populos q. 5. n. 28. C. de SS. Trinitate* Andreas Gaill. *l. 2. observat. 32.* Imola *in c. 1. de Summa Trinit.* Sylvester *V. lex q. 15.* Suarez *l. de Eccles. immunitate c. 22.* & alij communiter. Nam quatenus extendunt se ad personas, & res Ecclesiasticas, injustæ sunt ex parte præcipientis; nimirū defectu potestatis ferendi leges, quibus li-

gentur personæ, ac res Ecclesiasticæ, utpote *divino pariter, ac humano jure à potestate laicorum exemptæ, ac liberæ*, ut dicitur *c. quanquam, de censib. in 6.* Nam sicut res sacræ à profanis, spiritualia à temporalibns discreta sunt, ita & potestas Ecclesiastica, ac profana, seu sæcularis sunt diversæ, ac discretæ, *c. duo sunt, dist. 96.* & quidem ea ratione, ut sicut corpus animæ, temporalia æternis, & profana spiritualibus, sic potestas laica, seu politica potestati Ecclesiasticæ cedere, ac subordinata esse debeat, in his, quæ tam profanas, quàm res Ecclesiasticas concernunt, ut dicitur *cit. c. duo sunt dist. 96. c. solitæ 6. de majoritat. c. fin. de reb. Eccles. non alienand.* sed de hoc infrà à n. 616.

## §. IV.

### *An lex injusta ex parte subditorum inducat obligationem conscientiæ?*

246. QUæstio est, si ex parte subditorum non subsit, vel cesset fundamentum, & ratio, propter quam illis lex imposita est, nihilominus inducatur, aut maneat obligatio conscientiæ in subditis ad parendum ei legi? ante resolutionem not. 1. legem eo ipso, quòd lex sit, debere fundari in aliqua ratione, quæ legislatori suadeat, boni communis felicem, & tranquillum statum exigere, ut hìc & nunc lex aliqua constituatur, præcipiens aliquid faciendum, vel omittendum. Not. 2. in hoc casu frequenter evenire, quòd legislatorem ad condendam legem inducat præsumptio juris de aliquo facto, aut delicto particulari, vel saltem de probabili periculo, seu casu communiter contingente. In primo casu dicitur lex *fundata in præsumptione facti, seu casûs particularis;* in secundo, *in præsumptione moralis periculi:* seu casûs in talibus circumstantijs communiter evenientis; his præmissis:

247. Resp. 1. quando lex fundatur in *præsumptione facti particularis*, ubi constat de falsitate facti, nullam esse obligationem legis. Nam ubi veritas præsumptioni non convenit, cessat, & abest in legislatore animus obligandi, sine quo non stat lex; cùm enim ea voluntas inducens obligationem innitatur *suppositioni talis facti*, tanquam fini adæquato, consequenter, si non formaliter, saltem æquivalenter sit *conditionata*; conditione, & fine adæquato deficiente, nihil ponit in esse; ita Suarez *l. 3. de legib. c. 23. n. 9. & l. 5. c. 24. Vasq. 1. 2. D. 163. à c. 2.* Sayrus *in Clavi reg. l. 3. c. 7. n. 8.* Salas *de legib. D. 10. s. 4. & D. 16. s. 14.* &c. Unde etiamsi tali casu superior falsitatem facti, consequenter præsumptionis ignorans, urgeat observantiam legis fundatæ in præsumptione juris *de facto*, vel *delicto aliquo particulari* (quia tamen præsumptioni non subest veritas) subditus ab ejus obligatione immunis est; quia tali casu non est lex *in veritate*, sed solùm *in falsa præsumptione*; Sic Castropal. *p. 1. tr. 3. D. 1. p. 14. n. 12.* Aliud est, quòd superior imponens legem ex præsumptione facti, non cognoscens, hanc esse falsam, *justè* procedat *quoad se, & suam conscientiam*; aliud, quòd *justè* procedat *quoad rem*: aliud, quòd sufficiat propterea primum ad hoc, ut lege teneatur subditus; ad hoc enim requiritur secundum; quia secus in legislatore voluntas obligandi non est efficax ex dictis.

Tametsi autem *præsumptio facti*, etiam 248.
probati secundùm allegata, sed falsò, sit *occasio* ferendi legem, seu præceptum; non tamen ipsa, sed factum est *ratio finalis præcipiendi*; consequenter, esto illa stet, etiam cùm constat de falsitate causæ finalis, non tamen stat lex, quæ unicè innititur huic, non illi. Sic si quis à te petat *solutionem debiti*, & hoc coram Judice per falsos testes probet judice solutionẽ præcipiente, si tamen tibi constet probationũ, consequẽter præsumptionis de existente debito falsitas, nõ teneris in conscientia; nam animus obligandi fundatur *in causa finali*, quæ est *veri debiti* solutio, quâ veritate sublatâ lex vera non est; quod confirmatur: nam siquis cum impedimento dirimente re ipsa existente, sed inculpabiliter ignorato, contraxit, ac dein certam notitiam impedimenti, consequenter nullitatis matrimonij acquirat, non potest uti matrimonio, nec tunc quidem, quando judex etiam sub pœna excommunicationis præcipit, ut uxori cohabitet, præcepto fundato in præsumptione falsa de nullitate impedimenti per probationes in re falsas allegata, ut habetur c. *tua nos*, 26. *de sponsal.* ubi proposito casu promissi matrimonij, secutà etiam copulâ inter spon-

sponsos (unde in foro externo jure antiquo præsumebatur matrimonium) præsumptio cognitâ veritate rejicienda dicitur; nam cùm quandam mulierem quidam aliter inducere nequivisset, ut sibi commisceretur carnaliter, nisi desponsâsset eandem: nullâ solennitate adhibita, vel alicujus præsentiâ dixit illi: *Te Joannes desponsat:* cùm ipse Joannes non vocaretur, sed finxit se vocari Joannem: non credens esse conjugium, eo, quòd ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet propositum contrahendi, sed copulam tantùm exequendi carnalem; Pontifici propositum fuit, utrum inter prædictos sit matrimonium celebratum? cùm mulier consenserit in eundem, & ille dissenserit, & dissentiat, nec aliud quicquam egerit, quàm superiùs est expressum, nisi quòd cognovit eandem: ad quod respondit Pontifex: quòd, cùm præfatus vir prædictam desponsaverit mulierem in propria persona, & sub nomine alieno, quo vocari tunc se finxit, & inter eos sit carnalis copula subsecuta: videtur fortè pro conjugio præsumendum, nisi tu nobis expresè scripsisses, quòd ille non proposuit, nec consensit illam ducere in uxorem, quod quâliter tibi constiterit, non videmus. Nos autem, quod juris sit rescribentes, dicemus, quòd *si res ita se habet*, videlicet, *quòd ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari*, cùm in eo nec substantia conjugalis contractûs, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri: quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit, *& defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.*

249. Idem colligitur ex c. *inquisitioni* 44. *de sent. excommunicat.* ubi Pontifex rogatus, an, quando aliquis per allegata, & probata, per Ecclesiam compellitur alteri conjugaliter convivere, id præstare possit, *si certò sciat*, matrimonium esse nullum? respondit Pontifex: in quæstione facta est distinguendum, utrum alter conjugum *pro certo sciat* impedimentum conjugij, propter quod sine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit: an *non sciat pro certo*, sed credat? *in primo casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatũ operari mortale*: in secundo distinguimus, utrum habeat conscientiam hujusmodi ex *credulitate levi, & temeraria*, an *probabili, & discreta*, & quidem *ad sui Pastoris consilium* (conscientia levi, & temerariæ credulitatis exposa) *licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale.* Verùm cùm conscientia pulsat animũ *ex credulitate probabili, & discreta*, quamvis non evidenti, & manifesta: *debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet*: ne in alterutro, vel contra legem conjugij, vel contra judicium conscientiæ committat offensam, ubi patet non fuisse locum præsumptioni, cujus alia ratio non est, quàm quia non subest præsumptioni veritas. Hinc licèt in Rubrica *c. Tua nos 26. de sponsal.* expresè dicatur, quòdsi alter contrahentium utatur verbis dubijs, animô decipiendi mulierem, & eam postmodum cognoscat carnaliter, ubi solùm adest præsumptio affectûs conjugalis; judicandum sit pro matrimonio *in foro judiciali: secùs in pœnitentiali*, ubi contra præsumptionem constat veritas. Unde licet in c. *Is, qui*, 3. *eod.* dicatur, sponsalia de futuro transire in matrimonium, per carnalem copulam subsecutam, ita ut, quamvis hoc videatur matrimonium tantùm præsumptum, tamen contra præsumptionem hujusmodi non sit probatio admittenda; intelligitur tamen solùm *pro foro fori: non poli*; imò etiam pro foro fori, si constaret de veritate, consequenter præsumptionis falsitate, ut colligitur etiam ex *c. Inquisitionis* 44. de sent. excom.

Resp. 2. quando lex, seu præceptũ fundatur in *præsumptione probabilis periculi*, 250.
non cessare talem legem, seu præceptum, esto cesset, seu absit periculũ in aliquo casu speciali; ita Suarez, Salas, & alij supr. cit. Quia per hoc, quòd cesset in casu aliquo particulari, non deficit veritas præsumptionis, *quòd ex natura rei generaliter, seu communiter sic contingat*, seu, quòd *illud agere, communiter periculosum sit.* Sic lex, quæ annullat dispositionem pupilli, factam sine authoritate Tutoris, stat, etiamsi in casu aliquo particulari contingat, eum habere sufficientem maturitatem, quæ requiritur ad validè contrahendum; quia hoc non obstante generaliter verum

manet, in ea ætate communiter non adesse sufficientiam illius judicij, citra periculum passivæ fraudis. Idem est de professo ante 16. ætatis annum.

251. Tota difficultas est in applicatione utriusque regulæ ad casum particularem, in quo quæritur, an hìc, & nunc legi, quæ allegatur, locus sit? Nam etsi sciam *locum esse legi*, etiamsi in casu particulari absit periculum, *si lex lata est ex præsumptione periculi communiter conjuncti, & non esse locum legi, quando fundatur in præsumptione particularis facti, ubi constat de veritate oppositi:* quæstio tamen manet, unde cognoscere valeamus, quòd hæc, vel illa lex fundetur in præsumptione *facti particularis*, vel *periculi generalis*?

252. Castropalaus *cit. p. 1. tr. 3. D. 1. p. 14. n. 13.* resolvit quæstionem allatis exemplis, docens legem, seu juris dispositionem, quæ irritat contractus Minoris, & pupilli sine authoritate Tutoris, & alijs conditionibus requisitis, donationem vxoris factam marito, obligationem dotis, renuntiationem illius, aut legitimæ, confectionem testamenti, vel electionem sine solennitate, fundari in præsumptione generalis periculi ex natura rei regulariter intervenientis fraudis, ubi ejusmodi præscriptæ solennitates non adhibentur: econtra dispositionem juris, legem, vel præceptũ aliquid statuens propter aliquod particulare factum, vel omissionem, præsertim imponens pœnam, vel positivam, vel privativam illi, de quo jus tale factum præsumit, consequenter pœnaliter disponit, communiter saltem fundari, in præsumptione particularis facti; sic quando Judex per sententiam in judicio præcipit *restitutionem*, vel *solutionem* faciendam à Titio, quia secundùm allegata, & probata Titius *detinet alienum*, vel *contraxit debitum*, præceptum procedit ex præsumptione facti, debiti scilicet reipsâ contracti, vel actualis detentionis rei alienæ; quo casu is, cui tale præceptum pœnale imponitnr, nullam in conscientia obligationem habet parendi, si certus sit de falsitate præsumptionis, consequenter præcepti, seu legis illi innixæ, ut dictum est n. 247.

## §. V.

### *An lex pœnalis obliget in conscientia ad actum immediatè intentum?*

253. CAsus est, Superior Ecclesiasticus, vel sæcularis præcipit positionem, vel omissionem alicujus actûs, & transgressoribus statuit pœnam, vel ipso facto incurrendam, vel saltem facto, seu sententiâ judicis infligendam. In tali casu dubitari potest, an subditus in conscientia teneatur ponere actum immediatè præceptum v. g. *solutionem debiti*, præstandam sub pœna 100. aureorum, vel sub pœna depositionis verbalis, ita, ut omissâ solutione *verè peccet;* vel solùm factâ solutionis omissione contrahat *debitum subeundi pœnam*, non contractâ culpâ conscientiæ, propter omissam solutionem?

254. Ante resolut. not. hoc totum pendere ab intentione legislatoris, an voluerit subditum obligare in conscientia, & ad actum immediatè intentum à lege, & ad pœnam in casu transgressionis; vel solùm ad pœnam? certum enim est, quòd, ubi necessarium judicaverit, ut obliget ad utrumque, id justè possit; & si per solam obligationem ad pœnam, finem à se intentum sufficienter obtineri posse, visum fuerit, justè obliget ad solam pœnam. Hinc tota quæstio est, unde in dubio colligendum sit, quòd lex canonica, vel civilis lata sit intentione obligandi subditum in conscientia ad *utrumque*, an *solùm ad pœnam?* pro quo Not. 2. pœnas alias esse *spirituales*, ut sunt excommunicatio, suspensio, interdictum irregularitas in vindictam delicti, depositio, degradatio, privatio Ecclesiasticæ sepulturæ &c. quasdam merè *temporales*, cujusmodi sunt pœnæ pecuniariæ, confiscatio bonorum, carceratio, exilium, infamia, mutilatio, mors &c.

Not. 3. quasdam pœnas esse, quæ supponunt necessariò *culpã Theologicã*, seu conscientiæ, hoc est peccatum contra Deum, imputabile delinquenti, & punito, vel puniendo, causà delicti. Tales pœnæ sunt omnes censuræ, & plurimæ aliæ pœnæ Ecclesiasticæ, quæ infligi non possunt, nisi Reo peccati. Etsi autem pleræque pœnæ Ecclesiasticæ supponant peccatum grave; id tamen non procedit universaliter; fallit enim in excommunicatione minori,

& in suspensione non totali; v. g. solùm ad unum actum, & pro una vice &c. distinguendum etiam est inter pœnas, quæ supponunt peccatum grave, an sint *latæ sententiæ*, nimirum, ut incurrantur ipso jure; vel etiam *ferendæ*, nimirum post sententiam Judicis, quibus positis:

256. Resp. 1. ex hoc, quòd delicto imposita sit *pœna spiritualis*, bene colligi, præceptum, vel legem pœnalem obligare ad utrumque nimirum, & ad actum immediatè intentum à lege, & ad pœnam. Nam omnes pœnæ spirituales, per legem constitutæ transgressoribus, supponunt culpam Theologicam, seu conscientiæ, commissam contra legem, quæ talem pœnam statuit ipso jure; ergo necesse est, quòd lex obliget in conscientia ad positionem actûs immediatè intenti, si positiva sit; vel ad omissionem ejus, si sit negativa, ut tenet communis cum Suarez *l.* 4. *de legib. c.* 18. Sanch. *l.* 6. *c.* 4. *n.* 49. Bonacin. *D.* 1. *q.* 1. *p.* 7. §. 4. *n.* 49. Salas de legibus *D.* 10. *s.* 9. ex quo sequitur leges Ecclesiasticas, quæ transgressoribus imponunt pœnas spirituales, nec esse *merè præceptivas*, quæ obligent ad solum actum immediatè intentum à peccato, absque pœna; nec *merè pœnales*, quæ obligent ad solam pœnam, quin obligent ad actum immediatè intentum sub peccato: sed esse *mixtas*, nimirum in conscientia obligantes, & ad actum immediatè intentum, & ad pœnam, suppositâ transgressione legis.

257. Resp. 2. quando lex sive canonica, sive civilis transgressoribus statuit *pœnam solùm temporalem*, non æquè convenire Doctores. Nam aliqui docent, tali casu legem esse *merè pœnalem*, quoties pœna solùm est temporalis, nec aliud legislator exprimit. Hanc sententiam latè probat Navarrus in summa *c.* 23. *à n.* 55. *& l.* 1. consiliorum, *consil.* 3. Eandem tenet Valentia *in* 1. 2. *D.* 2. *q.* 5. tanquam probabilem, cum Diana *p.* 1. *t.* 10. *resol.* 20 Mathæo de Moya *in quæstionibus selectis Theol. moral. tr.* 6. *D.* 4. *n.* 22. qui pro eadem, tanquam probabili, plurimos alios refert ibid. Idem sentit Castropalaus *P.* 1. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 15. *n.* 12. Nam ad rectam gubernationem necesse non est, sub culpa mortali præcipere; cùm sufficiat culpa politica, vel civilis. Et ideo etiam Escobar *Theol. mor. tom.* 1. *l.* 5 *s.* 2. *c.* 7. probat. 26. *pag.* 164. quia legislator, inquit, qui ad pœnam temporalem, & æternam potest obligare, si solius meminit temporalis, non videtur intendisse obligare ad æternam; imò quando pœnæ spiritualis, & temporalis facit mentionem, ad solam temporalem obligare, ex sua intentione; docent non pauci. Priorem partem defendit etiam P. Henricus Herdinck *cit.* ut probabilem in *M. S. de legib.* §. 19.

258. Alij econtra docent, semper esse indicium gravis obligationis, etiam ad actum immediatè intentum à lege, non obstante, quòd imponat pœnam solùm temporalem, quoties ejusmodi leges eduntur in gravi materia sub verbis graviter præceptivis, nisi aliunde constaret, legislatorem velle tantùm sub veniali obligare; sic de Moya *cit. D.* 4. *q.* 3. §. 5. *n.* 28. cum Vasquez 1. 2. *D.* 159. *c.* 2. *n.* 10. Thoma Sanch. in summa *tom.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *n.* 60. *Becan. Granad.* & alijs, quorum ratio est, quia, quando legislator utitur verbis graviter præceptivis in materia gravi, quin addat pœnam, colligimus, quod intendat obligare in conscientia graviter; ergo etiam, cùm addit pœnam; hæc enim non infert defectum intentionis obligandi, sed legislatorem ardentiùs intendere legis adimpletionem; ita illi; his præmissis:

259. Resp. dicendum *ex hoc præcisè*, quòd commissioni, vel omissioni alicujus actûs statuta sit *pœna merè temporalis*, non rectè argui, à legislatore præceptum, vel prohibitum esse talem actum, immediatè præscriptum à lege, *sub obligatione conscientiæ*, nisi aliunde intentio legislatoris constet, vel colligatur; sic Castropalaus *cit. n.* 12. & apud eum Navarr. *cit. c.* 23. *à n.* 57. Reginald. *l.* 15. *n.* 50. & alij. Nam ratio legis salvari potest in obligatione conscientiæ *ad pœnam*, suppositâ culpâ, etiam solùm politicâ seu civili, per commissionem, vel omissionem actûs sub temporali pœna debiti; ergo, ubi ratio boni communis non exigit obligationem conscientiæ *pro actu* per legem immediatè intento; ac ejus bono debitè consulitur metu solius pœnæ; nec legislator exprimit animum obligandi in conscientia, etiam in actu immediatè ordinato per legem, non est, unde colligamus voluntatem, ac intentionem ejus imponendi obligationẽ conscientiæ ad utrumquè. Confir.

lex

lex alternativa, quæ scilicet vel formaliter vel æquivalenter petit, vel positionē alicujus certi actus, vel solutionem pœnæ, si omittitur actus, non obligat determinatè ad actum; sed leges, quæ imponunt pœnam merè temporalem transgressoribus, saltem æquivalenter sunt hôc modô alternativæ; ergo non obligant determinatè ad positionē talis actûs: min. prob. 1. ab exemplo aliarum legum, quæ petunt vel non fieri actū, vel petere licentiam faciendi actum, sic ut si neutrum fiat à subdito, sit reus culpæ; 2. omnis conditionata, saltem æquivalenter, est alternativa; sic lex, quæ, siquis luserit aleâ sine licentia superioris, statuit mulctam 10. aureorum, conditionalis est, & pœnam exigit, si quis luserit sine licentia; resolvitur que, seu æquivalet huic: *vel non ludè sine licentia*; vel, *solve mulctam*; quæ alternativa est; sed sic se habent ejusmodi leges imponentes transgressorib⁹ pœnam temporalem, nisi aliud exprimat legislator, quòd velit utrumque; contra illum enim, qui potuit aliter dicere, & non dixit, interpretatio justa fit; ergo.

260. Dixi: non rectè colligi animum *obligandi in conscientia ad actum immediatè ordinatum* à lege, *ex hoc præcisè*, quod transgressioni statuatur *pœna temporalis, etiam gravis*. Nam in hoc conveniunt cum hac opinione non tantùm authores primæ sententiæ in n. 258. licèt contrarium sentiant Suarez, Sanchez, Bonacina, & complures alij apud Castropal. cit. n. 11. saltem in casu pœnæ mortis &c. verùm ratio concluſionis (n. 259.) valet etiam in hoc casu.

261. Dices tamen 1. cum his, illæ graves pœnæ temporales debent esse justæ; hoc autē non fieret, si non supponerent culpam gravem in commissione, vel omissione actûs imediatè à lege ordinati, vel præscripti. sed

Resp. dist. maj. nisi supponerent culpam, *vel* Theologicam, vel politicam, *seu* civilē, quæ scilicet consistit in deordinatione perfectionis debitæ, secundum ordinem alicujus Reipublicæ, quam importat commissio, vel omissio libera conc. simpliciter Theologicam neg. cùm enim Legislator, si vellet, posset non obligare sub culpa Theologica per talem legem, ut dictum est; non necessariò supponit culpam Theologicam ea pœna apposita, sic distinctâ minore neg. conseq.

Confirmari potest exemplo communiter recepto, quod affert Castropal. cit. n. 12. Nam custodibus murorum in bello lex imponi potest de vigilia in bello, sub pœna vitæ, quin ex vi hujus legis ad custodiam graviter obligentur in conscientia. Unde Navarr. cit. nihil speciale, inquit, reperitur *in pœna mortis, & mutilationis*, ratione cujus culpam mortalem debeat necessariò supponere. Hinc aliud est, talem, qui committit, vel omittit actum sub pœna mortis prohibitum, & sic exponit se gravis mali periculo, *peccare in conscientia, contra legem naturalem* per comissionem, vel omissionem talis actûs; aliud, quòd *contra illam legem humanam, & pœnalem*. Nam hanc obligationem ad ejusmodi actū nec exprimunt verba legis illius humanæ, nec arguit impositio pœnæ. 262.

Ratio hujus est ulterior. Quia, si pœna temporalis necessariò argueret obligationem conscientiæ ad actum immediatè ordinatum, esset ex eo, quòd temporalis pœna necessariò supponat culpam conscientiæ contra talem legem Reipubl. tanquam aliquid necessarium ad defensionem sui juris, at hoc fallit, cùm æquè, imò frequenter magis salvum stet jus Reipublicæ metu solius pœnæ temporalis, quàm culpæ Theologicæ; cùm notum sit illud: *oderunt peccare mali formidine pœnæ*. Deinde sic *omnis lex pœnalis* foret *mixta*, quod tamen multi negant, volentes nullam pœnam temporalem, nisi mortis, & mutilationis esse indicium sufficiens, quòd legislator in conscientia voluerit obligare ad plùs, quàm solam pœnam, ut videri potest apud Castropal. *cit. n.* 11. 263.

Dixi 2. in n. 259. *ex sola pœna temporali, etiam gravi*, non haberi sufficiens indicium, quòd lex obliget in conscientia ad actum immediatè ordinatum à lege, nisi *aliunde mens legislatoris constet*. Unde quæstio est 1. an saltem eo casu sit sufficiens indiciū obligationis conscientiæ ad utrumq;, quando legislator utitur *verbis præceptivis, & simul injungit transgressoribus pœnam temporalem*? quæ autem verba sint propriè præceptiva? dicemus à n. 273. Responsio verior affirmat, nisi consuetudo legitima obtineat contrarium. Supponendum autem nos loqui de verbis præceptivis, *immediatè directis ad ipsum actum*, directè ordinatum *à lege*, v. g. solutio- 264.

lutionem vectigalium &c. Nam verba præceptiva significant, quòd præcipiens intendat eum obligare, *cui præcipit*, ad illud præstandum, ad quod immediatè dirigitur præceptum; ergo si immediatè dirigitur ad ipsum actum directè ordinatum à lege, significat, quòd præcipiens intendat eum obligare, cui præcipit, ad actum directè ordinatum à lege; ergo est sufficiens indicium, quòd intendat obligare non ad solam pœnam, sed ad hanc, & simul ad actum immediatè ordinatum à lege, quando transgressoribus imponit pœnam temporalem non utcunque, sed utendô simul *verbis præceptivis immediatè directis ad ipsum actum directè ordinatum à lege*; ita Sanch. *l. 6. in Decalog. c. 4. n. 60.* & plures alij, quos citat, & sequitur Castropal *cit. p. 15. n. 8.* Dixi autem, *nisi consuetudo legitima obtineat contrarium*; hæc enim est optima legum interpres, ut dicitur *c. cùm dilectus de consuetud.* & *L. minimè ff. de legib.* Confirmari potest ex eo, quia si Legislator prohibens, vel præcipiens aliquem actum, non comminandô, vel statuendo pœnam aliquam transgressoribus, rectè colligimus, ipsum actum esse sub obobligatione conscientiæ, quando materia potest sub tali obligatione constitui, & Legislator utitur verbis *præceptivis directè de ipso actu*; sed appositio pœnæ sub iisdem verbis præceptivis directè de ipso actu, non mutat verba, & eorum significationem; ergo etiam in hoc casu indicant obligationem conscientiæ de ipso actu.

265. Pro solutione contrariorum not. 1. concedi, quòd non debeant subditis imponi leges, & *onera*, præsertim *conscientiæ, sine necessitate, sic æstimata à prudenti, ac Deum timente Legislatore* cui cordi sit bonum commune; quando autem talis Legislator condit legem cum pœna temporali, simul & verbis præceptivis immediatè directis ad ipsum actum à lege directè intentum, est sufficiens indicium, inferendi eum æstimâsse necessitatem obstringendi non tantùm ad pœnam, sed ad ipsum etiam actum legis; multos enim cohibet metus peccati contra conscientiam, quos non cohibet metus pœnæ temporalis.

266. Not. 2. licèt Legislator sciat probabilitatem sententiæ, docentis universaliter, leges, quæ præcipiunt, vel prohibent aliquid sub pœna temporali, obligare in conscientia solùm ad pœnam, & non ad actum immediatè præscriptum, nec eam probabilitatem intendat tollere; exinde tamen non sequi, subditos esse *absolutè*, sed tantùm *probabiliter* deobligatos; quo non fit, oppositum esse probabilius, ac verius; nec semper locum esse, *cuicunque* probabilitati, prout revera multi abutuntur.

267. Not. 3. etsi verum sit, consuetudinem esse optimam legis interpretem; & Navarrus *in Summa c. 23. à n. 55.* & alibi, dicat, consuetudine receptum esse, quòd ejusmodi leges habeantur, ut merè pœnales; quia tamen alij Doctores (ut diximus n. 264.) negant hanc consuetudinem, ubi tales leges feruntur *sub verbis præceptivis*, ex illis nihil omnino certi, aut majoris probabilitatis concludi potest pro sententia nostræ opinioni contraria.

268. Not. 4. concedi, quòd legislator humanus non possit *directè* (secùs *indirectè*) obligare ad pœnam æternam; & transmitti, quòd ubi ex duobus propositis unum conceditur, & alterum tacetur, censeatur excluſum, quod tacetur, juxta *c. Nonne, de præsumpt.* sed ex hoc tantùm sequi, quòd, quando legislator humanus transgressoribus legis statuit pœnam temporalem *absque verbis præceptivis* immediatè directis ad actum directè præscriptum à lege, ipsum intendere solùm obligare ad pœnam; non autem, si secùs.

269. Not. 5. cùm dicitur, antiquos legislatores, & Principes seculares, imponendo leges sub pœna temporali, nihil cogitâsse, aut curâsse de obligatione conscientiæ: posse dupliciter responderi, & 1. contra utentes hoc argumento, inferendo. ergo nec ad pœnam est obligatio conscientiæ, quod tamen non admittunt. 2. id immeritò dici, quando usi sunt *verbis præceptivis*, immediatè directis ad ipsum etiam actum directè ordinatum à lege; aliàs verba significassent obligationem *ad actum*, sine animo obligandi *ad actum*; quod de illis non rectè dicitur. Unde etiam, cùm dicitur: in dubio obligationis, & pœnarum, mitiorem interpretationem esse faciendam, admitto datam regulam, sed nego, quòd, quando legislator utitur *verbis præceptivis* de ipso actu immediatè, adsit dubium obligationis; nam suprà quod immediatè cadit præceptum, supra id im-

mediatè cadit obligatio, ut constat ex confirmatione in n. 259.

270. Quæstio est secundò, an sit sufficiens indicium, quòd legislator intendat obligare in conscientia non tantùm ad pœnã, sed etiam ad ipsum actum immediatè à lege ordinatum, quando non utitur verbis præceptum significantibus, *de ipso actu*, sed *indifferentibus?* Resp. negativè, & dico, tali casu esse obligationem conscientiæ *ad solam pœnam*, atque adeò legem esse merè pœnalem. Ratio est, quia, cùm legislator potuerit significare, quòd intendat obligare in conscientia etiam *ad ipsum actum* immediatè ordinatum à lege, & tamen non fecerit, justè præsumitur contra illum, quòd noluerit obligare in conscientia ad actum, sed solùm ad pœnam transgressoribus statutam; hoc tamen intellige, *secluſâ consuetudine mentem ejus aliter declarante;* sic Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 6. *q.* 5. Sanchez *l.* 6. *in decal. c.* 4. Suarez *de legib. l.* 5. *c.* 4. *n.* 9. & alij. Ex quo infert Castropal. *cit. p. is. n.* 10. Si lex dicat: *ordinamus*, ne aliquis è regno pecunias, vestes, vel arma extrahat, *sub illorum amissione*; talem extractionem non prohiberi præcepto, vel lege rigorosâ (nimirum prohibente *illam extractionem* sub obligatione conscientiæ) sed tantùm transgressores subijciente pœnis, nimirum illorum amissioni, *taliter*, quòd vi, & armis eorum exactioni, & acceptioni resistere non possint.

271. Quæstio communiter etiam est hoc loco, an vectigalia justa debeantur in conscientia, si lex pœnam imponat non solventibus? negativam sequitur Navarrus in Summa, *c.* 23. *n.* 60. Angelus V. *Pedagium* n. 6. & omnes, qui tenent indefinitè legem humanam, quæ transgredientibus statuit pœnam temporalem, non obligare in conscientia, nisi ad solam pœnam, de quibus sermo fuit à n. 257. Castropal. tamen *p.* 1. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 15. *n.* 13. *Ex hoc*, sequitur affirmativam non tantùm, quando verbis præceptivis immediatè directis ad solutionem vectigalium lex fertur (quia præceptum est de re justa, & debita Regi) sed etiam quando *per verba indifferentia*, non quidem in vi legis humanæ, sed in vi legis naturalis, determinatæ per illam ordinationem, & decretum Principis. Nam jure naturali tenentur subditi ad Principis sustentationem concurrere; quo autem modo debeant concurrere, assignat Princeps suo decreto, ergo tali assignatione factâ debentur illi vectigalia; sic ille.

272. In data quæstione judico valde probabiliter sustineri eam sententiam, quæ in conscientia obligat ad solutionem vectigalium, quæ justa sunt, quando Princeps legem fert *verbis præceptivis immediatè directis ad eorum solutionem; non autem quando verbis solùm indifferentibus*, hoc est, non præceptivis immediatè directis ad eorum solutionem. Ratio primæ partis est ex n. 264. ratio secundæ est ex n. 270. quia etsi jus naturæ obliget subditos, ut concurrant ad sustentationem Principis eo modo, quo ipse ordinaverit; quia tamen potest hoc ipsum ordinare dupliciter. 1. ut sine ulteriori culpa conscientiæ in omissione solutionis, subeant pœnam confiscationis, ubi non solverint; atque adeo obligando in conscientia solùm ad pœnam, non ad culpam; 2. obligandô in conscientia ad utrumque, ex lege naturali neutrum determinatè concluditur; sed solùm alterutrum, prout scilicet ipse voluerit, tanquam expediens communi bono; ubi autem utitur verbis solùm indifferentibus, rectè arguitur, non voluisse obligare in conscientia, & sub peccato ad utrumque, ut diximus n. 270. & tenet ipse Castropal. *cit. num.* 10. ergo. Cujus ulterior ratio est; quia cæteroquin etiam in eo casu, quo ipse Castropalaus (ut constat ex n. 270.) concedit esse obligatonem solùm ad pœnam, dici deberet, & pœnam, & omissionem extractionis mercium, esse debitam sub obligatione conscientiæ, non quidem in vi legis illius humanæ, sed naturalis determinatæ per illam humanam. Nam jure naturali tenentur subditi Reipublicæ concurrere ad huius conservationẽ; quo autem modo debeant ad hoc concurrere, assignat is, qui reipublicæ præest; ergo tali lege posita in conscientia debetur reipublicæ non tantùm pœna, si lex violetur, sed etiam non extractio v.g. armorum vetita sub tali lege; sed hoc non rectè sequitur juxta dictum authorem in n. 270. quando lex utitur verbis solùm indifferentibus; ergo nec illud.

§ VI.

## §. VI.

## *De verbis exprimentibus naturam legis.*

273. IN hac materia magnus omnino fons est dubitationum. Nam etsi frequenter constet de verbis legem exprimentibus; plura tamen in dubitationem veniunt, 1. an verba sint *præceptiva*, aut *vetantia*; an solùm *hortativa*, *consiliativa*, an importent obligationem conscientiæ ad ipsum actum à lege immediatè ordinatum, an ad solam pœnam? &c. item esto sint præcipientia, vel prohibentia, an eo ipso obligent sub culpa gravi, ex hoc præcisè, quòd verba sint graviter prohibentia? vel quòd sint de materia secundùm se gravi? vel imponant transgressoribus pœnam gravem &c. Pro resolut.

274. Not. 1. ex dictis n. 234. certum esse, quòd legislator tam civilis, quàm Ecclesiasticus, obligare possit in conscientia suos subditos; quia obedientiæ præceptum, vel potiùs obligatio obediendi, est non tantùm juris humani, sed divini. Nam ad Roman. 13. v. 2. dicitur: *qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Item 1. Reg. 3. *Non te abjecerunt, sed me.* Ex quo clarè sequitur omnes leges humanas obligare in conscientia; quia ipsarum transgressio non est tantùm offensa respectu Principis hominis, sive legislatoris humani: sed etiam DEI, adeóque necessariò lædit transgressoris conscientiam; ita communis cum S Thoma 1. 2. *q.* 96. *a.* 4.

275. Not. 2. in dubio, utrum verba legislatoris sint *consilium*, an *lex?* reputanda consilium; ita Sanchez *l.* 6. *in decal. c.* 4. *n.* 26. *&* 62. similiter, quando de veniali obligatione possunt intelligi, non debere ad mortalem extendi, juxta Sanchez *loc.cit.* ex vulgato axiomate, *quòd in dubio pro subditis sit judicandum*, ne scilicet graventur *certò*, ubi dubium est de lege posita.

Not. 3. verba, quæ ex communi Doctorum consensu legem affirmativam significant, esse sequentia: *præcipio, jubeo, impero, mando:* Quæ verò negativam, regulariter hæc: *prohibeo, inhibeo, veto, interdico;* ita Sanchez *cit. n.* 3. sed Sà V. *lex*, quem sequitur Azor in præsenti, putat verba *jubeo* vel *mando*, non importare gravitatem præcepti. Alia superioribus æqualia sunt, *teneantur omnes, obligentur omnes, nemini liceat*, & generaliter omnia, quæ necessitatem important: Sanchez *cit. n.* 38. Verùm in his ipsis multi doctorum variant; quare

Not. 4. quòd, etsi verbum, *debet*, juxta communiorem importet necessitatem, seu præceptum; quandoque tamen solùm *debitum* honestatis, & decentiæ. Prima pars probatur pluribus juris utriusque textibus à Barbosa, de diction. usu frequent. *dict.* 77. *à n.* 1. & constat *ex c. Proposuit*, 24. §. *Super quo.* de appellat. ubi dicitur, quòd judex, à quo appellatur (quia appellanti omnino suspectus est) *non debet* cum ad respondendum super alijs compellere. Idem habetur in c. *oblatæ*, 57. §. *Superior quoq;* ibi: potest, *imo debet* Superior Judex, ad quem fuerat appellatum, terminum providè moderari, ne gregi Dominico diu desit cura Pastoris. 276.

Secunda pars etiam probatur. Nam 1. ubi verbum *debet* dirigitur ad personam, cujus favore profertur, non significat necessitatem, vel præceptum; sed tantùm debitum honestatis, & decentiæ; cùm enim possit renuntiare favori sibi concesso, eo ipso non est debitum præcepti, ut colligitur *ex L. Cùm Pater*, 79. §. *mando. ff. de Legat.* 2. *junct.* Glos. V. *Juri.* Secundò, quando subjecta materia repugnat, non importat necessitatem, seu præceptum, sed debitum solius decentiæ, ut diximus *l.* 4. *tit.* 1. quod verum est, quamvis addatur dictio *omnino;* ubi enim materia, in quam præceptum cadere deberet, præcepto repugnat, eo ipso legislator nolle præcipere meritò præsumitur; ita Sanchez *l.* 4. *de matr. D.* 23. *n.* 2. Abbas, Felinus, & alij apud Barbos. *cit. n.* 6. Et hoc etiam verum est in casu, quo si significaret præceptum, resultaret absurdum, vel alicujus juris correctio, juxta *L. Prætor, ff. de edendo.* Imola in Clementin: *Attendentes, de statu Monach. n.* 7. & alij 277.

Tertiò: quando verbum *debet* jungitur particulæ, quæ importat consilium (ut cùm dicitur: *humiliter debet*) non necessitatem, sed decentiæ debitum importat; quia tunc à proprietate suæ significationis per adjunctum terminum distrahitur. ita Sanch. *l.* 6. *summæ c.* 4. *à n.* 36. Glos. 278.

*in c. 1. dist. 6.* V. *humiliter.* Similiter particula *non licet* non significat semper prohibitionem gravem, esto assumatur à Concilio generali; sic in Concilio Altisiodorensi *can.* 15. dicitur: *non licet mortuum supra mortuum mittere;* & can 18. *non licet presbytero in Ecclesia stare, dum Missæ dicuntur;* & tamen non est graviter prohibitum. Quintanad. *singul. tr. 2. singul. ult. n.* 3. Unde idem tenet (quando ly *non potest* invenitur in jure, vel Pontificali) non induci propterea nullitatem actûs. Nam, cùm dicitur, *non potest quis justificari, nisi priùs fuerit peccatum confessus*, non significatur nullitas; cùm possit per contritionem. Aliquando autem idem est, ac, *non decet, non expedit, non oportet* &c. Quintanad. *tr. 2. singul. 7.* n. 4. ubi docet validè patrinum agere in confirmatione, qui confirmatus non est.

279. Verbum *oportet*, variè etiam sumitur. Nam interdum excludit *judicij arbitrium*, ut habetur *L. Verbum oportere* 37. *ff. de Verb. Signif.* Interdum accipitur pro *consentaneo*, & *opportuno*, ut testatur *Rebuff.* V. *Idem dicerem*, apud Pereyram in Elucidario de legibus *l. 1. elucid. 9. n.* 223. quandoque importat *necessitatem*, seu *præceptum*, teste Valentiâ 1. 2. *D. 7. q. 7. p.* 6. quæstiunc. 2, quandoque solam *decentiam*, ut tenet *Salon. 2. 2. q.* 77. *a. 1. cant.* 8.

280. Verbum *admoneo* non inducit *mandatum* per *L. Idemq; §. si quis ea, quæ. ff. mandati.* Verbum *moneo* solùm importat *concilium*, *Vasq. 1. 2. q. 96. a. 4. D.* 158. *c.* 3. Si autem dicatur: *moneas*, & *inducas*, non indicari præcisam coactionem, nec per hoc dari potestatem compellendi, vult Pereyra *cit. n.* 223. Subjungens verbum *statuimus* esse novi juris inductivum, juxta *c. statuimus de offic. delegat. in 6.* interdum autem significare rem perfectam, & habere vim sententiæ definitivæ juxta Gloss. V. *statuimus, in c. Cùm ab uno*, de sent. & re judicat. in 6.

281. De verbis imperativi modi dubium est, an absolutè prolata præceptum contineant? Sunt autem hujusmodi: *facite, cavete, solvite, abstineant omnes, nemo audeat.* Emman. Sà V. *Lex. n. 6.* docet, ea solùm importare obligationem sub veniali: Sanchez *cit. in decal. l. 6. c. 4. n.* 39. judicat in similibus standum regionis consuetudini; quòd si neque de ea constet, docet recurrendum ad materiæ gravitatem, & necessitatem; quæ, si existimetur à legislatore ponderata, censenda erunt verba graviter præceptiva. Et hoc est probabilius; quiain decretis Concilij; & Pontificum, uti habetur *in Clement. Exivi, de verb. signif. §. Item* ex hujusmodi verbis cum materiæ gravitate conjunctis bene colligitur gravitas præcepti, argumento ducto à legibus canonicis ad civiles; ita Castropal. *tom. 1. tr. 3. d. 3. p. 9.* de legibus.

Dices: Alexander VII. die 18. Martij, 1665. ut scandalosam damnavit opinionem asserentem: verba Concilij *Trid. sess.* 13. *c. 7. quàm primùm confiteatur*, non esse præceptum. Hinc P. Matthæus de Moya *in qq. select. Theolog. moral. tr. 6. d. 4. q. 3. §. 5. n.* 33. opinioni, principio, prioris numeri traditæ, non audet adhærere. Verùm hæc non adversantur doctrinæ de verbis imperativi modi traditæ. Nam ratio præcepti non eruitur in præsenti casu ex solo verbo *confiteatur*, quod est imperativi modi; sed ex materia substrata, quæ in sumpturo sacram Eucharistiamde necessitate requirit animum non conscium peccati gravis, consequenter exigit ejus delectionem per Sacramentum pœnitentiæ, quod est medium (quoad nos) securius, & communius ad statum gratiæ. 282.

Inter verba, quæ sui naturâ, nec præceptum important, nec præcepto æquipollent, numerat Sanchez *l. 6. decal. c. 4. n.* 40. & Pereyra *cit. n.* 224. sequentia: *monemus, hortamur, intendimus, ordinamus, statuimus, constituimus, innovamus, volumus, decernimus, Sancimus.* Et per hæc, ait Pereyra, si ponantur, quin aliunde materiæ gravitas, vel superioris intentio appareat, nullius culpæ obligationem imponi; cujus ratio est; quia dum non constat subdito, actum à legitimo superiore suo esse præceptum, vel vetitum sub obligatione conscientiæ; omissione, vel positione talis actûs non violat subjectionem suo superiori debitam; sed in dato casu nec ex verbis, ut ponit casus, nec ex materiæ gravitate, nec aliunde constat superioris intentio; ergo. 283.

Ex his tandem concluditur, cùm tota vis humanæ legis, *saltem radicaliter*, pen- 284.

pendeat à voluntate legislatoris, qua posita jus naturale subditos stringit ad ei parendum rectè quidem colligi, superiorem velle obstringere in conscientia, quando utitur *verbis præceptum importantibus*, vel ex natura sua, vel ex recepto jam usu in tali Provincia: non tamen rectè concludi universaliter ex solis illis verbis præceptivis, eam obligationem, vel *esse gravem*, ut constabit ex dicend. in seq. vel esse determinatè *de actu, per legem immediatè ordinato, seu præscripto.* Nam quando præcipitur, vel prohibetur aliquis certus actus, vel simul imponitur transgressoribus pœna legalis, vel non? si non? actus immediatè ordinatus à lege cadit sub obligationem conscientiæ in casu, quo lex utitur verbis præceptivis, tunc enim ratio præcepti externè significata, in aliud cadere non potest, expressum à lege. Sin autem simul imponit pœnam Spiritualem, quæ necessariò supponit culpam conscientiæ; saltem indirectè, actus immediatè ordinatus à lege, cadit sub obligationem conscientiæ; cùm pœna, quæ tunc directè imponitur, statui non possit in dato casu, nisi propter culpam contra conscientiam, ut ponit casus: si denique pœnam solùm temporalem? & non utatur verbis præceptivis, *directis ad actum immediatè ordinatum* à lege, tunc obligationem conscientiæ, significatam verbis præceptivis simul, & pœnalibus, non esse determinatè de ipso actu immediatè ordinato à lege, sed duntaxat de pœna, constat ex dictis; ergo ex hoc, *quòd lex utatur verbis præceptivis*, non rectè infertur universaliter obligatio conscientiæ *de actu immediatè ordinato à lege*

285. Concluditur 2. quòd, licèt superior aliquid ordinet, & utatur verbis vel formaliter, vel æquivalenter præceptivis, etiam directis ad actum immediatè præscriptum per eam superioris ordinationem, non semper sequatur, eum actum esse sub obligatione conscientiæ sic, ut transgressio sit peccatum, si scilicet aliunde constet, superiorem non intendere subditis velle imponere obligationem conscientiæ, uti contingit in multis Religionibus, quarum leges, & regulæ (quantum est ex ipsis) non obligant sub peccato etiam veniali.

286. Concluditur 3. quandoque fieri, quòd superiores utentes verbis communibus (nimirum nec formaliter, nec æquivalenter præceptivis) addant alia pariter non præceptiva, quæ tamen ex communi, & recepto jam usu, superioris voluntatem præceptivam sufficienter indicant; atque adeò quoties Superior sic mentem suam declarat, intelligendum, *verè præcipere.* Unde si dicat legislator: *ordinamus in virtute obedientiæ, in virtute Spiritûs sancti, sub interminatione pœnæ æternæ, sub comminatione indignationis SS. Apostolorum Petri, & Pauli*, semper censendum esse verè præcipere.

Concluditur 4. posse ex statutis particularibus communitatum particularium usurpari verba rigorosè præceptiva, nec tamen continere rigorosum præceptum. Unde si quis diceret in Societate JESU *præcipio, impero, mando*: & non adjungeret, *in nomine JESU, in virtute Spiritus sancti*, vel *in virtute S. obedientiæ*, non censeretur graviter præcipere. Si tamen relictis prioribus diceretur: *mando sub excommunicatione*, vel *sub interminatione pœnæ æternæ*; putat Thomas Sanch. *cit. in decal.* fore grave, & rigorosum præceptum. Hanc exceptionem, quam facit Societas, fecerunt antecedenter plures aliæ Religiones. Unde præter illa, quæ sunt juris communis, recurrendum in similibus ad municipalia, quæ si defuerint, standum est in jure communi. 287.

Concluditur 5. omnino credendum, verbum *præcipio*, seu *præceptum* usurpatum in jure canonico, vel civili, semper importare aliquam obligationem conscientiæ, nisi ejus significatio ex aliquo adjuncto minuatur. Plures hujus rei probationes affert Cardenas *in Crisi Theol. tr. 3. de legibus D. 24. à n. 5.* sufficiat ea, quã suggerit Clementina *Exivi de verb. signific.* Nam cùm Clemens fuisset consultus, quæ regulæ Franciscanæ obligarent graviter, quæ non? respondit, quòd, quæ significantur voce *præcepti*, aut *æquivalenti*, importent obligationem gravem, nimirum suppositâ gravitate materiæ. Sic enim textus ait: *apertè discrevit, quòd quoad quædam ipsorum* ex vi verbi *transgressio* est mortalis, & *quoad quædam alia, non; cùm quoad quædam ipsorum verbum apponat præcepti*, vel æquipollentis eidem; & *quoad aliqua verbis aliis sit contentus*, nimirum Legislator. Unde sic arguitur: 288.

quando legislator utitur verbo *præceptum*, vel *ei æquipollente*, ex vi illius verbi, significatur obligatio conscientiæ, & quidem gravis attenta materiæ gravitate, ut declaravit Pontifex in *Clement. Exivi*; ergo verbum *præcipio*, seu *præceptum*, ex vi *nativæ significationis suæ*, quam habet ex communi jam, ac naturali usu suo, in jure importat *aliquam* obligationem conscientiæ, nisi ex aliquo adjuncto illius significatio minuatur.

289. Dixi 1. *Ex vi nativæ significationis suæ*, quam nimirum habet ex institutione sua, communiter jam recepta; licèt accidentaliter in communitatibus privatis ex declarata legislatorum voluntate ejusmodi verbũ sumatur infra significationem suam nativã pro obligatione, seu debito solius decentiæ, ac honestatis, nimirum absque obligatione peccati, ut diximus n. 285. Dixi 2. *quòd verbum præcipio*, seu *præceptum*, quo legislator utitur, *semper importet aliquam obligationem conscientiæ*. Nam etsi Cardenas cit. velit hoc universaliter intelligi, ut, quoties legislator utitur eo verbo, significetur obligatio conscientiæ, & non solùm obligatio *pœnalis*, consequenter etiam *moralis* ad ipsum actum sub lege positum; hoc tamen universaliter admitti non potest. Nam in casu, quo apponit pœnam transgressoribus temporalem, & utitur verbis præceptivis (si hæc non dirigantur ad actũ immediatè præscriptum à lege) important solùm obligationem conscientiæ ad pœnã juxta dicta sup. non autem ad actum immediatè positum sub lege, ut diximus loco cit. Dixi 3. *nisi ex aliquo adjuncto minuatur ejus significatio*. Certum enim est, terminos ex adjuncto aliquo Syncategoremate, vel alio termino, ex materia subjecta, vel ipso etiam contextu, vel clausulis appositis, à propria quandoque significatione distrahi, ampliari, alienari, ut constat ex his, *homo moritur*, *justus peccat*, &c.

290. De verbo *statuo* extat etiam speciale capitulum, quo Clemens III. *c. In ijs. 15. de verb. signific.* in casu, ubi dubitatum fuit: an verbum *statuo*, vim sententiæ inter partes habeat? dubitationem resolvit. Cùm enim in quadam controversia inter partes A & B definienda, Archiepiscopus Mediolanensis post causæ cognitionem, in prolatione sententiæ, non fuisset usus his verbis: *talem partem condemno*, vel *talem partem absolvo*: sed ita pronuntiasset: *ita statuo, & præcipio*, dubitatum fuit: an ea sententia esset firma? cùm verbum *statuo* non videatur habere vim sententiæ?

Rescripsit Pontifex Clemens III. ut vult Gonzalez; aut Cœlestinus III. ut notat Wagnereck ad dictum *c. In his*, vel, ut alter vult, *In ijs*, hâc formâ: *Nos attendentes*, quòd hoc verbum *statuo*, secundum legem, rem perfectam significat, & cum effectu, non verbotenus accipitur (nimirum in eo casu) itẽ secundùm Gregorium, quod præcipitur, & imperatur; & quod imperatur, necesse est fieri; & aliquando si non fiat, pœnam habet: considerantes nihilominus, quòd juxta eundem Gregorium, *non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem, & intentionem; quia intentio non debet verbis deservire, sed verba intentioni*: interpretamur in præsenti articulo, & definimus, quòd præfati Archiepiscopi verba, tali formâ prolata, *perpetuò valituræ sententiæ obtineant firmitatem*.

Ex quo textu colligitur 1. quòd sententia definitiva debeat continere abolutionem, vel condemnationem, ut dicitur *2. q. 6. c. Ei, qui*; *L. omnium Judicum, C. de sent. & interloc.* hanc autem sufficienter contineri, si exprimatur per verba æquipollentia, ut in textu *cit.* per verba: *statuo*, & *præcipio*; de quo plura Gonzalez *in cit. c. 15. de Verb. signific. n. 2.* Colligitur 2. an verbum *statuo* importat præceptum, an non? non tam definiendum nudo ipsius verbi, aut vocis spectato cortice; sed potiùs spectatâ intentione loquentis, cùm huic verba deservire debeant, non econtra; quod maximè etiam obtinetur, si consideretur materia subjecta cum suis circumstantijs, ut casus explicat in hoc textu; & hoc in materia legum præcipuum est, ut stetur intentioni ferentis legem. 291.

## §. VII.

### *An, cùm verba legis sunt graviter præceptiva, rectè colligatur obligatio gravis.*

292. Quæstio est 1. an verba mentem legislatoris indicantia, si sint graviter præceptiva, *sola* sufficiant ad inducendam, vel cognoscendam gravem obligationem?

tionem? Verba graviter præceptiva sunt: *in virtute Spiritûs Sancti, in virtute obedientiæ, in virtute juramenti, vel voti facti; sub pœna præstiti juramenti, in nomine seu virtute JESU, sub interminatione gehennæ, sub pœna maledictionis æternæ, sub pœna indignationis, vel maledictionis DEI, sub obtestatione divini judicij* &c. His nonnulli addunt verba præceptiva sub gravi, pœna non tantùm spirituali, sed etiam temporali v. g. *mortis, mutilationis, perpetui exilij* &c.

293. In hac quæstione videtur *ex solis verbis graviter præcipientibus* nec induci, nec cognosci gravem obligationem, secluſa gravitate materiæ. Nam graviter præcipere aliquid, non graviter necessarium ad finem, quem respicit potestas legislativa, est iniquum, & irrationabile, ac extra limites potestatis legislativæ; quia foret non in ædificationem, sed destructionem, & ruinã. Hinc rectè ait Gibalin. de sacr jurisdiction. *disquis. 2. q. 2. n. 6. quamvis superior millies prohibeat leve mendacium, aut verbum otiosum, etiam in virtute sanctæ obedientiæ, non idcirco, qui leviter mentitur, aut verbum otiosum profert, peccabit mortaliter.*

294. *Gravitas* porrò *rei præceptæ* non debet sumi ex re præcepta secundùm se, sed ex fine, quem comparare intendit præcipiens; sic Gibalin. *cit.* §. 5. Finis autem, qui medio ex se indifferenti, aut admodum levi, gravitatem afferre potest, ille est, qui bonum commune primariò, & per se spectat; bonum autem privatorum, non nisi secundariò. Duæ etiam circumstantiæ juxta Suar. *D.* 18. *de censur s.* 3. *n.* 18. gravitatem addere possunt, *scandalum*, & *periculum peccati mortalis* in quo hominem constituunt; sed intellige periculum proximum.

295. Ex dictis colliges, solã legislatoris voluntatẽ, ex verbis legem exprimentibus agnitã, non posse esse gravis obligationis sufficiens indicium; patet ex defectu potestatis rẽ levem graviter præcipiendi, quam juxta magis communem non habent legislatores humani, fortè nec habere possunt, propter materiæ incapacitatem; Sanch. *in decal. l. 1. c. 4. n.* 4. consequenter ad dignoscendam gravem obligationem utrumque necessariò requiri: *gravitatem materiæ*, & *legislatoris voluntatem agnitam*, quæ licèt non possit materiam levem graviter præcipere; potest tamen gravem leviter. Not. tamen, quòd si contra clara verba, gravem obligationem exprimentia, velis ferre judicium prudens, & practicum *de levi obligatione*, debeat tibi de levitate materiæ *evidenter constare*; quia in dubio non est spoliandus superior suâ possessione; Sanch. *loc. cit. n.* 3. in fine, & ex illo P. Henricus Herdinck *in M. S. de legib. supra cit.*

Quæstio est 2. an, quoties adest gravitas materiæ, & legislatoris præcipientis voluntas agnita, toties adsit sufficiens judicium gravis obligationis ad actum immediatè positum sub lege? Negativam complures sequuntur. Docent enim nullas leges tam civiles, quàm Ecclesiasticas, pœnam temporalem imponentes, obligare sub mortali, nisi id expresserit legislator, ut notavimus à n. 257. ubi retulimus hujus sententiæ defensores; quibus positis. 296.

Cùm per ea, quæ præmisimus, constet, ex *solis verbis graviter præceptivis*, non rectè argui gravem obligationem ad actum immediatè positum sub lege: nec ex *sola gravitate pœnæ temporalis* statutæ transgressoribus, nec etiam *ex gravitate pœnæ temporalis*, & *verbis graviter præceptivis*, si hæc non dirigantur ad actum immediatè præscriptum à lege: quoties legislator in materia gravi utitur verbis graviter præceptivis, *immediatè directis ad actum sub lege positum*, etiamsi statuat transgressoribus pœnam solùm temporalẽ, esse sufficiens signum gravis obligationis non tantùm ad pœnam, sed ipsum etiam actum; secùs, si verba, licèt sint præceptiva, non dirigantur ad actum immediatè positũ sub lege. Ratio primæ partis est; quia tunc adest *præceptum directè circa actum*, ut ponit casus; præceptum autem propriè importat obligationẽ conscientiæ ex n. 288. ergo tunc adest obligatio conscientiæ directè circa actum; sed quando materia directè præcepta est gravis, & graviter præcipitur, est obligatio gravis; ergo cùm utrumque concurrat in dato casu, etiamsi transgressoribus statuat pœnam temporalem, obligatio conscientiæ erit gravis non tantùm ad pœnam, sed etiam ad actum directè positum sub lege. Ratio secundæ partis est; quia si verba præceptiva non diriguntur ad actum, non est, quòd ex- 297.

ternè significet in legislatore intentionem obligandi conscientiam *ad actum*; ut dictum est n. 270.

## §. VIII.

### *De obligatione non apponendi, vel removendi obicem implendæ legis.*

298. QUæstio est, an quis peccet, dum apponit obicem, seu impedimentum, vel illud non removet vel, si prævidet, eo stante se non valiturum implere legem, quam aliàs deberet? Peccari quandoque in tali casu, certum videtur. Nam ex communi doctorum sensu, peccat obligatus ad horas canonicas, si breviarium, quod habet, liberè, ac sine omni causa justa comburat, prævidens, se cras non habiturum aliud, consequenter non valiturum persolvere pensum horarum cæteroquin debitum: non tamen peccari *semper*, etiam certum videtur; nam excommunicatus non peccat, non procurando absolutionẽ ab ea censura, esto prævideat, se non valiturum audire sacrum eo die, quo aliàs eâ remotâ deberet; nec opifex tenetur abstinere à labore sibi conveniente, licèt prævideat, se illo stante non valiturum satisfacere præcepto jejunij. Ex hoc sequitur non posse admitti hanc doctrinam, quæ *indefinitè*, ac *universaliter* docet *peccari, quoties impedimentũ apponitur executioni præceptæ, vel impedimentum jam appositum non tollitur, vel apponendum non removetur*. Nam hoc fallit in multis casibus, ut colligi potest in exemplis jam allatis.

299. Dices: superior præcipiens finem, simul præcipit media necessaria; sed inter media necessaria est non apponere, vel jam appositum impedimentum executioni præceptæ removere; ergo, qui hoc non facit, peccat. Sed hoc argumentum à Theologis non admittitur. Nam fallit in multis, seclusâ distinctione. Deus enim efficaciter vult, & præcipit pœnitentiam de peccato, quin velit, aut præcipiat præviam existentiam peccati, licèt sit medium unicè necessarium ad pœnitentiam, deletivam peccati; idem est de pœna damnatorum, quæ non stat sine impœnitentia finali; & tamen illam DEUS efficaciter vult, quin velit efficaciter istam. Hinc dicunt, quando quis efficaciter intendit finem, non requiri, quòd etiam efficaciter velit medium unicè necessarium, quando prævidet aliunde futurum sub conditione, quam habet in sua potestate, ac purificat intendendô finem. Sed his prætermissis.

Resp. ad argumentũ dist. maj. Superior 300.
præcipiens finem, simul præcipit media, *ea voluntate, qua vult finem*, trans. secùs neg. ma. hinc *transeat*, quòd, ubi finem præcipit absolutè ac simpliciter, etiam absolutè ac simpliciter præcipiat media; hoc tamen negatur, ubi finem præcipit solùm sub conditione, seu ex suppositione, quòd subditus sit expeditus, seu non justè impeditus in talibus circumstantijs ad ponendum finem. Nam ubi est justa ratio non ponendi, vel non removendi certam circumstantiam, non præcipit non positionem, vel remotionem talis circumstantiæ; sic, ubi necessitas infirmi exigit præsentiam Petri quà stante hic die festo nequit adesse sacro, præcipiens auditionem sacri, Petrum non obligat ad subtrahendam infirmo suam præsentiam.

Difficultas est, quæ leges, vel præcepta 301.
*per se loquendô*, simpliciter, & absolutè præcipiant finem, consequenter appositionem medij unicè necessarij, & remotionem impedimenti incompossibilis cum executione legis vel præcepti? Resp. talia esse præcepta, seu legem naturalem; sic Castropal. *p. 1. tr. 3. D. 1. p. 21. n. 2.* Nam obligatio, quam importat jus naturale, nascitur ex ipsis rebus ex se, & antecedenter ad omne jus positivum, consonis, & dissonis naturæ rationali, quà tali, ac primæ regulæ omnis honesti: ergo non potest esse limitata ad hoc, vel illud mediũ ponendum; aut hoc, vel illud impedimentum removendũ; sed necessariò extendit se ad omne medium unicè necessarium; & quodvis impedimentum incompossibile cum executione finis præcepti: quamvis non immerito dici possit, etiam jus naturale non accipiendum de actu, vel omissione actûs sub quacunque circumstantia; cùm sæpe contingat, in certis circumstantijs licere, quod in alijs jure naturali non licet: secùs autem dicendum est in jure, seu legibus, & præceptis positivis; nam hæc non obligant cum tanto rigore: sic quia *mentiri*, & *odisse* DEUM, jure naturali vetitum est, nec vitæ periculum excusat ab obligatione *non mentiendi*,

*endi*, vel *non odio habendi* DEUM seclusō errrore; secùs tamen est in præcepto positivo *audiendi sacrum*, *jejunandi*; nemo enim die festo tenetur audire sacrum; aut die jejunij abstinere ab esu carnium, si per hoc subiret vitæ periculum, prudenter existimatum, inde nasciturum.

302. Quæstio tamen ulterior est, quæ sint illa media, ad quæ ponenda; vel impedimenta, ad quæ removenda obligant, vel non obligant leges, aut præcepta positiva?

Resp. Sanch. *l.* 1 *in decal. c.* 15. *n.* 4. & Salas 1.2. *q.*71 *tr.*13. *d.*2 *s.*9. *à n.*117. hanc obligationem desumendam esse *ex modo, quo quodlibet præceptum receptū est.* Hanc responsionem ex parte approbat Castropal. *cit. n.* 3. dicens: *in præceptis, & legibus positivis*, eorum mediorum appositionē esse sub obligatione, quæ per se, & natura sua necessaria sunt ad illorum executionem, ac eorum impedimentorum omissionem, vel remotionem, quæ per se, ac naturâ suâ obstant illarum executioni. Quoad reliqua verò servandum id, quod fert consuetudo, & modus, quo ejusmodi leges, & præcepta in usum deducta sunt.

303. In prima parte hujus regulæ omnino judico, eam rectè procedere quoad media per se necessaria; vel impedimenta per se obstantia, quando ea apponi, hæc omitti possunt, ubi non suffragatur causa sufficienter excusans ab earum positione, & istorum remotione; consequenter in casu, quo *moraliter* (spectato nimirum judicio prudentū, ac peritorum in materia, de qua ponenda, vel removenda quæritur) possibilia sunt subdito. Sic *surgere de lecto, adire templum*, tempore, quo erit sacrum ex obligatione audiendum, est medium per se necessarium, consequenter per se præceptum lege audiendi sacrum, quoties abest causa excusans in ijs circumstantijs, a positione illorum mediorum, vel appositione impedimentorum, quibus stantibus ex natura rei actus præceptus executioni dari non potest. id ipsum tamen limitari debet ad omissionem medij, vel appositionem impedimenti, quo fit, ne præceptum executioni possit dari, quando contingit, vel jam urgente præcepto, vel saltem cùm est in proximo, ut urgeat. Nam eo casu apponere impedimentum naturâ suâ impediens executionem, seu impletionem præcepti, aut legis urgentis, prohibitum est; puta, si die, quo audiendum foret sacrum, te committeres ludo, somno, aut alteri actioni non necessariæ, cum sacri auditione incompossibili, prævidens futurum, ut inde sacri auditio impediatur; secùs dicendum est, ubi præceptum nec actu urget, nec in proximo est, ut urgeat; ita Castropal. *cit. n.* 3. *§. dixi*, cum Sanchez, Salas, & alijs. Nam in hoc casu ista impedimenta non sunt, nisi remota.

Quoad alteram partem de appositione, 304.
vel non remotione impedimentorum, quæ quis apponit, sciens impeditum iri finem, ac executionem præcepti, actu, vel in proximo urgentis, non est illicitum ea apponere, vel removere, quæ jam est recepta consuetudine, vel modô, quo certæ leges receptæ sunt, pro apponibilibus, licitè habentur, licèt alioquin necessaria non sint; quia Legislator tali casu non imponit præceptum cum extensione ad finem v. g. jejunij in ejusmodi circumstantijs. Ex communi enim Doctorum consensu agricolæ, fabri lignarij, vel ferrarij, & alij, toto die graviter labore corporali desudantes, non obliganur ad abstinendum ab ejusmodi labore (licèt divites sint, nec tali die illo labore ad alimenta familiæ, aliáve domûs suæ onera indigeant) quamvis prævideant, se titulo fatigationis ad conservandas, vel restaurandas vires, non valituros implere legem jejunij. Dixi: si talis actio, vel exercitium corporis, aut etiam animæ (v. g. *studium* in docendis, vel addiscendis literis, concionando &c.) in numero eorum exercitiorum sit, ad quorum circumstantiam leges se non extendunt; quod tandem reducitur ad eam regulam, jus positivum, sive prohibens, sive præcipiens, non extendi ad casum in circumstantijs, in quibus adest justa causa, subditum eximens ab observantia legis; ut cùm sunt tales circumstantiæ, quibus stantibus prudenter, ac meritò præsumi potest, legislatorem à subdito in præsenti statu, & talibus circumstantijs constituto, non exigere positionem, vel omissionem actûs, illis seclusis cæteroquin ex obligatione ponendi, vel omittendi. Talis tamen censeri non debet, appositio impedimenti, quæ fit *in* fraudem legis, nimirum de industria, & animo eludendi

di vim legis; cùm nemini fraus sua patrocinari debeat. Casus videtur esse, si quis *præcisè*, ne teneatur ad abstinentiam à secunda refectione in quadragesima v. g. susciperet exercitium aliquod corporale, tantæ quandoque fatigationis, quantam subeunt mechanici prosequentes operas suas; si id fieret, secluso omni alio honesto fine, comparatione cujus illud exercitium haberet rationem medij.

## ARTICULUS VIII.

### *De Actibus legis.*

305. QUatuor actus legi proprios communiter numerant Authores, juxta *L. legis virtus: ff. de legibus*, ubi Modestinus ait: *Virtus hæc est, imperare: vetare, permittere, punire.* Ex hoc inferunt Doctores cum D. Thoma 1. 2. *q.* 92. *a.* 1. nullam esse legem, quæ saltem aliquo modo, & ratione vel non *imperet*, vel non *vetet*, seu prohibeat, vel non *permittat* aliquid faciendum, vel factum *non puniat*; Sic Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 5. *q.* 5. Suarez *de leg. l.* 1. *à c.* 15. quos citat, & sequitur Castropalaus *p.* 4. *n.* 1.

306. Loquendò autem de lege *imperante* & *vetante* not. 1. licèt imperans actum aliquem præstandum, eo ipso etiam, saltem indirectè prohibeat omne aliud incompossibile cum existentia actûs, per imperium intenti; adhuc tamen *imperare*, ac *vetare*, seu prohibere, inter se differe 1. quia lex imperans (quam alij etiam vocant *præceptum affirmativum*, seu positivum, sumendò *præceptum* non strictè, prout diximus superiùs; sed latè pro lege generaliter) directè intendit *positionem alicujus actûs*; & *vetans*, seu prohibens (quam alij vocant *præceptum negativum*) directè intendit *omissionem actûs*, Præceptum enim positivum, seu *affirmativum* est, quod directè (nimirum ex fine, quem immediatè respicit) præcipit positionem actûs; *negativum*, quod directè intendit alicujus actûs omissionem. Et ideo etiam leges aliæ sunt affirmativæ, aliæ negativæ: illæ præcipiunt actûs humani exercitium, istæ prohibent. Harum tamen distinctio in praxi malè colligitur ex vocabulis, quibus proferuntur: rectè ex objecto, in quod legislator directè fertur. Unde licet lex affirmativa etiam prohibeat, quid quid est incompossibile cum actu, quem intendit; consequenter ejus omissionem petat; id tamen solùm exigit *indirectè*, quatenus directè quærit positionem actûs. Hinc licet in rigore quælibet lex, verè ac propriè aliquid *imperet*, nimirum positionem vel omissionem actûs; hoc ipsum tamen imperium ex fine directè quæsito esse aliud affirmativum, quando intendit alicujus actûs humani positivum exercitium; aliud negativum, si ejus omissionem, sive puram, sive positivam.

Ex hoc colliges: in quæstione, *an lex aliqua, vel præceptum sit affirmativum, vel negativum? de qualitate judicium* esse ferendum *ex fine per legem, vel præceptum directè quæsito*; non autem ex verbis, quibus voluntas, & dispositio legislatoris effertur, aut enuntiatur; sic, licèt omnis actus intellectûs sit intellectio, alia tamen est affirmativa; alia negativa. Hinc sequitur, istam legem, vel præceptum: v. g. *die festo non omittes sacrum* (licèt efferatur verbis, seu propositione negativâ) nihilominus esse affirmativum; quia finis ejus directè intentus, est positio alicujus actûs, nimirum auditio sacri; & hoc (*abstinebis à mendacio, blasphemia* &c.) esse negativum; esto efferatur propositione affirmante; quia finis ejus directè quæsitus, est omissio mendacij, blasphemiæ &c. 307.

Pro lege *permittente*, not. licèt alicui aliquid *permittere* non inducat obligationem, quâ teneatur is, cui permittitur; inducere tamen obligationem in alios, ne facientem id, quod sibi permissum est, impediant, vel propterea puniant. Hinc si, quod alicui permittitur, est bonum, prohibentur alij, ne ipsum in ejus usu impediant; si verò sit malum, inhibentur Judices, ne, si faciat, propterea puniant. Ex hoc colliges: dispositionem superioris, qua subdito aliquid *permittit*, non esse legem, in quantum respicit eum, cui fit aliqua permissio; sed in quantum respicit alios, quos obstringit, ne in actu permisso alterum impediant, aut (si malus, sed permissus est) propterea puniant; quod tamen intellige de illis, qui permittenti subditi sunt; aliàs enim eos lege suâ, alteri aliquid permittente, non posset obligare; cùm nulla detur jurisdictio in non subditum. 308.

Advertendum præterea, esse discri- 309.

men

men inter *permittere*, & *dispensare*, *commutare*, & similia. Nam *permissio* non tollit obligationem legis, si sit ad actum malum prohibitum, sed datur, cùm quis violat legem *impunè*: dispensatio autem datur, quando legis obligatio, complectens personas hujus communitatis, ab hac persona tollitur, & manet circa reliquas. *Commutatio* autem fit per translationem obligationis v. g. si relaxetur jejunium, cum onere, illius locò, dicendi rosarium. Similiter *dare licentiam*, *interpretari*, *abrogare*, *derogare*, & similia inter se differunt. Nam *licentia*, seu facultas, latiùs patet, quàm dispensatio; quamvis enim omnis dispensatio sit licentia, non tamen econtra, Religiosus enim non valet exire domo, *sine licentia*, quando tamen ei licentia datur, non dispensatur in lege, sed potiùs completur modus operandi præscriptus in lege, *ut nemo exeat sine licentia. Interpretari* legem, non est tollere obligationem, sed declarare illam in hac circumstantia non obligare. *Suspendere* nec est legem tollere, nec obligationem ejus; sed solùm effectum ejus suspendere ad tempus. *Derogare legi*, est aufere eam in perpetuum, non in totum, sed solùm quoad partem; *abrogare* autem est auferre legem in perpetuum quoad totum, postquam vim obligandi adepta est; hinc legem impedire, & cassare, ne robur obligandi consequatur (ut si Princeps legem constitutam à civibus, indigentem ipsius Principis confirmatione, non confirmet) est *legem irritare*. sic Pereyra *cit. à n.* 212.

310. Adverte 2. *Permittere* apud latinos idem esse, ac *sinere tolerare*, *concedere*: sed apud Juristas *permittere* tripliciter accipitur, ut notat Sylvester V. *permittere n.* 1. Nam 1. quod nullo jure prohibitum est, permissum dicitur; sic contrahere secundas nuptias, permissum est. *c. Hâc ratione* 31. *q.* 1. deinde, quando contra humanas constitutiones aliquid indulgetur: v. g. contrahere in quinto gradu. *c. quodam*, 35. *q.* 3. Demum quando permittitur illicitum, ut vitetur id, quod est magis malum, & illicitum. v. g. permittitur adulterium, ut vitetur homicidium. *c. Si quod verius.* 33, *q.* 2.

311. Adverte 3. *Permissionem contra legem* esse triplicem: 1. dicitur *permissio simplex*, quæ indulget pœnam, sed non culpam, qualis est permissio meretricum ad vitanda majora peccata, *c. denique*, *dist.* 4. Altera *removens impedimenta*; qualiter Ecclesia permittit ritus Judæorum, prohibens Christianis, ne illos impediant, propter bonum inde sequens, ut habetur *c. qui sinceram*, *dist.* 45, Demum *coadjuvans*, ut contingit, cùm Ecclesia permittit Clericum occidi justè à Judice Laico, seu seculari, eum degradandô, & tradendo, juxta *c. degradatio de Pœnitent. in* 6.

312. Ex hoc infertur distinctio inter *permissum*, & *concessum*. Nam *concessum*, in moribus, dicitur, ut opponitur *prohibito*; ac idem valet, atque *licitum*; quid quid nec in jure canonico, nec in jure civili reperitur expressè prohibitum, *c. qui spirituale. 3. q. 4. & L. Nec non* §. *quod ejus ff. Ex quibus causis Majores*; de quo videri etiam potest Barbos *in axiomat. juris*, *axiomat.* 46. quæ propterea hic afferre volui, ex Pereyra *cit. à n.* 209. ut propria horum terminorum significatio noscatur, & inde tam legum, quàm sacrorum canonum expositio ritè ac sine confusione fieri possit ex mente legis, expressâ verbis scriptæ legis.

313. Circa *legem punientem* not. *punire*, prout est actus legis, significare idem, ac *imponere*, vel *infligere* pœnam, quo significatur delictorum debita coërcitio, vel satisfactio, quæ à lege, vel à ministris legis, aut legis ministerio imponitur, per Azon, *in summa de pœnitent. & L. si pœna ff. de pœnis. Lex* enim *punit*, *& vindicat*, quod quisque commisit *c. Pœnitentia*, *dist.* 3. *de pœnitent.* Hinc lex pœnalis obligat Judices ad executionem pœnæ per legem statutæ, seu punitionem; subditos autem ad hanc sustinendam. Not. autem *pœnam*, aliquando esse *taxatam* in lege, dicique *legalem*; aliquando autem non, sed committi arbitrio Judicis, & tunc dici *arbitrariam*; ita Sanch. *l.* 6. *Consil. moral. c.* 1. *dub.* 21. *n.* 1.

314. Ex hoc fit, quod Judex inferior non possit totaliter remittere pœnam legis 1. quia cùm & ipse sit legibus subjectus, non potest in illis dispensare; hæ autē cogunt Judices, ut illas exequantur 2. quia sic, vel parti læsæ, si quæ sit; vel Reipu-

blicæ facit injuriam, & ansam dat delicta perpetrandi. S. Thom. 2. 2. q. 67. a. 4. Sotus *l. 5. de Just. q. 4. a. 4.* Hoc tamen limita, ut non procedat de supremo Judice; hic enim potest, ex causa justa, in lege sua dispensare: intellige tamen, non pro libitu suo, sed quando pars læsa remittit, & inde reipublicæ damnum non sequitur; Sanch. *cit. n. 3. Felin. c. qualiter. §. ad corrigendas de accusat.* limita 2. ut non procedat in casu, ubi est *justa causa* pœnam minuendi; tunc enim etiam Judex inferior eam mitigare, seu minuere potest; *Covar. l. 2. Variarum. c. 9. n. 8.* Sanch. *cit. D. 21.. n. 10.* patet *ex L. quid ergo. §. pœna gravior. ff. de his, qui not. infam. L. Et si severior. L. si Possidonium. C. Ex quibus causis irrog. infam.*

315. Justa verò causa est *ætas*, ut pueritia, vel auxilium. *§. In delictis. ff. de minorib.* Item *senectus. L. Divus. ff. de termino moto.* 2. *paupertas*, quando pœna est pecunaria. L. *Illicitos. §. ult. ff. de offic. præsid.* 3. *doli defectus*, quando scilicet non ex deliberatione, nec consilio, sed subita animi passione, vel dolore commissum est delictum L. *Absentem §. ult. ff. de pœnis.* 4. quando est *consuetudo* non mala, sed legitimè præscripta. c. *Cùm contingat, de foro compet.* c. *Inquisitioni. de accusat.* &c. plures vide apud Sanch. cit. Verùm *hæc intellige ante sententiam latam*, quâ Judex Reum condemnavit ad aliquam pœnam. Judex enim inferior non potest eam minuere, sive pœna illa sit in lege taxata, sive arbitraria; Quia jam officio functus est. *L. Quod jussit. ff. de rejudicat* Bart. *in l. 1. ff. Si quis jus dicenti. n. 14.* Excipe crimen hæresis, per c. *Commissa* 34. *de elect. in 6.*

316. Quamvis autem *punire* sit proprius actus legis, non tamen idem est de *præmio*; nam licèt collatio præmij aliquando procedat à Superiore ferente legem, ut rectè notat Castropal. *cit. tr. 3. disp. 1. p. 4. n. 3.* non tamen requiritur necessariò; ut præmium à Superiore sicut punitio procedat; cùm aliquando possit procedere à non Superiore, vel æquali, sicut consilium. Quare præmij collatio non est necessariò actus legis propriè dictæ.

317. Dices: omnis actus legis propriè dictæ, est sub obligatione; ergo actus, qui non sunt sub obligatione, non sunt actus legis propriè dictæ; sed inhabilitatio *personarũ*, vel *irritatio certorum actuum*; imò præscriptio multorum, quæ continentur in Rubricis missæ, Breviarij, & similium non ponit actum, cui imponitur inhabilitas, vel nullitas, sub obligatione; nam talis inhabilitatio, vel irritatio afficit etiam ignorantes, quod non verificatur, ubi actus est sub obligatione; ergo tales actus non sunt actus legis propriè dictæ, contra id, quod diximus n. 305. Resp. transf. antec. cum sua conseq. N. subsumptum, quoad inhabilitationem, & irritationem; nam de Rubricis dicemus à n. 1310. ad probationem ejus. Resp. quòd lex inhabilitans aliquem v. g. *ad contrahendum*, duo præstet. 1. quòd obliget eum ad non faciendum talem actum, nisi servatâ præscriptâ formâ; 2. quòd tollat omnem juris dispositionem, si qua sit, quæ actui valorem in tali foro tribuit sine illa celebrato. Unde fit, quòd, si ignorans utrumque juris effectum celebret contractum, omissâ tali formâ, immunis sit à culpa; non autem ab inhabilitate, vel actus celebrati nullitate; quia ignorantia non facit *personam* habilem; cùm non faciat, quòd detur lex tribuens valorem actui sic celebrato, nec tollat carentiam legis habilitantis personam, vel validantis actum, quod tamen esse deberet, ut actum poneret *validè*, cum ignorantia prohibitionis.

Ex hoc idem etiam respondetur ad dispositionem, directè irritantem certos actus. Nam si *fieri actum sine forma*, quæ præscribitur, vetat, & simul tollit omnem aliam ejusdem fori dispositionem, vi cujus antè validus erat, rectè dici potest dispositio legalis, seu habens vim legis, & ponens ejusmodi actum sub obligatione, vel non ponendi sine tali forma, vel non ponendi validè, hoc est, ne ab alijs in tali foro pro valido recognoscatur, & habeatur; de quo V. Suarez *lib. 1. de legibus, c. 17. n. 10.* 318

## ARTICULUS IX.

### *De materia Legis.*

Cùm omnis lex debeat esse *justa*, ut diximus n. 83. & seqq. necesse est, quòd sit de actu, consequenter materia, saltem 319

mate-

materialiter, seu fundamentaliter bona, & honesta, nimirum ordinabili ad finem virtutis; cùm finis legis sit subditos facere bonos, nimirum *directivè*, ut ait D. Thomas 1. 2. *q.* 2. *a.* 1. Et ratio ulterior est, quia, cùm lex præscribat agenda, vel omittenda, si aliud, quàm bonum agendum, aut malum vitandum præscriberet, nec justa, nec rationi consona foret, ut rectè notat P. Martin. Becanus *tom.* 1. *tr.* 3. *de legib. q.* 3. *n.* 4. quia tamen bonum commune Reipublicæ humanæ postulat, ut leges positivæ, illi præscriptæ, accommodatæ sint humanæ conditioni, ac imbecillitati; omnino conveniens est, non omnia, etiam mala minima *humano jure* prohiberi, ne nimiâ legum humanarum coacervatione homines in majora prolabantur. Et quamvis omnia mala, etiam minima jure naturali, & divino prohibeantur (cùm utrumque attendat, quod unicuique individuo convenit, id tamen à lege humana fieri non oportebat; cùm hæc attendat, *quòd conveniens sit communitati*; si enim omnia jure naturali, & divino vetita, etiam humano vetarentur, transgressor dignus fieret pœnâ apud Deum, & hominem, quòd fragilitati hominum foret nimis grave, non autem, si secùs.

320. Nec obstat, quòd multæ leges sint, quæ gubernationi politicæ attendant potiùs, quàm morum honestati (quales sunt leges de præscriptione, tuentes possessorem bonæ fidei contra verum rei dominum; negantes actionem de fraudato infra dimidium &c.) ex quo videtur sequi, non requiri, quòd materia legis *præcipientis* sit actus honestus; vel *vetantis*, actus turpis; præsertim cùm etiam actus indifferentes præcipi, aut vetari possint: non, inquam, obstat; nam illæ ipsæ leges respiciunt actus fundamentaliter bonos nimirum ordinabiles ad commune bonum reipublicæ; ne scilicet maneant incerta rerum dominia; ut caveantur tot lites inter communitatis membra, ut domini juribus suis diligentiùs invigilent, &c. id, quod etiam respondetur ad alterum, quod dicitur de actibus indifferentibus, si qui dentur; cùm & illi ad rectos fines ordinari possint, adeóque præcipi; vel prohiberi, si ad malos.

321. Ex dictis colliges 1. quòd, licèt leges non tantùm Ecclesiasticæ, sed etiam civiles, debeant esse de bono faciendo, & malo vitando, relatè ad finem, quem natura talis legis respicit nimirum salutem æternam, vel temporale, ut dictum est superiùs: esse tamen discrimen aliquod in hoc ipso inter eas leges. cùm enim finis legum Ecclesiasticarum sit *spiritualis*; civilium, *temporalis*: illarum quoque materia spiritualis esse debet, nimirum vel formaliter, vel habilitate, seu aptitudine ad eum finem; civilibus sufficiente materia temporali. Illæ enim præcipiunt, vel prohibent certa quædam objecta, quatenus conducunt, vel impediunt, homines à fine supernaturali; istæ verò solùm, quatenus à fine temporali, qui est recta gubernatio, & felix Reipublicæ status: his præmissis:

## §. I.

### *An actus interni possint esse materia legis humanæ?*

322. Cùm omnis lex humana præcipiens versetur circa externum aliquem actum ponendum *modo humano*, consequenter *directè*, ut objectum intentum respiciat exercitium actûs humani, actus autem humanus præter actum externum necessariò importet aliquem actum internum: quæstio est inter Doctores, quinam actus interni ex mente legislatoris conjuncti esse debeant actui externo præcepto, qui illum in ratione objecti medij constituant, quo legi à subdito, positione actûs præcepti, satis fiat.

323. Pro resolutione not. 1. multorum esse sententiam, eos internos actus ex mente legislatoris esse conjunctos actui externo præcepto, qui illum in ratione *veræ virtutis* necessitate medij constituunt; probant 1. ex *c. dolentes, de celebr. Missarum*, ubi præcipitur officium divinum *Studiosè* & *devotè* recitari. 2. Ecclesia potest præcipere *verum actum orationis*; sed hic non erit *talis*, nisi simul præcipiat omnes illos actus internos, qui actum virtutis Religionis constituunt. 3. quia nisi hæc sententia vera esset, posset quis præcepto Ecclesiæ per meras simulationes satisfacere; ita Suarez *l.* 4. *de legib. c.* 13. *n.* 6: cum multis alijs gravissimis Doctoribus, dum agunt de obligatione divini officij quoad actus internos.

324. Not. 2. ab alijs doceri, illum actum inter-

internum esse conjunctum cum externo præcepto, qui necessitate medij necessarius est, ut actus externus præceptus *in esse physico externo, integer, sicut præcipitur*, liberè & *humanô modô ponatur*; ita Coninck *p.* 3. *q.* 83. *à n.* 291. alijque complures v. g. Ecclesia præcipit *recitationem divini officij*, ad quam, ut sit actus humanus, requiritur, *quòd velim illud legere, vel dicere*, & *ex hac voluntate* procurem attentionem internam, quæ ad singulorum vocabulorum perfectam pronuntiationem est sufficiens. Nam sine his actibus internis, non potest *in esse reali* poni externa *recitatio attenta* divini officij, liberè, & humanô modô.

325. Nota 3. hanc secundam sententiam à prima distingui, quòd hæc (præter proximè dictos actus internos) requirat etiam internam devotionem, & internum DEI cultum, distinctum à supradictis, quod negat Coninck; unde consequenter docet, ab Ecclesia non posse *præcipi actum internum, nisi indirectè*, quatenus scilicet necessarius est, ut existat liberè, & humanô modô actus externus, prout præceptus est. his præmissis,

326. Quæstio est, an legislator humanus potestatem habeat prohibendi actus internos? quæ quæstio tripliciter intelligi potest 1. de actibus merè internis, non necessariò conjunctis actui externo. 2. de mixtis ex internis, & externis, & hoc cum distinctione, vel quatenus actus externus requirit, ut existat liberè, ac humanô modô, *in esse physico*? vel præter hoc, ut existat *in esse morali*, non tantùm *actûs humani*, sed virtutis v. g. Religionis.

327. In hac quæstione judico primò, probabilius esse, nullâ potestate humanâ *directè* præcipi posse actum purè internum sine omni externo. Ratio est; quia nemo potest *directè* præcipere, vel vetare, quod non potest cognoscere, & judicare: atqui Ecclesia extra tribunal confessionis, non potest similes actus cognoscere, & judicare; ergo nec præcipere: min: prob. quia non potest, utpote visibilis, judicare, nisi de actu externo, scilicet *cadente sub sensum*. Et ita tenet Castropalaus *p.* 1. *tract.* 3. *D.* 1. *p.* 6. *n.* 2. cum communi

328. An autem à legislatore humano præcipi possit actus *mixtus ex interno*, & *externo*, non conveniunt Authores. Nam (ut notat P. Joannes de Cardenas in Crisi Theol. *tract.* 1. *D.* 9. *n.* 428.) D. Thomas, Sylvester Durandus, Joannes Medina, Angelus, & Rosella omnino negant Ecclesiam posse præcipere actus internos, etiam ut conjunctos per se cum actibus externis; alijs volentibus, posse præcipere saltem indirectè actus internos, sine quibus externus in esse physico haberi non potest; non tamen eos, sine quibus haberi non potest in esse virtutis, ut jam dictum est.

Ad hanc quæstionem, Resp. 1. probabiliorem videri opinionem, quæ docet, 329.
Ecclesiam posse præcipere actus externos, mixtos internis, qui necessitate medij, vel simpliciter necessarij sunt, ut actus externus *in esse physico* existat modo humano; sic Castropal. *cit. n.* 3. si enim lex præcipiat orationem vocalem, vel aliquem *contractum celebrari, tributa solvere* (cùm hi actus externi humanô modô fieri non possint *in esse physico*, sine voluntate faciendi tales actus) eo ipso præcipit istos actus externos, tacitè præcipiendo etiam illos internos, sine quibus illi in esse physico existere non possunt modo humano; aliàs enim præciperet, quod obtinere non potest.

Resp. 2. probabiliùs etiam esse, lege 330.
humanâ præcipi posse actus internos, qui necessitate medij, seu simpliciter necessarij sunt, ut actus externus existat non tantùm *in esse* physico, sed etiam *morali* orationis, venditionis, contractûs, & similium denominationum; ita Suarez *l.* 4. *de legib. c.* 13. *à n.* 5. Salas, & alij, quos citat, & sequitur Castropalaus *cit. n.* 3. Pro quo not. quòd actus externus secundùm se, frequenter indifferens sit ad hanc, vel illam denominationem non tantùm physicam, sed etiam juridicam, vel moralem. Exemplo sit: possum ego dare alicui pecuniam, *datione physicâ*, & reali, seu externâ; hæc datio indifferens est, ut sit *emptio, solutio debiti*, vel *donatio*, aut *remuneratio*; & in esse talis formaliter constituitur per intentionem dantis. Similiter potest quis liberè proferre verba *promissoria*, vel externa signa contractûs, cum, vel sine animo interno promittendi simpliciter, vel se obligandi. Potest Sacerdos proferre verba consecrationis, absolutionis, & similia, vel *nomine suo*, vel *nomine Christi*, & hoc vocamus *esse juridicum*

*dicum*, vel *moralè*, quod actus externus sortitur ab interno; de quo loquimur in hac responsione.

331. Hinc not. *esse morale* actûs externi posse dupliciter considerari. 1. quatenus importat actum externum, ut conjunctum cum interno, quo constituitur præcisè in linea actûs moralis sub denominatione talis actûs humani, v. g. *formalis donationis*, *sacramentalis contractûs* &c. 2. quo constituitur *in linea actûs virtutis*, seu honesti. formaliter, quod fit intendendo finem alicujus virtutis, quo posito: not. 2. dictam *concluſ. in num. præced.* procedere de actu externo, *quoad esse morale in primo sensu*, nimirum, quando actus exterior sortitur denominationem formaliter v. g. *donationis*, *contractûs*, *orationis simpliciter*, *& sine addito*, non autem *merè materialiter*, & purâ actione physicâ. Nam in casu, quo legislator præcipit ejusmodi actum v. g. *contractum*, *solutionem*, *orationem*, lex cadit non solùm in actum exteriorem, sed etiam internum, non quidem per se, ac directè, sed quatenus est forma actûs externi in esse talis denominationis, sub qua præcipitur.

332. Hujus autem ratio est. Quia non potest legislatori humano negari potestas præcipiendi ea, quæ necessaria sunt ad humanam, & politicam gubernationem reipublicæ, ac debitum DEO cultum (alias enim vis rectè rempublicam gubernandi, præsertim in his, quæ in republica tam Ecclesiastica, quàm civili ad principem illius finem principaliter pertinent, omnino manca foret, & imperfecta) sed posse præcipere *veram orationem* DEI, *verum contractum*; & confequenter vitare *purè simulatum*, spectat ad potestatem rectè gubernandi rempublicam, præsertim cum manifestum sit, plurimum obesse Reipublicæ, facere *contractus merè fictos*, *conficere Sacramenta solùm materialiter*, *fundere preces ad DEUM solùm ore*, *& non corde*; ergo humano legislatori negari non potest potestas præcipiendi actus illos internos, qui simpliciter necessarij sunt, ut actus externus dicatur *verè*, ac *simpliciter contractus*, *oratio* &c. id, quod non fit sine omni actu interno.

333. Resp. 3. probabilius esse, reliquos actus internos, sine quibus simpliciter salvatur denominatio actûs externi, sub qua præcipitur, non cadere sub potestatem legis humanæ; ita Castropal. *cit. n.* 4. Nam si etiam hoc casu præciperet actum internum, præciperet eum directè, ac per se, hoc autem non potest ex n. 327. & constat, quia cùm possit obtinere finem legis, sine tali actu interno, *posse illum in tali casu præcipere*, non pertinet ad rectam gubernationem. Maj. etiam patet; quia tali casu non præciperet eum propter externas actiones, & *solùm indirectè* ratione necessitatis, quâ requiritur, ut forma, constituens actum externum *in esse morali orationis*, v. g. *externæ* propriè dictæ.

## §. II.

### *Resolvuntur rationes contrariæ.*

334. NOn defuerunt, qui existimârunt, legis humanæ materiam directam, etiam *per se*, posse esse actus merè internos. Pro hac opinione apud Castropal. *p. 6. n.* 1. citatur Rosella V. *absolutio* 1. *à n.* 28. Medina *C. de oratione q.* 15. Gloss. *in c. Cogitationis dist.* 1. *de pœnitentia*; & *in Clement.* 1. *de hæret.* §. *verùm*, V. *de eo ipso*; quorum fundamenta sunt seqq. Primum est, quòd quælibet lex præcipiat actus humanos, & liberos, quod importat actum internum, sed hoc solùm probat, quòd importet actum internum externo mixtum, ubi ad hujus esse physicum, vel etiam morale necessarius est; non autem actum *merè* internum. Idem respondetur ad illud, quo dicunt: lex præcipit, *ne pro mercibus accipiatur ultra pretium taxatum*. Nam & hoc solùm probat prohiberi actum internum indirectè, in quantum prohibet efficaciter ejusmodi actum externum, vendendi merces ultra taxam pretij; qui enim directè prohibet aliquem effectum, vel finem, indirectè etiam prohibet causam, vel medium illius efficaciter illativum, ut dictum est n. 300. hoc autem non est propriè habere jurisdictionem in actum internum; illa enim ad actus sibi subditos *directè* datur. Et ideo etiam fit reservatio actûs interni mali (cùm certa peccata externa reservantur) solùm indirectè, in quantum efficaciter causant talem actum externum.

335. Secundum est, quòd si lex humana non possit versari circa actus internos præci-

præcipiendos, aut vetandos, posset versari solùm circa actus externos, ut notorios, & manifestos. Nam soli hi actus externi possunt perturbare Rempublicam, ac ei nocere: sed in hoc negatur sequela cum sua probatione; nam quilibet actus externus, si malus sit, *per se, loquendò* habet, *posse perturbare Rempublicam*, esto per accidens id non habeat ratione circumstantiæ *occulti*, ob quod evadit incognoscibilis solùm per accidens, non autem *per se*, & *naturâ suâ*, qualiter id habet actus merè internus.

336. Ex quo etiam respondetur ad tertium fundamentum, quo dicunt, ideo humanâ lege actus *merè* internos non posset præcipi, vel prohiberi, quia ab homini bus cognosci, ac puniri non possunt, ut ipsi diximus n. 327. sed hoc non obstat. Nam homicidium, adulterium, & usuræ, etiam occultæ, humanâ lege prohibentur, etsi puniri non possint, utpote non cognitæ, quia occultæ; respondetur inquam, rationem nostram in n. 327. procedere ex eo, *quia actus merè interni, per se loquendò, & naturâ suâ*, non autem merè per accidens, sunt incognoscibiles, ac impunibiles. Quare ad dictum argumentum in forma dist. Maj. ideo actus *merè* interni, humanâ lege directè præcipi, vel prohiberi non possunt, quia *per se, ac naturâ suâ* ab hominibus cognosci non possunt, nec *puniri. Conc. quia solùm per accidens fit*, quòd cognosci non possint, & puniri. n. Maj. Nam hoc non obstare, concedo; secus, illud. Probatio minoris nihil juvat, nam homicidia, adulteria, usuræ externæ, naturâ sua sunt cognoscibiles ab hominibus, consequenter punibiles, licèt per accidens fiant *occultè*, quod non est de natura talis actûs.

337. Quartum fundamentum est ex eo, quòd Christus habuerit potestatem in actus tam externos, quàm internos hominum, directè prohibendos; & hanc potestatem Ecclesiæ, ac Successoribus suis reliquerit, ex quo fit, & hos habere potestatem in actus tam internos, quàm externos fidelium. Secunda pars Ant. prob. quia verba, quibus eis hanc potestatem reliquit (nimirum *ligandi*, & *solvendi*) sunt indefinita, & generalia.

338. Ante resolut. not. ad rectam fidelium gubernationem spectare non tantùm potestatem, quæ respicit bonum commune fidelium, *quatenus inter se communicant*; sed etiam bonum cujuslibet, *quatenus pertinet ad cujusq; salutem, ac finem supernaturalem*, ad quod utique necessaria est potestas Sacramentaliter solvendi à peccatis (quibus à fine supernaturali recedunt) si ea Ecclesiæ, vel Christi Vicario manifestent. at inter peccata non tantùm sunt actus externi, sed etiam purè interni, ut per se constat; ergo potestas Sacramentaliter etiam ab his solvendi, pertinet ad rectam Ecclesiæ gubernationem, consequenter à Christo Successoribus suis communicari debuisse.

Not. 2. *potestatem ferendi leges* esse *jurisdictionis contentiosæ*, quæ scilicet directè respicit bonum commune, ac exerceri potest etiam in invitum, ut dictum est n. 98. *potestatem autem sacramentaliter absolvendi à peccatis*, non esse *jurisdictionis contentiosæ*, sed solùm *voluntariæ*; quia requirit voluntatem pœnitentis, & respicit bonum ejus spirituale. Ex hoc resp. ad argumentum. in num. 337. datũ, quòd Christus utramque potestatem reliquerit suis Successoribus, nimirum jurisdictionis contentiosæ, seu legislativæ, ac voluntariæ pro fidelibus, in quantum hæc explicat potestatem absolvendi sacramentaliter à peccatis etiam purè internis, si Christi Vicario per pecatorẽ manifestentur; ex hoc tamen non probari, à Christo Successoribus suis communicatam esse potestatem *directè* præcipiendi, vel prohibendi actus *merè* internos. Nam hæc potestas est legislativa fori externi, seu non sacramentalis, ut dictum est num. præced. 339.

Accedit, quòd, quando Vicarius Christi, vel alius Sacerdos absolvit à peccatis merè internis per pœnitentem in confessione expositis, non agat tunc *nomine suo*, sed in persona Christi, & quidem relatè ad personam particularem; hoc autem non sonat actũ potestatis legislativæ humanæ, quæ directè non respicit bonum specialo unius, sed commune, in quo omnes communicant. Similiter cùm dispensant in votis, ac juramentis, quæ est causa inter DEUM, & hominem, hunc debitorem, illum creditorem; non exercetur actus jurisdictionis legislativæ; cùm hæc non particulare, sed commune bonum fidelium attendat, ut sæpe dictum est. 340.

Quintum

341. Quintum fundamentum est, quòd Ecclesia sæpe prohibeat, & puniat actum externum, non ratione sui, sed ratione actûs interni, ut patet ex *Clement.* 1. §. *Verùm, de Hæret.* ubi excommunicantur Inquisitores, *ex odio*, vel *amore turpis lucri*, procedentes in causa fidei, ubi clarus est casus de actu interno, non necessario ad actum externum, *in esse physico*, vel etiam *morali*, quatenus est exercitium potestatis inquirendi. Similiter in c. *Dolentes*, *de celebrat. Missarum*, præcipitur 1. *attentio* in recitatione divini Officij. 2. In receptione beneficij curati præcipitur intentio suscipiendi Sacerdotium, si recipiens nondum sit Sacerdos. 3. *in usu passivo Sacramenti*, v. g. Eucharistiæ, præcipitur *recta dispositio animi*, nimirum ne recipiat cum conscientia peccati gravis; ergo potestas saltem Ecclesiastica, extendit se ad præcipiendos vel prohibendos actûs *merè* internos.

342. Resp. 1. generaliter, à nobis concedi, quòd humanâ lege *indirectè* præcipi, & prohiberi possint actus etiam merè interni, quando nimirum simpliciter necessarij sunt, ut existat actus externus in esse physico, imò & morali, secundùm eam scilicet denominationem, secundùm quam est objectum directum illius legis, ut jam dictum est. Sic quando alicui præcipitur *confectio Sacramenti*, cùm actus externus non possit in esse morali (*à ministro facti nomine Christi*) consistere, sine interna intentione, *non suo ministri*, sed *Christi nomine operandi & faciendi, quod facit*, indirectè animo etiam interna intentio sub præceptum cadit; his positis:

343. Resp. 2. ad singula objecta; & ad 1. de excommunicatione lata in Inquisitores, dico illum malum actum externum, propter quem imponitur excommunicatio, secundum se aptum esse, ut sit objectum directum legis pœnalis simpliciter, & sine limitatione; consequenter per legem illius Clementinæ non tam ampliari potestatem puniendi inquisitionem ex quocunque pravo affectu, sed restringi ad casum, quo imperatur *ex pravo affectu lucri*, vel *odio personæ*; præter quam, quòd ut actus ille externus cadat sub legem pœnalem, necessarium sit, *quòd existat ex tali affectu*; igitur pœna non cadit in actum internum *præcisè*; sed externè proditum. Hinc

Resp. 2. cum Salas *de legib. D. 9. S. 1. à n. 8.* ejusmodi actum externum puniri dicta lege Ecclesiastica cit. Clementinæ, quando per eum aliquo modo manifestatur, & saltem moraliter (prudenti nimirum judicio) deprehensibilis redditur ille pravus affectus, non autem secus. Idē respondetur ad Clement. 1. *de statu Monach.* ubi excommunicantur Benedictini accedentes ad curiam, *animo accusandi Prælatum*, nimirum, si talis animus externo signo aliquo manifestetur. 344.

Ad 2. in n. 341. *de attenta, & devota oratione officij divini.* Not. 1. Orationem tripliciter posse sumi, 1. *Generalissimè* pro quovis opere bono. 2. *Generaliter*, pro quavis laude DEI, & gratiarū actione. 3. *Specialiter* pro petitione rei decentis à DEO. Præter hoc alia *intentio* est *directa*, cùm res in se est volita; alia *indirecta*, cùm res est volita in sui causa, seu cùm volumus causam, quam videmus habere coñexionē per se cum tali effectu; aut certè non impedimus, quod deberemus, & possumus. 345.

Not. 2. *attentionem* esse duplicem, *internam, & externam.* Hæc consistit in negatione distractionis externæ, id est, negotij, vel occupationis exterioris, quæ facit, ut talis operatio externa non sit in ijs circumstantijs actus externus talis virtutis. Sic attentione externâ careret, qui, dum oraret horas, simul pingeret, vel cum cane aliquo jocaretur &c. *interna* consistit in interna applicatione mentis ad eam actionem, cui attendi debet; quæ tripliciter fieri potest. 1. ad verba integrè proferenda, & actiones eo tempore præsciptas suo ordine peragendas. 2. ad sensum verborum, vel significationes cæremoniarum, aut actionum, quæ tunc faciendæ sunt. 3. ad DEUM, & res divinas contemplandas. Hanc attentionem postremam in actionibus cæteris, extra Missam, præ reliquis commendat Tamburinus *in meth. celeb. missæ, l. 2. c. 3. n. 2.* quibus positis: 346.

Resp. ad object. ex c. *dolentes*, in omni oratione, quâ DEUM oramus, vel colimus, præter attentionem externam, etiam præcipi *aliquam internam.* Nam adstrictus orationi officij divini, tenetur ad aliquam intentionem orandi, hoc est, faciendi actum externū non tantùm cum attentione externa (aliàs enim non foret etiam oratio externa) sed etiam internâ, saltem 347.

saltem eâ, quâ velit integrè proferre verba, & debito ordine peragere actiones externas eo tempore præscriptas; aliàs enim nec ritè faceret actionem *externam*, lege debitam, nec faceret actum *præceptum*. Omnis enim actus præceptus est actus humanus, qui non stat sine intentione libera: sed illa voluntas, seu intentio integrè proferendi verba, & debito ordine peragendi actiones externas, eo tempore præscriptas, est aliqua attentio interna, ex n. priori; ergo. Hinc concedo, in c. *dolentes*, præcipi hunc actum internum, seu attentionem internam, sed indirectè solùm non directè ut dictum est *num. præced.*

348. Ex his etiam patet ad rationes à n. 323. quatenus volunt humanâ lege præcipi posse actus internos, non tantum simpliciter necessarios, ut actus externus existere possit in esse physico, & morali, quatenus *hoc* importat actum internum, quo externus constituitur in esse talis actus v. g. *donationis* formaliter, actionis *factæ formaliter nomine Christi* &c. juxta dicta à n. 330. sed etiam *in linea virtutis*, seu actûs *formaliter honesti*, ut velle videtur P. Suarez supra *cit. in n.* 323. Nam *ad.* 1. *ibid.* ex c. *dolentes*, jam constat ex n. priori. Ad 2. Concedo, quòd Ecclesia possit præciperet *verum actum orationis*, sed *externæ*; non autem *merè internæ*, nisi quantum requiritur, ut oratio externa *in esse orationis externæ*, tam quoad esse physicum, quàm morale (nimirum talis actûs humani) verè existat, atque adeò, quantùm requiritur, ut *oratio externa* sit actus externus talis virtutis, modo humanô, ac liberè positus, quod stat, quin sit formaliter *ex fine virtutis*, nimirum imperando eum *ex intentione honestatis*, quæ specialis est tali virtuti.

349. Ad 3. in n. 323. *quòd præcepto Ecclesiæ satisfieri posset per meras simulationes*, notandum est, *simulationem* propriè dictam, esse affinem mendacio. Nam sicut *mendacium verbis aliud* significat, quàm sit in mente; sic *simulatio aliud factis*; & ideo vocatur *mendacium in actibus vitæ* v. g. *si animo mœstus lætitiam gestu, & risu significet*. ita Pereyra in Elucidario, n. 1452. & ideo *simulatio* & *fictio*, non convertuntur simpliciter; hæc enim adhiberi potest ad significandum *falsum*, & *verum* (ut cùm quis sanus claudicat, ut significet se claudum) quo casu significat *falsum*; vel ut repræsentet alterius claudi gressum, qui verè claudus est, quo casu significat *verum*; hoc posito:

Resp. ad dict. object. negandô, ex hoc, 350.
quòd quis ponendo actum externum vocalis orationis cum attentione externa, & interna (in quantum hæc importat voluntatem attendendi, ut integrè, ac ordine, temporéque debito ponantur omnia verba, quæ sunt illi orationi vocali præscripta) licèt careat animo exercendi eum actum ex fine, aut propter honestatem virtutis (v.g. *Religionis*) sequi, posse quem præcepto Ecclesiæ satisfacere per meras simulationes. Ratio est, quia, qui ponit actionem externam cum tali attentione externa, & interna, nihil *falsum* significat, & tamen præcepto Ecclesiæ orandi horas Canonicas satisfacit; ergo non sequitur, satisfieri præcepto Ecclesiæ *merâ simulatione. Nihil falsum significat*; quia significat per illum actum externum sic positum, quod habet in animo, nimirum omnia verba ordine, ac tempore debito pronuntiandi externè cum externa attentione, de qua n. 345. quam suppono etiam præstari. *Præcepto Ecclesiæ satisfacit*, secundùm objectum directè intentum, quod est omnium verborum pronuntiatio externa cum interna attentione secundùm ordinem, cæremonias, & tempus debitum; his enim positis Ecclesia ex natura rei præceptæ ab ipsa, per se nihil potest exigere, nihil punire; ergo.

Ex dictis colliges. 1. Ecclesiam nun- 351.
quam præcipere fidelibus, ut in oratione fundenda habeant hanc, vel illam intentionem, non necessariam, ut existat actus externus in esse physico, & morali, secundùm quod hoc explicat intentionem ritè ponendi, seu pronuntiandi omnia verba orationis præscriptæ secundùm ordinem, & ritum lege præscriptum; sic Castropal. *cit. p.* 1. *tract.* 3. *D* 1. *p.* 6. *n.* 4. Nam ea potestas alium actum internum præcipiendi, necessaria non est ad rectam Ecclesiæ gubernationem in bonum commune, seu in eo, in quo fideles communicant. Et ideo solùm præcipit, *horas dicere, jejunia sustinere* &c. nihil memorans *de intentione*.

Colliges. 2 si quis jejunaret, vel elee- 352.
mosynam daret, præcisè ob vanam gloriam

riam, satisfacturum legi humanæ, in quantum illi actus subsunt ei legi humanæ v. g. Ecclesiasticæ; nec incursurum pœnam, non observantibus eo casu legem, statutam in transgressores. Ex quo satis confirmatur, nunquam humanâ lege præcipi actum internum, qui solùm per accidens conjungitur externo, qui est sub lege.

353. Colliges. 3. quod n. 323. dicitur, *ab Ecclesia præcipi rectam animi dispositionem in receptione Sacramentorum*, probabiliùs negari cum Castropal. *cit. n.* 5. Nam hoc relinquit præcepto divino, quo jubemur divina, & Sancta, sanctè tractare. Similiter dum in recipientibus *beneficium curatum*, exigit *intentionem suscipiendi intra annũ Sacerdotium*, ea non debetur vi solius præcepti Ecclesiastici; sed in vi consensûs in conditionem, quem præstat recipiens beneficium, appositam ab Ecclesia beneficium sub ea conditione concedente. Nam sic Ecclesia utitur potestate non in invitum, sed tantùm in volentem, consequenter illa exigentia non est actus, nisi jurisdictionis voluntariæ, non legislativæ, propriè loquendô, quæ est jurisdictionis contentiosæ, ac exercetur etiam in invitum.

354. Colliges. 4. etsi Ecclesia obligans ad certas *orationes vocales*, eoipso etiam indirectè obliget ad aliquam *attentionem internam*, ut diximus n. 350. non præcipi tamen aliam, quàm attentionem internam, quâ explicat internam mentis applicationem ad eam actionem, cui attendi debet v. g. in oratione vocali debita ex præcepto, ut verba integrè proferantur, & reliqua cum cæremonijs, ordine, ac tempore debito fiant; cujus ratio est ex dictis. Nam Moniales æquè obligatæ sunt ad horas, quàm beneficiati; in illis tamen, vi præcepti Ecclesiastici non exigitur alia intentio, & attentio interna, ut per se patet, & confirmari potest ex dicendis *à n. seq.* ergo.

## §. III.

### *An opinio, negans Ecclesiæ potestatem directè præcipiendi actus internos, nunc adhuc sit probabilis?*

355. ANte resolutionem not. 1. P. Joannem Dicastillo, virum sapientem, & pium *tom.* 1. *tract.* 5. *de Euch. D.* 5. *D.* 7. *n.* 86. apud Gobat in experientijs *tract.* 5. *n.* 744. docere, quòd Ecclesia non possit præcipere, etiam indirectè, ullum actum internum, qui non est necessarius ad physicam existentiam actûs externi: hinc infert, quòd Ecclesia, cùm præcipit auditionem Missæ, non possit præcipere auditionem Missæ *ex motivo Religionis*, consequenter impleri præceptum tum de Missa, tum de horis Canonicis, *liberè* ponendô solum actum externum, esto absint quæcunque aliæ intentiones, modò non impediant actum externum, ut fiat, prout fieri solet externè.

356. Rationes hujus Authoris sunt sequentes. 1. quia non requiritur ullus alius actus internus ad physicam existentiam orationis externæ. 2. quia non debemus ponere ullam obligationem *gravem*, sine aperta lege, vel consuetudine obtinente vim legis. Nam *certè*, inquit Aragonius, 2. 2. *q.* 83. *a.* 12. *concl.* 3. *videtur valde durum, & à pietate Christiana alienum, mittere aliquem in infernum, aut dicere, quòd peccet mortaliter, sine evidenti, & certa ratione.* Et ideo etiam monet celeberrimus ille vir Joannes Gerson *l.* 4. *part.* 3. de vita spirituali, *lit. O. dicens: Doctores Theologi non debent esse faciles ad asserendum aliquas actiones, vel omissiones, esse peccata mortalia: nam per ejusmodi assertiones voluntarias, rigidas, duras, & nimis strictas, nunquam eruuntur homines à luto peccatorum, sed in aliud profundiùs (quia desperatiùs) demerguntur. Quid igitur expedit, amarius, graviúsque reddere illud Christi jugum, quod suave est, & onus leve. Præstabitur præterea sedulius servitium DEO, cujus mandata gravia non sunt:* sic ille; quibus positis: Subsumit: sed nulla lex scripta potest exhiberi, quæ mandet intentionem, *orandi aliter*, quàm laudatione vocali, & decente pronuntiatione verborum, atque sententiarum continentium laudem DEI, ut videri potest apud Gobat *tract.* 5. *in Theolog. experim. n.* 746. nec etiam constat de consuetudine obligante ad intentionem aliam; ergo.

357. Deinde, quia plurima sunt in Breviario, quæ non sunt *preces*, vel *petitiones*; imò multæ sunt petitiones rerum, quas non possumus nos petere; ergo non possum habere intentionem illa petendi, quæ per verba significantur. Accedit, quòd imperiti linguæ latinæ, ut Moniales, satisfaciant

faciant cum intentione dicendi officium decenter exteriùs quoad pronuntiationem vocalem. Quomodo enim habent intentionem petendi, quod significant voces formaliter? Demum, cùm quis in Breviario dicit: *juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Diabolus stet à dextris ejus* &c. certè rarus est, qui per hæc intendat ea significare, quæ formaliter significantur. Nam si formaliter proferres, & non jurâsses, quòd nullum peccatum grave committere velis, mentireris illud orando; hæ rationes certè sunt valde congruæ; sic ille, & plures alij.

358. Ex his concluditur Patrem Dicastillo docere, satisfieri obligationi, dicendi horas Canonicas per solam voluntariam, vocalem, decentemque pronuntiationem verborum, ac sententiarum, quæ in breviario continentur, esto non habeat animum, quidquam formaliter per ea significandi; hanc opinionem vocat Gobat *cit. n.* 751. non penitus improbabilem. Difficile certè est, taliter orantem peccati mortalis condemnare.

359. Not. 2. Patrem Joannem de Cardenas in Crisi Theologica, in qua exponit primùm propositiones prohibitas, & damnatas ab Alexandro VII. tum in altera, ubi damnatas ab Innocentio XI. plures sententias, quæ antè etiam à graviſſimis Doctoribus, tanquam verè probabiles asserebantur, numerare nunc inter damnatas, & vi eorum decretorum antiquatas, nec amplius probabiles. Inter alia, in Crisi Bipartita, *tr.* 1. *de probabilitate d.* 9. *c.* 20. *a.* 12. *n.* 428. dicit, fuisse non paucorum Theologorum opinionem, quæ docuit, *in Ecclesia non esse potestatem præcipiendi, aut vetandi actus internos, nisi solùm indirectè, quatenus requiruntur ad præcisam, & absolutam positionem actuum externorum;* ex quo infert, *Doctores hujus sententiæ, omnino negâsse, posse Ecclesiam præcipere actus internos, etiam ut conjunctos per se cum actibus externis.* Et hanc opinionem ibidem tribuit Divo Thomæ, Patri Coninck *p.* 3. *q.* 83. *à n.* 291. & alijs à nobis relatis supra. Subjungit *n.* 429. *virtute decreti Alexandri VII. continentis propositiones, ab illo prohibitas, antiquatam manere hanc opinionem, atque adeo jam non esse probabilem sententiam, quæ docet, Ecclesiam carere potestate præcipiendi, aut vetandi actus internos, etiam mixtos, & per se requisitos ad esse morale actionum, quod componitur ex internis, & externis.*

Ratio ipsius est, quòd ea opinio non 360.
maneat probabilis, quæ est incompossibilis cum principio certo; sed illa opinio nunc est incompossibilis cum principio certo; ergo nunc non manet probabilis. Min. prob. Nam *ex hoc, quòd aliqua doctrina (quæ dicit aliquid in praxi*, seu usu & exsecutione sua, *esse licitum*) *à Pontifice damnetur, ut scandalosa, certum sit, talem usum in praxi, non esse licitum*; sed huic opponitur opinio, quæ dicit, in praxi (quantum est vi solius legis Ecclesiasticæ) satisfieri, ponendô actum externum præceptum sine actu interno non requisito ad esse morale talis actûs præcepti: sic enim in praxi liceret usus doctrinæ, quam Pontifex damnat ut scandalosam; consequenter ut certò falsam; ergo. Min. prob. 1. ex decreto Urbani VIII. quo tanquam scandalosa, consequenter certò falsa, ut præmisit ead. disp. 9. a. 8. damnatur hæc opinio: *duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licitè accipere, applicandô petenti partem, etiam specialissimam fructûs, ipsimet celebranti correspondentem, etiam post decretum Urbani VIII.* sed cum hoc principio certo, ex infallibilitate, quam habet Summus Pontifex in his, quæ toti Ecclesiæ proponit ut facienda, vel omittenda in materia morum, incompossibilis est opinio dicens, ab Ecclesia non posse prohiberi actum internum, etiam mixtum cum externo. Nam in hoc casu expressè prohibetur ea *intentio applicandi partem specialissimam.*

Probat. 2. ex decreto Alexandri VII. 361.
ubi inter damnatas est 14. hæc: *qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ;* quam propositionem ait ibid. *n.* 436. doctam, & traditam, *ut probabilem*, à Sylvestro, Alensi, Gabriele, Paludano, Cano, Victoria, & alijs: sed huic principio certo opponitur ea opinio, quæ negat Ecclesiæ potestatem præcipiendi actus internos cum externo mixtos. Si enim non potest præcipere actum internum per se necessarium ad esse morale actûs externi, omittendô *internum propositum*, vel *dolorem*, non violabit Ecclesiæ

præce-

præceptum *de Confessione* ( *ex voluntario defectu eorum actuum* ) *nulliter confitendò*, consequenter satisfaciet Ecclesiæ præcepto per Confessionem voluntariè nullã, quod directè opponitur damnatæ, vi cujus certò falsum est, satisfieri Ecclesiæ præcepto per Confessionem voluntariè nullã: ergo ut satisfiat Ecclesiæ præcepto, illi actus interni ab Ecclesia præcepti sunt, consequenter præcipi possunt.

362. Circa hanc doctrinam Patris de Cardenas, quam deductam ex ejusmodi Summorum Pontificum decretis, varias Doctorum opiniones condemnantibus, ut *scandalosas*, in multis resolutionibus, circa opinionum probabilitatem citatus Author usurpat, not. 1. cùm recta hujus doctrinæ intelligentia, cùm primis in materia de legibus, quam hìc tractamus, perneccssaria sit, ut sciatur, quid circa illam, in obligatione, & expositione legum tenendum, ex Doctorum interpretatione doctrinali, aliqua necessariò præmittenda esse; quare Not. 2. concedi omnino, propositionem contradictoriè oppositam alteri *certò veræ*, esse *certò falsam*, eàdem certitudine falsitatis, quâ certitudine veritatis vera est opposita. Nam verificativum affirmantis, est falsificativum contradictoriæ negantis; sic cursus Petri verificans hanc ( Petrus currit ) falsificat istam: *Petrus non currit*; ergo quod illam redddit *certò veram*, istam reddit, *certò falsam*.

363. Not. 3. ut propositio aliqua evadat *certò falsa*, ex eo, quòd contradictoriè opponatur *certò veræ*, requiri, quòd ei opponatur, *in quantum est certò vera, & oppositione certa*. Hinc, *cùm propositio aliqua complexa, sub terminis complexè enuntiantibus aliquid*, per Sedem Apostolicam damnatur *ut scandalosa*; ex qua damnatione falsum evadit, *ejus propositionis usum in praxi esse licitum* ( quomodo enim *in praxi licitum*, prudenter dici potest, quod certò scandalosum est, & usu suo aptum inducere spiritualem animæ ruinam? ) necesse est, alteram illi contradictoriè opponi, ac contradicere formaliter in eo, quod ipsa *complexè* enuntiat. Nam aliàs non affirmaretur, & negaretur idem formaliter secundum idem, sine quo non stat contradictio formalis, nec certitudinem haberet ex tali decreto Pontificio. Ex hoc sequitur, vi hujus propositionis ( *qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem* ) quæ, prout jacet, est 54. inter damnatas ab Innocentio XI. tanquam scandalosas ( & consequenter est certò falsa in ordine ad usum assertæ ab ipsa doctrinæ ) non reddi certò falsam, nisi propositio contradictoriè, vel virtualiter opposita illi, *prout jacet*, ac *complexè enuntiat* dictum sub data causali, enuntiet complexè oppositum, nimirum, *quòd licitè omittat rèliquas horas, quas potest, qui non potest matutinum, & laudes; quia major pars trahit ad se minorem.*

364. Not. 4. alterum principium, quo utitur Cardenas, ad intentionem suam, de qua n. 360. esse hoc, *quòd ipsum etiam antecedens, quod vel formaliter, vel virtualiter infert, illatione evidenti, aliquam propositionem decreto Pontificio damnatam, ut scandalosam, maneat formaliter, vel virtualiter damnatum*, ut expresè docet *in 3. part. Crisis Theologicæ, ad propos. damnatas ab Innocentio XI. dissert. 33. c. 4. à n. 28.* Nam ex hoc infert, hanc ( *qui non potest recitare majorem partem Primæ* v. g. *licèt possit minorem, non tenetur recitare minorem* ) nec virtualiter esse damnatam, licèt (*ut ille supponit*) damnata sit hæc (*qui non potest recitare matutinum, & laudes, non tenetur ad reliquas horas*) cujus rationem dat, quia illa de majori parte *Primæ*, non infertur evidenter ex ista de majori parte *totius Officij*, eò quòd sit evidens, materiam primæ, *quà primæ*, secundùm quod subest præcepto *recitandi primam*, esse præceptam divisibiliter, sicut constat de materia *totius divini* officij per septem horas distincti.

365. Dixi, *ut ille supponit*, nimirum *dictam propositionem damnatam esse*. Nam in re id non bene dicitur: ex eo enim, quòd damnata sit hæc *causalis* propositio ( *qui non potest matutinum & laudes, non tenetur ad reliquas horas, quia major pars trahit ad se minorem* ) non rectè sequitur, damnatam etiam esse, vel formaliter, vel virtualiter istam: *qui non potest matutinũ, & laudes, non tenetur ad reliqua.* Nam ista non est incompossibilis cum illa, cùm stante veritate hujus, consistere possit integra certitudo de falsitate illius; quod non fieret, si cum illa vel incompossibilis esset, vel ex illa inferretur illatione evidenti;

nam si quis dicat, eum, qui non potest recitare matutinum & laudes, non teneri ad reliqua, *quia materia, etiam totius officij est indivisibiliter præcepta*, aut ex alia causali; vel, præcepta esse reliqua dependenter à matutino, & laudibus; cujus oppositum non est evidens; non contradicit alteri damnatæ, in quantum complexè certò vera est; quibus positis:

366. Ad quæstionem initio propositam resp. probabiliùs esse, vi eorum decretorum, de quibus Cardenas cit. sententiam eorum, qui docent in Ecclesia non esse potestatem præcipiendi, vel vetandi actus internos, nisi indirectè solùm, quatenus per se necessarij sunt, ut actus externus existat in esse physico, & morali, *actûs externi humani*, secundùm denominationem, sub qua præcipitur, non esse antiquatam, aut numero probabilium expunctam. Nam ea nec opponitur ulli principio certo; nec evidenter infertur, etiam virtualiter, ex aliquo decreto Pontificio, damnata; nec talem infert, ut dicemus in seqq.

367. Antequam respondeam ad ejus fundamenta, præmittendum est: quæstionem versari in eo, an potestas humana (Ecclesiastica v. g.) præcipere possit actus aliquos externos sine omni interno, qui non est per se necessarius, ut actus externus existat *in esse physico, & morali*, in quantum *esse morale actûs externi* explicat, aut petit *aliquid amplius*, quàm esse physicum actûs præcepti, liberè positi, ut ordine, ac tempore, atque modo præscripto existat? ubi vides in tali casu *actum internũ* (hoc est voluntatẽ, & attentionem, ut actus externus, externè fiat, prout lex ipsũ externè fieri exigit) à P. Cardenas non numerari inter *actus mixtos* per se requisitos *ad esse morale actûs externi*, sed *aliquid amplius*, quo scilicet constituatur *in esse morali* v. g. *virtutis*, ut manifestum est ex ejus doctrina *in 3. p. Cris. Theol. cit. dissertat.* 34. *c.* 2. *a.* 1. *à n.* 7. Nam duplex *esse morale* actûs externi considerari potest; *unum*, à quo habeat denominationem *actûs humani ac liberi*, quod habetur per actum voluntatis, actum externum imperantis, ut in esse physico externè existat; alterum, à quo habeat *esse morale* in linea alicujus *virtutis*, vel *vitij*, aut *inducentis aliquem effectum moralem* v. g. *obligantis* &c.

Exemplum dat ibidem n. 8. dicens: 368.
si lex humana præcipit fieri *contractum*, tunc debere intelligi *præceptum esse actum mixtum ex interno, & externo, vi præcepti debet adjungi alius actus internus* (sine quo esse posset externus) *conducens ad esse morale externi in linea virtutis, obligantis* v. g. quod non habet contractus externus præcisè *per esse morale actûs liberi, aut humani*, etiam voluntariè positus, secundùm omnem formam externam, nisi ei adjunctus sit actus internus, seu animus v. g. *se obligandi, aliquid petendi* &c. Sic igitur intelligendô, ex ejus mente *actus mixtos, & esse morale actûs externi in esse virtutis*, ejus sententia est, eorum opinionem, vi dictorum decretorum manere nunc antiquatam, & improbabilem, qui docuerunt, non esse in Ecclesiæ potestate prohibere *actus mixtos*, seu actus externos cum internis, requisitis ad esse morale virtutis obligantis, prout nimirum hoc explicat aliquid ultra intentionem liberè, ac ritè ponendi actum externum, ut expositum est. Et in hoc casu judico sententiam, huic doctrinæ contrariam, esse probabiliorem, ex ratione data n. 366. in fine.

Ad argumenta igitur illius, & primum 369.
in n. 360. concedo Maj. N. min. ad hujus probat. conc. maj. N. min. ad hujus primam probat. in n. 361. conc. Maj. quòd certò falsum sit, *etiam post decretum Urbani VIII. licere Sacerdoti pro eadem Missa duplicatum stipendium accipere, petenti applicandô partem specialissimã fructûs ipsi celebranti correspondentem*; sed nego hanc (*Ecclesia non potest præcipere actus internos, qui necessarij non sunt, ut actus externus existat in esse physico, & morali solius actûs externi, externè ritè facti*) esse oppositam illi; ergo sententia, quam docet Dicastillo, & alij, quorum sententiam nunc Cardenas vi ejus argumenti vult antiquatam, non opponitur illi certo principio, nec incompossibilis est cum illo. min. ostenditur. nam, quæ incompossibilia sunt, ex eo talia sunt, quia sibi contradicunt vel formaliter, vel virtualiter, & illativè; sed sententia affirmans (*ab Ecclesia non posse præcipi actus internos, non conjunctos per se externo, ut physicè existat in esse morali, actus humani, externè, ritè, ac liberè positi*

*positi*) nec formaliter, nec virtualiter contradicit illi certæ ex damnatione Pontificia; ergo. Min. *de contradictione formali* per se patet; & consideranti utramque manifestum erit, nullam inter eas esse contradictionem formalem. Sed nec habent ullam *oppositionem virtualem.* Nam, ut ei illativè, seu virtualiter opponatur, necesse est, quòd ex damnata evidenter sequatur contradictorium hujus sententiæ, sed hoc non fit. Esto enim ex illa damnata evidenter inferatur, ut certum, *post decretum Urbani VIII. non licere Sacerdoti pro una Missa duplicatum stipendium accipere, petenti applicandô partem illam fructûs specialissimam;* huic tamen non contradicit etiam virtualiter, dicens: *quòd Ecclesia non possit prohibere actum internum per se non conjunctum cum actu externo, ut existat in esse physico, & morali actûs humani, seu liberè externè positi*, ut manifestum est, ergo.

370. Deinde, *vi illius decreti*, damnatur ut scandalosa, & doceri, aut practicari prohibetur solùm hæc propositio: *etiam post decretum Urbani VIII. non datur ulla lex, prohibens cum illa intentione, partem illius fructûs applicare petenti, & sic acceptare duplex stipendium pro una Missa;* sed cum illa non est incompossibilis ista: etiam post decretum Urbani VIII. non datur, nec dari potest *ulla lex Ecclesiastica, prohibens, cum illa intentione, partem fructûs illius, applicare petenti, & sic acceptare duplex stipendium pro una Missa; quando ea intentio non est per se necessaria ad hoc, ut externè, ac in esse physico liberè fiat illa acceptatio, & applicatio externa*; nec etiam ex ista evidenter infertur illa, ergo id, quod tenent Doctores, contra quos agit Cardenas cit. loco; nec incompossibile est cum principio certo ex vi ejus decreti; nec tanquam antecedens evidenter infert illam damnatam; ergo eorum doctrina, vi ejus decreti, nec manet antiquata, nec numero probabilium expuncta. Min. prob. Nam illud Urbani decretum *antecedens*, de quo in data propositione damnata, vel fuit præcisè *declarativum*, quòd sit falsum, aut scandalosum dicere, *nullam omnino dari legem, quæ prohibeat illam applicationem fructûs, & acceptationem talis stipendij*, vel *dispositivum*, inducendô novum jus, & legem Ecclesiasticam, *quæ prohibeat talem applicationem, & acceptationem?* Si primum? nihil illi contradicitur per doctrinam, quæ asserit, *non dari legem Ecclesiasticam, quâ id prohibitum sit*, ut patet ex terminis. Nam dicenti: *nulla datur lex prohibens hunc actum*; nec formaliter, nec virtualiter contradicit asserens: *quòd nulla detur lex Ecclesiastica prohibens talem actum.* Si secundum? tunc damnata solùm est falsa, vi decreti, *ex suppositione*, quòd dicat nullam dari legem, *etiam Ecclesiasticam*, quæ prohibeat talem acceptationem cum ejusmodi intentione. Sed nec sic illi contradicit opinio eorum Doctorum.

Probatur. Nam vel dicit Carden. quòd Pontifex per illud decretum antecedens constituerit legem Ecclesiasticam, quæ prohibeat illam acceptationem, & intentionem internam, *in quantum necessaria est, ut liberè existat ille contractus in esse physico*, seu in esse externo externè liberè posito; vel etiam illam, *quæ ad hoc non est necessaria?* at hoc secundum negatur, & supponit, non probat Cardenas; quia hoc versatur in quæstione; primum autem non negant illi Doctores, qui libenter concedunt, præcepto, vel prohibito actu externo, etiam indirectè præcipi, vel prohiberi actus internos *per se requisitos*, ut actus externus externè fiat liberè, & humanô modô; non autem *non necessarios*; ad promissionem autem *externæ* applicationis fructûs Missæ per se necessarius non est actus internus, seu intentio illa interna, *verificans* applicationem externam.

Unde not. internam intentionem, vel 371.
applicationem illius fructûs dupliciter posse intelligi, vel quatenus significat actum voluntatis, quo applicatio externa, & vocalis constituitur in esse applicationis externæ, *liberè volitæ*, quæ est applicatio voluntaria, sed *solius oris:* vel quatenus significat actum voluntatis, qua externa, & vocalis promissio, seu applicatio constituitur *in esse veræ formaliter*, & consequenter in esse applicationis *factæ corde.* Et hujus intentionis omissionem internam negant illi Doctores, posse præcipi ab Ecclesia, cùm Ecclesia prohibet, ne in praxi quis utatur eâ doctrinâ, quam continet propositio damnata, de qua n. 360. volentes, illo Urbani decreto antecedenti, solùm prohiberi ab Ecclesia illam, quæ per se necessaria est,

ut

ut illa oris, seu vocalis applicatio existat in esse liberè positæ. Nec ex hoc sequitur, *talem applicationem fore simpliciter licitam.* Nam ex hoc quòd non detur *lex humana*, directè prohibens illam *applicationem cordis*, non sequitur, illam *cordis applicationē* simpliciter esse licitam; quia cum illo stat, quòd detur lex divina illam prohibens. Igitur sententia dicens, ab Ecclesia non prohiberi, nec posse prohiberi illam liberam applicationem fructûs liberè factam *corde & ore*, sed tantùm *liberam applicationem oris*, non dicit aliquid incompossibile cum eo, quod certum est, ex vi ejus decreti.

372. Ad alteram rationem ex decreto Alexandri VII. in n. 361. Resp. similiter, negandô, quòd hæc propositio (*Ecclesia non potest præcipere, vel prohibere actus internos, per se non necessarios, ut actus externus habeat suum esse physicum, liberè volitum, atque positum in esse externo ritè externè factū*) sit incompossibilis cum principio certo, ex vi ejus decreti. Nam decretum illud, vel consideratur in quantum *declarativum*, vel in quantum *prohibitivum*, vel in quantum *punitivum?* in nulla autē acceptatione illi opponitur opinio horum Doctorum; ergo. Non *in quantum est declarativum*, quòd ea propositio sit scandalosa, consequenter, quòd sit certò falsum, *satisfieri præcepto Ecclesiæ per confessionem voluntariè nullam.* Nam huic certæ, nec formaliter, nec illativè contradicit ea propositio Doctorum; cùm veritas ejus propositionis stare possit, quin vel formaliter, vel virtualiter dicat satisfieri præcepto Ecclesiæ per confessionem voluntariè nullam, ut patebit ex num. seq. ergo.

373. Ad hoc exponendum not. 1. omnino concedi, quòd *confessio Sacramentalis* non sit valida, nisi sit confessio cordis, & oris, hoc est, nisi cum actu externo ponantur etiam actus interni, doloris, & propositi, qui non sunt per se necessarij, ut confessio externa, in esse confessionis, *externè fiat liberè*, sed ut fiat *validè*. Not. 2. præceptum, ut, cùm quis vult facere confessionem Sacramentalem, eam, quantum est ex se, faciat validè, consequenter nihil omittat voluntariè, cujus defectu esset invalida, esse præceptum juris divini; atque adeò in eo casu omissionem eorum actuum internorum esse objectum legis divinæ prohibentis eam.

Not. 3. pariter esse juris divini, ut fideles confessionem Sacramentalem *aliquando faciant*; at ut fiat *hoc tempore* v. g. *tempore Paschali*, præceptum esse Ecclesiæ. Quarè objectum directum præcepti Ecclesiastici est solum *tempus*, quo fieri debet *confessio jure divino debita*; non autem ipsa confessio Sacramentalis; hinc, qui doceret: *omittens confessionem, jure divino debitam, peragere tempore Paschali, satisfacit præcepto Ecclesiæ*, formaliter doceret propositionem damnatam; atque adeò etiam ille, qui doceret, *quòd satisfaceret præcepto Ecclesiæ, tempore Paschali faciens confessionem voluntariè nullam*; quia *non faceret* tempore *Paschali confessionem jure divino debitam.* Ex quo clarè sequitur, eos actus internos, quibus intrinsecè constat *confessio jure divino debita*, solùm *indirectè præcipi ab Ecclesia*, nimirum quatenus *tempus confessionis jure divino debitæ*, directè præceptum ab Ecclesia, haberi non potest in esse physico, nisi ponatur *confessio jure divino debita.* Nam tempus Paschale, in quo fit confessio voluntariè nulla, non est tempus *confessionis jure divino debitæ.* Duratio enim *confessionis invalidæ*, & duratio *confessionis validæ*, realissimè differunt; at hanc durationem, seu temporalem existentiam directè præcipit Ecclesia; & eam omittit, non ponens ejus modificatum, nempe *confessionem validam*; ergo revera solùm indirectè respicit illos actus internos, quatenus talis *duratio* in esse solùm physico illis existentibus, haberi non potest. 374.

Dices cum Patre de Cardenas *tract.* 1. *de probabilit. D.* 9 *c.* 20. *a.* 12. *n.* 439. Vel satisfacit præcepto Ecclesiæ, qui facit confessionem voluntariè nullam, scilicet sine contritione; vel non satisfacit? Si primum? contradicitur definitioni Alexandri VII. Si secundum? ergo omissio contritionis est violatio præcepti Ecclesiastici; ergo præceptum Ecclesiasticum interdicit omissionem contritionis; cùm nemo violet præceptum per omissionem, nisi omissio prohibeatur per præceptum, vel nisi omittendô illud, quod præceptum jubet. Resp. quòd faciens confessionē voluntariè nullam *eo tempore, quo debet ex præcepto Ecclesiæ*, non satisfaciat præcepto Ecclesiæ, non quidem violandô illud *formaliter*, & directè, 375.

directè, *voluntaria nullitate* confessionis, omittendò substantiâ confessionis jure Divino debitæ; sed consequenter, & indirectè, nimirum directè omittendò *circumstantiam* confessionis jure Divino debitæ, non exercendò scilicet confessionem jure divino debitam, *tempore præscripto*, consequenter omissione temporis intrinseci, quod petit præceptum Ecclesiæ. Hinc dist. conseq. ergo *omissio contritionis, ratione sui formaliter*, est violatio præcepti Ecclesiastici, neg. *illativè solùm, & consequenter* (quatenus secum trahit omissionem circumstantiæ, nimirum temporis, cujus esse physicum haberi non potest, nisi existat confessio jure divino debita) concedo conseq. dist. etiam secundum consequens: ergo præceptum Ecclesiasticum *directè, & formaliter* (nimirum ratione omissæ contritionis) interdicit omissionem contritionis, neg. *indirectè solùm, & ratione circumstantiæ*, quæ sine illa quoad substantiam haberi non potest in esse physico, C conseq. sed hoc nihil facit ad probandum, quòd Ecclesia præcipere, vel prohibere *directè* possit actus internos, qui per se requisiti non sunt, ut *objectum ejus directum* physicè existat. Eadem distinctio adhibetur reliquis ibidem additis.

376. Sic sit casus: Titius *jure naturali* debeat Cajo centum; deinde Judex, sub pœna, ipso facto incurrenda, præcipiat Titio, *ut ipsi Calendis Maij solvat*, quod jure naturali debet; nemo dicet, Titium *formaliter* violare præceptum Judicis *propter omissionem solutionis quoad substantiam*; & eo titulo incurrere, ipso facto, pœnam præcepto statutam; sed tantùm *propter omissionem circumstantiæ temporis*, nimirum, quòd solutio jure naturali debita, facta non sit *Calendis Maij*, sic res se habet in casu nostro.

377. Dices. 2. cum eodem num. 440. vel Ecclesia præcipit *duntaxat*; quòd in hoc tempore facias confessionem *externam*; vel quòd *in hoc tempore* facias confessionem validam cum omnibus requisitis internis? Si primum? ergo non violat præceptum Ecclesiæ, qui duntaxat facit confessionem externam, quamvis invalidam, cujus oppositum definit Alexander VII. Si secundum? ergo præcipit tempus in ordine ad actus internos eliciendos simul cum confessione externa. Resp. Quòd Ecclesia directè præcipiat *duntaxat tempus confessionis debitæ jure divino*, consequenter *circumstantiam ejus*, quod jure divino ponendum est; dist. conseq. ergo præcipit tempus in ordine ad actus internos eliciendos *directè debitos ex jure divino; & solùm indirectè jure humano debitos ratione circumstantiæ*, ut *hæc* existat in esse physico conc. *directè debitos ex jure humano*, N. conseq. sed ex hoc non probatur intentum, ut diximus n. 366. in fine; ergo. Probat igitur solùm, quòd Ecclesia directè præcipiat tempus, quo fieri debeat confessio *jure divino debita*; & indirectè confessionem jure divino debitam; quia sine hac illud existere non potest.

Dices 3. cum eodem, n. 441. tempus per se non est materia præcepti; quia tempus præcisè sumptum non est operatio hominis, nec cadit sub ejus potestatem liberam: ergo dum Ecclesia præcipit tempus confessionis validæ, exercendæ cum contritione, præcipit & confessionem externam, & simul contritionem in tali tempore exercendam; ergo Ecclesia potest præcipere actus internos in tali tempore exercendos simul cum externis. Resp. 1. reponendò argumentum. Peccata per se non sunt materia præcepti affirmativi divini (hoc enim directè intendit positionem alicujus actus) quia peccatum præcisè sumptum, non est operatio hominis, ab illo licitè ponibilis, nec cadit sub potestatem Legislatoris, qua præcipere possit, ut peccata fiant; ergo, dum DEUS præcipit *veram confessionem peccatorum*, præcipit & *confessionem*, & *simul peccata*; quod est absurdum. Patet conseq. quia ibi præter confessionem externam, validè positam, præcipiens tempus ejus, præcipit non tantùm circumstantiam temporis, sed etiam substantiam utriusque actus externi, & interni, ut vult dictum argumentum; & hoc non ex alio capite, quàm, quia tempus secundùm se non potest præstari ab homine, sed nec *vera confessio* peccati præstari potest ab homine *sine peccato in re commisso*; ergo DEUS præcipiens *confessionem veram* præcipit & *confessionem*, & *peccatum in re commissum*; quod non admittitur. 378.

Resp. 2. cum distinct. Ant. Tempus, *secundùm se* & præscindendò ab operatione, cujus est circumstantia, non est materia præcepti, transf. anteced. si consideretur *in ratione circumstantiæ alicujus operationis*, 379.

alio jure debitæ, nego ant. ad hujus probat. eadem est distinctio. Nam licèt tempus *præcisè* (in quantum abstrahit ab operatione, cujus est circumstantia) non sit operatio hominis, est tamen ejus *circumstantia*; & ut aliquid sit materia præcepti, satis est, quòd sit vel operatio hominis, vel quòd sit circumstantia ejus, quod est in libera potestate hominis; at sic contingit in præsenti, dum Ecclesia præcipit tempus confessionis validæ, seu jure divino aliàs debitæ; ergo. Hinc patet ad 1. consequens dicti argumenti; nam distinguo: ergo dum Ecclesia præcipit tempus confessionis validæ, exercendæ cum contritione, *indirectè* præcipit & confessionem externam, & simul contritionem in tali tempore exercendam, transf. præcipit *directè*, nego conseq. dist. etiam secundum conseq. ergo Ecclesia potest præcipere actus internos, in tali tempore exercendos simul cum externis, *indirectè*, transf. (in quantum scilicet necessarij sunt ut existat physicè circumstantia, quam directè præcipit) potest præcipere *directè*, nego conseq.

380. Dixi, *transeat*; nam simpliciter negandum est, quòd efficaciter volens aliquem finem, necessariò debeat *velle* medium unicè necessariũ ad hoc, ut physicè existat finis. Deus enim efficaciter potest velle *pœnitentiam de peccatis commissis*, quin *velle debeat peccata commissa*; licèt pœnitentia physicè non possit existere sine peccatis commissis; quia (ut loquuntur Theologi) sufficit mediũ esse *vel volitum*, *vel cognitum ut aliunde futurum*; ergo licèt *circumstantia temporis*, de confessione jure divino debita, non possit physicè existere, nisi physicè existat confessio jure divino debita (hæc est confessio externa, & actus interni, quibus in esse validæ intrinsecè constituitur) non propterea sequetur, quòd præcipiens circumstantiam confessionis jure divino debitæ, necessariò præcipiat etiam indirectè confessionem jure divino debitam; cùm hæc jam sit aliunde præcepta, & ab Ecclesia, ejus circumstantiam præcipiente, id ipsum sit jam cognitum.

381. Ad alterum principium ejusdem Authoris, in num. 364. relatum Resp. 1. dato, id verum esse, jam tamen ostensum esse, quòd ex sententia Doctorum quam negamus vi dictorum decretorum antiquatam, & numero probabilium expunctam, tanquam ex antecedenti, per evidentem illationem inferatur ulla propositio damnata. Deinde Respond. 2. vi dati principij non sequi, *sub eadem certitudine* falsum esse antecedens, ex quo per evidentem illationem infertur propositio damnata, qua certitudine certum est, eam damnatam esse scandalosam. Nam si una præmissarum non sit certa eadem certitudine, qua certò falsa est damnata, ex vi illationis, ex illis factæ, non habet certitudinem, nisi quam habent præmissæ; ergo si præmissæ non habent certitudinem, quam habet damnata ex vi eorum decretorum, nec falsitas antecedentis habet certitudinem, quam habet damnata ex vi illorum decretorum. Sic licèt metaphysicè certum sit, *omnem currentem moveri*, & solùm probabile, *Petrum currere*, conclusio non habet majorem certitudinẽ, quàm habeat complexio præmissarum; nec ex illis præmissis metaphysicè certum esse *Petrum moveri*.

Ex dictis colliges 1. doctrinam eo- 382
rum Authorum (qui docent, *Ecclesiam non posse præcipere, vel prohibere actus internos, nisi indirectè, quatenus scilicet per se requisiti sunt, ut physicè existat objectum directè præceptum*, sive sit operatio aliqua, sive ejus solùm circumstantia) nullatenus incompossibilem esse cum principio certo ex vi illorum decretorum, etiam in quantum præcisè prohibent *doceri*, aut *practicari* eam propositionem damnatam, *prout jacet*; nam dictorum Authorum doctrina neque practicat, neque etiam docet *satisfieri præcepto Ecclesiæ per confessionem voluntariè nullam*; prout jam ostensum est. Unde ulterius concluditur, quòd nec peccet contra principium certum ex vi illorum decretorum, inquantum *punitiva* sunt. Nã si non continet culpam, nec contrahit pœnam. Omitto plura, quæ contra principia Patris de Cardenas opponi possent, ex ijs, quæ prænotavimus à n. 362. de quibus fortè per decursum: nam non omnis propositio *certò falsa est*, quæ opponitur alicui simplici, contentæ in alia complexa, *certò vera*, *solùm*, *in quantum complexa est*, ut patet consideranti; sic autem sæpè Cardenas comparat sententias Authorum relatè ad damnatas, quibus illæ non opponuntur, *ut damnatæ* sunt, nimirum, *prout jacent*, *& complexè sunt veræ*; de quo in sequentibus; ergo.

Col-

383. Colliges. 2. quando transmisimus suprà, quòd propositio per sedem Apostolicam damnata, *ut scandalosa*, consequenter sit *falsa*, debere intelligi, quòd *sit falsum, licere juxta illam operari:* nam quando certum est, quòd aliqua operatio eo ipso, quòd exerceatur, scandalosa sit, hoc est, *apta inducere ruinam spiritualem*, nequit esse licitum, aut prudenter judicabile ut verum, *quod licitè, seu citra culpam exerceri possit.* Cæterùm non omnis propositio *ex hoc, quòd scandalosa sit*, falsa est; nam, qui de proximo (qui externè habetur vir probus) narrat gravia delicta, quæ re ipsâ perpetravit, verum dicit, & tamen hoc dictum est scandalosum.

384. Colliges. 3. ex hactenus dictis, rectè sequi, Ecclesiam non posse præcipere, vel prohibere *directè* actus internos, *lege coactivâ*, hoc est, ita, ut talis prohibitionis transgressores pœnis coërcere possit. Nam illi, cujus cognitionem habere nequit, decernere pœnam non potest; secus est indirectè, ut ex dictis liquet. Cæterum omninò fieri potest, quòd potestas humana quem obliget ad aliquem actum internum, ex suppositione obligato voluntariâ v. g. ut, *si velit profiteri Religionem, habeat intentionem se obligandi* &c. ubi vides actum internum non præcipi *directè*, nisi ex suppositione, aut sub conditione, quòd velit certos effectus, qui haberi non possunt sine causa, quæ, *in esse talis*, constituitur per actum internum.

## §. IV.

### *Respondetur ad alia argumenta.*

385. ANtequam ea proponam, not. ex P. de Cardenas *p.* 3. *Crisis Theologicæ*, *dissert.* 34. *c.* 2. *a.* 2. *n.* 32. juxta illum duobus modis posse defendi sententiam, quæ negat Ecclesiæ *potestatem directam in actus internos*; primò, quòd non possit in illa dari potestas, condendi legem, *nisi coactivam*, juxta quam Legislator possit judicare, & exequi pœnam, quæ relatè ad actus internos impossibilis sit in non valente cognoscere actus internos; & hoc sensu sententiam negantem à pluribus attribui S. Thomæ. Secundò si dicatur, posse ferri legem circa actus internos, non quia impossibilis sit *lex purè directiva* circa illos; sed quia is modus gubernationis, *actus solùm externos imperandi*, est conformior naturæ hominis, & hanc tribuit Patri Suarez *l.* 4. *de legib. c.* 12. *n.* 9. Primum modum ait esse falsum, & secundùm principia intrinseca improbabilem; secundum autem ait, esse probabilem, non tamen niti fundamento urgenti, sed solùm cuidam congruentiæ; quo posito:

Supponit. 1. duplicem esse legem; aliam *purè directivam*, & aliam *directivam, simul & coactivam.* Purè directiva est, quæ præcipit obstringendô conscientiam; cujus obligatio soli judicio conscientiæ relinquitur. Directiva simul, & coactiva est, quæ præter præceptum imponit pœnam tacitè, vel expresè; quæ etiam dicitur *lex comminatoria.* Supponit. 2. legem *coactivam* etiam esse duplicem: aliam nempe coactivam *coactione internà*; aliam *coactione externa.* Coactione *interna* procedit, quæ præcipit aliquid sub pœna incurrenda ante sententiam Judicis, qualis est censura latæ sententiæ: ubi patratô delictô ad incurrendam pœnam non requiritur sententia Judicis. Coactione *externâ* procedit, cùm lex imponit præceptum sub pœna à Judice infligenda exteriùs, quæ non solùm est corporalis, sed etiam potest esse Spiritualis: nam quando Judex excommunicat Reum, externè procedit, & hujus generis est lex, quæ præcipit sub excommunicatione sententiæ ferendæ. his præmissis: 386.

Docet primò, non esse *de ratione legis in communi*, quòd sit coactiva, sed solum de ratione legis *ut efficaciter inductivæ ad virtutem*; rejicit igitur eam sententiam, quæ contendit, *omnem legem* esse debere coactivam metu pœnæ, taliter, quòd Judex possit judicare de violatione illius, & punire: ita ut, si lex non sit hôc modô coactiva, non possit ferri à legislatore. Et quia leges humanæ de actibus internis non possunt esse coactivæ hôc modô, inde fieri, quòd Ecclesia non possit ferre leges de actibus internis. Rationem contra dictam opinionem aliorum dat, quia Ecclesia potest ferre leges de actibus internis *merè directivas*; ergo non est de ratione *legis in communi* esse directivam, & coactivam simul, seu efficaciter inductivam ad virtutem. 387.

Ant. probat. 1 quia Princeps subjicitur suæ legi concernenti bonum commune; 388

non quoad vim coactivam, sed solùm quoad vim directivam, ut diximus: ergo in lege separabiles sunt *vis directiva*, & *coactiva*. poterit ergo Ecclesia ferre leges directivas, obstringentes conscientiam, circa actus internos, sine eo, quòd habeat vim coactivam.

Secundò, leges civiles, concernentes bonum commune universorum, obligant etiam Clericos, v. g. taxa frumenti, & aliarum mercium, facta à Principe, & tamen non ligant eos vi coactivâ, sed solùm merè directivâ.

Tertiò, quando Regularibus in regula præscribitur oratio *mentalis*, potest Prælatus præcipere orationem *mentalem* in virtute voti Obedientiæ, cui sponte se subjecerunt, & tamen hoc præceptum est merè directivum de actu interno.

389. Quartò lex *naturalis*, prout condistinguitur à divina, & æterna, est solùm directiva, & non coactiva ex metu pœnæ. Solùm enim respicit conscientiam: & optimè intelligitur, quòd possit obstringere conscientiam, sine eo, quòd cogat metu pœnæ; ergo vis coactiva, & directiva, *in lege* separabiles sunt.

Quintò, sic sequeretur, quòd Ecclesia non posset præcipere *actus mixtos* ex internis & externis. Nam si nihil posset præcipere, nisi de quo possit judicare, & pœnâ ferre; cùm de actu interno (ut fatetur opposita sententia) non possit judicare, consequenter pœnam decernere; eo ipso non poterit legem ferre de actibus mixtis ex internis, & externis.

Denique bonum est argumentum ab opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentis in argumentatione legitima: sed ex argumento immediatè antecedenti constat, esse legitimam hanc argumentationem (*Ecclesia non potest præcipere actus purè internos; ergo nec actus mixtos*) ergo benè valet: *Ecclesia potest præcipere actus mixtos; ergo potest præcipere actus purè internos*: sed hos non potest lege coactivâ; ergo directivâ. Sic Cardenas *cit. dissert.* 24. *c.* 4. *a.* 4. *à n.* 48.

390. Circa præsentem opinionem, concedo omnino, non esse de ratione legis, vel præcepti ut sic, *esse coactivam*, vel efficaciter esse inductivam ad observantiam præcepti, *metu pœnæ, supponentis culpam*; nec esse de ratione legis, aut præcepti *ut sic*, ut omitti non possit actus præceptus, nisi *per omissionem peccaminosam*, nam, ut aliquando tradidi in materia de Incarnatione, Christus habuit præceptum rigorosum moriendi, illudque liberè adimplevit, non obstante impeccabilitate, potens omittere acceptationem mortis, quin omittendô peccaret, omissione scilicet positâ pro sensu diviso præcepti, existentis dependenter à scientia media, quam DEUS habuit præconsultâ libertate Christi, quòd scilicet liberè acceptaret mortem, etiam nullo existente præcepto.

Nego tamen, non esse de conceptu *legis humanæ*, propriè dictæ, & ad jurisdictionem *fori externi* pertinentis. Quia primò id non probant rationes hactenus allatæ à n. 388. ad primam enim Resp. verum est, Principem ligari ad observantiam legis à se conditæ; *non in vi hujus, sed in vi juris naturalis, & divini*, quo Princeps tenetur exemplô suô subditos inducere ad observantiam illius legis, juxta doctrinam superiùs traditam; sed dist. conseq. ergo *in lege*, prout præscindit ab *humana*, vel *divina*, separabiles sunt *vis coactiva, & directiva*, C. *in lege contracta ad humanam*, & pro foro fori constitutam, N. conseq. & reliqua. 391.

Ad secundam rationem eadem est responsio; concedo enim, Clericos teneri ad observandam illam taxam (à Principe propter bonum commune universorum, præscriptam) at *non in vi illius legis humanæ* à Principe conditæ, sed *in vi legis naturalis, & divinæ*, quâ pars alicujus communitatis, in his, quæ spectant ad bonum universorum, tenetur concurrere, se illi conformandô per actiones, ejus conservationi debitas. 392.

Ad tertium Resp. tale præceptum Prælati non esse *merè directivum*, nec directè imperare actum internum etiam ex vi obedientiæ; sed solùm indirectè, quatenus illud præceptum Prælati imperat orationem voto promissam, seu *debitam ex vi voti. Non est merè directivum*; cùm talis Religiosus omittens aliquam partem orationis voto debitæ (nimirum externam orationem) à tali superiore judicari, & puniri possit. Nec enim est necesse, ut judicare, ac punire possit violationem legis, in quantum est violatio voti, quæ fieri potest vel omissione actûs externi, 393.

ni, vel interni; quia satis est, quòd omissio actûs interni reddatur præsumptione cognoscibilis per omissionem actûs externi. *Nec directè imperat actum internum;* sed solùm indirectè, quatenus imperat actum externum, decentis orationis vi voti debitæ, secundùm quod voto est actus debitus, atque adeò, quatenus requiritur, ut ea oratio *sit oratio mentis.*

394. Ad quartum in n. 389. Resp. ex ea ratione solùm probari, *esse coactivum, seu efficaciter inductivum ad actum præceptum*, non esse de ratione legis, seu præcepti *ut sic* quod ultrò concedimus: sed ex hoc non probatur, posse dari *legem humanam*, quæ non sit coactiva, sed merè directiva. Accedit, quòd violatio juris naturalis ex vi juris naturalis sit punibilis. Nam si daretur peccatũ merè philosophicum, seu præcisè contra naturam rationalem quà talem, in materia gravi taliter peccans excluderetur à cognitione clara authoris naturæ quà talis, prout est in se, seu a beatitudine naturali, sine qua non stat beatitudo hominis etiam ad statum supernaturalem elevati, ut alibi diximus.

395. Ad quintum Resp. ut *lex* dicatur coactiva, & non merè directiva, sufficere, quòd Legislator possit judicare de illius transgressione, secundùm quod explicat omissionem alicujus partis, sine qua non stat observantia talis legis; quo posito nego sequelam. Nec probatio rectè sequelam infert. Nam licèt non possit judicare, & punire omissionem actûs interni *solitariè* sumpti, posito tamen actu externo; potest tamen punire omissionem actûs externi, consequenter aliquam partem *actûs mixti*, si per ejus omissionem violetur præceptum de ponendo actu mixto, quia tunc præsumitur etiam omissio actûs interni, ut dixi n. 393. quod sufficit, ut rectè notat P. Illsung *in Theol. pract. tract.* 1. *d.* 2. *a.* 2. §. 1. *n.* 12.

396. Sic, licèt DEUS non possit amare peccatum, potest tamen amare suam cognitionem, *ut veram* denominativè sumptam, de existente peccato, licèt ea cognitio *ut vera* dari non possit sine existentia peccati: ergo licet Legislator humanus non possit punire actum internum, sine quo non potest dari actus mixtus ex interno, & externo, tamen sufficienter verificatur, quòd possit punire omissionem actus mixti, si possit punire omissionem actûs externi (sicut DEUS amat suam cognitionem) licèt non possit punire actum internum, quo externus constituitur in esse actûs mixti. Cognitio *vera*, ut vera, denominativè sumitur, quando reduplicatio solam importat cognitionem in recto, & objectum duntaxat de connotato, seu in obliquo; quando autem utrumq; importat in recto, ut super utrumq; cadat denominatio, sumitur *quidditativè*. Certum autẽ est, quòd DEUS amans suam cognitionem *ut veram de peccato*, non amet *peccatum*; ergo nec suam cognitionem ut verã quidditativè, sed tantùm denominativè.

Deinde, quando Legislator præcipit fieri aliquem actum sub certa denominatione, sub qua debitus est alio jure v. g. naturali, vel divino, ad quam denominationem requiruntur plura constitutiva, quæ ratione sui non cadunt sub sensum, consequenter naturalem hominis cognitionem, satis est, quòd possit cogere ad positionem actûs externi, & hoc metu pœnæ, licèt ea pœna non possit infligi a Legislatore humano pro omissione singulorum, quibus intrinsecè constat ille actus externus sub tali denominatione alio jure debitus. Nam hoc ipso, quòd omittatur aliqua actio externa, qua constat denominatio illius actûs alio jure debiti, non fit, quod illo jure debitum est, & quidem omissione punibili à Legislat re humano, qui præcepit fieri alio jure debitum. 397.

Ad ultimum C. maj. N. min. nam ex eo, quòd Ecclesia non possit præcipere actus *purè* internos, ac simplices, non rectè sequitur, quòd non possit præcipere actus mixtos ex internis, & externis, adeóque nulla est illatio: *Ecclesia potest præcipere actus mixtos ex internis, & externis: ergo potest præcipere actus internos simplices.* Et ideo illatio à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis in hoc casu pariter est nulla, imò talis non est in dato argumento; quia laborat suppositione falsa, quòd scilicet hæc propositio (Ecclesia potest præcipere actus mixtos ex interno, & externo) *sit antecedens*, seu vi sua sit connexa cum ista (ergo potest præcipere actus internos simplices). Fallit enim primò, si velit, quòd possit *directè* præcipere etiã actus internos, quando præcipit actus mixtos, ut constat ex di- 398.

ctis. 2. quia ducitur argumentum à termino complexo ad incomplexum, quod in multis fallit, &c. &c.

399. Pro reliquis ex eodem Authore *àn* 3. 4. not. 1. negari probabiliùs, quòd Ecclesia habeat potestatem *directam* circa actus internos; nam licèt potestas Ecclesiæ à Christo data sit propterea, ut dirigat fideles ad fidem supernaturalem, qui plurimùm obtinetur per actus internos: satis tamen provisum est, ad hunc finem, prout ab Ecclesia procurandum, per potestatem legis coactivæ, ut inobedientes, vel discedentes à mediis, per pœnas efficaciter ad eorum observantiam perducat, cùm omissiones actuum internorum (qui per se requisiti sunt, ut actus externus non tantùm externè, sed etiam, secundùm quod jure divino fieri debet, casu, quo talis actus externus exercetur v. g. *susceptio Sacramenti, sacri Ordinis, fuga peccati &c.*) jure naturali, vel divino, atque adeò aliunde jam prohibitæ sint.

400. Not. 2. quando in Tridentino *sess.* 13. *in decreto de Sanctissima Eucharistia* interdicitur omnibus Christi fidelibus, ne post ea (quæ ipsum statuit, aliter, quam ut eo decreto explicatum, atque definitum est) *credere* audeant, directè interdici fidem externam contrariam illi decreto, & indirectè præcipi, ubi fides exercenda est, eam exercendam, prout jure divino debita est, sicut diximus de aliis objectis jure divino debitis, de quo obedientiam DEO præstandam, legibus Ecclesiæ cautum est. Similia plura ibidem habet Cardenas, quæ ferè in easdem solutiones recidunt.

401. Ex hoc sequitur, vi argumentorum, quæ hic Author adducit, non esse falsam, & improbabilem eorum opinionem, qui dodent, Ecclesiam non habere potestatem directam in actus internos, sed solùm indirectam, quatenus necessarij sunt, ut existat actus externus sub ea denominatione, secundùm quam debitus est alio jure v g. naturali, vel divino, cui præstandam obedientiam potestas humana præcipit. Hinc aliud est orationem vocalem esse veram *orationem externam, seu vocalem*, etiamsi non fiat cum attentione interna petendi, quod significant verba; aliud esse *orationem veram simpliciter*, qua formaliter petimus aliquid à DEO. Hinc quando Ecclesia præcipit orationem v.g. divini officij, directè præcipit solam externam verborũ pronuntiationem cum interna attentione, præter externam, vi cujus integrè verba omnia ordine, & tempore debito, vocaliter efferantur; si autem præcipit, ut oremus *formaliter petendò, & loquendò cum Deo* (cum jure divino ad talem orationem, plures actus interni sint necessarij) præcipiendò orationem jure divino debitam, solùm indirectè præcipit hos actus internos.

Ea doctrina, quæ negat potestatem directam legislatori humano in actus internos, confirmari potest ex doctrina Div. Thom. 1. 2. *q.* 91. *a.* 4. ubi inquirens, *an fuerit necessarium, esse aliquam legem divinam*? suæ responsionis affirmativæ hanc reddit rationem tertiam: *de his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent; sed solùm de exterioribus actibus, qui apparent: & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quòd in utrisque actibus homo rectus existat: & ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus, sed necessarium fuit, quòd ad hoc superveniret lex divina.* Ex hoc enim apparet, quòd S. Thomas agnoverit, quòd leges humanæ non possint sufficienter actus internos vitiosos cohibere, ac iis oppositos, vel eorum omissionem ad perfectionem virtutis ordinare, prout necessarium est, ad finem supernaturalem hominum; & ex hoc intulerit necessariam esse legem ultra humanam, nimirum divinam, quæ scilicet efficaciter perduceret ad vitandos vitiosos & exercendos virtutũ actus internos. Hinc colligitur 1. D. Thomam, indirectè saltem, agnovisse, leges humanas, nec directivè quoad potestatem legislativam extendi ad actus merè internos, quia si negavit legi humanæ (: quæ saltem aliquam vim coactivam habet, metu pœnæ coërcendi homines à trangressione legis: ) vim sufficientem cohibendi actus internos vitiosos, & ordinandi ad virtutem, à fortiori negavit, legi humanæ vim directivam. Nam hæc multò minùs potest cohibere homines à malo, & ordinare ad bonum internum, si eos non cohibeat lex divina, de qua certum est, posse esse, & esse *coactivam*. 402

Colligitur. 2. probabilius esse, potestatem directam in actus merè internos 403

nulli

nulli Legislatori humano posse competere, respectu subditorum, qui culpabiliter possunt deflectere à recto. Nam humana potestas legislativa fundatur in necessitate cohibendi à malo, vel ordinandi ad bonum, quatenus ea potestas, seu lex respicit *bonum commune* hominum, à quo membra talis communitatis culpabiliter possunt deviare; sed hæc necessitas non est ad legem purè directivam, nec etiam esse potest in legislatore humano. Nam per eam neutrum obtinere potest, cùm de actibus merè internis nullam habeat notitiam, ergo. Major est ex eo, quia potestas subordinata convenire non potest prudenter, aut indulgeri, nisi quantum exigit necessitas ad finem, quem subordinans intendit tanquam procurandum à subordinato, quà tali, & apud tales, quod non fit per hominem apud homines à recto facilè deflectentes, nisi externè coërceri possint. Hujus ulterior ratio est. 1. quia jurisdictio, & potestas gubernandi communitatem *humanam*, *per homines* tanquam illius Præsides, & Rectores, debet esse ad media, quibus obtineri potest bona constitutio communitatis *humanæ*; quæ, cùm *externa* sit, & *sensibilis*, exigit media *externa*, & *per se sensibilia*, nimirum per se judicabilia in foro externo. Secundò quia potestas legislativa, quæ humanæ communitatis gubernationi necessaria est, fieri debet per homines, & in id directè tendere debet, ut per legem à se conditam imponat necessitatem subditis, vel executionem opere præstandam; vel pœnam tolerandam per Judicis sententiam, si vel ei sic visum fuerit; vel necessitas boni communis exegerit; ergo omnis alia potestas, quæ huic fini deservire non potest, humano Legislatori (utpote inutilis) à summo rerum omnium Gubernatore committi non debuit; & valde probabiliter, spectato illo fine, nec potuit.

404. Ex hactenus dictis sequitur. 1. sententiam Patris Dicastillo relatam à n. 355. & Authorum, qui eandem tenent, vi adductorum contra eam hactenus argumentorum non esse certò falsam, consequenter improbabilem, ex vi decretorum Alexandri VII. & Innocentij XI. ut vult Cardenas *cit. n.* 356. Hinc omnino sustineri potest etiamnum opinio dicens, potestatem humanâ non posse actus purè internos *directè*, nimirum *immediatè ratione sui*, præcipere, vel prohibere, sed tantùm *indirectè*, quatenus per se requisiti sunt, ut physicè, ac liberè existat actus externus, prout externè debet, nimirum integrè ordine, ac tempore præscripto; ratio hujus est ex n. 327. Quarè si per *esse morale* actûs externi nihil aliud intelligatur, quàm denominatio actûs externi *in esse actûs humani*, *ac liberi* (quo sensu *esse morale* sumitur solùm *generaliter*) potestate humanâ præcipi, ac prohiberi possunt actus interni per se requisiti *ad esse morale* actûs externi, *in dicto sensu moralitatis*; quo tamen casu sub legem humanam cadent solùm indirectè actus interni.

Sequitur. 2. quando potestas humana 405.
fert legem, ponendi, vel omittendi aliquē actum externum *nullo jure altiori* (v. g. naturali, aut divino) *aliàs debitum*, sub legem illam, præter actum externum, solùm cadere eos actus internos qui per se requisiti sunt ad *esse morale actûs solùm generale*, prout scilicet hoc importat denominationem actûs externi, *humani*, *liberè positi*. Ratio est ex n. 330. Dixi *actum externum*, *nullo aliàs jure ulteriori* v. g. naturali, vel divino *debitum*. Nam aliud est, quando præcipit, vel prohibet aliquem actum, cujus *positio* vel *omissio*, jam aliàs jure naturali, vel divino est debita, sub certa denominatione morali *speciali*, v. g. *validi*, *obligantis*, *divini cultûs* &c. quæ denominatio, *quà talis*, essentialiter importat aliquos actus internos, à quibus formaliter habeant hoc *esse morale speciale*, *validi*, *obligantis*, *actûs divini*, præter *esse morale generale actûs humani præcisè*, *ac liberi*; & de his maximè procedit quæstio, quam potissimum controvertit Cardenas, & vult eos *directè* præcipi ab Ecclesia, ubi præcipit orationem divini officij, confessionem *validam annuam*, *Sacramentorum sumptionem*, *aut confectionem*, *celebrationem contractuum* &c. Et, in ordine ad hanc quæst. procedunt argumenta nostra contra illum.

Sequitur. 3. quando Ecclesia, tales actus, jam aliunde debitos jure naturali, vel divino, præcipit, vel prohibet, *non quoad ipsam positionem*, *vel omissionem*, sed tantùm *quoad circumstantiam* v. g. ut externè fiant *tali tempore*, *loco*, *ordine*, *cæ-* 406.

*ve, cæremoniâ* actus illos internos per se requisitos *ad esse morale speciale* actûs externi, præcipi, vel prohiberi solùm *indirectè*, quatenus ea *circumstantia*, quam directè respicit, in esse physico, & *morali solùm generaliter sumpto*, haberi non potest, sine actu externo *quoad esse morale speciale*, secundùm quod jure naturali, vel divino exigitur, ut diximus jam sæpius; similiter quando præcipit ipsam positionem actûs jure naturali, aut divino debiti, solùm indirectè præcipi actus internos per se requisitos ad esse morale speciale actûs externi jure divino debiti, quatenus scilicet impossibile est verificari, factam esse positionem actûs externi tali loco, tempore, &c. secundum quod jure naturali, vel divino debitus est talis actus, nisi adsint illi actus interni. Nam esto sacerdos millies pronuntiet verba consecrationis supra hostiam, vel calicem, si tamen desit intentio conficiendi Sacramentum, nunquam verum erit, ab illo positam esse consecrationem externam, secundùm quod debita est jure divino; nam *ut debita jure divino*, essentialiter explicat illam intentionem internam; ergo positio consecrationis externæ, sine interna, non est positio *consecrationis jure divino debitæ*, ac exigitæ. Nam hoc utramque petit; & sic de alijs.

407. Sequitur 4. nullam potestatem, seu jurisdictionem humanam (in quantum pertinet ad externam gubernationem humanæ communitatis, quà talem) aut extendere, aut posse se extendere, ad condendas leges propriè dictas, quibus directè præcipiat, vel prohibeat actus purè internos. Nam, vel id fieret per legem directivam tantùm, vel directivam, simul & coactivam? *non primum*, ex n. 393. *non* etiam *secundũ*; quia sic deberet posse metu pœnæ, humanâ potestate infligendæ, efficaciter inducere ad actum illum internum; at hoc non potest ex dictis; ergo. Et ideo rubricæ Breviarij, vel Missalis, aut similium pertinentium ad ritus, & certas Ecclesiæ cæremonias, jure solùm Ecclesiastico inductæ, quæ non obligant in conscientia, atque adeò *solùm directivæ* dicuntur, ut exponemus n. 1317. non sunt leges propriè, etiam directivæ in eo sensu, quo lex directiva sumitur n. 386. sed tantùm illo, quo sonant idem, ac consilium, ut dicemus *loc. cit.*

## §. V.

### *An, qui non potest ponere majorem partem materiæ præceptæ, teneatur ad minorem?*

408. A Lij sic proponunt, an, qui non potest ponere integrum actum præceptum, teneatur ad ejus partem? pro quo supponendum. 1. duplicem esse materiam præcepti, unam *de re individua*; quæ scilicet commodè dividi non potest, quin in ejus parte salvetur præceptum: alteram *de re dividua*, quando etiam in parte salvatur præceptum, sicut in toto, & una pars ab alia non dependet.

409. Supponendum 2. in omni re præcepta alias esse partes accidentales; alias substantiales, potiores, per se, & primò intentas. Posteriores, collectivè sumptæ, fundant vim obligativam; distributivè, vel collectivè eam tollunt, quos effectus priores non habent; ita Sanchez *l. 1. in Decal. c. 19. n. 6.* Unde etiamsi materia præcepti sit ex se dividua, seu divisibilis, seu constans pluribus partibus, fieri tamen potest, quòd non sit divisibiliter præcepta, ut si præcipiatur sub aliqua denominatione, quæ non salvatur, nisi in complexo partium, v. g. *primæ, tertiæ, nonæ*, &c. vel quando id, quod præcipitur, constat pluribus partibus sic, ut reliquæ præcipiantur dependenter ab altera.

410. Resp. 1. quando præceptum est de re individua, qui non potest totum, non teneri ad partem. ita Sanchez *cit. n. 5.* quia nemo obligatur ultra id, quod præcipitur; sed si quis non potens ponere majorem partem materiæ indivisibiliter præceptæ, teneretur ad minorem, teneretur ultrà id, quod potest, teneretur enim ad totum indivisibiliter; alio enim modo talis materia non est præcepta; nec alio modo posita, poneret, quod est præceptum; ergo. Ex hoc sequitur, voventem tertiam partem rosarij, non teneri ad unam, vel alteram decadem, si non potest tantam partem, quæ saltem moraliter est tertia pars rosarij; quia sic non potest ponere materiam voto promissam, quæ est *tertia pars rosarij*, quæ non salvatur in una decade; sicut nec *jejunium*, seu abstinentia à carnibus cum unica tantùm refectione intra 24. horas, si non possit intra hoc tempus præstare talem abstinentiam; Sic P. Henricus Herdinck *in M. S. de Legib. D. 2. q. 7.* id quod docet Sanchez

*consil.*

*consil. moral. lib. 5. c. 1. dub. 29.* dicens, quòd dispensatus in esu carniũ, non teneatur ad jejuniũ; quia *esus carnium & jejunium* se non compatiuntur; maximè, cùm abstinere à carnibus, sit magis essentiale jejunio, quàm unica tantùm comestio; nam in eo salvari non potest ratio specifica, cui convenire nequit ratio generica, per talem speciem contracta; jejunium autem quoad rationem genericam, atque adeò sumptum, prout est commune jejunio Ecclesiastico, & non Ecclesiastico, non salvatur *sine abstinentia à carnibus*, ut per se patet; ergo nec ratio jejunij Ecclesiastici; ergo dispensatus in esu carnium, nequit servare jejunium Ecclesiasticum, imò nec non Ecclesiasticum, quale est per annum die Veneris, vel Sabbathi.

411. Sequitur 2. eum, qui venit peractâ consecratione ad sacrum, non teneri ad reliquas partes, si aliud audiendum non adest; & eum, qui nullo modo posset adesse consecrationi, licèt posset adesse omnibus alijs partibus, non obligari ad eas audiendas; sic Card. de Lugo *de Sacramentis in genere D. 22. de Euchar. s. 1. n. 6.* quia reliquæ partes, sine consecratione, non sunt *sacrum*. Et ideo etiam is, qui vovit septem Psalmos pœnitentiales, non tenetur ad duos, vel tres, si non potest reliquos ad septimum inclusivè. Sanchez *cit. n. 4.* vel qui vovit 5. Pater & Ave in honorem 5. vulnerum Christi; aut qui in honorem SS. Trinitatis vovit trium dierum jejunium; quæ omnia intellige, *quoties à vovente, vel præcipiente, ratione devotionis, numerus substantialiter intenditur.* Dico signanter, *quoties numerus substantialiter intenditur*; fieri enim potest, ut numerus ille additus non intendatur substantialiter, ut fit in jejunio quadragesimali, in quo numerus quadraginta dierum, in honorem Christi, 40. diebus jejunantis, est additus tanquam pars accidentalis, ut docet Ecclesiæ praxis: hinc non sequitur: jejunium 40. dierum est præceptum; Petrus non potest jejunare 40. diebus; ergo non tenetur ad tot, quot potest. Quando autem est dubium, an vovens, vel præcipiens *numerum* substantialiter intenderit? Resp. standum esse pro libertate; factum enim in dubio non præsumitur, quando quis non tenetur, & non est solitus facere. Sic Mascardus *de probationibus fol. 2. concluf. 731.* & cum eo Herdinck cit.

Sequitur 3. eum, qui ex pœnitentia 412.
tenetur certo die jejunare *in pane & aqua*, si hoc præstare non potest, non teneri ad jejunium *Ecclesiasticum*, quàm diu ad *jejunium* est impotens; cùm nemo ad aliud, quàm, quod injunctum est, teneatur; sic Jo. Sanchez *in sel. D. 15. n. 3.* Secus tamen esset, si injuncta foret eleemosyna sex florenorum v. g. si enim non potest *omnes* erogare, tenetur ad tot, quot potest; quia finis substantialis eleemosynæ est sublevatio pauperis, quam singuli floreni seorsim ab alijs præstant; nec præsumi potest, illum numerum substantialiter, seu indivisibiliter intentum. Hinc etiam is, qui ex pœnitentia debet *orare flexis genibus* v g. *rosarium*, si non potest *flectere*, tenetur ad illud, sedendò, aut standò, vel ambulandò, aut alio modo, quo potest; quia genuflexio est modus, non substantia injunctæ orationis; qui autem non potest substantiam rei præceptæ, non tenetur ad modum; secùs, si non possit solum modum, nisi foret indivisibiliter intentus simul cum ipso actu.

Sequitur 4. juxta Joannem Sanchez cit. 413.
n. 7. impotentem recitare lectiones matutini, non teneri ad psalmos; quia psalmi sine lectionibus non sunt substantialiter *matutinum Ecclesiasticum*; & impotentem in alijs horis recitare capitula, & orationes, non teneri ad psalmos; quia illi sine istis non sunt substantialiter *horæ canonicæ* juxta formam à Pio V. præscriptam: ita etiã Toletus, Diana, & ex parte Sotus apud Pellizarium *in manual. regul. de horis Canonicis.*

Resp. 2. in præceptis, quæ habent ma- 414.
teriam dividuam, dividualiter præceptam, qui non potest totum, teneri ad partem, quam potest; Thomas Sanchez *cit. n. 9.* Unde, qui non potest omnes horas divini officij recitare tenetur saltem ad eam partem, quam potest; quia materia totius officij est dividua, & dividuè præcepta; hoc enim importat divisio in septem horas, quæ significant distincta tempora, & consequenter singulas divisim intentas; cujus magnum quoque indicium est, quòd singulæ horæ seorsim, licitè dici possint; & olim etiam sic dicerentur, ut notat

Cardenas *p. 3, Crisi. Theol. dissert. 33. c. 5. n. 40.* Accedit, quòd ordinatus in subdiaconum, etsi à momento susceptí Ordinis sacri, teneatur ad officium divinum illius diei, satisfaciat, incipiendô solùm ab ea horâ, quæ tali tempore, secundùm ritum Ecclesiæ dicenda est, v. g. à Vesperis, quæ in quadragesima dici solent ante cœnam, si non ante susceptus est ordo; at hoc non staret, si omnes horæ indivisibiliter essent præceptæ præcepto dicendi divinum officium.

415. Si autem comparemus horas singulas ad partes, quibus constant, qui non potest majorem partem talis horæ (eam scilicet, quæ moraliter repræsentet totam) ad nihil tenetur, cujus ratio rectiùs sumitur ex n. 410. quia, qui non potest majorem partem *Primæ* v. g. non ponendô ejus partes, quæ saltem moraliter dici possint *Prima*, non potest recitare *Primam*, & sic de alijs horis singulis. Nam, ut rectè ait Suarez *tom. 1. de Relig. l. 4. c. 28. n. 26. quælibet hora præcipitur, ut quædam actio perfecta; & ideo, si non possit ita fieri, ut nomen illud mereatur, non nascitur obligatio dicendi illam. Minor autem pars, Primæ* v. g. (*& sic de alijs*) *non potest dici Prima, imò neque dimidia pars; sed oportet, ut saltem præcipuæ, & quasi substantiales ejus partes dicantur*; ita Suarez.

416. Dices: inter propositiones, quas *prout jacent*, ut scandalosas damnavit, & doceri, 2. Martij 1679. prohibuit Innocentius XI. hæc est in ordine 54. *qui non potest recitare matutinum, & laudes, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*; ergo prior responsio non subsistit, imò manet antiquata, & improbabilis, ut in similibus continuò inferunt de Moya, & Cardenas. Ubi vides in hac damnata propositione, *prout jacet*, contineri duo: 1. *dictum*, seu id, quod asseritur, nimirum, *quòd non teneatur quis ad recitandam minorem partem Breviarij, licèt eam recitare possit, si non valeat recitare matutinum, & laudes*; & *causalem*, propter quam cesset eo casu illa obligatio, nimirum, *quia major pars trahit ad se minorem.* Sed quia non est certum, an sub hac damnatione contineatur, tam *dictum* quàm *causalis dicti*, solùm *incomplexè* significata (cùm damnatio expresè loquatur de illa propositione *prout jacet*, adeoque sumpta *complexè*) solùm sequitur, eam sic acceptam, nimirum *complexè*, damnari ut scandalosam; ac doceri, aut in usum deduci, esse prohibitam; non autem quamlibet ejus partem incomplexè acceptam; quibus positis:

Resp. 1. propositionem â nobis n. 415. traditam, esse hanc: *qui non potest recitare majorem partem unius horæ, non tenetur ad minorem, quia, ubi non est major pars totius, quod quà tale substantialiter præcepto subest, eoipso abest totum, secundùm quod præcepto subest*: at ex ipsis terminis patet, hanc non esse eandem cum damnata, *prout jacet*, ut videri potest repetendô illam *in num.* priori, ergo. 417.

Resp. 2. istam propositionem, *major pars trahit ad se minorem*, ex vi propositionis damnatæ, de qua n. 416. non evadere certò falsam; tum quia est axioma receptum in utroque jure, c. 1. *de his, quæ fiunt à majori parte*; c. *quia propter* 42. *de electione*; tum quia nec infert ullam à Sede Pontificia damnatam; nec ullo modo incompossibilis est cum principio certo, ex alicujus sententiæ declaratione ut scandalosæ, oriundô; licèt concedam prohiberi ejus *applicationem in dicto casu.* Ratio hujus est, quia licèt dictum axioma citatis locis rectè usurpetur, quia ibi est sermo *de majori parte personarum* v. g. *majori parte Capituli*; *& in L. 19. ff. ad Municipalem*, idem approbante, *de majori parte Curiæ*, quo casu omnino valet, quòd major pars trahat minorem dissentientem à majori, quia minor pars tenetur sequi majorem eò, quòd hujus judicia, & consilia censeantur meliora, & saniora ad bonum Ecclesiæ, vel Reipublicæ, ut in cit. locis indicatur: hæc autem ratio non valet *in majori numero objectorum* divisibilium, divisibiliter præceptorum, ut patebit *num. seq.* 418.

Nota autem signatè dici, dictum axioma non habere locum in casu, *quo materia præcepti dividua est divisibiliter præcepta*; secùs enim est, quo talis materia dividua foret *individuè* præcepta, vel intenta, ut dixi à n. 410. Nam tali casu etiam rectè dicitur, quòd major pars ad se trahat minorem, hoc est, quòd non valens ponere majorem partem totius, in qua 419.

qua salvetur saltem moraliter denominatio talis totius, non teneatur minorem, in qua non salvatur denominatio totius indivisibiliter intenti; cujus ratio colligitur ex n. 410. & seqq.

420. Resp. 3. ad object. in n. 416. C. ant. N. conseq. quia etsi certum sit, dictam propositionem in n.cit. (in quantum complexè asserit, *licitè omitti minorem partem ab eo, qui non potest matutinum, & laudes; quia major pars ad se trahit minorem*) esse scandalosam, & consequenter esse certò falsum, quòd usus ejus licitus sit; tota tamen damnatæ, *prout jacet*, falsitas, & oppositæ veritas, consistere potest cum veritate propositionis à nobis dictæ in n. 415. Nam. 1. dicta propositio damnata rectè (saltè consequenter) de falsitate condemnatur ex ea causali *universaliter usurpata*. Sic enim fallit. 1. quando materia præcepti est dividua, ac dividuè præcepta, seu intenta. Nam, qui debet solvere centum, & non potest, nisi decem, tenetur ad ea decem. Fallit. 2. quia etiam stante veritate causalis, *dictum* non subjicitur illi, ut si quis neget *matutinum & laudes*, esse majorem partem respectu reliquarum *in divino officio* officij divini. Nec enim hoc authoritate caret. Nam Castropalaus *tr. 7. d. 2. p. 6. n. 8. & 9.* expressè notat *matutinum, & laudes* non solitariè, sed cum prima, tertia, sexta, & nona esse majorem partem.

421. Quia verò quidam Doctores plures propositiones volunt, si non formaliter, saltem *virtualiter* damnatas, ex vi aliquarum propositionum, quas à Sede Apostolica damnatas esse constat, notandum, tunc solùm *ex vi* propositionis A. damnatæ, ac prohibitæ, etiam implicitè, seu virtualiter propositionem B. censeri damnatam, & prohibitam, quando per evidentem, ac legitimam illationem sequitur, non stare falsitatem propositionis A (quæ ponitur certò falsa) stante veritate propositionis B. sed stante veritate hujus propositionis (*major pars trahit ad se minorem*) stat certa falsitas hujus damnatæ (*qui non potest recitare matutinum, & laudes, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*) ergo ex vi hujus damnatæ, nec implicitè, vel virtualiter est damnata, & prohibita illa, si scilicet applicetur subjecto, capaci recipere illius applicationem, prout est in casu electionis, consensûs majoris partis de Capitulo; quamvis fallat, ubi materiæ, de qua Sermo est, applicari non potest, ut si materia sit divisibilis, & divisibiliter præcepta, vel debita.

Cæterùm à toto divino officio, cujus materiam relatè ad suas partes concedimus præceptam divisibiliter (nimirũ quoad singulas horas, ut singulæ sunt) idem legitimè dicitur, etiam de singulis horis relatè ad suas partes. Est enim magnum in hoc discrimen. Aliàs enim sicut singulas horas, etiam ut singulas, quæ sunt partes *totius officij* canonici, licitè oramus, *seorsim quamlibet ab alia*; sic etiam licitè diceremus unam partem (*Primæ* v. g.) seorsim ab altera, quod tamen communis negat. 422.

Dices tamen cum Patre de Cardenas *cit. n.* 30. asserente: sibi videri probabiliorem sententiam, quæ asserit, præceptum recitandi singulas horas, terminari ad illas divisibiliter, ita, ut teneatur quis recitare partem horæ, quam potest, esto non possit totum, aut partem majorem. Rationem dat, quia, ut præceptum censeatur continere materiam individuam, requiritur fundamentum urgens ad hoc asserendum; tale non datur in præsenti; ergo. Minorem probat. 1. quia quælibet pars alicujus horæ, continens psalmum, vel orationem, est per se expetibilis ad laudandum DEUM, & devotionem augendam. 2. à pari à toto officio relatè ad singulas ejus partes; ad quamlibet horam relatè ad partes quoque suas. 3. quia cùm in materia favorabili, præsertim Religionis sunt opiniones contrariæ, ex quibus enascitur dubium, ea opinio eligenda est, quæ favorabilior est Religioni, taliter, quòd probabilitas opinionis minùs favorabilis limitetur, ut non maneat practicè probabilis; sed contraria sententia est minùs favorabilis Religioni; ergo. 423.

Resp. transf. ma. N. min. ex n. 420. & seq. quia partes *Primæ* v. g. non merentur *nomen horæ perfectæ*, secundùm Ecclesiæ ritum, præscriptum à Pio V. & aljs, nisi simul acceptæ; adeóque, qui non dicit omnes ejus partes, vel saltem potiorem, non persolvit horam, secundùm quod subest præcepto: Dixi: *transf. maj.* Nam, si per fundamentum *urgens* intelligatur aliud, quàm *fundamentum tale, ex quo* 424.

*quis, consideratis omnibus, quæ in executione alicujus actûs inseparabilia sunt, prudenter* (nimirum sine nota temeritatis, ac imprudentiæ) *talem actum licitum, affirmare possit*, neganda est major. Nam citra legitimam rationem plus exigitur ad fundamentum *probabile practicè*.

425. Ad 1. prob. min. in n. 423. Resp. ex eo, quòd quilibet psalmus, vel oratio cujuslibet horæ ad laudandum Deum, & augendam devotionem expetibilis sit, malè inferri; *ergo sententia dicens, partes cujuslibet horæ seorsim, esse individuè præceptas, caret urgenti fundamento.* Nam plurima sunt præcepta de materia dividua, quæ tamen individuè præcipitur, licèt quælibet ejus pars seorsim ab alia sit expetibilis, & ad laudandum DEUM, & ad augendam devotionem; prout evidens fit recolenti tot versus psalmorum, in quibus singulis maximorum affectuũ sensus sunt. Ad. 2. prob. ejusdem min. *in eod. num.* N. paritatem ex n. 422. aliàs sicut una hora seorsim ab alia; sic in qualibet hora quilibet psalmus; & in quovis ferè psalmo quilibet versus, seorsim ab alio, etiam interpositâ longiori morâ, licitè diceretur, quod est contra communem sensum.

426. Ad. 3. prob. ejusdem min. *in eod. num.* Resp. transmissâ majori N. min. quia contraria nobis opinio, dum maximè credit se favere Religioni, seu divino cultui per suam assertionem, obest Religioni. Cùm enim hìc negamus de divino cultu *ex præcepto* debito, nisi sequendô sententiam ex oppositis, ponatur *ille cultus*, non favetur, sed nocetur Religioni; at sequendô sententiam, quæ dicit debere dici partem *Primæ* v. g. etiam minorem mediâ, si plus poni non potest, non ponitur cultus divinus *præceptus*; quia per hoc non ponitur *recitatio Primæ*, sed aliquid, quod non est *Prima*: ergo

427. Dixi: *transmissâ majori.* Quia sub illis terminis videtur non posse admitti, saltem quoad ea verba: *quòd probabilitas opinionis, minùs Religioni favorabilis, limitetur sic, ut non maneat practicè probabilis, si concurrat cum alia probabili, magis favente Religioni.* Nam ex hoc fieret. 1. quòd in administratione Sacramentorum, nunquam liceret sequi magis probabilem, quæ adest pro sufficientia jurisdictionis, si adsit alia dicens, non esse sufficientiam jurisdictionis, licèt minus probabilis; quia tunc illa, vi dati principij, non maneret *practicè* probabilis. Deinde probabilitas non pendet nisi *à vero in apparentia*, quæ faciat prudentem credibilitatem; non autem *à favore.* Similiter qui matrimonium contraheret, sequendô sententiam valde probabilem, imò probabiliorem, quæ diceret, *non adesse tali casu inter eos impedimentum dirimens jure tantùm humano*, consequenter licere hìc, & nunc contrahere, illicitè contraheret (nimirum ductus opinione *practicè* non probabili) si sciret esse opinionem aliorum, qui probabiliter dicerent, *adesse tali casu inter eos impedimentum, dirimens jure tantùm humano*, consequenter non licere hìc, & nunc contrahere, propter periculum contrahendi nulliter. Nam hæc opinio magis, ac illa, favet Religioni, seu Sacramento, cujus validâ, ac licitâ celebratione plurimùm DEUS colitur.

Deinde, quando Cardenas dicit, per 428.
opinionem faventem Religioni, alteram minus faventem, non manere *practicè* probabilem in dubio, ex varietate opinionũ nato, vel loquitur de casu, quo nascitur dubium positivum ex opinionum varietate, sic, ut quælibet ex oppositis, etiam relatè ad alteram maneat directè probabilis; vel ubi est dubium negativum, sic, ut pro nulla ex oppositis suppetat fundamentum prudens? neutrum dici potest; ergo. Min. prob. & 1. non potest loqui de casu, quo adest dubium merè negativum. Nam si ex duabus oppositis neutra est directè probabilis, relatè ad alteram, neutra potest alteram dejicere de statu probabilitatis practicæ; si enim hoc faceret, vel esset ratione principiorum actûs directi, vel reflexorum? *non vi principiorum actûs directi oppositi.* Nam quod relatè ad alterum non est probabile, relatè ad alterum nequit amittere probabilitatem, quam nec habuit; aliàs *non probabile* in probabilitate vinceret alterum etiam *non probabile.* Non *vi principiorum actûs reflexi*, nimirum sumptorum ex regula 15. *de Reg. juris in 6. quòd odia restringi, favores conveniat ampliari.* Ratio est eadem. Nam quando A. relatè ad B. caret probabilitate, nequit verificari, quòd *desinat esse probile*

*babile* per comparationem cum B. sive directè sive reflexè consideretur.

429. Dices, assertum procedere de casu, quo ambæ, *secundùm se*, sunt probabiles: verùm nec sic dictum assertum procedit juxta hujus Authoris principia. Nam si una ex duabus oppositis relatè ad alteram non manet directè probabilis probabilitate, quam habuit absolutè (considerata nimirum secundùm se) necesse est, quòd eam perdat vel comparatione motivorum actûs directi oppositi, vel motivorum actûs reflexi? *non primum;* quia probabile secundùm se, per comparationem ad alterum, pariter merè probabile directè, non amittit suam probabilitatem; sed nec amittit eam juxta principia hujus Authoris per comparationem ad motiva actûs reflexi procedentis ex illa regula, de qua n. priori. Nam si opinio secundum se probabilis, per comparationem ad oppositam non perderet suam probabilitatem, nisi vi regulæ, cui per actum reflexum subjicitur, deberet hæc alteri opposita in vi ejus regulæ evadere certa. Nam probabile per merè probabile non vincitur; at hoc non contingit ex vi ejus regulæ adeò indefinitè. Deberet enim universaliter certò verum esse, quòd, ubi est dubium positivum, natum ex oppositis opinionibus secundùm se probabilibus, & agentibus de favore Religionis, ea quæ minus favet Religioni, relatè ad magis faventem, ex vi illius regulæ, non maneat practicè probabilis; hoc autem fallit ex plurimorum sententia, ut constat ex n. 410. & 415. ergo. Ratio hujus est, quia ipsa ea regula in plurimis restringitur, ut videri potest apud Everardum in Loco à ratione larga; Francum *in c. 1. de Tempor. ordinat. in 6.* Peckium, & alios; & contrarium in pluribus tenet ipse Cardenas, ut dictum est alibi.

430. Cæterùm omnino concedo, ex duabus probabilibus, quæ sibi opponuntur circa leges, quæ directè, ac principaliter concernunt purum favorem Religionis, eam, quæ magis favet Religioni, minùs faventi esse præferendam, si pro tali casu locum habeat citata regula 15. de qua n. 428. Ratio est, quia ubi pro una parte stat lex certa, illi opinioni opposita, ea, licèt probabilis, relatè ad hanc non manet practicè probabilis; sic enim probabilitas ejus per reflexionem ad eam regulam, vel legem, *certò applicatam dato casui*, evertitur, sed ea regula decimaquinta, sub suis scilicet limitationibus est certa lex, ut passim conceditur; ergo ubi sic limitata, alicui opinioni, licèt secundùm se probabili, opponitur, evertit ejus probabilitatẽ. Quòd autem in præsenti quæstione dicta regula, seu juris axioma *certò* locum habeat, & huic particulari casui, *secundùm quod certũ est, certò applicetur*, spectatis argumentis, quæ adducit Cardenas, certum nullo modo, imò valde dubium est: ergo. Inter alias autem illius regulæ limitationes est, ut intelligatur in favorabilibus, quæ sunt *purum beneficium Principis*; qualiter se non habent leges, ad divinum cultum imponentes onus dicendi horas canonicas; ergo.

## §. IV.

## *An per actum peccaminosum satisfiat legi?*

SUpponendum. 1. objectum proximũ, & adæquatum cujushibet legis seu præcepti, imò cujusvis actûs operantem regulantis, seu dirigentis, esse ipsum actum regulatum, ex ejus directione, vel obligatione ponendum; nam eo posito, sicut exigitur, adæquatè satisfit legi, seu præcepto, & cuilibet actui regulanti, tanquam in fine suo adæquatè jam obtento quiescenti. Et ideo materia, circa quam versantur actus lege, vel præcepto debiti, sunt quidem objectum immediatum actuum regulatorum, seu præceptorum; mediatum autem duntaxat ipsius actûs regulantis, legis, aut præcepti. Suppon. 2. actum ex se, ac *intrinsecè bonum*, posse vitiari, hoc est, reddi *malum extrinsecè*, nimirum ex pravo fine, qui per talem actum ab eum ponente intenditur, & quæritur. Sic auditio sacri ex se, & objecto est bona; si fiat ex vana gloria, vel alio simili pravo fine, vitiatur, & extrinsecè redditur mala. Nam malitia finis refundit malitiam in media; quibus præmissis: 431.

Ad quæstionem propositam Resp. affirmativè; quia licèt actus præceptus debeat esse bonus ex objecto, & fine suo intrinseco, nihil tamen obstat ejus vitiatio ex fine malo extrinseco, nimirum à ponente illam intento; leges enim præcipiunt substantiam actûs, non modum, nisi modus sit de 432.

intrinseca ratione actûs, aut secundùm se, aut ut est sub lege. Hinc sacro ex malo fine audito, aut pœnitentiâ sacramentali extrinsecè solùm vitiatâ satisfacis tuæ obligationi; ita Sanchez *l.* 1. *in decal. c.* 14. *n.* 1. Idem dic de impletione voti, aut juramenti, cùm sint leges particulares, quas homo sibi sponte imponit.

433. Nec obstat, quòd legislatores, per impletionem legum intendant, subditos reddere bonos; vota etiam, & juramenta sint actus virtutis Religionis, respicientis divinum cultum; quia, ut inquit Sanchez *cit. n.* 3. non respiciunt divinum cultum tanquam rem præceptam, seu tanquam finem proximum, & intrinsecum præcepti, seu legis; sed ut finem præcipientis, vel solùm tanquam modum, quæ duo non cadunt sub præceptum. Hinc præcepto jejunij quadragesimalis satisfit ab utente per diem una tantùm refectione cum abstinentia à carnibus, quia sic lex jejunij habet suum finem intrinsecum, licèt inde corpus ejus non maceretur, qui est finis jejunij solùm extrinsecus.

434. Si autem quæras, an ad implendam legem requiratur, actum fieri ex intentione satisfaciendi præcepto? ante resolutionem not. à nonnullis præmitti hanc quæstionem, an actus, quo satisfit legi, debeat esse liber? in qua re verius est, nullum præceptum affirmativum, sive naturale, sive divinum, sive humanum impleri posse per actum non liberum, propriè loquendô; quia in affirmativis præcipitur homini libero actus positivus: sed impossibile est, hominem liberum exercere actum positivum absque libertate. Si enim liber est, id, quod agit, agere vult, potens non agere: in adimpletione autem præceptorũ negativorum non esse necessarium actum liberum, qua ab homine libero potest poni omissio absque positivo libertatis exercitio; ita Vasquez *in* 1. 2. *q.* 100. *a.* 9. *n.* 8. hinc qui nec habet, nec habere potest carnes, *non satisfacit*, loquendô propriè, præcepto abstinentiæ à carnibus; sed nec violat. Nam amentes, ebrij, dormientes, in sensu composito suæ impotentiæ, licèt per omissionem leges negativas non violent, propriè etiam illis non satisfaciunt; quia non sunt omissiones *hominis, ut homo est*, sed ita est etiam in illo casu; his positis: ad quæstionem Resp. juxta communem, non esse necessarium; quia totus actus præceptus sine illa potest poni à parte rei; ita Suarez *de relig. tom.* 2. *l.* 4. *c.* 8. *n.* 14. hinc is, qui audit Sacrum, inscius esse diem festum, si postea intelligat esse, non tenetur ad secundum audiendum; similiter is, qui non fuit memor voti, rem tamen, quam vovit, perfecit, non tenetur secundò perficere hoc, quod vovit. Ex ratione tamen majoris meriti, & DEO perfectiori modô placendi, laudabile est præceptum cum intentione satisfaciendi perficere.

435. Si quæras 2. an satisfaciat præcepto, exercens actum præceptum, animô non satisfaciendi? Resp. etsi probabile sit non satisfacere; quia, ut habetur in L. *non omnes ff. si cert. actus non operantur ultra intentionem agentium*; ergo si quis intendat non satisfacere, non satisfacit; sic Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 2. *q.* 2. *& l.* 10. *c.* 12. *q.* 8. probabilius tamen esse, satisfacere. Quia Superior non præcipit, ut actus fiat cum ea intentione; consequenter, cum intentione contraria non satisfaciendi, ponitur totum opus præceptum; sed posito toto opere præcepto, satisfit præcepto; ergo cum intentione contraria, ponendô totum opus præceptum, satisfit præcepto; sic Vasq. *in* 1. 2. *q.* 180. *a.* 9. in expositione literæ, *n.* 5. Lessius *l.* 2. *c.* 37. *D.* 10. *n.* 59. *& c.* 46. *D.* 6. *n.* 46. cum multis alijs. Ubi tamen nota, quòd habens hujusmodi voluntatem, *non satisfaciendi*, peccet mortaliter contra præceptum divinum, obligans omnes, & singulos, ut justis legibus, positivè per voluntatem contrariam sese non opponant; quia *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, ad Roman. 13.

## §. VII.

### *An eodem actu possit quis pluribus præceptis satisfacere?*

436. Resp. 1. doceri à quibusdam, uno actu pluribus obligationibus *justitiæ* non posse satisfieri; hoc volunt esse omnium Doctorum; quia impossibile est, supra unam, eandemque rem, cadere duos, vel plures titulos justitiæ. Verùm in Tractatu de Jure, & Justitia docui contrarium. Nam deflorator puellæ tenetur illam vel dotare, vel ducere; fieri autem potest, quòd

quòd idem promittat parentibus defloratæ; quo casu duplici titulo justitiæ, nimirum defforationis, & contractûs tenetur eam vel dotare, vel ducere, & tamen utrique obligationi satisfit, dotandô, qui est unicus actus; ergo.

437. Resp. 2. in materijs aliarum virtutum posse unico actu pluribus obligationibus satisfieri, quoties obligans, rei, alio titulo debitæ, suam intentionem novam affigit. Hæc nullam habent difficultatem, quoties illud, cui nova accedit obligatio, habet necessariam identitatem cum illo, quod aliunde debetur; ita vovens castitatem uno actu satisfacit voto, & præcepto naturali temperantiæ. Difficultas tota est in alijs rebus, in quibus non est necessaria hujusmodi identitas; v.g. injungitur mihi per Confessarium auditio sacri die festo; in talibus casibus actus ex primo titulo debiti non habent necessariam identitatẽ cum actibus noviter impositis; proinde in similibus recurrendũ est ad mentẽ ejus, qui imposuit obligationem, cujus mente cognita potero unico actu pluribus præceptis satisfacere, si consenserit in identitatẽ; non potero, si non consenserit. Quòd si de ejus voluntate adest probabilitas in utramq; partẽ, potero quemlibet ex illis eligere in sententia saltem eorum, qui tenent, licitum esse usum opinionis practicè probabilis, licèt oppositum sit æquè, vel etiam magis probabile.

438. Verùm hoc limitat Thomas Sanchez *l. 1. in decal. c. 14.* docens, in illis, quæ sunt circa pœnitentiam Sacramentalem, standum pro non identitate (hoc est, ut explicat Cardenas *in Crisi Theol. l. 4. d. 34. n. 17.* judicandum, non præcipi eandem actionem, scilicet alio titulo, vel lege debitam) quia contingit communiter, ut confessarius, locò satisfactionis, non velit opera alia, nisi ex mente sua voluntaria. Sic divitibus non solet injungere eleemosynas aliunde debitas; nec illis, qui sunt in peccatis mortalibus, opera spiritualia aliunde debita; excipe cum Suarez, nisi Confessarius nosset, hujusmodi pœnitentem in explendis pœnitentijs negligentem esse; aut ex alijs circumstantijs nollet illum ita graviter onerare; quod sæpe contingit juxta pœnitentium diversitatem.

439. Illud hic addi potest pro praxi in utroque foro ex Azor *p. 1. l. 11. c. 14. q. 1.* docente, illa, quæ ex aliquo justitiæ titulo debentur, non posse habere rationem eleemosynæ; idem cum illo tenet Th. Sanchez cit. n. 6. hinc sicut in dubio de identitate pœnitentiæ cum rebus aliunde debitis, standum pro non identitate, ita pariter in omnibus obligationibus eleemosynæ. Sicut enim is, qui injungit pœnitentiam in confessione, præsumitur propriam materiã injunxisse, quando & quamdiu aliud non scitur: ita pariter injungens eleemosynam; quod idem est de vovente. Nonnulli tamen statuunt hanc regulam, quæ occurrente dubio, *an sit identitas an sit distinctio actionis præceptæ?* in alijs casibus, & materijs est universalis: quotiescunque, ex duabus obligationibus, neutrius propria materia est opus supererogationis, seu voluntarium, tories in dubio standum pro identitate: quia *non identitas* est onus, quod in dubio non est imponendum per c. *Contingit* 1. de jure jurando in 6. & in obscuris, seu ambiguis, quod minus gravat, est tenendum. Certa enim possessio voluntatis ab immunitate talis oneris, per superveniens dubium, *an detur dispositio imponens illud?* vinci nec debet, nec potest.

Ulterius dubitari potest, an eodem tem- 440.
pore, per diversos actus, possit pluribus præceptis satisfieri? Resp. posse, quoties impletio unius non impedit impletionem alterius; sic enim ponitur, quod per ea debitum est, neque temporum diversitas cadit sub præceptum; ita Thomas Sanchez *l. 1. in decal. c. 14. n. 11. 12.* Hinc deducit 1. posse aliquem eodem tempore satisfacere præcepto de audiendo sacro, & dicendis horis Canonicis. 2. posse duo sacra simul audiri, & ita satisfieri voto, & pœnitentiæ injunctæ à Confessario eodem tempore; & sic de alijs.

Dubitari potest 2. an omittens actũ du- 441.
plici lege, vel præcepto debitum, committat duplicem culpam? Resp. quòd communis responsio sit, tunc non committi, quoties illa præcepta spectant ad eandem virtutem sub eodem motivo: tunc committi, quando non spectant; vel, si spectant, non sub eodem motivo. Exemplum primi habes in concurrentia diei festi, & dominicæ; jejunij quadragesimalis, & vigiliæ:

giliæ: exemplum posterioris est in sacro debito ratione festi, & pœnitentiæ injunctæ à Confessario, vel in obligatione festi, & voti, vel juramenti &c. Cùm autem superior non semper diversas obligationes, licèt sint de eodem specie actu, uni numerò actui affigat, non statim valet in hac materia argumentum à pari. Sit enim casus, quòd incidat *in diem dominicum festum S. Andreæ Apostoli*: hoc casu sunt duo præcepta numero distincta, auditionem sacri eodem die præcipientia; quibus tamen juxta Thom. Sanchez *cit. n.* 7. & alios passim Doctores, possum auditione unius sacri satisfacere, ex benigna Matris Ecclesiæ mentis interpretatione. Sed ex hoc relato casu non valet argumentum ad duo præcepta hujus & alterius diei *de recitando matutino, & laudibus*, licèt sub eorundem obligatione sit idem specie actus præceptus, obligationis hodiernæ, & hesternæ.

442. Hoc argumentandi modo aliquando usus est Caramuel, ut videri potest apud Joannem de Cardenas *in Crisi Theol. t.* 4. *d.* 34. *c.* 2. Argumentum enim ejus erat: in occurrentia duorum præceptorum circa auditionem sacri, uno numericè sacro satisfit duobus præceptis: ergo unâ numericè recitatione matutini, atque laudum (v. g. si fiat hodie post 4. matutinum) satisfit hodiernæ, & crastinæ de recitando matutino, & laudibus; conseq. constat; quia unâ, eademque actione potest satisfieri duobus præceptis numero distinctis, eodem tempore concurrentibus, sed in casu dicto sic fit: ergo. Verùm ad hoc respondetur C. ant. N. conseq. ad ptobat. dist. maj. unâ actione potest satisfieri duobus præceptis non postulantibus distinctas actiones C. secùs, N. maj. Similiter distinctâ min. N. conseq. quòd præcepta recitandi hodie, & cras divinum officium postulent distinctas recitationes, ex intentione Legislatoris præcipientis recitationem officij *pro singulis diebus*, consequenter recitationem, distinctorum temporum, probat universalis consuetudo totius Ecclesiæ; secus est de auditione sacri; nam præceptum audiendi Missam diebus dominicis, & festis nihil petit, ut fiat distinctis actionibus, aut diebus, sed tantuùm, ut fiat auditio sacri, quando est talis dies. Unde ipse Caramuel in editione 1657. fatetur argumentum à se factum non esse probabile. *Vid. Carden. l.* 1. *n.* 4.

## §. VIII.

### *An Satisfiat legi, ponendo simul, vel Successivè partes materiæ præceptæ?*

443. EXemplum talis rei est auditio sacri; hæc enim fit successivè, & per partes: quo posito, duplex casus est, qui proponitur; primus, an huic præcepto (scilicet *audiendi sacrum*) satisfaciat, qui duas partes sacri audit successivè à duobus sacerdotibus. 2. si utramque partem audiat simul? ut, si in uno altari fieret elevatio, quando in altero diceretur introitus, & Petrus istam Missam usque ad finem, illam usque ad elevationem audiret. Quod autem dicitur de hoc præcepto, idem dicendum est de omnibus alijs habentibus materiam dividuam

444. In primo casu affirmativam, ut probabilem, & in conscientia tutam docuit Viennæ Austriæ in Universitate publica Anno 1665. P. Henricus Herdinck vir æquè pius, ac doctus in *M. S. d.* 2. *de legib. q.* 5. idque ex Coninck *de sacr. q.* 83. *a.* 7. *d. un. n.* 287. qui rationem dat; quia, cùm Ecclesia sciat, hanc suam legem ita à gravibus Doctoribus explicari, hoc ipso, quòd permittat eorum explicationes publicè imprimi, & doceri, censetur dictum præceptum juxta eos moderari.

445. Secundum casum probabilem censet Molfesius *in Sum. tom.* 1. *tr.* 3. *c.* 17. *n.* 37. *in fine*. Causam dat, quia Ecclesia non præcipit, ut Missa audiatur *ab uno Sacerdote*. *Ordo* etiam *successivus* non est de præcepto saltem gravi, paritate acceptâ ab horis Canonicis, in quibus, sine transgressione gravi, potest quis invertere ordinem horarum. Coninch *cit. n.* 288. idem docet his verbis: hæc praxis parum decens est, minusque religiosa; ideóque non usurpanda sine rationabili causa. Quare eum, qui omnino sponte veniret seriùs ad primam partem sacri, cum intentione audiendi partem sequentis, credo peccaturum *venialiter*. Eandem probabilem censet Diana *p.* 10. *t.* 17. *resol.* 3. Leander *à SS. Sacr. tr.* 2. *D.* 1. *q.* 65. *q.* 6. Dicastillo *tom.* 1. *de Sacr. tr.* 5. *de Sacrif. Miss. D.* 5. *d.* 3.

*d. 3. n. 40.* Sed notandum, hæc à dictis Doctoribus tradita esse ante 2. Martij, Anni 1679. quo ab Innocentio XI. Summo Pontifice, inter propositiones damnatas, tanquam scandalosas, & doceri prohibitas, *prout jacent*, ordine 53. est hæc: *satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul, à diversis celebrantibus audit.* Unde post hoc decretum in materia hujus ℣. plures quæstiones particulares fieri possunt, in sequentibus resolvendæ, ut plenius constet de natura legum. Quare

446. Dubitatio est 1. an opinio docens, satisfieri successiva auditione duarum partium ex duplici Missa, incidat in 53. propositionem damnatam ab Innocentio XI? seu, an hæc propositio: *qui serò venit ad sacrum* (v. g. primò ad pulsum pro consecratione) *satisfacit præcepto, audiens ex secundo sacro partem neglectam*, incidat in dictam propositionem damnatam? Responsio est negativa; ita Cardenas *p. 3. Crisi. Theol. dissert. 32. c. 6. n. 50.* Cujus ratio est, quia damnatio dictæ propositionis 53. solùm loquitur *de simultanea auditione* duarum, aut plurium partium Missæ; hæc autem propositio, de qua quæritur, loquitur *de successiva auditione* duarum medietatum Missæ: ergo hæc nullo modo, saltem formaliter, incidit in illam, *prout jacet.*

447. Dices: licet propositio in num. priori, non sit *formaliter*, & expressè damnata; est tamen damnata *virtualiter*; probatur; quia illa opinio, vel propositio, *damnatâ unâ*, manet damnata virtualiter, seu in vi hujus, quæ est incompossibilis cum ea damnata; sed hoc habet ea opinio, seu propositio; ergo. Min. prob. Nam ex illa, tanquam antecedenti, infertur damnata: si enim in hoc argumento (*non satisfit præcepto simultaneâ auditione duarum medietatum Missæ; ergo nec auditione successivâ*) negetur conseq. & assumatur pro antecedenti hoc contradictorium consequentis: *præcepto Ecclesiæ satisfit auditione successivâ duarum medietatum Missæ;* arguaturque ad contradictorium antecedentis, rectè infertur damnata: *ergo præcepto Ecclesiæ satisfit auditione simultaneâ duarum medietatum Missæ.* Nam hic argumentandi modus certò valet: ergo.

448. Sed Resp. N. ant. ad hujus prob. Resp. transf. ma. si loquatur de opinione *evidenter* incompossibili cum damnata; non autem secùs; ratio hujus est ex dictis: sic distinctâ min. N. conseq. Similiter ad prob. min. Resp. eam procedere, si propositio controversa, *tanquam antecedens*, per evidentem illationem, inferat damnatam; non autem secùs. Quare, ut hoc fiat, utendô illo argumentandi modo, dicendum: *tunc ex contradictorio consequentis evidenter concludi ad contradictorium antecedentis, quando primum antecedens, ad cujus contradictorium arguitur, evidenter infert suum consequens*; sed hoc in præsenti non contingit. Nam hoc antecedens: *non satisfacit præcepto simultaneâ auditione duarum medietatum Missæ*; nullâ ratione evidenti infers hoc consequens: *ergo nec satisfacit successivâ auditione.* Hujus autem ratio est; quia ratio *antecedentis* non est communis *consequenti.* Ideo enim auditione simultaneâ non satisfit, quia præceptum audiendi Missam est de objecto successivo (nimirum auditionem Missæ successivè præstando) ex natura talis objecti; consequenter auditio præcepta est *auditio successiva*, nimirum partis post partem; quo, quia caret auditio *simultanea*, antecedens illud evadit falsum, consequenter non inferens falsitatem consequentis, in quo asseritur auditio successiva.

Hinc notandum, etsi verum sit, legitimè argui à contradictorio consequentis, si negetur, ad contradictorium antecedentis, quod concedi ponitur, si, quod pro antecedenti ponitur, sit *verè antecedens*, hoc est, connexum cum consequenti ex medio communi utrique, ac respectu utriusque necessarij. Nam si tali casu negetur consequentia; eo ipso etiam negari debet connexio antecedentis (quia sublatô terminô connexionis, tollitur vel formaliter, vel consequenter connexio) ergo ut à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis valeat argumentum, non satis est, poni aliquam propositionem consequentis non illativam aut cum eo non connexam; sed oppositum requiritur; id, quod in præsenti casu non contingit ex medio necessario, & communi, ut ostensum est. 449.

Hinc P. Suarez *de Eucharistia. d. 88. sect. 2.* ait, opinionem, quæ affirmat, licitam sacri auditionem successivam, *propter* 450.

*authoritatem Doctorum, non posse practicè condemnari* (intellige donec aliâ lege certâ, quæ in præsens non est, reprobetur) & ideo ibidem expressè dicit: *illum, qui ex dicta sententia operabitur, non peccaturum mortaliter*; & Cardinalis de Lugo *d. 22. de Eucharist. n.* 8. eam sententiam admittit tanquam *probabilem extrinsecè*. Ratio autem hujus sententiæ est; quia opinio asserens satisfieri præcepto successivâ auditione duarum medietatum Missæ, non habet contra se principium certum, cum quo componi non possit, & habet pro se rationes valde congruas, quæ consideratis omnibus, in executione inseparabilibus, citra notam temeritatis, aut imprudentiæ sufficiant ad asserendam eam satisfactionem; consequenter exerceri potest sine peccato; ergo manet practicè probabilis. Prima pras constat ex n. 448. & constabit amplius à n. 455. secunda patet tum ex præsumptione de tantis Doctoribus, qui eam tradiderunt, utique ad hoc asserendũ ex talibus motivis, quæ citra notam imprudentiæ illum eorum assensum merebantur; tum etiam inspectis rationibus, quibus ipsi procedunt in assertionis illius probatione, quæ reverâ nullo contrario certo infringuntur. Tertia verò pars constat ex confessione contrariorum, qui licèt hanc opinionem non teneant, tamen practicè probabilem censent.

451. Dices. Opinio *tenuiter* probabilis, non est *practicè* probabilis; sed opinio de successiva auditione est *tenuiter* probabilis: ergo. maj. prob. ut propositio sit *practicè* probabilis, necesse est, quòd licitè, & absque peccato formali possit deduci ad praxim; seu, quòd, dum eam opinionem sequimur in praxi, censeamur *prudenter operari*; sed hoc non fit, cùm sequimur opinionem solùm *tenuiter* probabilẽ; hoc constat ex damnatione tertiæ propositionis in decreto Innoc. XI. contentæ, ubi damnatur hæc: *generatim, dum de probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui* (*modo à probabilitatis finibus non exeatur*) *confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*; min. primi Syllogismi etiam probatur; quia illa opinio est *tenuiter* probabilis, *de cujus probabilitate dubitant non pauci Viri docti*; sed de probabilitate hujus opinionis dubitant nõ pauci Viri docti. Nam 1. Suarez *cit. c.* 5. ait: propter rationes contra illam opinionem à se, & alijs allatas, *sibi semper suspectam esse visam illam doctrinam, videreque se, illam, nonnullis Theologis, ac Jurisperitis, displicere*; & Azor *p.* 1. *Instit. moral. l.* 7. *c.* 3. *q.* 3. ait: mihi sanè illa sententia magis arrideret, *si aliquâ firmâ ratione, aut argumentô niteretur*. Et ob has rationes Cardenas *cit. n.* 61. ait: si solùm attendamus principia intrinseca illius propositionis, non esse practicè probabilem; secùs, si extrinseca, & Authoritatem. Porro majorem primam probat Cardenas *dissert.* 4. *c.* 5. quia opinio *dubiæ probabilitatis*, non est *practicè probabilis*, quàm diu talis manet; sed opinio *tenuiter* probabilis, est opinio *dubiæ probabilitatis*; ergo opinio *tenuiter* probabilis, non est *practicè probabilis*; sed opinio, de cujus probabilitate dubitant non pauci Viri docti, est dubiæ probabilitatis; ergo etiam est tenuiter probabilis.

Sed Resp. ad argumentum, *transf.* maj. 451.
N. min. ad hujus prob. Resp. dist. maj. illa opinio, *in se, & absolutè*, est *tenuiter* probabilis, de cujus probabilitate practica dubitant non pauci Viri docti, N. maj. est *tenuiter* probabilis *respectivè, & quoad illos*, qui sic dubitant, transf. maj dist. pariter min. sed de probabilitate *intrinseca* opinionis, de qua n. 444. dubitant non pauci Viri docti, transf. de illius probabilitate *extrinseca*, N. min. ex n. 450. ergo illa opinio, de qua n. 444. est *tenuiter* probabilis *solùm respectivè ad illos*, qui sic dubitant, transf. *in se, & absolutè*, N. conseq. Et quoniam etiam illorum dubitatio non est de probabilitate illius opinionis *extrinseca*, sed solùm *intrinseca*, ut constat ex n. priori, ad summum, vi transmissorum, sequitur illam opinionem quoad probabilitatem *intrinsecam*, esse *tenuiter* probabilem, non absolutè; sed solùm respectivè. Ad prob. maj. R. illam propositionem: *opinio dubiæ probabilitatis, non est practicè probabilis*, posse multos habere sensus, nec omnes veros. Nam si idem sonat *opinio dubiæ probabilitatis*, ac ista: *opinio, de cujus probabilitate dubitant non pauci Viri docti*, ex dictis constat, sic indefinitè prolatam, esse falsam, quia opinio, de qua in præsens agimus, etiam secundùm Suarez, & Cardin. de Lugo,

Lugo, est practicè probabilis, extrinsecè, ut constat ex n. 450. imò & secundùm Patrem de Cardenas in n. 446. & tamen de illius probabilitate *intrinseca* ipsi dubitant. Secundò, si ly *opinio dubiæ probabilitatis* idem significet, ac opinio *non paucis dubitabilis* quoad gravitatem fundamenti, ac licitum usum in praxi, evincit solùm *relatè ad illos sic dubitantes*, non esse practicè probabilem; non autem *in se*, *& absolutè*. Certissimum enim est, multis etiam Viris doctis, opiniones suas videri firmissimas; & oppositas illis omnino falsas: & tamen sæpè fit, quòd hæ in se, & absolutè; imò & respectivè ad alios æquè doctos, habeantur veræ, ac solidæ.

453. Quarè not. 1. in moralibus, per *opinionem probabilem intelligi talem, quæ in re, & quæstione incerta prudenter approbat ut verum, actionem aliquam posse, vel non posse fieri citra formalem culpam conscientiæ; & si etiam consideratis omnibus circumstantijs, in executione talis actûs inseparabilibus, idem prudenter affirmet, dici probabilem practicè*. Not. 2. ex ipso de Cardenas *cit. c. 3. à n. 15.* terminum *probabile*, sic sumptum, ut mox dictum est, additione hujus: *tenuiter*, non tam diminui, quàm alienari, & distrahi à proprio suo significato, quod in vera acceptione ly *probabile*, prout significat fundamentum grave, ac dignum, quo quis nixus, non temerè, nec imprudenter procedit in asserendo aliquid esse, vel non esse licitum in praxi, importat. Rationem dat, quia *tenuitas* probabilitatis denotat *levitatẽ fundamenti*, atque adeò importat *carentiam gravis fundamenti*, cujus oppositum sonat ly *probabile*. Hoc autem sensu, sumendô *tenuiter probabile*, omnino concedo, *non esse practicè probabile*; quia revera nemo potest in re, concernente peccatum, prudenter sequi judicium, quo procedit ex fundamento *tenui*, hoc est, *absolutè levi*, præsertim cùm in contrarium stat fundamentum *grave*, nimirum suadens in his circumstantijs, non licere ex tali fundamento ad executionem procedere: an autem opinio, *de cujus probabilitate intrinseca dubitant non pauci Viri docti*, ex hoc ipso, prudenter dici possit *tenuiter probabilis*, hoc est, destituta, & carens omni fundamento gravi, quando eam tenent alij æquè docti, ac publicè professi etiam typo, præmissâque approbatione legitimâ, mihi quidem videtur non rectè dici, præsertim, quando etiam ipsi contrarij judicant illam, propter eam docentium authoritatem, esse practicè probabilem, at id contingit in præsenti, ut constat ex n. 450. ergo. Hinc ad summum tunc concedi posset, *opinionem aliquam* ex hoc, quòd de illius probabilitate dubitent non pauci Viri docti, *esse tenuiter probabilem*. 1. quando dubitant de probabilitate illius tam extrinseca, quàm intrinseca. 2. quando probabilitas, seu fundamenta intrinseca, quibus à suis Patronis propugnatur, redduntur per contrariorum rationes vel certò falsa, aut absolutè levia, seu non digna, quibus Vir doctus citra notam imprudentiæ, aut temeritatis, præbeat assensum; id, quod in nostro casu non contingit.

Sed ulteriùs urget P. Cardenas, qui censet, opinionem (quæ docet, satis fieri præcepto audiendæ Missæ, *successivè* audiendo duas, vel plures ejus partes) non esse ab intrinseco probabilem, desumens primum argumentum ex P. Suarez *d. 88. de Euchar. sect. 2.* quia præceptum audiendi Missam, exigit audiri *unam Missam totam*: sed illæ duæ medietates non constituunt *unam* Missam; cùm revera non sint *unum* sacrificium; ergo non impletur præceptum audiendô, etiam successivè illas duas medietates. Alterum argumentum affert P. Jacobus Illsung *in Theol. pr. tr. 5. d. 2. n. 161.* diversorum sacrificiorum partes, singulæ ad singula sacrificia tanquam ad fines suos particulares, ac individuales, per intentionem ministri ita determinatè ordinatæ sunt, ut nequeant in unum sacrificium coalescere, sicut nequeunt partes diversorum officiorum, canonicorum, diversis diebus affixorum, coalescere in unum officium canonicum pro eadem die recitandum. Tertium argumentum sumitur à paritate de auditione *simultanea*, ad *successivam*, de quo, ubi & alijs, quibus Cardenas à finibus practicè probabilitatis *intrinsecæ* excludit opinionẽ, de qua in præsenti, jam retulimus, & solvimus à n. 452.

454.

455. Resp. opinionem, quæ negat satisfieri præcepto Ecclesiæ, per duas medietates Missæ, diversorum sacrificiorum, etiam *successivè* auditas, esse ac censeri ab alijs etiam-

etiamnum *probabilem*; & à multis oppositâ *probabiliorem*, sed *non* esse *certam*. *Probabilem* censent complures relati apud P. Illsung *cit. n.* 161. oppositâ *probabiliorem* Fagundez, Suarez, & alij: sed *non certam*; tum, quia complures sententiam affirmantem, ut probabilem defendunt, ut Layman *l.* 4. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 4. Tannerus, Navar. Bonacin. & complures alij apud eundem *cit. n.* 161. relati; tum, quia rationes, quibus utuntur Patroni sententiæ negantis, hanc nullatenus *certam* reddunt. Nam ad 1. Resp. C. ma. N. min. ad ejus prob. Resp. cum dist. illæ duæ medietates Missæ, *successivè auditæ* à diversis sacrificantibus, non sunt *unum sacrificium quoad effectum sacrificandi*, transf. *quoad effectum audiendi Missam*, N. Dixi. 1. *transeat non esse unum sacrificium quoad effectum sacrificandi*; nam in re non subsistit; si enim Sacerdos post consecratum panem, repente moreretur, & alius reliqua perageret, quoad effectum sacrificandi foret unum sacrificium, cùm utraque pars ad eundem finem hujus sacrificij tendat.

456. Dixi 2. negandô, *non esse unum sacrificium quoad effectum audiendi Missam*. Nam cùm contrarij dicunt, requiri *unum* sacrificium, vel volunt. 1. *unum unitate celebrantis?* vel 2. *unum unitate ordinis* partium Missæ ad invicem? vel 3. *unum integritate*, seu integrum, cui scilicet nulla pars substantialis, vel etiam integralis desit? si hoc postremum? certum est illas medietates facere sacrificium, seu Missam, *cui nulla pars desit*, ut ponit casus, adeoque *unum integritate*; si dicunt primum? id sanè *certum* non est; & probabilissimè negatur, ut constat ex instantia num. priori: Si autem velint secundum? pariter non certum, sed solùm probabile est, sic exigi *unum*. Deinde, vel per *unitatem ordinis* intelligunt eam, quæ est *ex institutione*; vel quæ est *ex intentione sacrificantis*? sed profectò alterutrum requiri, rationes illorum non demonstrant; ergo. Deinde, licet concedam, *sacrificantem* obligari, ut, cùm sacrificat, servet ordinem, quem ex institutione habet ordo sacrificandi; sed hunc etiam ordinem esse graviter præceptum *audienti*, probabiliter quidem dicitur; sed ratione certâ non evincitur. Nec aliud evincit paritas, quam aliqui desumunt ab unitate officij divini.

Ad 2. in n. 454. Resp. cum dist. diversorum sacrificiorum partes, ab intentione ministri sic determinatè ordinatæ sunt, ut nequeant in *unum* sacrificium cöalescere, si loquatur de *unitate* sacrificij *desumpta ab unitate celebrantis*, vel ejus intentione, transf. si de unitate integritatis Missæ, N. si enim velint, *esse sub præcepto* unitatem consurgentem ex partibus Missæ *unius celebrantis*, vel *intentionis ejus*, eoipso dicunt esse præceptum, quod est in quæstione, an sit præceptum? unitatem autem integritatis haberi in dato casu, ex dictis constat: nec aliam intendi plùs, quàm probabiliter, evincunt Negantium argumenta. Id quod in eodem argumento num. 454. desumitur à partibus diversorum officiorum Canonicorum, patitur easdem solutiones. Vix enim probavit pars adversa, *certum esse*, non satisfieri obligationi persolvendi horas Canonicas ab eo, qui putans cras esse festum, hodie de illo recitat matutinum, & laudes; & cras advertens errorem, reliqua orat de feria illa occurrente. 457.

Dubitatio altera est, an satisfiat legi, vel præcepto, *simul tempore* ponendo ejus materiam dividuam, divisibiliter præceptam? Dupliciter fieri potest, totum aliquod, constans partibus dividuis, divisibiliter præceptis, esse debitum lege. 1. si totum, quod naturâ suâ, institutione, vel juris dispositione, aut etiam legis intentione, non sit successivum; 2. si sit successivum ita, ut aliàs non retineat denominationem, sub qua per legem, quæ ejus positionem directè intendit, præcipitur; quo posito: Resp. satisfieri præcepto, per simultaneam positionem partium materiæ dividuæ, divisibiliter præceptæ, si totum divisibiliter præceptum *non sit successivum* naturâ suâ, juris dispositione, aut legis intentione. Ratio primi est, quia præcepto satisfit positione totius rei præceptæ quoad substantiam, & modum intrinsecum; at ponendô simul partes materiæ divisibilis divisibiliter præceptæ, quando non est successiva uno ex prædictis modis, ponitur tota res præcepta, quoad substantiam, & modum ejus intrinsecum; quia supponitur idem poni simul, quod poneretur successivè, nisi quòd omittatur *modus successivæ positionis*, quæ, ut ponit casus, non est de ratione totius præcepti, aut lege debita; ergo. 458.

go. Ratio secundi est, quia, quando totum, quod ponitur sub lege, est naturâ suâ, vel legis dispositione, aut ex intentione legis successivum, modus successivæ positionis est intrinsecus rei præceptæ; ergo nisi successivè ponatur materia illa dividua, non ponitur materia illa dividua, non ponitur materia præcepta, secundùm quod subest legi, vel præcepto; at sic non satisfit legi, aut præcepto; ergo. Quoad secundam partem (quòd satis faciat præcepto, simul tempore ponens plures partes materiæ dividuæ, v. g. *simul plures partes Missæ à pluribus sacerdotibus celebrantibus*) probabile censuit Molfesius, & alij, ut constat ex dictis à n. 445. Sed hodie post Constitutionem Innocentij XI. de qua superiùs n. 445. ea opinio sustineri non potest. Nam ex propositione 53. inibi damnata, certum est, quòd sit scandalosa opinio dicens, *satisfieri præcepto Ecclesiæ, de audiendo sacro, per eum, qui duas ejus partes, imò quatuor simul, à diversis celebrantibus audit*; ergo.

459. Dices cum Diana, *p.* 10. *tract.* 15. *resol.* 3. licitum est audire simul duas Missas, simul concurrentes in altaribus conjunctis, licèt una debita sit præcepto, altera voto; at sicut se habet totum ad totum, ita se habet pars ad partem; ergo sicut satisfit obligationi, audiendô simul duas missas secundùm se totas; ita satisfiet audiendô simul duas partes missæ Respond. datâ majori dist. min. sicut se habet totum ad totum, ita se habet *pars illius totius, ad partem hujus totius*, transf. *ejusdem totius*, neg. min. & conseq. Aliàs enim, ut rectè notat Cardenas *dissert.* 32. *c.* 5. *a.* 1. *n.* 40. valeret hoc argumentũ in casu quo *Transumptum* (imago v. g. perfectè simile est suo *exemplari*: sicut se habet *transumptum ad exemplar*, ita se habet *pars transumpti*, consequenter valeret subsumere: sed *caput transumpti est rotundum*; ergo et am nasus, vel pes ejus est rotundus &c. quod malè dicitur.

## §. IX.

### *An prolatio sententiæ Principis constituat legem pro similibus?*

460. ANte resolut. not. 1. per *sententiam* hic intelligi mentem, ac voluntatem Principis, sive Ecclesiastici, sive Laici, quâ vel declarat, vel constituit, aut definit, quid in hac, vel illa materia, hoc, vel illo casu agendum, vel omittendum sit? Not. 2. dupliciter fieri posse, quòd Princeps aliquis dicat, proferatque sententiam in certa materia, vel casu; 1. *solùm declarandô legem à se, vel antessoribus suis latam.* 2. *decidendô quæstionem litigiosam*, quod fit, quando pronuntiat super ea secundùm leges vel à se, aut Prædecessoribus; vel à jure divino, & naturali statutas. Not. 3. sententiam *merè declarativam legis* antè conditæ, extendi solùm ad præterita, ut notat Layman in c. *quoniam*, de constitutionibus, in 6. quia, *qui jus præcisè declarat, nihil de novo condit; sed quod antè positum est, denuntiat*; *argum. L. Hæredes palam*, 21. §. *si quid ff. de Testament.* ubi generatim dicitur: *qui declarat, nihil tunc dat, sed datum significat.* Et ideo Doctores communiter dicunt: magis *obligat lex antiqua declarata, quàm nova declarans.* Ex hoc sequitur, ex prolatione sententiæ *merè declarativæ*, à Principe datæ, non inducì novam legem; sed solùm effici, ut lex illa declarata, obliget secundùm sensum à Principe expressum. Nam per ejusmodi declarationẽ manifestatur mens, & intentio Legislatoris, à qua pendet vis obligandi, quam importat lex.

Potissima quæstio est, an sententia litis, 461.
aut litigiosæ quæstionis decisiva, in certo casu, materiâ, vel causâ, etiam pro similibus decidendis constituat legem, quando data est cum causæ cognitione? Communis opinio Doctorum ex utroque jure sequitur affirmativam cum *Felin. in Rubric. de Rescript. n.* 1. Jasone *in L.* 1. *ff. de constit. princip. & L.* 1. *ff. de Feriis*, *à n.* 23. &c. fundantur potissimum *in L. ult. C. de legibus*, ubi sententia, inter partes data, cum cognitione causæ, pro lege habenda dicitur: negativam tamen sequitur Covarr. 4. *decret. p.* 1. *c.* 7. §. 4. *n.* 15. 1. quia sententia decisiva, *in quantum talis*, non respicit *directè bonum commune*, sed bonum speciale aliquorum, quorum causa in ea lite, secundùm jus prævalet. 2. quia lex præcipiens versatur circa futura, decisio litis solùm declarat jus præexistens inter partes. 3. quia lex est juris constitutio, non declaratio; decisio autem secùs. 4. quia *L.* 2. *C. de legib.* ait Imperator, *quod ex relationibus, vel suggestioni-*

*stionibus judicantium Procerum, introducto negotio, statuimus, generalia jura non sunt.*

462. In hac quæstione videtur distinguendum, ac dicendum probabilius esse, nullam sententiam decisivam, *ex eo præcisè, quòd decisiva sit*, habendam esse pro lege; secùs tamen, si Princeps aliquo signo declaret, velle se, ut in similibus deinceps hæc sua in præsenti casu decisio, pro lege habeatur. ita Suarez *l. 3. de legib. c. 15. n. 16.* quem citat, & sequitur Castropalaus *tr. 3. de legib. D. 1. p. 8. à n. 5.* quâ distinctione videntur conciliari posse prædictæ sententiæ, ut Felinus, & alij intelligantur juxta secundam; Covaruvias juxta primam partem datæ distinctionis. Ratio primæ partis est ex n. priori; nam sententia *decisiva*, quà talis, revera directè solùm respicit particulare, ac privatum bonum ejus ex partibus litigantibus, cujus merita secundùm leges, & jura, meritis alterius præponderant; lex autem propriè dicta (ut constat ex dict.) naturâ suâ *directè* respicit bonum commune. 2. quia sententia *decisiva*, quà talis, non est constitutiva juris, aut legis, sed tantùm applicativa juris, & legis præexistentis, pro parte unius, & non alterius. Accedit (prout opportunè observat Castropalaus cit.) facilè posse evenire, quòd sententia decisiva (si ex propria opinione procedat) errorem contineat. Talem continebat ea sententia, quâ judicatum fuit, matrimonium ratum dissolvi per subsequens consummatum, cujus mentio fit in c. *licet*, de sponsa duorum; & altera, de qua fit mentio in c. *quanto*, de divortio, ubi judicatum fuit à quodam Prædecessore Innocentij III. (sed privato solùm sensu) matrimonium fidelium solvi *per alterius lapsum in hæresim, vel Apostasiam à fide.* de quo agimus *lib. 4. decretal.* Ratio secundæ partis est; quia si Princeps sufficienter declaret, se velle sententiam suam, certæ causæ decisivam inter partes, deinceps haberi pro lege in similibus, non facit legem *in quantum decisiva est*; sed in quantum per voluntatem reflexam hanc decisionẽ ordinat in commune bonum tanquam regulam à se præscriptam, in similibus causis observandam.

463. Quæri autem potest 1. unde cognoscatur, quòd Princeps habeat hanc voluntatem, quâ censeatur declarare, quòd decisionem suam in hac causa, velit deinceps observari pro lege in similibus? respondet Castropalaus *cit. n. 5.* quòd tunc, si mandaret sententiam suam inseri corpori juris, aut aliâ solenni formâ id publicaret. Nam sic Corpus juris canonici potissimum constitutum est; & habetur in c. *in causis, 19. de sent. & rejudicat.* ubi dicitur, *in causis, quæ Summi Pontificis judicio diciduntur, & ordo juris, & vigor æquitatis est subtiliter observandus. Cùm in similibus casibus cæteri teneantur similiter judicare.* Nisi fortè cùm aliquid (causa necessitatis, & utilitatis inspectâ (dispensativè duxerit statuendum.

Quæri potest 2. an, quod dictum est 464.
de sententia Principis decisiva litis inter privatos, etiam dicendum veniat de illius *epistola, & rescriptis*? R. esse distinguendum. Nam talis epistola, vel rescriptum, aut est *purè decisivum litis* secundùm leges antè conditas, aut *merè declarativum* juris præexistentis, aut *novi juris constitutivum*? si *merè decisivum litis*? omnino idẽ tenendum de tali epistola, vel rescripto, quod diximus à *n. 462.* si *merè declarativum juris* jam præexistentis? subdist. nam vel declarat jus præexistens, sed à se conditum? & eo casu tenendum est, quod diximus *n. 460.* jus illud in eo sensu, quem declarat Princeps, accipiendum esse: vel declarat jus præexistens, sed naturale, & divinum? & tali casu vim legis non obtinet, nisi non opinione suâ privatâ, sed potestate Vicaria sibi à Christo datâ utatur; propter dicta alibi: si denique talis epistola, vel rescriptum, est *novi juris constitutivũ*, in commune bonum, directè intentum? omnino vim legis habet, ut deciditur *L. 1. ff. de constitut. Princip.* ibi: *quodcunque Imperator per epistolam constituit, vel edictô præcepit, legem esse constat;* & *cit. L. ult. C. de ligib.* ubi habetur: *sententiam inter partes datam cum cognitione causæ, pro lege habendam;* quod intellige de sententia, non in quantum litis præcisè decisiva, ut constat ex *n. 462.* sed signo Principis declaratâ, quòd pro lege haberi velit; ita Suarez *cit. L. 3. c. 15.*

Quæri potest 3. quid dicendum de sen- 465.
tentia, epistola, vel rescripto Prælati, vel Magistratûs alicujus, alteri subditi, habentis tamen potestatem legislativam pro suis subditis? R. sententiam litis præcisè decisivam,

fivam, non habere vim legis, etiam subditos talis Prælati, vel Magistratûs, cujus ratio est ex *n.* 462. epistolam autem, aut rescriptum, seu responsum ejus, novi juris constitutivum, haberi pro lege, si ab eo, cui talis Legislator subest, approbatur, ex *n. priori*: si autem sit juris præexistentis solùm declarativum; & sit juris communis toti Regno, non habiturum vim legis etiam apud sibi subditos. Hujus ratio est, quia talis declaratio, vel est conformis legi communi toti Regno, & prout omnes provincias ejus obligat; vel *difformis? si difformis?* nõ est declaratio legitima; sed inordinata. Nam *inordinatũ* est, legẽ toti Regno communem, habere diversos sensus in diversis provincijs ejusdem regni, nisi Princeps sic velit; & *illegitimum* est, ubi exponens non æquipollet exposito: si *conformis*? vim habere nequit in virtute declarationis profectæ à Magistratu unius privatæ provinciæ, non valentis ligare *omnes*; præterquam, quòd mera declaratio juris communis non ponat, sed solùm exponat tale jus. V. Suarez *cit. L.* 3. *c.* 15. *n.* 18. & *L.* 4. *c.* 14. *n.* 23. & ex illo Castropal. *cit. n.* 7.

466. Illud adhuc not. cùm dicimus, in certis casibus, sententiam decisivam litis, vel epistolam, aut rescriptum Principis, datum ad quæstionem dubiam, sibi propositam, *habere vim legis*, in alijs etiam causis similibus definiendis; necessariò intelligendum esse, si sint affectæ ijsdem circumstantijs, & qualitatibus, quibus ea, super quæ talis decisio, epistola, vel rescriptum emanavit; secus enim illius applicatio foret à diverso ad diversum, quæ non tenet, utpote sumpta à disparato; quod tamen accipe, si decisio fundetur in ejusmodi circumstantia, vel qualitate. Et ideo frequenter malè applicantur, *indefinitè rescripta Pontificum*, his non observatis. Exemplo sit præsens casus. Mulier *certa, de obitu prioris viri* (utpote præsens, cùm tumularetur, postquam obtruncatus est in hostili conflictu) cupit transire ad secunda vota; reijcitur à suo Parocho, donec ei *certam probationem faciat*, virum suum obiisse, sic exigente c. *in præsentia*, 19. *de sponsal.* ubi Clemens III. Cæsaraugustano Episcopo rescribit: quòd mulieres, quantocunque annorum numero remaneant, viris suis absentibus, non possint ad aliorum consortium canonicè convolare, nec authoritate Ecclesiæ permitti, *donec certum nuntium recipiant de morte virorum*; item c. *Dominus*, 2. *de secund. nupt.* ubi dicitur: nullus amodò ad secundas nuptias migrare præsumat, *donec ei constet*, quòd ab hac vita migraverit conjunx ejus.

Hæc utriusque rescripti applicatio in præsenti casu non videtur habere locum. 467. Nam rescriptum Clementis in c. *In præsentia*, erat ad hanc quæstionem Episcopi: an mulieres (*quæ de vita, vel morte virorum suorum*, quos longo jam tempore, causâ captivitatis, vel peregrinationis absentes, exspectârunt, *nullã habere certitudinem possunt, atque adeo ignorant, an vivant, aut obierint sui conjuges*) transire possint ad secundas nuptias? & epistola Lucij III. in c. *Dominus* expressè loquitur de casu, quo quidam Christiani, in captivitate Saracenorum, *nullâ certitudine habitâ*, sed *incerti ac dubitantes de morte uxoris* contrahebant secunda matrimonia: casus autem propositus in n. priori, ponit *mulierem* transire volentem ad secunda vota, *certam de obitu Viri sui*; ergo applicatio utriusque capituli in dato casu non habet locum.

Si dicas: Ecclesiæ debet *constare* de obitu prioris conjugis, ut superstitem admittat ad secunda vota. Resp. cum dist. si transire volens ad secunda vota, *adhuc sit dubius de obitu sui conjugis; transf. si certus*; nego. Dico *transeat*. Nam textus *in cit. c. c.* requirit *certitudinem de obitu prioris conjugis*, solum *in eo, qui transire vult ad secunda vota*, ut patet ex c. *In præsentia*, ibi: *donec certum nuntium recipiant de morte virorum suorum*; & c. *Dominus*, ibi: nullus amodò, *donec ei constet &c.* ut supr. *n.* 466. Ex hoc autem fit, quòd, quando in textu dicitur: non possint ad aliorum consortiũ *canonicè* convolare, nec *authoritate Ecclesiæ permitti* (ex quo aliqui volunt, *Ecclesiæ*, vel *Parocho* debere fieri certitudinem de obitu prioris conjugis) vi allati textûs id non rectè probetur in casu proposito, ubi transire volens ad secundas nuptias *non est dubius, nec incertus* de obitu sui conjugis. Nam textus expresè loquitur de casu, *quo transire volens ad secunda vota, dubitat*, vel *incertus est de morte prioris conjugis*. Quia tamen soli illi, qui transire vult ad secunda vota, statim fidem dare, & ad illius solius assertionem, 468.

suum

ſuum conjugem obijſſe, ſe præſentem fuiſſe, cùm ſepeliretur, &c. credere, multum periculi habet (cùm facilè mentiantur homines, præſertim vagi, aut peregrini, ſe liberos eſſe à priori vinculo conjugali) juſtum omnino eſt (& laudabilis uſus etiam obtinuit) ut tales non admittantur ad ſecunda vota, niſi Parocho fidem faciant, ſeu rationabilem credulitatem de obitu conjugis prioris; de quo plura *l.* 4.

## ARTICULUS X.

### *Quis poſſit condere leges?*

469. Cùm communitas hominum ſine Gubernatore, & recta gubernatio ſtare non poſſit ſine poteſtate ferendi leges, quibus ille tanquam medijs, munus & officium Gubernatoris exerceat, omnino neceſſe eſt, quòd in hominibus ſit poteſtas legislativa. Nam *ubi non eſt gubernator, corruit populus*, ut dicitur proverb. 11. Cùm autem homines naturâ liberos fecerit, nulli particulari homini naturâ ineſt poteſtas, alijs præſcribendi legem; ergo ejusmodi poteſtas in hominibus, aliunde illis provenire debet, nimirum vel immediatè à DEO, vel ſaltem mediatè, quatenus aliqui nativâ ſuâ libertate ſe privantes, unum, vel plures ſibi elegerunt, quibus ſponte ſe ſubjecerunt eo fine, ut in aliquam communitatem coadunati, ab ipſo gubernarentur per ea media, quibus bonum, & felicitas illius communitatis, & rectè procederet, & conſervaretur, vel ampliùs etiam promoveretur, de quo plura Caſparus Manzius, de ortu, & progreſſu Imperij Rom. *Tit.* 3. §. 7. *& ſeq.*

470. Illos porro, qui ſe in unam communitatem coadunantes, uni vel pluribus ſe gubernandos ſubjecerunt, poteſtatem & jurisdictionem politicam eo ipſo, quòd in unam communitatem coiverint, animô ſe iſpos invicem juvandi, & ſocietatis vinculô uniendi, ſortitos eſſe à natura, docet Caſtropalaus *p.* 1. *t.* 3. *D.* 1. *p.* 22. *n.* 2. Sed hoc videtur intelligendum ſolùm ex ſuppoſitione, quòd liberè conſtituere voluerit talem communitatem, rite ab uno, vel pluribus gubernandam juxta menſuram initæ communitatis, & conſenſionis. Ratio hujus eſt, quia ſine poteſtate ferendi legem fieri non poterat, ut in pace, ac juſtitia viverent: at quoniam ſucceſſu temporis illæ ipſæ communitates, propter magnam confuſionem, & perturbationem, ubi multitudo gubernabat, juſtitiâ & pace vix unquam ſtabili, expertæ ſunt, bono communi præſtabilius, ſi ea poteſtas non penes communitatem, ſed paucos, imò etiam unum duntaxat eſſet, eam ipſam in eos tranſtulerunt, qui reliquos regerent, poteſtate ab illis acceptâ; Sic D. Thomas 1. 2. *q.* 90. *art.* 3. *ad.* 2. *& q.* 97. *art.* 3. *ad* 3. Suarez *de legib. l.* 3. *c.* 2. *n.* 3. & alij communiter.

Ex hoc inferunt aliqui, quemlibet Principem ſæcularem, poteſtatem condendi leges habere immediatè à Republica, mediatè autem à DEO. Primam partem probant *ex L.* 1. *ff. de conſtitut. Princip. & L.* 3. §. *Noviſſimè. ff. de orig. juris.* Secundam ex illo Pauli *ad Rom.* 15. *non eſt poteſtas, niſi à DEO*; & Joan. 19. *non haberes in me poteſtatem ullam, niſi tibi data eſſet deſuper.* Denique proverb. 8. *per me Reges regnant, & conditores legum juſta decernunt.* Cæterùm mihi probabilius eſt, omnem poteſtatem regiam eſſe *immediatè* à DEO; hoc probant allati textus ſacri, & ratio; nam ſuppoſitâ poteſtate in aliquo ſuperiore, hic vices DEI gerit; & quidquid hic juſtè imperat, DEUS imperat; & qui juſtum ejus imperium contemnit, vel ei reſiſtit, DEUM contemnit, & DEO reſiſtit. *Qui* enim *poteſtati reſiſtit* (quæ ſcilicet à DEO eſt) *DEI ordinationi reſiſtit, ad Rom.* 15. Nec obſtat, quòd priùs fuerit in communitate, & ab hac dicatur translata in Regem. Nam dupliciter intelligi poteſt hæc *translatio.* 1. quòd communitas poteſtatem, quam habuit, conſtituat in Principe, cui ſe ſubjicit, vel *eandem* in illo conſtituendo; aut, ut multi loquuntur, juridicè producendo ſimilem, juxta divinæ legis favorem; 2. quòd ſuâ electione, vel ſubjectione ponat conditionem, quâ poſitâ divina lex, quæ omnis poteſtatis origo eſt, & fons, taliter electo faveat in ordine ad omnes illas actiones, per ordinem ad quas favebat antè illi communitati, à qua in electum dicta poteſtas transferri dicitur. Quoad rem, verius eſt fieri ſecundo modo; qualiter ſit in translatione dominij. Hujs quippe poteſtas, in quantum *legitima*, conſtituitur *favore legis*, aut *pacti legitimi*, utendi re domi-

471.

minio subjectâ, directè in commodum libertatis propriæ; hoc enim modò, non aliter, transfertur in donatarium à donante, nisi quatenus posito donantis consensu legitimo, leges impartiuntur donatario favorem suum ad rei usum, quem antè concesserant donanti; his præmissis:

## §. I.

### *Quousque extendat se potestas legislativa hominum?*

472. QUæstio est, quid possit circa jus naturale, & divinum? Resp. 1. quòd nulla potestas humana legem naturalem, & divinam, *præceptivam*, directè mutare possit, aliquid contrarium illi statuendò, vel in ea dispensandò. Quia inferior in lege Superioris nihil immutare potest, minùs eam tollere. Unde nec Pontifex, nec alij Superiores Ecclesiastici, dispensantes in votis, vel juramentis ullam relaxationem juris divini *directè* faciunt; esto indirectè tollant materiam legis, seu juris divini, circa quam hoc versabatur; de quo V. Suarez *tom. 2. de Relig. l. 6. c. 9. n. 15.* Ex quo habetur, nihil jure naturali, & divino prohibitum, ullo jure humano posse directè fieri licitum; nihil eo jure præceptum, ullo humano jure posse directè fieri vetitum. Ratio hujus est; quia neuneutrum fieri potest, nisi mutandò, vel dispensandò jus naturale, & divinum; at neutrum directè fieri potest ullâ potestate humanâ, ut dictum est: ergo. Hujus ratio est. quia præcepta naturalia sunt dictamina rectæ rationis, de ijs, quæ habent turpitudinem, aut honestatem intrinsecam, & essentialem independenter ab omni divina, & humana voluntate. Sunt igitur ea dictamina propositiones sempiternæ veritatis, atque necessariæ, sicut ipsarum objectum necessarium est; ergo & immutabiles: vel enim mutaretur cognitio illa practica, vel objectum: istud mutari nequit, cùm sit essentialiter tale; cognitio etiam practica mutari nequit; fieret enim ex vera falsa, si affirmaret, quod antea negabat aut negaret, quod affirmabat, nulla in objecto facta mutatione; si enim antea verè affirmabat, nunc falsò negabit, quod affirmabat. Hoc igitur judiciũ non est dictamẽ rectæ, sed aberrantis rationis; quarè non magis ista judicia practica sunt mutabilia, quàm speculativa, quoties sunt propositiones perpetuæ veritatis, uti sunt istæ, de quibus agimus.

Resp. 2. quod jure naturali, vel divino nec præceptum, nec prohibitum, sed *purè permissum* est, jure humano posse quandoque mutari præcipiendò, vel prohibendò. Nam ex utroque jure constat, multa, jure naturæ permissa, jure humano non tantùm prohiberi, sed etiam sæpius annullari, quando scilicet ratio boni communis exigit Sic matrimonium cum consanguinea sponsæ de futuro; professio ante 16. annum ætatis cum sufficienti deliberatione facta, &c. jure naturæ valent; jure Ecclesiastico irrita sunt. Donationes inter conjuges, constante matrimonio, jure naturæ validæ, humano invalidæ, vel saltem non firmæ sunt, nisi morte donantis confirmentur, ut constat *ex l. 4. decretal. tit. 24. de Donat. inter Vir. & Uxor.* 473.

Resp. 3. quòd Magistratus humanus juxta dandam expositionem licitè jus naturale *interpretari* possit, modò ea interpretatio indubitata *sit*. Nam, *qui declarat, nihil immutat, aut de novo statuit*, ut constat ex Felino *in c. 1. de offic. deleg. n. 1.* Bartolo *in L. Omnis populus, ff. de Just. & Jure, q. 6. Gloss. in L. 1. ff. de orig. juris, V. Interpretationem*; quod sic intelligendum est, ut dicta legis naturalis interpretatio in concernentibus DEI cultum, Religionem, ac salutem animarum, conveniat soli *Magistratui Ecclesiastico*; *Laico* autem duntaxat in profanis Ex hoc factum est, quòd jus naturale, ac divinum *de homine non occidendo*, per legitimam interpretationem non cadat in casum, quo occiditur injustus aggressor exigente illius occisionem necessariâ defensione propriæ vitæ. Ubi tamen dubitatur, an interpretatio juris natutalis, quæ fit per jus civile, seu seculare, foveat, vel non foveat peccatum? juris Ecclesiastici est definire. Nam hujus duntaxat fori est ea, quæ salutem animarum spectant, decernere. 474.

Dixi n. 472. nullâ potestate posse aliquid *directè* mutari in lege naturali, mutatione nimirum directâ, quæ fiat per desitionem, abrogationem, dispensationem, emendationem, seu epichiam, ut tenent D. Thomas 1. 2. *q.* 94. *a.* 4. *&* 5. & alibi; Suarez *l.* 1. *de legib. à c.* 13. *n.* 2. & alij: dicendum nihilominus est, legem 475.

naturalem esse impropriè, & indirectè mutabilem ratione materiæ, quæ nonnisi, *ut certis circumstantijs affecta*, est objectum juris naturalis, illisque conditionibus spoliata, desinit esse tale objectum. Hoc tenent potiori jure, qui existimant ab humana etiam potestate, mutari quidpiam in jure naturali posse, inter quos est Felinus in c. *ne innitaris, de constitut. n.* 7. Abbas in c. *Quæ in Ecclesiarum, de constitut. n.* 11. & in c. *fin. de consuetud. n.* 3. & *in c. à nobis, de decimis, n.* 4. *Navarr. consil.* 2. qui filij sint legitimi, *n.* 8. Nec enim eorum rationes, & exempla per illos adducta, probant aliam mutationem, ac istam impropriam, & indirectam. Et hoc etiam docet D. Thomas, 1. 2. *q.* 100. *a.* 8. dum ait: præcepta naturalia, quatenus continent rationem debiti, & justitiæ, esse indispensabilia; secundùm quod autem determinantur ad speciales modos, esse dispensabilia.

476. Circa quem textum D. Thomæ nota, quòd per ordinẽ sive rationem debiti Cajetanus intelligat, debitum non in communi, sed juxta conditiones, secundùm quas in subjecta materia uniuscujusque præcepti præscribitur, sive affirmativè, sive negativè. Per applicationem autẽ præceptorum ad speciales actus, in quibus ordo, sive ratio debiti reperitur, intelligit S. Doctor præcepta, quatenus respiciunt actus absolutè, seclusis conditionibus, secundùm quas in ipsos adæquatè feruntur; quia igitur in istis specialibus actibus, potest fieri aliqua varitatio conditionum, secundùm quas præcepta naturalia ad ejusmodi actus determinantur, & applicantur; idcirco fieri potest, ut ad eos non applicentur, & determinentur præcepta naturalia defectu conditionum, secundùm quas illos actus adæquatè respiciebant; unde obligatio naturalis circa illos actus amplius non manet.

477. Econtra si maneat idem ordo debiti, justitiæ, & virtutis, quia manet idem actus adæquatè secundùm omnes conditiones, secundùm quas terminabat præceptum naturale, non potest illud idem præceptũ non terminare, neque in eo potest cessare ratio debiti, neque proinde obligatio naturalis circa ipsum: quod explicat Cajetanus in præcepto *non occidendi*, in quo ordo justitiæ est, ut non occidatur *homo innocens* aut *privata authoritate* cum cæteris conditionibus, sub quibus DEUS, & lex naturalis prohibent hominis cædem: in quo ordine nulla potest esse dispensatio, neque cædes cum illis conditionibus, sub quibus à lege naturali prohibetur, licita fieri. Si tamen mutetur aliqua conditio, sub qua prohibebatur cædes; illa quidem licita fiet, non tamen in præcepto naturali fiet propria mutatio, cùm illud non respiciat eam cædem cum illis conditionibus, sed impropria erit mutatio duntaxat ratione materiæ, per quam non mutatur præceptum.

Ex his colligitur, ea duntaxat præcepta 478.
naturalia posse impropriè, sive extrinsecè mutari, quæ habent materiam mutabilem, quatenus nimirum terminant præceptum secundùm aliquam mutationem necessariam, quæ supponit judicium, & arbitrium humanum; sic enim, sicut directè conditio ea necessaria, pendens à voluntate hominis libera, consequenter & materia, in quantũ fundat obligationem præcepti, sic & præceptũ ipsum indirectè mutari potest, & ea mutatione facta, cessat sine ulla relaxatione, autdispensatione obligatio legis naturalis; similiter, quoties materia, prout fundat honestatem, aut turpitudinẽ jure naturali prohibitam, vel imperatam, pendet à supremo DEI dominio: potest DEUS ejusmodi materiam per variationem alicujus circumstantiæ subtrahere obligationi naturali, quæ unà cum materia, quam respicit, desinere omnino debet.

Colligitur. 2. irritatione, dispensatione, 479.
vel mutatione voti nihil juri naturali directè detrahi, aut in eo mutari. *Nihil in irritatione*; nam ea, quæ fiunt ex vi potestatis dominativæ, quã quis habet in personam voventem, aut in materiã voto promissam, eo ipso habent, ut tale votum subditi sit conditionale essentialiter, & postulet ad sui firmitatem consensum superioris, tanquam conditionẽ, sine qua non. Unde ea conditione non posita, desinit obligare, quod est de natura voti conditionalis; quæ autem fit à Superiore ex vi potestatis gubernativæ, similiter fit solùm indirectè. Nam si Superior non consentit, aut repugnat voto subditi, utitur suo jure; non enim tenetur in votum subditi consentire, aut se abdicare jure, quod habet in materiam voto promissam; quod idem

con-

contingit, quando irritatio ista impropria tantùm est, & solùm voti suspensio, eo, quòd voti executio præjudicet juri Superioris, qui etiam potestatem habet illam impediendi, cùm possit, aut suâ prohibitione ipsam illicitam reddere, aut eam subtrahendô impossibilem facere.

480. Nihil *in dispensatione*; quia cùm votum sit promissio, aut contractus, quo DEUS jus acquisivit in rem voto promissam, potest remitti ea actio, & illud jus tum à DEO, tum nomine ipsius, & facta ab illo potestate ab Ecclesia, atque ita tota obligatio voti cessat; sicut factâ remissione creditoris, vel vices illius gerentis, debitum omne extinguitur, uti explicant Suarez *l. 6. de voto, c. 9. Less. l. 2. de just. c. 14. dub. 12. Vasq. 1. 2. d. 178. n. 13. Becan. ibid. tract. 3. c. 3. q. ult. n. 11. Non denique in commutatione.* Nam cùm hæc non tollat vinculum, & obligationem voti purè & simpliciter, sicut dispensatio; sed tantùm sub onere novi vinculi, & obligationis priori subrogatæ, non detrahit juri naturali DEO acquisito, sed in aliud mutat, quod DEUS æquè acceptat, quia aut majus, ipsique gratius est, aut, si sit æquale, vel inferius, ipse illi mutationi annuit per prælatum, qui ejus vices sustinet.

481. Sed nec epichia propriè sumpta quidquam directè in lege naturali mutat; non enim est nuda interpretatio, ac declaratio, legem in eo singulari casu non obligare; ad id enim solùm prudentia, & doctrina requiritur; sed est emendatio legis, quæ cùm verbis universalibus lata sit, in casu quodam particulari judicatur, non esse observanda; quia facta est inutilis, & noxia; quare legislator in eo casu suam ipse legem emendaret. Et ideo, qui in jure naturali aliquam epichiam admittendam esse contendunt, id accidere tantùm fatentur, quando jus naturale continetur in universalibus præceptis, & per generales regulas nobis innotescit; quæ deinde in singularibus eventibus deficiunt: nam quando naturalis ratio dictat singulariter, quid in unaquaque facti specie in his, illisve circumstantijs sit faciendum, nulla possibilis est, aut emendatio, aut exceptio, vel ampliatio; quod enim tunc natura, & ratio suggerit, non potest non esse conveniens rectæ rationi, emendabile itaque non est; atqui lex naturalis non tantùm universalia, sed ipsa omnia singularia præscribit, eaque in parte differt à lege humana: ergo nunquam emendabilis est, sed omni ex parte immutabilis.

Quæstio nunc ulterior est, quid possit 482.
potestas humana in jure omnibus gentibus communi? Ante resolut. not. ut aliqua natura veri & proprij juris capax sit, debere quoque esse capacem libertatis, obligationis, permissionis, non tamen necessariò pœnæ propriè dictæ, ut alibi diximus de Incarnatione. Nam si libertate careat, nihil ipsi aut imperari aut prohiberi aut permitti poterit, neque si imperata prætermittat, aut prohibita faciat, præmio laudabilis meriti carere; aut si peccet, puniri. Horum verò omnium bruta capacia non sunt, ut patet. Ideo etiam Cicero *lib. 1. de offic. libertati*, ait, *proprium est, sic vivere, ut velis*; quæ sanè convenire non possunt propensioni, & appetitui, quo bruta propelluntur, & necessariò aguntur, maximè cùm vulgatæ libertatis definitioni, qua dicatur (*facultas faciendi quod lubet, nisi si quid vi aut jure prohibetur*) qua prohibitione juris non obstringi bruta, facile vides, non enim sua facta ad regulam, & certam normam exigere possunt, & ad legem, quæ est ex Chrysost. *orat. 75. rerum gerendarum justa regula.* Non igitur hic agimus de jure, quod Juris-consulti commune volunt hominibus cum brutis; sed quod non nisi ratione æstimatur; quibus positis:

Resp. à Magistratu humano jus gentium 483.
*præceptivum* mutari non posse; permissivo autem posse aliquid adjici; sic Layman *lib. 2. Summæ, tr. 3. c. 12. q. 5.* Ratio primæ partis est, quia ut dicitur c. *Jus gentium, dist. 1. juncto* §. *Jus gentium Instit. de jure nat. gent. &c. nefas est, violare fœdera etiam cum hostibus; religionem Legatorum non violandorum &c.* nam sine his, sincerè, ac inviolabiliter observatis, pax inter homines, & humana societas consistere non potest; ratio secundæ partis est; quia, etsi jure gentium, ad rei gestæ probationem sufficiant *duo, vel tres testes* minimè suspecti, ac omni exceptione majores; nec tamen est contra jus gentium, & passim recipitur jus humanum, quod constituit majorem testium numerum ad valorem ultimarum

voluntatum, propter plura pericula fraudum intervenire valentium in ejusmodi casu. Idem etiam jure Ecclesiastico constitutum est, cùm agitur ad separationem vinculi conjugalis propter alterius impotentiam, ut habetur *lib. 4. tit. de divortiis.*

## §. II.

## *Qui possint ferre legem civilem, seu sæcularem?*

484. Cùm *condere legem* sit *actus jurisdictionis*, ut ait Baldus in *L. ult. C. de Jurisdict. omn. Jud. n.* 1. cui non inest jurisdictio, necesse est, quòd ei nec insit potestas condendi legem. Et quia jurisdictio correlativè dicitur ad subditum, & vicissim; *inane est, ac irritum, condere legem in non subjectum.* Unde sicut *extra territorium jus dicenti* non paretur impunè, c. *ut animarum, de constit. in 6.* sic jus dicenti in non subjectum. Nam *nemo legem ferre potest ultra limites suæ jurisdictionis*, ut constat ex *L. ult. ff. de Jurisdict. omn. Judic.* Not. autem duplicem potestatem vulgò distingui à Juristis, *œconomicam* videlicet, & *politicam*; prior, quam etiam aliqui dominativam appellant, est solùm circà privatas personas, & respicit communitatem tantùm imperfectam, eáque triplex statuitur, Patris in filium, viri in uxorem, domini in servum; è quibus duæ priores immediatè oriuntur ex jure naturali; tertia ex jure gentium; vel civili: nam ex naturali origine, quam filius accipit à Patre, illi quoque subjicitur, ut & viro uxor, posito tamen contractu humano matrimonij initi, qui contractus etiam de jure naturali est; propagatio enim hominum, & commixtio maris ac fœminæ, maximè naturalis est; promiscua autem libido, ipso etiam jure naturali vetatur.

485. Potestas politica respicit perfectam communitatem, quæ scilicet ut unum corpus politicum ex varijs unione quadam in ordine ad gubernationem, & regimen coaluit. Unde vocatur potestas jurisdictionis, à qua nempe publicæ potestates formaliter habent, ut sint *publicæ* potestates. Jurisdictio autem dicitur rerum, & vitæ sub una suprema potestate ad bene beatéque vivendum societas; ex quibus vides duas has potestates, œconomicam scilicet seu dominativam, ac politicam plurimùm differre, his præmissis:

Dicendum 1. Summum Pontificem 486.
non posse condere leges civiles, *totum orbem*, aut *totum populum Christianum* obligantes; sic Navar. in c. *Novit, de Judic. not.* 3. *n.* 9. cum comuni; Ratio est, quia potestas ferendi legem *civilem* respicit subditum, in civilibus, & temporalibus subjectum; sed sic nec totus orbis, nec totus populus Christianus subjectus est Summo Pontifici. 1. *non infideles*; nam hi nec constitutionibus ejus canonicis ligantur, ut habetur in c. *Gaudemus, de divortiis.* 2. *nec omnes fideles*; nam supremam jurisdictionem civilem, & temporalem in hos, qui commorantur in terris Imperij, habet Imperator; in alios diversorum Regnorum, Reges ipsorum. Et quamvis verum sit, Summum Pontificem posse condere leges, *etiam civiles* pro suis subditis, jurisdictioni suæ temporali subjectis, æquè ac alius Princeps sæcularis non recognoscens Superiorem in terris suis; hanc tamen potestatem non accepit à Christo verbis: *Tibi dabo claves regni cælorum, pasce oves meas* (per hoc enim non temporalem, sed spiritualem ei jurisdictionem Christus contulit) sed ab his, qui Sedi Apostolicæ donationes terrarum, quas possident, fecerunt; juxta dicta n. 471. ut constat ex c. *Ego Ludovicus, dist. 63.* c. *Constantinus, dist. 96.* & c. *Fundamenta, de Elect. in 6.* Nam jurisdictio spiritualis temporalem non excludit, ut certum est apud omnes, & mox patebit num. seq.

Dices: in Extravag. *Unam Sanctam, de* 487.
*Majorit. & obed.* inter communes Bonifacius VIII. postquam dixit, in Ecclesia esse duos gladios, spiritualem videlicet, & temporalem, dicentibus Apostolis: *ecce gladij duo hic*, in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus *nimis esse*, sed *satis*. Subjungit: *certè, qui in Potestate Petri temporalem gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis: converte gladium tuum in vaginam. Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis* scilicet *gladius, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia; ille verò ab Ecclesia exercendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam*

*Sacer-*

*Sacerdotis.* hoc est temporalem jurisdictionem Principum subesse spirituali Ponficis. Et ideo pluresImperatorum,& Principum sæcularium leges Jure Canonico vel correctæ, vel abrogatæ sunt:ergo Summus Pontifex potest etiam condere leges in civilibus, & temporalibus.

488. Ante responsionem nota; jurisdictionem temporalem, quâ pollent Principes sæculares in terris suis,Superiorem non recognoscentes, sic à DEO concessam hominibus, ut per eam gubernent subjectum populum,secundùm quod exigit commune bonum ad temporalem felicitatem; *quin obstet æternæ saluti animarum*; aliàs enim potestas illa (cùm à Deo sit) non foret in ædificationem, sed in destructionem. Et quoniam salus animarum, per leges ad eam procurandam ordinata, propriè pertinet ad jurisdictionem spiritualem à Christo datam Petro; & legitimis Successoribus ejus, consentaneum est; ad eandem jurisdictionem spiritualem pertinere, quidquid saluti animarum necessarium est, constituere; & quidquid obstat canonicis legibus, removere; consequenter civiles Principum sæcularium constitutiones (quatenus peccatum fovent, & ea, quæ animarum saluti nocent, permittunt) quo ad hoc jurisdictionem Ecclesiasticæ, seu spirituali subjacere. Hinc ad objectionem *in n. priori*, Resp. cum distinctione, & dico, Bonifacium aliud non voluisse, quàm in his statuendis, quæ ad animarum salutem necessaria; vel removendis, quæ noxia sunt, oportere gladium, seu jurisdictionem Principum sæcularium esse sub gladio, seu jurisdictione spirituali; & Ecclesiastica; non autem in aliis, quæ concernunt leges justas, & animarum saluti nullatenus noxias; ex hoc autem solùm sequitur, Pontificem *per leges canonicas* (non autem *merè civiles*) posse statuere de civilibus, & temporalibus; in quantum dispositiones Principum circa illa, vel permittunt, vel statuunt, quæ animarum æternæ felicitati obstant, prout contingit, ubi leges eorum permittunt, & fovent peccata.

489. Hæc porro differentia nascitur ex diverso fine sacri, & profani juris, hoc certius, quò magis ab animi salute distat corporis, & communitatis incolumitas; id, quod disertis verbis Innocentius III. explicuit in c. *novit de judic.* ad Galliæ Prælatos scribens hisce verbis: *non intendimus de feudo judicare, sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus. Cùm enim non humanæ constitutioni, sed divinæ potius innitamur (quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo) nullus, qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de quocunque peccato mortali corripere quemlibet Christianũ; &, si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coërcere;* sic Innocentius. Ex hac ratione factum est; quòd lex civilis; quæ præscriptionem *malâ fide* peractam valere voluit, jure canonico reprobata sit, *c. fin. de Præscript. & Reg. Possessor, de Reg. juris in 6.* & ea, quæ filijs illegitimis *negavit alimenta*, contrariô mandatô correcta sit in c. *Cùm haberet, de eo, qui duxit*; hæc enim naturali pietati adversabatur; & illa fovebat fraudes plurimas, & latrocinia; quæ utique bono animarum vehementer obstant.

Dicendum igitur, etiam Imperatorem; 490.
legitimè electum, habere potestatem condendi leges pro omnibus provincijs, & regnis sibi subditis, ut constat *ex L. 1. C. de vet. jure enucleand. L. Bene à Zenone, C. de quadrienn. præscript. L. 1. & ult. C. de legibus*; & ratio est ex dictis; quia quoad eorum gubernationem habet supremam in illas terras jurisdictionem temporalem, cui (ut dicitur *L. 2. C. de vet. jure enucleando*) concessum est, leges condere, & interpretari. Ad quæstionem autem, an leges Cæsareæ obligent etiam alia regna, & provincias? Resp. vel illæ provinciæ, & Regna sunt aliquo modo subjecta Imperatori v. g. jure dominij directi, & jure feudi vel alio simili titulo? vel nullo illi titulo subjecta sunt? si hoc secundum? in ijs, *per se loquendô*, non obligant, ut constat ex n. 484. Nam ligari alicujus lege, supponit in ligante jurisdictionem, & in ligato subjectionem. Dixi, *per se loquendô*. Nam quæri potest, an non *saltem per accidens*? ut, si in tali Provincia, vel Regno, pro decidendis aliquibus causis, deficiant leges propriæ illarum? Resp. affirmandum esse in dicendis causis civilibus pro terris Summo Pontifici temporaliter subjectis; & spiritualibus in tota Ec-

cleſia; ſic enim declaravit Summus Pontifex *in c. 1. de novi operis nuntiat.* ita Suarez *l. 3. c. 8. n. 3.* & alij.

491. Difficultas eſt, an, ubi non habetur talis declaratio ſupremi Principis, illius Provinciæ, vel regni, an in caſu dato, ſaltem ex conſuetudine, pro cauſis decidendis utendum ſit jure Cæſareo, deficiente jure illis terris proprio? Variæ in hoc puncto ſunt Doctorum opiniones, quæ videri poſſunt apud Caſtropal. *p. 1. tr. 3. D. 1. p. 22. §. 1. à n. 8.* dicendum autem eſt, cujuslibet provinciæ, vel regni conſuetudinem, & uſum eſſe conſulendum, & ſecundùm illam in ejusmodi caſu procedendum, niſi aliunde talis uſus vitioſus ſit ex circumſtantia, vel objecto, immutabili, & juri naturæ contrario. Cæterùm in multis locis uſu receptum eſt, ut in cauſis decidendis procedatur ſecundùm jus alienum, quòd nullum peccatum fovet, ubi proprium deficit. Hinc Joannes Kitonich Cauſarum Regularium director, & ſacræ Regni Hungariæ Coronæ Fiſcalis in ſua methodo proceſsûs Judicarij juxta jus patrium, *c. 12. q. 12.* circa proceſſum judicialem *fori Eccleſiaſtici*, obſervat, *hoc* potiſſimùm fulciri legibus Regni juxta decreta Mathiæ, & Uladislai Regum, artic. 40. anni 1559. ac tandem Canonicis ſanctionibus art. 27. anni 1563. & art. 21. anni 1553. Unde in hoc etiam judicio, tam diu, inquit, ſolemus nos *legibus Regni* firmare, quàm diu eas nobis, ac cauſis noſtris ſuffragari viderimus. Aſt ubi ijs deſtituti fuerimus, illico *ad dictas ſanctiones Canonicas confugere debemus.* In caſu verò, ubi nec de conſuetudine, nec Principis voluntate conſtaret, ſaltem ex naturali æquitate in decidendis cauſis civilibus, & politicis utendum erit jure Cæſareo. Nam, *cùm Judex jus expreſſum non habet in cauſis decidendis, æquitate cauſam dirimere debet*, ut dicitur *c. fin. de Tranſact. & L. quodſi Epheſi, ff. de eo quod certo loco;* hanc autem æquitatem ſervandi nullus modus aptior eſt, quàm lex Cæſarea deficientibus proprijs; tum propter magnam æquitatem, quâ nititur; tum propter univerſalitatem, quâ in plurima porrigitur; ergo.

492. Si autem dicatur primum, de quo in n. 490. nimirum, illas provincias, & regna, jure feudi, vel titulo ſimili ſubdita eſſe Imperatori? in illis omnino ſervandæ ſunt leges Cæſareæ, licét ab alio tanquam ſupremo Domino, ſaltem indirecto, gubernentur. Nam, licét in tali caſu non immediatè gubernentur ab Imperatore; ſed ab alio, qui eas terras habet jure feudi; Imperator tamen ab hoc ipſo recognoſci debet ut ſupremus Dominus directus; conſequenter & leges ejus, niſi talibus Vaſallis illæ provinciæ in feudū conceſſæ ſint in principio, ut ſuis legibus ſubjectum populum regant; ac legibus etiam Cæſareis per leges proprias derogare poſſint. ita Sal. *de leg. d. 7. S. 8. n. 2.* Suar. cit. lib. 3. c. 8. n. 2. & alij. Porrò quæ dicta ſunt de Imperatore, quoad poteſtatē ferendi leges reſpectu ſuę jurisdictioni gubernativæ ſubjectorū, cum proportione dicendū eſt de Regibus, & alijs Principibus, qui quoad certū populū, & terras gubernandi jurisdictione pollent, cujusmodi ſunt omnes, qui in tali Provincia, vel regno in civilibus & politicis ſuperiorem ſe Gubernatorem non recognoſcunt.

## §. III.

### *Quid in materia legum civilium poſſint communitates, & Magiſtratus?*

493. SUpponendum. 1. communitatem aliā eſſe *perfectam*, aliā *imperfectam*. Apud Philoſophum, 1. polit. c. 1. *civitas*, eſt *communitas perfecta*, ea nempe, quæ ſibi ſufficiens eſt, & diſtinguitur ab imperfecta, qualis à *Sot. 1. de Juſt. q. 1. a. 3.* cenſetur domus, cui paterfamilias præeſt: nam in hac non datur dominiū jurisdictionis, etſi detur *maritale*, in uxorem; *paternum*, in filios; *herile*, in famulos; *deſpoticum*, in ſervos. *Civitas* autem (quaſi *civium unitas*) apud Latinos propriè eſt collecta civium multitudo ad jure vivendum; vel, ut ait Tullius de ſomn. Scipionis, *cætus hominum, jure ſociati, civitates appellantur.* Ex hoc vides, communitatem perfectam non poſſe eſſe unam ſpecialē familiam, ſed multiplicem; quia non poteſt eſſe communitas perfecta, niſi quæ ex conſenſu plurium, unica eſt, & ſibi ſufficiens. Sic Caſtropal. *cit. p. 22. §. 2. n. 8.*

494. Supponendum, 2. communitates alias eſſe, quæ Superiorem in civilibus, & politicis non recognoſcunt, & per ſe gubernatio-

nationem exercent; alias, quæ Superiorem recognoscunt, & per alium, vel alios gubernantur. *Magistratus* porrò interdum significat potestatem, & officium, gubernandi provincias, & civitates; interdum eos, qui ejusmodi officio & potestate funguntur; hinc Senatores dicuntur *Magastratus populi*, quasi seniores, saltem maturitate, gubernandi prudentiâ, & consilio; V. Pereyra *in Elucid. l. 1. Elucid. 11. n. 313. & seq.* quibus positis:

495. Resp. communitates perfectas habere potestatem condendi leges pro suis subditis; cùm enim earum sit, subjectam communitatem gubernare; & hoc per superius dicta non stet sine potestate ferendi leges, quibus ea communitas regatur, omnino eis inesse debet jurisdictio legislativa; & constat *ex L. Omnes populi, ff. de Just. & jur. ac §. Sed naturalia, Institut. de jure natur.* Hoc tamen intellige, si tales communitates potestatem suam non transtulerunt *integrè* in unum, à quo gubernentur. Nam in hoc casu, cùm eo ipso *subditæ fiant* illi, in quem suam potestatem gubernativam transtulerunt, ipsi non valent condere leges, nisi quantum vel indulto Principis habent, vel usu, & consuetudine. Unde not. leges, quas ejusmodi communitates, quæ se integrè alicui, à quo gubernentur, subjecerunt, ex hujus indulto, vel usu, & consuetudine ferre possunt, appellari *municipales*. Dixi: si *integrè* potestatem suam in alium transtulerunt. Nam si solùm *diminutè*, ut si & ipsa communitas in ferenda lege Principem comitari velit; neuter sine altero, nimirum, nec Princeps sine Republica; nec ista sine illo legem ferre poterit; cùm potestas legislativa indivisim in utroque ad legis constitutionem in tali casu concurrere debeat, ut ponit casus; ita Suarez *de legibus l. 3. c. 9. n. 19.* Bonacin. *eod. d. 1. q. 1. p. 3. n. 10.*

496. Ex dictis colliges, civitates, & communitates etiam perfectas, quæ alteri se gubernandas integrè subjecerunt, in condendis legibus nihil omnino posse, nisi quantum illis ab eo, cui subditæ sunt, concessum est; idemque à fortiori sequitur de communitatibus imperfectis. Nam ad rationem legis necessariò requiritur potestas jurisdictionis in rempublicam, seu communitatem perfectam, qualis non est una familia, una domus &c. sic omnes ferè cum Bartolo *in L. omnes populi, ff. de just. & jure, q. 1. & in L. Imperium, ff. de jurisdict. omn. Judic. n. 8. & Canonistæ in c. Cùm Ecclesia S. MARIÆ, de constit. c. Solitæ, de Majorit. & obed.*

Colliges. 2. potestatem *dominativam*, & *gubernativam* diversa esse; atque adeò ex illa, non rectè istam inferri. Nam illa directè (tanquam terminum essentialiter quæsitum) respicit bonum subjecti, habentis dominium; ista, bonum Reipublicæ, in quam quis exercet gubernationem. Et quamvis potestas dominativa quandoque respiciat etiam bonum privati, cui præceptum imponit (qualiter id videre licet in præceptis latis à patre, marito, domino, circa sibi subditos) hoc tamen non satis est ad potestatem propriè legislativā; quæ nunquam per se loquendō directè respicit utilitatem personæ singularis; sed rectum Regimen, & commune bonum totius communitatis, in qua plures familiæ communi sensu ad componendum unum corpus politicum conjunguntur. 497.

Colliges 3. communitates imperfectas nec posse facere statuta pertinentia ad rectam, & politicam earū gubernationem, quæ scilicet vim *legis* habeant; ita D. Thomas, Suarez, Bonacin. quos citat, & sequitur Castropal. *p. 1. tr. d. 1. 3. p. 22. n. 11. §. An verò.* Sic enim non differrent à communitate, & Republica perfecta, contra suppositum. Et licèt pagi, aut similes imperfectæ communitates, quandoque habeant forum causarum perquàm levium; in eo tamen non lege sua, vel statuto, sed Principis procedere & possunt, & debent. Not. tamen, communitates imperfectas posse singularibus personis *præcepta* imponere sicut potest Paterfamilias pro sua domo; sed non perpetua; & quæ à supremo eorum Domino revocari possint. Nam hoc illis ab eo indulgeri, receptus probat usus; nec illis inhibitum est, facere conventiones inter se, quibus *in vi contractûs* obligentur; sed durabiles solùm, quousque, ut diximus, à supremo suo Gubernatore, vel alio, de illius voluntate, non revocantur. 498.

## §. V.

### *Quis possit ferre leges Ecclesiasticas?*

NOn est dubium, summum Pontificem posse leges Ecclesiasticas condere pro- 499.

re *pro tota Ecclesia*; cùm illi à Christo immediatè Collata sit potestas Ecclesiæ gubernativa, quæ sine legislativa consistere non potest, de quo latè P. Josephus Gibalinus tom. 2. *de scientia canonica*, *l.* 5. *c.* 3. §. 13. Hæc autem potestas non est penes singulos Episcopos, cùm eorum jurisdictio non extendatur extra suas diœceses, aut provincias, quæ eadem ratio idem ostendit de Synodis diœcesanis; & provincialibus, quæ & ipsæ præscriptos limites habent, ut dicemus inferiùs; sicut & Patriarchæ sui Patriarchatus finibus cõscribuntur. Et ideo non pendet à Concilio, vel Cardinalium Congregatione (c. *Novit*, *de judicijs*, ibi: *potestas nostra non est ex homine, sed ex DEO*; & tenet Suarez *l.* 4. *de legib c.* 3. deciditurque *in Trid. sess.* 14. *c.* 7.) consequenter nec in ejus usu. Habet enim hanc potestatem, sicut D. Petrus, qui leges ferre potuit independenter ab alijs Apostolis. Unde negandum est, hanc potestatem (quæ, cùm supernaturalis sit ex fine, consequenter à Christo solùm dari potuit) ab hoc mediante Concilio, vel Cardinalium Congregatione, in summo Pontifice esse. Christus enim hanc potestatem non contulit Ecclesiæ, ut in Petrum transferret; sed immediatè Petro, juxta illud: *Tibi* dabo claves; super *hanc Petram* ædificabo &c. Et sic decisum est in c. *Novit. de Judic.* relato superiùs n. 489. *c. significâsti*, *de Elect. Trid. sess.* 14. *c.* 7. de quo plura Suarez *l.* 4 *de legib. c.* 3. Salas *D.* 8. *s.* 3. & alij. Unde Summus Pontifex in legibus pro tota etiam Ecclesia constituendis independens omnino est à Concilio, vel Congregatione Cardinalium *authoritativè* concurrentibus; cùm habeat eandem potestatem, quam ipse S. Petrus, qui leges condere potuit independenter à reliquis Apostolis. V. *Bellarmin. l.* 4. *de Roman. Pontif. à c.* 23.

500. Hujus ulterior ratio est; quòd, sicut Papa, concedendô alijs potestatem, eandemmet sibi reservet, & majorem, ut apertè habetur in *c. dudum*, 14 *de præbend. in* 6. ibi: *penes nos nihilominus remansit major*; & tenet Gonzalez *ad* 8. *regul. Cancellar.* §. 2. *proœm. à n.* 2. alijque, asserentes hunc textũ esse singularem, & optimum: si alicui subijciendô suas oves, & committendô illi potestatem eas pascendi pabulo, recto jurisdictionis usu, eandemmet sibi reservet, & majorem. Ex hoc autem fit, quòd Commissario nullum faciat præjudicium, illas in certis casibus eximendô ab ejus commissione. Nam licèt Princeps concedat alicui jurisdictionem, non ideo eam à se abdicat, sed semper major apud ipsum remanet; imò licèt alicui concesserit jurisdictionem privativè, adhuc cum illo concurrere potest, ut exponit Barbosa *in L.* 1. *ff. de Judic. art.* 4. *n.* 109. (nam *in concessionibus officiorum semper Principis authoritas censetur præservata*, per Baldum *in L. qui se patris*, *vers. item in concessis*, C. *Unde vi*) & inter ipsum, ac Commissarium, vel etiam Ordinarium, est locus præventioni; Sic Gonzalez *cit.* §. 3. *à n.* 1. Flamin. *de Resignat. benefic. l.* 1. *q.* 10 *à n.* 53. *& l.* 7. *q.* 11. *à n.* 6.

## §. V.

### *Quid in ferendis legibus Ecclesiasticis possint Prælati inferiores Papâ?*

QUid in hac materia possint Concilia 501.
tam œcumenica, quàm nationalia, & provincialia, vel etiam synodalia, dicemus infrà; dubium enim esse nequit, quin in Synodis Patriarchalibus, Diœcesanis, Provincialibus, & Episcopalibus possint Canones, & leges Ecclesiasticæ, propriè sanciri; ad id enim coguntur ejusmodi Synodi, ut Ecclesiæ necessitatibus occurratur efficaciùs, quandó simul adsunt, & uno lumine micant tot speciosissima tabernacula DEI, tot membra excellentissima Corporis Christi, inquit Leo *serm* 1. *de sua assumpt.*

Observandum autem cumprimis est, 502.
hæc nomina Archiepiscoporum, Metropolitarum, Primatum, & Patriarcharum, aliquando pressiùs, aliàs latiùs sumi, ita ut videantur quandoque confundi. Itaque tũ Canones, tum authores Ecclesiastici, qui videntur aliquando contraria loqui, diligenter expendendi pro diversis ætatibus, diversis regionibus, atque moribus, ex quibus vocum significatio, & usus solet plerumque variari, novæque dignitates induci, & antiquæ mutari; nam ne ipsos quidẽ primates vel Patriarchas quidquam privilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit,

inquit

inquit Nicolaus. 1.Epist. quam Anno 864. scripsit ad Rhudolphum Betruricensem, cujus fragmentum est citatum c. *conquestus*, 9. q. 3. Variam autem significationem dictorum nominum V. apud Gibalinum cit. l. 5. c. 5. quibus positis:

503. Quæstio in præsens est de ejusmodi Prælatis seorsim sumptis, an ipsi sine Synodo Diœcesana, Provinciali, aut Patriarchali, eáque inconsulta propriũ jus,& legẽ statuere possint?ad quod Resp.cõuniter teneri, *Episcopos*, ex vi proprij muneris, & jure ordinario, posse pro suis diœcesibus condere leges Canonicas, seu Ecclesiasticas; ita Suarez *l.4.de legib.c.4.n.2.* nam *in c. 2. de majorit. & obed.* expresè dicitur: *si quis venerit contra decretum Episcopi, ab Ecclesia abripiatur.* Et ratio est, quia in suis diœcesibus Episcopi habent supremam jurisdictionem, secundùm modum concessionis sibi factæ vel à DEO immediatè, vel à summo Pontifice, de quo dicemus infra.

504. Not. tamen 1. Statutis Conciliorum *Episcopalium* nec subditos extra diœcesin constitutos, nec ignorantes (nisi supinè) ligari. Sic Lancellot. *Institut. jur. Canon. l. 1. tit. 3.* de quo V. dicenda à n. 584. Not. 2. nec Episcopos in Synodo diœcesana, nec Archiepiscopos in provinciali, posse quidquam validè statuere adversus Regularium privilegia, id, quod bene probat Fagnanus *in c. 2. de offic. Legati, in 6. à n. 14.* adeoque nec contra illorum exemptionem. Nam privilegia Pontificia per nullam inferiorem potestatem convelli, aut labefactari possunt c. *Inferior, dist. 21. c. Cùm inferior, de major. & obed. Clementinâ, ne Romani, de Elect. V. Fagnan. in c. quod super his, de major. & obed. qui n. 25.* docet, quòd Synodus provincialis in exemptos nec illud, quod statuit Concilium Tridentinum, statuere possit, nisi obligando subditos ad exequenda statuta Concilij.

505. Not. 3. à. Suarez *tom. 4. de pœnit. d. 25. s. 1. n. 13. & l. 6. de legib. c. 14.* Thom. Sanchez, *de matrimon. l. 1. d. 61. n. 3.* & alijs doceri: Episcopum in sua diœcesi posse, quidquid Papa in universali Ecclesia, *exceptis his, quæ Papa sibi reservavit.* Et quamvis eorũ doctrinam *esse falsam* existimet Fagnanus c. *Perniciosam, de offic. Ordinar. n. 29.* ejus tamen probationes aliud non evincunt, quàm quòd Episcopi potestatem jurisdictionis immediatè recipiant juxta mensuram Pontificiæ voluntatis, quâ oves suas sibi à Christo commissas, illis subjicit, illàmque duntaxat jurisdictionis partem in sua diœcesi, ad quam secundùm Canonicas sanctiones sunt vocati ab Ecclesia Romana, id, quod etiam præcitati Authores volunt, atque denotant, per exceptionẽ suæ sententiæ apertis verbis appositam, ibi: *exceptis his* &c.

506. Not. 4. quòd Episcopi suis statutis, Sedis Apostolicæ statuta, vel decreta, vel in totum, vel in partem convellere, vel mutare non possint. Constat ex n. 505. præsertim, cùm potestatem jurisdictionis immediatè habeant à consensu Pontificis, ut dicemus à n. 512. à quo non in plenitudinem, sed solùm in partem solicitudinis vocati sunt; adeoque ultra id, quod concessum ipsis est, quoad leges à Pontifice conditas nihil possint, nisi pro modo, & mensura datæ jurisdictionis. Et ideo Innocentius III. expostulavit cum Antiocheno Patriarcha, quòd Lucium Apameensem electum licet, nondũ consecratum, in Tripolitanam Ecclesiam transtulerat, eo quòd ejusmodi Episcoporũ translationes ad Sedem Apostolicam pertineant. Inde etiam fit, ut in causis gravioribus, cujusmodi sunt novæ fidei declarationes, & ea quæ universalibus consuetudinibus, aut ritibus Ecclesiæ repugnarent, nihil possit sine Pontificis consensu, in alijs autẽ omnibus non egeat ejus approbatione.

507. Not. 5. etsi Episcopus *regulariter*, & ordinariè, possit statuta facere, sine consensu Capituli; quia suam potestatem non habet ab illo; limitari tamen. 1. ut non procedat in statutis de rebus gravibus, & arduis. Tunc enim requiritur consiliũ Capituli, *arg. c. Novit, & c. Quanto*, de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli 2. in statutis de rebus quæ spectant simul ad Episcopum, & Capitulum, vel quæ possunt cedere in damnum, seu præjudiciũ Cleri, vel Capituli; in his enim etiam requiritur consensus Capitularium, nisi consentire nollet citra justam causam, *c. Novit, cit. & seq.*

508. Not. 6. Episcopos, *in locis nullius diœcesis*, nullam habere jurisdictionem extra visitationem, ut dicitur *in Trid. sess. 24. c. 9.* & docet Fagnanus c. *Dilectus*, de rescriptis n. 31. quo tamen casu, si visitet locum

cum nullius diœcesis, debet declarare, se id facere *ut Delegatum Sedis Apostolicæ*; ita declaravit Congregatio Cardinalium *ad c. 9. sess. 24. Concilij Trid.* ut notat Fagnanus c. *Nullus*, de Parochijs, n. 32.

509. Not. 7. licet Episcopis concedatur, *visitare loca nullius diœcesis*, ut dictum est, & illorum Ecclesias *seculares*; non tamen idem esse de Ecclesijs *regularibus*, ita sacra Congregatio Trid. *sess. 7. c. 8.* declaravit mentem Pauli III. qui eam Episcopis facultatem concessit; declarans pariter, *Ecclesias regulares censeri, etiam monasterio unitas, vel ab eo dependentes, si eis à Regularibus deserviatur*; ita Fagnanus *cit. à n. 33.*

510. Not 8 legem Episcopalem aliam esse *jurisdictionis*; aliam *diœcesanam. Lex jurisdictionis* est illa, quæ consistit in agendo, gubernando, & ministrando; ad quam proinde spectant omnia, quæ circa judicia aguntur, ut sunt citatio, causæ examinatio, decisio, punitio, & absolutio; item omnia, quæ spectant ad gubernationem diœcesis, ut *statuta condere* &c. sic Pereyra in Elucidario n. 196. Idem habet gloss. in casu c. *Si ex laicis*, 10. *q.* 1. ibi: *Lex jurisdictionis est*, quâ Episcopus potest Clericos ordinare, Altaria, Ecclesias, & Virgines consecrare, corrigere, suspendere, cognoscere de causis civilibus, & criminalibus, & generaliter ad suam jurisdictionẽ pertinet omnia Sacramenta conferre; Lex autem *diœcesana*, secundùm Pereyram cit. est ea, quæ consistit in recipiendo, id est, quæ statuit de his, quæ conferenda Episcopo, & ab ipso sunt recipienda v. g. Cathedraticum, quarta funeralis, visitatio annua: & juxta Gloss. *cit. ibid. lex diœcesana est*, quâ Episcopus recipit Cathedraticum (tertiam scilicet, vel quartam partem decimationum, secundùm diversas consuetudines) & quâ vocat Clericos ad Synodum, & exequias, &c.

511. Not. 9. Regulares jure communi exemptos esse, *à lege diœcesana Episcopi*, non verò *à lege jurisdictionis*, nisi speciali privilegio sint muniti. Sic P. Thomas Sanchez *l. 6. Consil. c. 9. d. 1. n. 8.* & complures alij; prima pars quoad exemptionem *à lege diœcesana* habetur *in 10. q. 1. c. Si ex laicis. 1.* ubi dicitur, omnes Ecclesias, *præter monasteria*, subesse Episcopo *quoad legem diœcesanam*, & *quoad legem jurisdictionis*; *monasteria tamen exempta esse à lege diœcesana*; & hoc in favorem religionis, ut habetur in c. *interdicimus*, 16. *q.* 1. sic Gloss. ibidem in casu, simul addens, *eandem exemptionem competere capellis monasteriorum.* Idem habetur. *c. Inter cætera*, 10. *q.* 3. ibi: *Monasteriorum tamen basilicis, ab hac solutionis pensione sejunctis*; ubi Gloss. V. *Solutionis*; ipsa enim monasteria, inquit, *à lege diœcesana sunt exempta*, tum vi cit. textûs; tum vi *c. Cùm pro utilitate*, 16. *q.* 1. *c. quàm sit*, 18. *q.* 2. Secunda pars (quòd Regulares subsint Episcopo, *quoad legem jurisdictionis, nisi sint exempti*) constat, tum ex jam citatis juribus, tum ex c. *cùm venerabilis*, 7. *de Relig. domibus*, ubi habetur Episcopum petentem Ecclesiam, quoad spiritualia, & temporalia, *obtinere in spiritualibus eo ipso, quòd probet esse in sua diœcesi, si non appareat exempta*; sed in temporalibus succumbere, nisi aliter doceat de jure suo, & c. *cùm dilectus*, 8. *eod.* ubi dicitur: *monasterium subjectum esse Episcopo, in cujus diœcesi situm est, nisi probetur exemptum.* Advertendum autẽ, hoc (*quoad subjectionem, Episcopo, ac Ecclesiæ Cathedrali debitam*) *procedere solùm de Monasterijs, vel Ecclesijs sitis in diœcesi, & non exemptis.* Unde si aliqua Ecclesia *non Cathedralis*, vendicat sibi jus in alia Ecclesia, *obtinebit solùm quoad ea, quæ probabit sibi deberi præscriptione vel alio legitimo modo*, ut expresè definitum est in c. *Dilectus*, 2. de Capellis Monachor. Unde Parochus, *ex hoc præcisè, quòd aliqua Ecclesia sita sit intra fines Parochiæ*, nullo fundamento juris subjectionem ejus prætendere debet; cùm textus, concedens Episcopo, & Ecclesijs Cathedralibus jus in Ecclesias in diœcesi sitas, non loquatur *de Ecclesijs* non *Cathedralibus*; sed de his plura inferius.

512. Not. 10. potestatem jurisdictionis spiritualis Episcoporum *in suos*; immediatè quidem à Christo, sed dependenter à Summo Pontifice in eos derivari; ita Suarez *de Censur. d. 1. S. 2. n. 7. & l. 4. de legibus c. 4. à n. 6.* Salas *d. 8. sect. 3.* Bonacina, *d. 1. q. 1. p. 3. n. 5.* hoc nimirum sensu, ut solùm in eos descendat à Christo, dependenter à Summo Pontifice, secundùm quod eos vocat in partem solici-

solicitudinis. Ratio est. 1. quia *soli* Petro, & Successoribus ejus, Christus dixit: *pasce oves meas.* 2. quia si haberent à Christo immediatè, ac independenter à Summo Pontifice, esset omnino independēs à summo Pontifice; nec ab illo limitari posset, cujus contrarium certum est. 3. quia sic definitum est c. *Ita Dominus*, *dist.* 19. *c. decreto*, 2. *q.* 6. ibi: *Romana Ecclesia vices suas ita alijs impertivit Ecclesijs, ut in partem sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis;* de quibus plura Bellarmin. *l.* 2. *de Roman. Pontif. c.* 15. *& l.* 4. *c.* 14. Nec obstat *c. in novo dist.* 21. *Episcopos* dici *successores Apostolorum*, qui potestatem legislativam immediatè à Christo acceperunt; nec enim ad solum Petrum, sed ad omnes Apostolos dictum est; *quodcunque ligaveris super terram;* non inquam obstat. Concedo enim Episcopos esse successores Apostolorum in *Episcopatu*, seu in consecratione, non *in Apostolatu*, seu jurisdictione; quia sic æqualem cum summo Pontifice potestatem haberent, quod concedi non potest) Castropal. p. 1. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 23. *n.* 6. & Suarez *cit. lib.* 4. *c.* 4. & sic respondetur etiam ad textum: *quodcunque ligaveris.* Ex hoc autem, quòd potestas jurisdictionis in Episcopis sit *ordinaria*, solùm sequitur, quòd eam habeant *ratione officij cum potestate delegandi*, in quo consistit ratio potestatis ordinariæ. Et quamvis verum sit, consecrationem Episcoporum esse immediatè à Christo; secus tamē est de jurisdictione; seclusâ dependentiâ à sumo Pontifice; nam ex hoc, quòd Episcopi à Christo Domino constituti sint, & à Spiritu S. positi, *regere Ecclesiam D E I*, aliud non sequitur, quàm quòd inspirante divino Spiritu summus Pontifex acceperit, ut (cùm ipse non posset per se immediatè gubernare totum orbem Christianum) alios vocaret in partem solicitudinis, quibus committeret officium, & consequenter vim legislativam secundùm modum, & mensuram, quà ipsi ad D E I, ac Ecclesiæ bonū videretur. Ex eo autem, quòd constituti sint *Rectores Ecclesiarum*, rectè quidem sequitur, eos habere jurisdictionem ferendi leges, sed ad modum, quo alij gubernatores seculares, supremo Principi subjecti, & quantum habent ejus indulto.

Dices cum Vasquez. 1. 2. *d.* 152. *c.* 2. ex hoc quòd Episcopi habeant potestatem jurisdictionis dependentem à summo Pontifice, *ac limitabilem ab illo*, solum sequitur esse dependentem *in assignatione materiæ, & subditorum;* non autem in ipsa potestate, ac ejus usu, suppositâ materiæ assignatione. Sic ignis in se habet virtutem comburendi; at comburere, seu usum combustionis exercere non potest, nisi hìc vel ibi, hæc vel illa ei materia applicetur. Resp. videri omnino, sic absolutè fieri potuisse; sed negari factum esse; nam. 1. contrarium constat ex definitione Summorum Pontificum in n. priori, de quibus dicere, ipsos in re tanti momenti errâsse, iniquum foret; nec textus intelligi potest de *materia*, & *subditis;* nam *impertiri* alijs *vices suas* propriè sonat *alteri dare vices suas;* seu *impertiri jurisdictionem, & potestatem suam.* 2. quia *soli* Petro, & Successoribus ejus in supremo Apostolatu dictum est: *pasce oves meas*, quod propriè sonat potestatem. Cæterùm concedo, Episcopum, eo ipso, quòd sit electus, & confirmatus, sine alia speciali concessione Pontificis, habere potestatem condendi leges convenientes Episcopatui suo, *c.* 2. *de majorit. & obed. & c.* 2. *de Constit. in* 6. modò non sint repugnantes juri communi, aut legibus summi Pontificis, propter dicta n. 503. Ex quo fit, Episcopum non posse ferre leges *in rebus gravioribus;* cùm hæ reserventur summo Pontifici, *c.* 1. *de Translat. Episcop. & c. Majores, de baptismo.* inter quæ meritò venit, statuere impedimenta dirimentia matrimonium, ut diximus *l.* 4. *decret. quæst. ultimâ.* Communis autem tenet, Episcopum, in condendis legibus non dependere à consensu Cleri, vel Capituli; cùm hoc nullo jure statutum sit, nisi in certis quibusdam casibus, nimirum *in statuendis festis*; nam in his requiritur consensus Cleri, aut etiam populi, c *fin.* de ferijs: & *pro alienandis rebus Ecclesiæ*, ubi adesse debet consensus Capituli, per c. *Vestra*, *de Locat. c. Novit. & c. quanto*, de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli. Sed de his ex professo in lib. 3. 513.

## §. VI.

### *Quid circa leges Ecclesiasticas possint Concilia?*

514. PRo resolut. not. 1. decreta Conciliorum esse vel Conciliorum œcumenicorum, seu Universalium; vel particularium. Universalia, seu generalia sunt, quæ ab Episcopis, seu Prælatis Ecclesiasticis ex toto mundo authoritate summi Pontificis congregatis celebrantur, ad condendas universales leges, seu constitutiones Ecclesiasticas, seu canones pro tota Ecclesia; & decidendas fidei controversias. Dixi, *ab Episcopis ex toto mundo congregatis*, quod intellige sic, ut nullus eorum sit excludendus, & omnes interesse possint; non autem, quòd necesse sit, ut omnes personaliter compareant.

515. Not. 2. nec ipsa Concilia generalia, nec eorum decreta, authoritatem ullam habere, nisi consensu, & auctoritate summi Pontificis congregata, & confirmata sint, ut dicitur c. *Significâsti*, 4. *de elect.* & notat Barbos. *in cit. c. n.* 5. Nam de his, quæ sunt universi corporis Ecclesiastici, spectat ad universalis Ecclesiæ Rectorem, Pastoremque, ac supremum Judicem omnium Christi fidelium, ut pluribus videri potest apud Suarez *l.* 4. *de legib. c.* 6. *n.* 2. & Layman *l.* 1. *Theol. mor. tr.* 4. *c.* 6. §. 2. *n.* 9. Res liquet ex casu in cit. c. *Significâsti*, cùm enim electo in Archiepiscopum non tradat sedes Apostolica pallium, ni priùs præstet fidelitatis & obedientiæ juramentum; & ob hoc quidam dicerent: *in Concilijs statutum non inveniri*, Paschalis Papa sic rescripsit ad Archiepiscopum Panormitanum: *ajunt in Concilijs statutum non inveniri; quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, cùm omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.* Cùm igitur à sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à beati Petri tantùm corpore assumuntur: justum est, ut vos quoque sedi Apostolicæ subjectionis debitæ signa solvatis, quæ vos cum beato Petro tanquam membra de membro habere, & Catholici capitis unitatem servare declarant.

516. Not. 3. in eujsmodi Concilijs generalibus, solos Episcopos, *jure ordinario*, habere vocem decisivam, seu jus definiendi controversias tanquam Judices, & condendi leges. Nam ipsi sunt Pastores Fidelium à Christo constituti, teste Apostolo Actorum 20. ibi. *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: ex privilegio tamen, & consuetudine, etiam alios Prælatos Ecclesiasticos, ut Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum, in prædictis Concilijs sententiam dicere posse, & solere; hi enim sunt capaces juris spiritualis; secus laici, cujuscunq; dignitatis; ita Layman *Theol. mor. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 6. §. 2. *n.* 10.

517. Not. 4. inter cæteraConcilia œcumenica, quatuor esse, quæ principaliter totam fidem Christianam complectuntur, & ideo ab Ecclesia Catholica tanquam quatuor Evangelia probata, & recepta esse, nempe Nicœnum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonense, *c.* 5. § *Inter cætera*, & *c.* 2. *dist.* 15. quamvis etiam reliqua Concilia generalia, summi Pontificis authoritate convocata, & approbata vim, & auctoritatem habeant, ut dicitur *c.* 3. *cit. dist.* 3.

518. Not. 5. inter Concilia particularia, seu non œcumenica (ad quæ scilicet non vocantur omnes Episcopi totius orbis) alia esse Nationalia, alia Provincialia, alia Synodalia, & diœcesana, seu Episcopalia. *Nationalia* sunt, quæ convocantur ab aliquo Primate, seu Patriarcha, convocatis Archiepiscopis, & Episcopis unius Regni, aut Nationis, seu duarum, trium, vel plurium Provinciarum. *Provincialia* sunt, quæ coguntur ab Archiepiscopo, seu Metropolitano, convocatis omnibus Episcopis suffraganeis, seu Coëpiscopis Provinciæ, ad quæ etiam Capitula Cathedralium Ecclesiarum invitantur, sed sic, ut in his habeant suffragium solùm consultivũ, non decisivum; Abbas in *c. ult. n.* 2. *de his, quæ fiunt à Prælatis. Episcopalia* sunt, quæ fiunt ab Episcopis in suis diœcesibus, convocatis Prælatis, & Parochis; Layman *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 7. §. 1. *n.* 1. Sed adverte hæc concilia Episcopalia rectiùs dici *Synodos*, quàm Concilia, ut patet ex *c. Sicut olim* 125. *de accusat.* & his annumerari possunt Capitula, seu Congregationes, in quibus de Superiorum suorum

aucto-

auctoritate Regulares ejusdem ordinis conveniunt, de quibus agitur *c. penult. de statu Monachorum.*

519. Not. 6. ut Concilia non œcumenica vim, & auctoritatem habeant in diœcesi, provincia, vel natione, non requiri consensum, vel approbationem summi Pontificis, modò in ijs nihil statuatur contra canones, vel consuetudines universalis Ecclesiæ. ita Layman *cit. n.* 2. & patet ex dictis.

520. Not. 7. quòd decreta Concilij *Generalis* omnes omnino Christianos obstringant *c.* 1. *dist.* 15. & *c.* 1. *de constit:* statuta autem Concilij *particularis* subditos solùm tam diu obligent, quàm diu in regno, provincia, vel diœcesi sunt. Nam extra territorium jus dicenti impunè non paretur, ut dicitur *c.* 2. *de constitut. in* 6. & *L. Fin. ff. de Jurisdict.* hæc doctrina, de Concilijs particularibus limitanda est ad statuta Concilij particularis *non relata in corpus Juris Canonici*, ut dicitur *c.* 2. *de elect.* & *c. Nec Episcopi, de temporib. ordinat.* vel non approbata generaliter à summo Pontifice; secus enim perinde obligant omnes Christi fideles, acsi ab ipsomet concilium convocatum, & celebratum esset. Nam juxta Justinianum Imperatorem in *L.* 1. *c. de jure veteri enucleando: omnia nostra facimus, quibus authoritatem nostram impertimur.* Et ex his patet ad factam quæstionem *in n.* 514.

521. Not. 8. hanc regulam (*lex Principis posterior abrogat priorem, quatenus ei contraria est, licèt id non exprimat*) ex aliquorum sententia limitari respectu Conciliorum generalium. Nam ut lex Pontificia, contraria Concilio generali censeatur huic derogare, requirunt, *quòd derogatio sit expressa;* eò quòd constitutio Concilij generalis tacitam contineat clausulam derogatoriam omnium subsequentium dispositionum, quæ contrariæ sunt, nisi per has ipsis expressè, ac specificè derogetur; & si Concilium generale sit novissimum (sicut nunc est Tridentinum) specialem ejus mentionem faciendam esse nec sufficere generalem clausulam, *non obstante quacunq; lege, etiam Concilij generalis;* ita Laymam *in c. Licet Romana, de Constitutionibus in* 6.

522. Regulam istam approbat Joannes Honorius in Summa *Juris Can. l.* 1. *n.* 11.; sed solùm quoad alia Concilia generalia, non quoad Tridentinum; quia hoc declaravit omnia, & singula sub quibuscunque clausulis, & verbis, quæ in eo statuta sunt, ita decreta esse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur, *sess.* 25. *c.* 21. Et ideo Pontifex contra illud rescribēs, rescibit sine speciali, & generali derogatione. Talis autem declaratio non fuit facta a reliquis Concilijs generalibus. sic ille.

Pyrrhus Corradus *in praxi dispens. Apostol. l.* 3. *c.* 1. *n.* 21. docet, cum Pontifex rescribit, disponens aliquid contra Conciliarem constitutionem, necessariò debere fieri expressam de illa mentionem cum illius derogatione circa illum casum, super quo dispensatur contra talem constitutionem, (v. g. *non obstante Concilio Pictavensi contra illegitimos edita*) nec sufficere consuetas clausulas derogatorias, esto diceretur: *non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac etiam in Provincialibus, seu Synodalibus Concilijs editis* &c. secus dispositionē Pontificiam in eo, quo adversatur constitutioni Conciliari, non habituram locum; eò quòd, illi *expressè non derogando*, ut dictum est, voluerit illam illæsam remanere; excipit tamen Tridentinum, pro cujus derogatione talem specificam expressionem non requirit. Rationem dat *n.* 28. quia qamvis, quoad alia Concilia sit necessaria expressio, *c. Ex parte, de Capellis Monach.* secus tamen esse de Tridentino, propterea, quòd *in c. fin. sess.* 25. expressè dicatur, *omnia decreta illius intelligi facta, salvâ Sedis Apostolicæ authoritate;* ac idem declaratum esse à Pio V. *in suo motu proprio*, A. 1570. cujus tenorem refert Corradus ibid. *ad n.* 285. esto Schanchez *l.* 3. *de matr. D.* 26. *n.* 7. teneat, nec censeri derogatum Tridentino, nisi de eo expressa mentio fiat specialis, quin sufficiat sola generalis. 523.

In hac quæstione videtur, si Pontifex revera intendat derogare omnibus in contrarium humano jure constitutis, etiam per generalem clausulam, cujuscunque etiam generalis Concilij constitutionibus derogari. Cùm enim constitutiones Conciliorum etiam generalium totam vim suam habeant ex authoritate Pontificis eas confirmantis, ut diximus *in præmissis*, non 524.

videtur dubium, eâdem authoritate posse derogari; cùm Successor eâdem potestate polleat, quâ Antecessor; nec ab hoc in posteros transmitti potuerit diminuta, vel limitata. Unde, si constet de tali Pontificis intentione, obesse non possunt ejus dispositioni ea, quæ illi in Concilaribus constitutionibus contrariantur. Nec à communi regula (*quòd constitutio derogans dispositioni Conciliari, debeat habere expressam ejus mentionem*, juxta dicta) spectatâ ratione adesse videtur causa sufficiens excipiendi Tridentinum, propterea, quòd habeat clausulam: *salvâ semper Pontificis authoritate*. Nam hæc clausula naturâ inest omnibus decretis Conciliaribus; cùm totum eorum jus pendeat ab authoritate summi Pontificis; ergo, si propterea decreta Tridentini non requirunt specialem, & specificam mentionem derogatoriam, nec eam ex eadem ratione exigent decreta reliquorum. Totum igitur reduci debet ad consuetudinem, si talis sit, quâ inductum est, quòd in alijs, non in isto id requiratur. Illi enim, si legitima sit (nisi aliud exprimat) in dispositionibus suis conformare se censendus est Pontifex.

## §. VII.

### *Quid quoad leges Ecclesiasticas possint prælati Episcopis superiores, sed inferiores Papâ?*

525. COmmunis doctrina est, Archiepiscopos & Metropolitanos, Exarchos, & Patriarchas, pro sua diœcesi, cujus sunt immediati pastores, idem posse, quòd in sua potest Episcopus. Nam relatè ad illam habent se solùm ut Episcopus. Cæterùm in Provincia Patriarchali, vel Diœcesi ratione suæ dignitatis nihil possunt, nisi quod ipsis, vel jure speciali, vel consuetudine, vel privilegio conceditur; possunt quidem convocare Synodos, illis præesse, causas Episcoporum judicare, & alia ejusmodi; & sunt immediati superiores Episcoporũ in istis, sed nihil possunt in Diœcesibus sibi subditorum Episcoporum, quorum omnium ratio universalissima est, quia omnes istæ dignitates, Metropolitica, Exarchatûs, Patriarchatûs, ratione quarũ præeminent Episcopis; sunt duntaxat ex jure Ecclesiastico; nihil igitur ipsis aliud tribuunt istæ dignitates, quàm quod illis jure speciali concedit Ecclesia.

Hoc ipsum declaravit Ecclesia. Nam 526.
Nicolaus 1. sic scribit Rhudolpho Bituricensi Archiepiscopo, ut refertur c. *conquestus. 9. q.* 3. conquestus est Apostolatui nostro frater Sigedodus Archiepiscopus Narbonensis, quòd Clericos suos, eo invito, ad judicium tuum venire compellas, & de rebus ad Ecclesiam pertinentibus, eo inconsulto, *quasi jure Patriarchatûs tui*, disponas, *cùm hoc nec antiquitas* (cui Patres sanxerunt reverentiam) *habeat, & authoritas sacrorum canonum penitus interdicat*: nisi fortè pro causis, quæ apud se terminare non possunt, ad te quasi ad Patriarcham suum provocaverint; vel, si Episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare voluerint; *Primates enim, vel Patriarchas nihil privilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus*: ita ut secundum Nicænas regulas sua privilegia serventur Ecclesijs, præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam, vel ipsius Rectorem speciali privilegio decreverit honorare.

Not. autem, quòd Metropolitanus nec 527.
in Concilio provinciali possit constitutiones facere absque consilio, & voluntate Suffraganeorum; *cit. c. Nullus*, 9. *q.* 3. *& c. Episcopi*, de temporibus ordinationum; ita Fagnanus in c. *Antigonus*, de pactis, n. 6. Illo autem, & Episcopis comprovincialibus discordantibus, adeundum esse Superiorem; nam & illi habent votum decisivum, & sunt conjudices; ita ille *loc. cit. n.* 61. *ex c.* 1. *dist.* 65. De reliquo; etiam ante susceptum pallium potest Archiepiscopus exercere, quæ sunt jurisdictionis tantùm; teste Fagnano *in c. quanto, de consuetudine, n.* 37. *ex c. quod sicut*, §. *Super eo*, de electione; consequenter etiam condere leges, juxta dicta.

Quoad Cardinales not. illos dignitate, 528.
& officio, non autem ordine, majores Episcopis esse; Fagnanus in c. *Requisivit, de ordin. ab Episcopo n.* 65. *&* 67. *qui inc. Ex parte, de Capell. Monach. n.* 12. docet; quòd Cœtus Cardinalium dispensare non possit contra constitutiones editas à Papa in Concilio generali; nec immuta-

re

re jus Papæ, ut habet in c. *licet de vitanda*, n. 33. *de Electione*; & ratio est ex n. 503. & seqq. quibus positis dicendum Cardinales, etiam non Episcopos, in suis titulis habere jurisdictionem quasi Episcopalem, c. *his, quæ*, de majorit. & obed. & c. *querelam*, de Elect: excipe tamen facultates, quæ à Concilio Tridentino Episcopis tribuuntur ratione dignitatis Episcop. ord. sess. 24. c. 6. ut notat Fagnanus, c. *Ne pro dilatione, de pœnit. & remiss. n.* 42. Hinc pro subditis sui tituli, & Ecclesiarum illi subjectarum, sicut Episcopi, condere possunt leges Canonicas; Pirhing, *de constitut. n.* 4. eorumque jurisdictio in suis titulis, Apostolicâ sede vacante non extinguitur. Fagnanus c. *Cùm olim, de majorit. & obed. n.* 68. Nam jurisdictio ordinaria per obitum Papæ non exspirat, ut dicitur *c.* 2. *de offic. Legati*, n. 6. illorum autē jurisdictio in suis titulis est ordinaria.

529. De reliquo Conventus, seu Congregatio Cardinalium, nullam habet potestatem condendi leges Ecclesiasticas, excedentes suum territorium, etiam Sede Apostolicâ vacante. Nam tunc ea solùm possunt, quæ pro electione Summi Pontificis, Ecclesiæ defensione, & periculorum occurrentium necessitate videntur expedire, c. *Ubi periculum, de elect. in* 6. unde in alio se negotio cautum est intromittere; secus factis omnino irritis, ac inanibus; Clement. *Ne Romani, de Elect.* Illis autem sufficienter cautum erit impositione præceptorum; non legum: nam hæ appellant statutum stabile; ita Suarez *l.* 4. hic, *c.* 6. *n.* 5. Bonacin. *D.* 1. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 29.

530. Dices. 1 Senatus Romanus habuit potestatem condendi leges ex dict. sed Collegium Cardinalium assimilatur Senatui Romano; c. *Constantinus*, 2. *dist.* 96. ergo. Resp. similitudinem concedi quoad *dignitatem*; & *honorem*; non *jurisdictionem*. Hanc enim à Constantino, utpote Laico, accipere non potuerunt; cùm sit potestas spiritualis: à Summo Pontifice illis data nullo jure probatur; ergo. Quid verò possint in interpretatione legum, & sacrorum canonum? quam vim habeant eorundem declarationes? dicemus infra.

531. Dices. 2. Congregatio Cardinalium habet potestatem creandi supremum Legislatorem Ecclesiasticum, nempe Summum Pontificem: ergo etiā condendi leges Ecclesiasticas. Sed illatio nulla est. 1. aliàs etiam sacerdos simplex deberet posse condere leges Ecclesiasticas; cùm possit majus, nempe consecrare Corpus, & Sanguinem Christi. Deinde Cardinales non dant Pontifici potestatem condendi leges; sed tantùm designant personam per electionem, quâ tanquam conditione positâ, ex potestate Christi Petro, ac ejus successoribus data potestas gubernandi totam Ecclesiam divino in eum jure derivatur.

Circa Legatos Pontificios dicendum, 532. eos posse condere leges, & statuta, etiam perpetua, pro provincia sibi commissa, seu suæ legationis. constat ex c. *fin. de offic. Legati.* ibi: *nemini dubium esse volumus, quin Legatorum Sedis Apostolicæ statuta edita in provincia sibi commissa, durent tanquam perpetua, licet eandem postmodum sint egressi*; ex quo patet, ea durare etiam legatione finitâ, & post eorum à provincia discessum. Not. autem jurisdictionem *delegati à Legato*, finiri legatione finitâ, si res, ad quam delegatus est, sit integra; non autem, si ante finem legationis præcessit citatio; patet ex altero textu c. *fin.* ibi: *Secus autem, si causas duxerint aliquibus delegandas; cùm jurisdictio illorum exspiret, si ante illorum discessum horum citatio non præcessit.*

Ex quo colliges. 1. citationem partis 533. sufficere, ut res desinat esse integra, ut constat *ex cit. c. fin.* & notat in idem Barbos. *n.* 4. Colliges. 2. jurisdictionem Legati exspirare cum egressu ejus è provincia, non reversuri; vel cùm revocatur à Pontifice, *arg. L.* 3. *ff. de Officio Præsidis.* Item, cùm dubium casum retulit ad Pontificem; tunc enim quoad eum casum exspirat jurisdictio Legati, c. *licet, de offic. Legati.* Colliges 3. Legatum Apostolicum non posse condere statuta contra jus canonicum, c. *quod super, de major. & obed.* (nam inferior non tollit legem Superioris, *arg. c. Inferior, dist.* 21.) bene tamen præter jus canonicum, quæ ad mores reformandos spectant; cùm sit ordinarius Judex in provincia, ut habetur *c.* 2. *de majorit. & obed. in* 6. juncta Gloss. V. *plantent.* Ad ea tamen, quæ præjudicialia sunt alijs, requiritur consensus eorum, quorum interest; ita Layman *c. fin. de offic. Legati, n.* 6.

§. VIII.

## §. VIII.

### *Quid circa leges Ecclesiasticas possint Prælati Episcopo inferiores?*

534. PRo respons. not. 1. hìc nomine *Prælati*, secundùm Canones venire Abbates, Decanos, Præpositos, Archidiaconos, & Archipresbyteros; sic Fagnanus c. *ut Abbates*, de ætate, & qualitate, n. 14. Dixi *Decanos*, nimirum in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis; non alios, ut patebit ex n. 535. Not. 2. Collegia Ecclesiarum non Cathedralium, similesque communitates Ecclesiasticas inferiores, non posse facere statuta in rebus majoribus, sive gravioribus sine consensu Episcopi; posse verò in minoribus, sic tamen, ut habeant solam vim pacti, & conventionis, ut dictum supr. Etsi autem alicubi, ex consuetudine, Rectores Ecclesiarum secularium dicantur *Abbates*, ut notat Fagnan. *cit. in c. Ex transmissa, de renuntiat. n. 2. Abbas* tamen proprié est caput Monasterij Monachorum, quamvis etiam reperiantur Abbates seculares. Abbates autem, qui habent proprium territorium cum jurisdictione quasi Episcopali exclusis Episcopis, veniunt appellatione *diæcesani*, secundùm Panormit. in Clement. *Diæcesanis*, de Vita, & honest. Cleric. Et in locis sibi pleno jure subjectis *quoad jurisdictionẽ* sunt similes Episcopis, c. *Constitutis*, de appellat & c. *Translato*, de Constitut. *Et* ideo in suis territorijs tum ipsi, tum alij Prælati inferiores, pro suis possunt condere leges *Ecclesiasticas*, si obtineant jurisdictionem, quasi *Episcopalem*; Pirrhing. de Constitut. n. 4. Quare quoties agitur de his, quæ sunt *jurisdictionis*, esto fiat mentio *de Episcopo*, idem intelligitur de quocunque alio Prælato inferiore, qui habet jurisdictionem quasi *Episcopalem*; sic Abbas in c. *Sicut unire, de excess. Prælat. n.* 3. Hinc etiam *nomine Ordinarij* veniunt inferiores Prælati institutionem habentes, ut dicit Gloss. in c. *Ordinarij*, V. *Locorum, de offic. ordin. in 6.* & Fagnan. in c. *Tuæ*, de Cleric. non resident.

535. Not. 3. *Decanum* esse honorabiliorem de Capitulo, ut notat Fagnan. c. *ut Abbates, de ætat. & qualit. n.* 20. non esse tamen de Capitulo, nisi etiam sit Canonicus, vel id habeat consuetudo; quia dignitates non sunt de Capitulo, c. *Novit*, c. *quanto*, de concess. præbend. Decanatus autem dignitas est; at intellige non de *Decanis ruralibus*, sed de his, qui tales sunt in Ecclesijs Collegiatis, vel Cathedralibus, ut notat Fagnanus in c. *ut Abbates, cit. n.* 23. *& notavimus supr.*

Not. 4. Prælatos ordinum Regularium, respectu suorum sibi subditorum, posse condere leges, & statuta, juxta modum in regula præscriptum, & consuetudines, ac Privilegia, ita Suarez *l.* 4. *de legibus, c.* 6. *n.* 21. Cæterùm in Communitatibus Regularibus non solùm est potestas, ex vi voti obedientiæ, & traditionis, quam quis facit, sui traditione ad se gubernandum; sed etiam concessa, à Summo Pontifice ad subditos juxta regulæ præscriptum gubernandos; ita Suarez *loco cit.* Innocentius in c. *In singulis*, de statu Monach. In quo autem resideat hæc jurisdictio, pendet à particularibus Religionum statutis. Jus regulare aliqui distinguunt in naturale, & positivum. *Naturale* est, quod sequitur ex natura voti Religiosi, & sui ipsius traditione, atque mancipatione, atque ex natura ipsius statûs Religiosi, quem plurimæ obligationes ex natura rei consequuntur: quamvis enim ejusmodi statûs susceptio voluntaria, & libera, omnino sit, ubi tamen quis illum assumpsit ad plurima per se, & ex natura rei obligatur, ad quæ prius non obligabatur, quod in omnibus officijs, & statibus reperitur. Hoc igitur voco naturale Regulare, quod quale sit, explicatâ naturâ religionis, & votorum religioni substantialium, innotescet. 536.

Jus regulare positivum est, quod plurima, quæ jus naturale non præscribit Religiosis facienda, sancit, vel fieri vetat, quod iterum duplex est, unum Pontificium & commune, quod omnibus Religiosis servandum imponitur ab Ecclesia, vel in Cõcilijs, vel in Pontificum rescriptis, ex quibus tamen aliqua communia sunt omnibus religiosis; alia verò quibusdam ordinibus, aut congregationibus peculiariter imposita: alterum jus regulare positivum singulis Ordinibus religiosis privatum, & proprium, est pro religionum diversitate, quæ ex fine proximo, medijs, & varijs observationibus petenda est, continetúrque ipsarum regulis, & constitutionibus, sive statutis: quarè videndum omnino est 537.

quid

quid sit regula, quid constitutiones in hoc disponant.

538. Volunt aliqui utramque potestatem inesse etiam Abbatissis, & Monialium Præfectis, seu Præpositis; aliàs enim moniales delinquentes non possent punire; sed *quoad ea tantùm*, quæ ad rectam, & politicam gubernationem suæ domûs convenientia judicaverint. Verùm ad hoc sufficit potestas dominativa, & œconomica. Quarè dicendum Monialium Superiorissam nullam habere jurisdictionem, neque Spiritualem, cùm ejus capax non sit; neque civilem, aut temporalem, cùm à nullo principe sæculari eam acceperit; ipsi nihilominus Monachæ obedire tenentur secundùm regulam, quam sunt professæ, quod etiam videmus in antiquis Monachis, quorum Abbates, & Superiores nullam propriam jurisdictionem habuisse videntur, cùm nullos ejusmodi jurisdictionis effectus in illis deprehendamus, ut in votis, & præceptis Ecclesiasticis dispensationem, censurarum v. g. excommunicationis inflictionē, alia & ejusmodi: quæ enim in antiquis regulis leguntur excommunicationes, veræ censuræ Ecclesiasticæ non erant, sed privationes quædā à cōmuni consortio aliorum, in pœnam inflictæ.

539. Ad id, quod dicebatur, quòd Monialium Superiorissa possit subditas pœnis corporalibus cogere ad ea, quæ regulæ, & votorum observatio postulat: Resp. non omnem coactionem, & punitionem dici *jurisdictionem*, nisi admodùm impropriè; alioqui dominus, qui servum cogit ad sibi mandata implenda; & pater, qui corripit filium; & mater castigans filiam, dicerentur habere propriam jurisdictionem, & in omni regimine domestico, & œconomico potestas directiva, & coactiva essent *jurisdictiones*, quæ tamen non sunt, nisi dominia, paterna, vel herilia, quod idem dices de uxore, quæ vi matrimonij viro subjicitur.

540. Quæres, quid circa leges Ecclesiasticas possit Capitulum? Ante resolut. not. 1 *Capitulum* esse nomen intellectuale, & rem incorporalem, nihilque facere posse, nisi per sua membra, ut notat Fagnanus c. *Responso de sent. excom. n.* 74. Dicitur *Senatus Ecclesiæ*, ut colligitur *ex Trid. sess.* 24. *c.* 12. ibi: *ut verè Ecclesiæ Senatus dici possit*, & jus ejus in uno Canonico conservatur, intellige, si cæteri absint, *gloss. penult.* & Abbas *n.* 9, in *c. Gratum, de postulat. Prælat.* in certis Ecclesijs ex præscriptione, vel privilegio potest sibi aquirere jura Episcopalia, excluso Episcopo, *c. Auditis, de præscript.* & Fagnan. ex Calderino in *c. Tuæ, de Cleric. non resid. in* 6.

541. Not. 2. idem esse, *habere Ecclesiam sibi subjectam pleno jure*, &, *habere ordinariam, & quasi Episcopalem potestatem, seu jurisdictionem in illa*; quia tunc Episcopus nullum jus potest in ea exercere; ita Hostiensis in *c. Quoniam, de privileg.* Abbas in *c. Auditis, cit. n.* 4. Ex hoc autem sequitur, Capitulum, habens ejusmodi jurisdictionem, idem quoad condendas leges Ecclesiasticas posse, quod posse diximus exemptos habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Et ideo Capitula exempta Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum nequeunt ab Episcopis visitari, nisi per se ipsos; ita Fagnan. in *c. Procurationes, de censibus, n.* 11. ex Concilio Trid. *sess.* 6. *c.* 4. *& sess.* 25. *c.* 6. quibus positis:

542. Resp. Capitulum, jure Ordinario, Sede non vacante, non posse condere leges, aut statuta, in rebus gravioribus sine consensu, & authoritate Episcopi v. g. mutare consuetudines antiquas &c. *c. cùm consuetudinis. 9. de consuetnd.* ubi Honorius III. rescribens Capitulo Parisiensi ait: *cùm consuetudinis, usúsque longævi non sit levis authoritas, & plerumque discordiam pariant novitates*; authoritate vobis præsentium inhibemus, *ne absque Episcopi vestri consensu immutetis Ecclesiæ vestræ constitutiones, & consuetudines approbatas, vel novas etiam inducatis.* Si quas fortè feciſtis, irritas decernentes. & c. *cùm accessissent*, 8. *de constitut.* ubi dicitur, dignitatem sublatam per statutum Capituli confirmatum per Papam, ulterius non censeri vacare, nisi per contrarium actum statutum fuerit revocatum: posse tamen in levioribus, quæ pertinent ad ordinem, & bonum regimen ipsius Capituli, uti est administratio redituum, &c. Pirhing. *de Constitut. n.* 7. Potest tamen etiam Sede non vacante, facere statuta quædam de rebus, quæ propriè ad ipsum spectant, v. g. de ratione, & modo congregandi Capitulum, distribuendi reditus, ut colligitur ex *c. Cùm omnes 16. de Constit.* non tamen

tamen in damnum aliquorum, & commodum aliorum sine rationabili causa.

543. Sede autem vacante succedit Episcopo in jurisdictione ordinaria, & in tota administratione tã in spiritualibus, quàm temporalibus, *c. Cùm olim*, 14. *de majorit. & obed.* ibi: *mandantes eisdem, ut, cùm Ecclesia Messan: vacet in præsens, electionem suam confirmandam præsentetur Capitulo Messanensi*; & *c. unic. eod. in* 6. ubi dicitur, quòd Episcopali sede vacante possit Capitulum, seu is, ad quem Episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, ijs, quibus posset Episcopus, si viveret, ab excommunicationis sententia sive juris, sive hominis fuerit, absolutionis beneficium impartiri; *nisi ei fuerit à Sede Apostolica specialiter interdicta potestas:* sed condere leges, est de potestate, & jurisdictione ordinaria Episcopi ex dictis; ergo etiam Capituli sede vacante. Statutum tamen Capituli (idem dic de alia communitate) quod vergit in aliquorum commodum, & in aliorum æquale jus habentium, damnum, injustum est, & invalidũ ex *n. priori*, quia sic non respicit comũne bonum, *c. cùm omnes, de constitut.* ex quo habetur, sine rationabili causa non posse à majori parte Capituli tolli consuetudinem, quæ privatam utilitatem nutriat; nec fieri statutum in præjudicium futurorum, intellige, in Capitulis, & onerosum futuris, nisi adsit consensus majoris partis, ut notat Wagnereck *ibid.* & aliàs non tenent, *c. fin. de rebus Ecclesiasticis non alienand.* Unde nec potest sine causa restringere numerum Canonicorum, seu præbendarum, *c. Ex parte*, 12. *de constit.* nec valet statutum, ut, licèt hactenus omnes Canonici, etiam absentes, reditus suos integrè perceperint, deinceps tamen, qui de novo erunt Canonici, non sic percipiant, si sint absentes. Ratio est ex *cit. c.* & ratione data; potest tamen cum consensu Episcopi, si fiat in utilitatem Ecclesiæ; Pirhing *cit. de constit. n.* 100. quia per tale statutum reditur ad jus commune.

544. Præter hæc not. 1. per consuetudinem immemorialem induci posse, ut habentes beneficia, sive simplicia, sive curata, etiam absentes ex legitima causa, fructus suos percipiant, modò per eorum absentiam Ecclesia ministris ad divinum cultum necessarijs non destituatur. Nam jure Canonico antiquo talis consuetudo non invenitur reprobata, *c. cùm omnes, h. t.* quamvis idem Capitulum talem consuetudinem possit tollere per statutum contrarium de consensu Episcopi; quia tale statutum est utile Ecclesiæ, & conforme juri communi requirenti residentiam personalem, *c. Super inordinata*, 35. *de præbend.* & *c. Conquerente*, 5. *de Cleric. non resident.*

545. Not. 2. quòd Capitulum etiam Cathedrale, sine consensu Episcopi, consuetudinem in Ecclesia sua receptam, statuto contrario tollere non possit; quia, seclusis privilegio, & consuetudine, Capitulum sede non vacante, non habet absolutè jurisdictionem spiritualem, c *Quoniam*, 7. *de Vit. & honest. Cleric.* Si tamen ea consuetudo deveniret ad illum casum, in quo ab initio non potuisset introduci, Capitulum eam potest abrogare, vel potius declarare, illã non amplius habere vim obligandi; sic Layman in *c. Cùm omnes, h. t. n.* 3. Episcopus autem de consensu Cleri potest facere statutum, quo graventur solùm ij, qui de novo recipientur, modò sit in utilitatem Ecclesiæ. Non enim est iniquum, ut antiqui vivant juxta consuetudinem receptam, novi verò ligentur novô statutô, quod liberè admittunt; quia constitutionis proprium est, quòd *respiciat futura, & non præterita, c. 2. h. t.*

546. Not 3. quòd lex de novo facta non extendatur ad præterita, sed futura, *c. Cognoscentes*, 2. *de constitut.* ibi: *rem, quæ culpâ caret, in damnum revocare non convenit*; hinc *quoties novum quid statuit, ita solet futuris formam imponere, ut dispendijs præterita non commendet*: ne detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurrere: quod eos postmodum dignum est vetitos sustinere; intellige, nisi expresè *de præteritis* cautum sit, *c. fin. eod.* ibi: cùm leges, & constitutiones futuris certum sit dare formam negotijs, non ad præterita facta trahi: *nisi nominatim in eis de præteritis caveatur.* Si enim etiam de his loquatur, etiam ad hæc extenditur, Layman *in cit. c. fin. n.* 4. intelliga tamen, nisi ea jam decisa sint transactione, sententiâ, solutione, vel juramentô. Cæterùm statuta Capituli, condita *contra jus Canonicum*, invalida sunt; *c. quod super his*,

*per his*, 9. *de majorit. & obed.* ibi: *dummodo in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum* (*quod canonicis obviet institutis*) Hinc licèt Duces, Marchiones, & Comites, qui Regalia habent à Cæsare, possint ex ejusdem concessione pro suis terris condere statuta municipalia contra jus civile, seu leges Cæsareas, salvis tamen his, quæ Imperatori debentur ratione supremæ dignitatis: id tamen non procedit in Ecclesiasticis, Papâ inferioribus, quoad leges canonicas; cujus ratio est, quia etiam postquam potestas gubernativa, quam priùs habebat populus, & liberæ communitates, translata est in Imperatorem, ut dictum est suprà; Imperator tamen in specie Ducibus, & Principibus Imperij concessit potestatem condendi leges suis provincijs convenientes, etiam adversus jus commune; quæ concessio à summo Pontifice Prælatis inferioribus facta nulli reperitur; maximè cùm omnes Ecclesiæ Prælati jurisdictionem suam habeant ab ipso, ut diximus in præcedentibus n. 512.

## §. IX.

### *An potestas legislativa possit delegari?*

547. POsse delegari, non est dubium, cùm potestas ferendi legem sit pars jurisdictionis, prout habetur in c. *Gravem*, 53. *de sent. excom.* ibi: quidam cives Pisani *deputati à potestate, & populo ad statuta civitatis edenda.* & tradunt communiter Doctores cum Abbate *in cit. c. n.* 1. Suarez *l.* 4. *de legibus*, *c.* 6. Salas *D.* 8. *S.* 19. *&* 92. quæstio autem est, *an alicui delegari possit potestas ferendi leges pro tota Ecclesia?* Negativam tenet P. Suarez *cit.* & Bonacina *D.* 1. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 33. quia potestas ferendi leges pro tota Ecclesia fundatur in infallibili assistentia Spiritûs sancti, quæ non est delegabilis. Nam ex illa habetur, quòd *tota* Ecclesia errare non possit; Salas autem *cit. n.* 93. affirmat, posse delegari Concilio; non tamen esse expediens, personæ privatæ. Distinctione utitur Castropalaus *p.* 1. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 23. *n.* 30. dicens, aliquas esse leges *immediatè pertinentes ad mores*; quæ in re sunt potiùs definitiones fidei, & conclusiones deductæ ex principijs naturalibus, vel revelatis, quàm positivæ constitutiones: aliàs solùm *remotè pertinentes ad salutem*, sine quibus nimirum (secluso jure positivo humano) salus animæ obtineri, aut etiam contrarium disponi potuisset. Leges prohibentes matrimonia evnuchorum, coitum vagum, mutuum cum usuris, & fortè præscriptionem rei, malâ fide possessæ, annumerat legibus immediatè pertinentibus ad mores; eas verò, quæ disponunt de jejunio certis diebus servando, de modo tenendo in resignandis, vel acceptandis beneficijs, aut cæremonijs usurpandis in Missæ sacrificio, & similibus, ait pertinere ad posteriores, seu ad mores spectantes solùm remotè, quibus positis: resolvit, potestatem ferendi leges priores (nimirum immediatè pertinentes ad mores) non esse delegabilem eò, quòd hæc fundetur in infallibili assistentia Spiritus sancti, quæ non est delegabilis; secùs alteram, quæ respicit leges solùm remotè spectantes ad mores fidelium. Nam in his negat requiri assistentiam illam divini spiritûs.

548. In hac quæstione omnino dicendum, quòd summus Pontifex non possit errare in moribus per se bonis, vel malis, consequenter non possit *approbare per se turpia, ut honesta*; & è converso *damnare per se honesta, tanquam iniqua*; ita Suarez *D.* 5. *de Fide, S.* 8. *n.* 7. Bellarm. *l.* 4. *de Rom. Pont. c.* 1. *&* 5. Nam aliàs *tota Ecclesia* (nimirum cœtus fidelium cum suo Capite, summo Christi Vicario) errare posset saltem in materia morum; id, quod certò falsum est. Sequela probatur. Nam approbare per se turpia pro honestis, & damnare per se honesta, tanquam iniqua, errare est; ergo, si summus Pontifex hoc faceret, erraret; ergo cum illo erraret tota Ecclesia; cùm Ecclesia id approbet, & reprobet, quod eam docet summus Pontifex. Quòd autem in materia morum errare Ecclesiam cum suo capite, repugnet, patet; quia Ecclesia non posset dici *verè sancta*, ut in Symbolo Apostolico vocatur; *sancta* enim potissimùm dicitur ob sanctam professionem, quia nimirum *legem sanctam profitetur*, quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum. Accedit, quòd tunc necessariò erraret contra fidem. Fides enim Catholica docet omnem virtutem esse bonam, omne vitium esse malum; si autem Pontifex in materia morum erraret præcipiendô vitia, vel prohibendô virtutes

tutes, teneretur Ecclesia credere, vitia esse bona, & virtutes esse malas; sic Bellarminus, de quo V. Cardenas *in Crisi ad propos. damnat. ab Innocent. XI. differt.* 1. *a.* 4.

549. Ex dict. inferes 1. potestatem, in materia morum veritate infallibili reprobandi quædam, ut per se mala; vel approbandi prout per se honesta, à Summo Pontifice non esse delegabilem. Nam hæc infallibilitas est in eo duntaxat, quòd sit ex infallibili assistentia Spiritûs Sancti; quæ delegari non potest; similiter potestatem ferendi leges pro tota Ecclesia, quæ non tam sunt constitutiones positivæ, quàm definitiones & conclusiones ex principiis juris naturalis, & revelatis, non esse delegabilem ulli homini privato, aut etiam Concilio. Nam potestas ferendi tales leges importat potestatem in materia morum veritate infallibili reprobandi per se mala, & approbandi bona, ut talia; sed ex priori numero hæc potestas non est delegabilis; ergo demum potestatem ferendi leges pro tota Ecclesia in materia per se non mala, vel bona (quas Castropalaus *cit. supr. num.* 547. vocat solùm *remotè pertinentes ad mores*) esse delegabilem, etiam privato; sic Castropal. *cit.* Nam has leges etiam pro tota Ecclesia posse condere, non importat potestatem cum infallibili assistentia Spiritûs S. & ideo ad condendam legem Ecclesiasticam non requirit potestatem immunem ab omni errore, seu præsumptione falsa; ut patet in legibus Ecclesiasticis, quæ disponunt in quæstione facti. Talis est ea constitutio Ecclesiæ, qua sponsi post sponsalia de futuro, habitâ copulâ, jubebantur haberi tanquam veri conjuges; atque adeò sponsalia de futuro, secutâ inter sponsos carnali copulâ, transibant in matrimonium ex præsumptione juris de jure, quòd intervenerit mutuus consensus maritalis, quod in re falsum esse potest. 2. in ea, qua judicio Ecclesiæ matrimonium etiam consumatum decernitur separandum detecto in foro externo impedimento dirimente, licèt reipsa non subsit; & restaurari debeat, errore cognito. Et ratio ulterior est, quia materia talium legum poterat non prohiberi, vel præcipi, ut notavimus *n.* 547. ergo leges istæ non requirunt eam veritatẽ infallibilẽ, quam in aliis præstat sola assistentia Spiritûs Sancti.

## ARTICULUS XI.

### *Qui teneantur legibus?*

VAriæ sunt personæ, de quibus dubitari possit, an legibus obligentur? Accedit, non omnes ligari iisdem; licèt enim omnes habentes usũ rationis ligentur jure naturali, & divino, de legibus tamen humanis meritò quæritur, an Clerici ligentur legibus Laicorum? an advenæ, & peregrini legibus locorum? &c. De singulis igitur breviter dicendum. 550.

### §. 1.

### *An Legislator suis legibus obligetur?*

SUpponendum 1. nos loqui de legibus, quà respiciunt, seu disponunt in materia non tantùm subditis, sed etiam accommodabili ipsi, qui super ea legem tulit. Dupliciter autem considerari lex potest. 1. quoad vim obligandi sub culpa, & hanc dicunt *vim directivam*; 2. quoad vim obligandi ad pœnam à lege impositã transgressori; & hanc vocant *vim coactivam.* Supponendum 2. ex communi sententia nullum legislatorem, *quoad vim coactivam* teneri lege à se conditã, consequenter, non fieri obnoxium pœnæ per legem suam statutæ transgressoribus, esto ipse talem legem non observet. Sic Azor *tom.* 1. *l.* 5. *c.* 11. *q.* 2. Suarez *l.* 3 *de legibus*, *c.* 35. *n.* 15. & alii communiter. Nam nemo fit obnoxius pœnæ transgressoribus certæ legis statutæ, nisi sit *transgressor ejus:* at esto legislator legem à se conditam non observet, per hoc non est *transgressor ejus*; sed tantùm juris naturalis, ut mox dicemus; ergo; quibus positis: 551.

Resp. Legislatores nec quoad *vim directivam* obligari legibus suis, *in vi talis legis*; sed solùm *in vi circumstantiæ*, quâ positâ lex naturæ illum adstringit suos gubernare etiam *exemplo*; sic Castropal. *cit. p.* 24. ☞. & apud eum complures alii Nam etsi verum sit, quando legislator fert aliquam legem in materia communi, & accommodabili tam subditis, quàm ipsimet legislatori, hunc etiam sub culpa teneri se conformare ejusmodi legi, ut docet D. Thomas 1. 2. *q.* 96. *a.* 5. *ad* 3. cùm indecens 552.

decens sit, quòd superior se non conformet suis subditis in materia communi; sed aliud prædicet verbô, aliud doceat exemplo: hæc tamen obligatio non nascitur ex ipsa lege per eum condita, tanquam in eum vim legis exercente; ergo aliunde, nimirum lege naturali. Min. prob. Nam, si lex positiva humana in auctorem suum exerceret vim legis directivam, obligans eum ad culpam, lex positiva humana nullatenus penderet à *libera* voluntate illius; nam si penderet à libera voluntate ipsius, posset non intendere se obligare ad culpam, sicut potest velle non ligare alium, quem vellet exemptum; sed si legem ferret non intendens se obligare ad culpam; lex non posset in eum exercere vim legis directivam; ergo.

553. Dices 1. quando Princeps lege suâ statuit taxam mercibus, aut certam formam contractibus validè celebrandis, ipse non minùs, ac subditi, tenetur servare taxam mercium, aut formam, celebrans ejusmodi contractum; ergo & ipse ligatur suis legibus; Resp. concedendo non tantùm subditos, sed etiam Principem ligari ad eam taxam, & formam (seclusâ dispensatione) sed *hunc jure solùm naturali*, quod ipsi applicatur suppositâ circumstantiâ legis à se conditæ; *subditos autem etiâ in vi legis illius humanæ*; nam hæc in istos, non autem in illum, vim legis exercere valet ex priori num. Dixi: Principem in dato casu ligari *jure solùm naturali*, quo cavetur, ne res pluris vendatur, quàm communiter valeat; hunc porrò communem valorem res habet ex justa taxatione; similiter jure naturali postulatur æqualitas in contractibus; ergo si Princeps etiam cum subdito celebret contractum sub conditionibus præscriptis, jure naturali ad eum observandum tenetur; nisi antecedenter in lege sua dispenset; tunc enim eam removet in ratione circumstantiæ, sub qua illi vis juris naturalis applicatur.

554. Dices 2. si Princeps obligetur suis legibus, non *quia leges illius sunt*; sed, *quia sunt* conditiones, seu *circumstantiæ*, quibus positis eum ad idem obligat jus naturale, quando materia legis propriæ etiam ipsi accommodari potest, sequitur eum peccare graviter contra jus naturale, quoties non servat suam legem graviter obligantem subditos. Prob. Nam in tali casu materia præcepta gravis est, & subditi transgrediendô graviter peccant; ergo & ipse, cùm ambo ad idem obligentur, licèt diverso jure. Resp. sequelam ex facta ratione concedi à Covarr. *in c. alma mater*, *p.* 1. *à n.* 5. Sylvest. V. *lex*, *q.* 14. Sayro *in clavi reg. l.* 12. *c.* 9. *n.* 2. & aliis. Pro resolut. not. 1. ex sola materiæ gravitate non argui obligationem gravem, ut diximus *à n.* 293. & patet ex eo, quòd vovens rem secundùm se gravem, v. g. 100. aureorum eleemosynam cum expressa intentione, se non obligandi, nisi sub veniali culpa, teneretur ad gravem materiam, solùm leviter. Actus enim agentium non operantur ultra eorum intentionem. Not. 2. cùm quæritur de gravitate materiæ præceptæ, non debere attendi gravitatem ejus *secundùm se*, sed relatè *ad finem præceptum*; sæpiùs enim res secundùm se gravis, leviter; & secundùm se levis, *graviter* necessaria est ad finem directè quæsitum à lege. Not. 3. finem, propter quem legislator jure naturali obstringitur ad servandam legem à se conditam in materia etiam ipsi accommodabili, non esse eundem cum eo, quem intendit lex pro subditis statuta. Sic lex jejunii subditos obligat propter temperantiam; jus autem naturale obstringens legislatorem ad eandem legem servandam, intendit Principis conformitatem cum subditis in materia communi, ut dictum est suprà; quibus positis.

Resp. ad object. in *n.* 554. & dico, in 555.
dato casu, & Principem, & subditos obstringi ad materiam præceptam, sed *diverso jure*, & ex *diverso fine*; *non* autem *eodem*, ut jam dictum est. Hinc dist. sequelam: sequitur cum peccare graviter, quoties non servat legem à se conditam, ubi hujus observantia est graviter necessaria ad finem directè quæsitum à jure naturali, obstringente Principem ad eandem materiam legis à se conditæ C. secus, N. sequelam; cùm materiæ gravitas respectu gravis obligationis non pendeat à rei gravitate secundùm se, ut dictum est. Cùm autem probabilius sit, non esse graviter necessarium ad finem (qui est conformitas Principis cum subditis in materia utrique communi) quòd in quovis omnino actu faciat hanc conformationem (saltem, ubi abest scandalum, vel alia ratio extrinseca) ex hoc præcisè non arguetur in Princ pe

juris naturalis transgressio *gravis*, quòd transgressio legis positivæ in subditis sit gravis; cùm graviter necessarium ad finem *juris positivi*, possit esse necessarium solùm leviter ad finem *juris naturalis*. Sic ad justas, & validas nuptias jure positivo graviter necessarius est defectus impedimenti nascentis ex jure solùm positivo; jure autem naturali, nullatenus.

556. Instabis: ergo saltem Summus Pontifex ligabitur suis legibus Ecclesiasticis; patet illatum; nam Sacri Canones (quatenus eis derogatum non est per posteriores Canones, vel consuetudinem legitimam) ligant omnes Christianos, sed etiam ipse Summus Pontifex Christianus est; ergo. Et confirmatur ex *c.* 25. *q.* 1. *c.* 7. ubi Zosimus Papa ait: *contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest authoritas.*

557. Ante resolut. not. statuta Patrum quædam esse *de pertinentibus ad fidem Catholicam*, vel continentibus jus naturale, aut divinum; & de his procedunt verba Zosimi; nec dubium est, illis etiam Summum Pontificem obligari; sic gloss. *in cit. c. contra, V. eod.* id, quod apertè etiam docet Urbanus Papa in *c. sunt quidam*, immediatè præcedenti. Quædam verò continent solùm ea, *quæ nullo jure naturali, vel divino debita sunt*, sed authoritate solùm humanâ præcepta, vel prohibita. Et in his dicendum, Summum Pontificem non obligari *quoad vim coactivam*, 25, *q.* 1. *c.* 16. vers. *his ita*: sed solùm *directivam*, quæ est *decentiæ*; *non necessitatis*, ut patebit ex seqq. & quidē *non quoad vim coactivam*; quia nullum habet Superiorem, à quo justè cogi posset, utpote fungens eâdem, vel etiam majori potestate Ecclesiasticâ, quâ pollet quicunque alius Superior Ecclesiasticus, *c.* 20. *de Elect.* ibi: *quamvis autem Canon Lateran. Concilii, ab Alexandro Prædecessore nostro editus, non legitimè genitos adeò persequatur, quòd electionem talium innuit, nullam esse; nobis tamen per eum adempta non fuit dispensandi facultas;* & subjungit causam, *quia Successoribus suis nullum potuit, hac in parte, præjudicium generare, pari post eum, imò eâdem potestate functuris; cùm non habeat imperium par in parem:* nec etiam *quoad vim directivam*, quæ est *necessitatis*, nimirum obligantis ad culpam; cùm nulli humanæ potestati legislativæ in Ecclesiasticis, ac spiritualibus subdatur, utpote caput omnium Christianorum, non recognoscens in hisce causis Superiorem, ut constat *ex cit. c.* 20.

Ligatur tamen *quoad vim directivam*, 558.
quæ est *decentiæ*, ac naturalis honestatis; tum ut caput conformetur membris, juxta *c.* 2. *dist.* 8. tum ut conditor legis exemplò suò subditos in ejus observantiam inducat, ut dicitur *cit. vers. his ita*; ibi: *Sacrosancta Romana Ecclesia jus, & authoritatem, Sacris Canonibus, impertitur; sed non eis alligatur;* & paulò post: *ita ergo Canonibus auctoritatem præstat, ut se ipsam non subjiciat eis*; id, quod pluribus explicans Leo Papa III, *in cit.* 25. *q.* 1. *c.* 16. *vers. his ita*, ubi, *sicut Christus*, ait, *qui legem dedit, ipsam legem carnaliter implevit octavâ die circumcisus &c. ut in se ipso eam sanctificaret: postea verò (ut se Dominum legis ostenderet) contra legis literam, leprosum tangendò mundavit &c. ita & summæ Sedis Pontifices Canonibus sive à se, sive ab aliis, suâ auctoritate conditis reverentiam exhibent; & eis se humiliandò custodiunt, ut aliis observandos exhibeant; non nunquam verò seu jubendo, seu desiniendo, seu aliter agendo, se decretorum Dominos, & conditores esse ostendunt, aliis imponendo necessitatem obsequendi; & ostendendo, sibi inesse auctoritatem observandi, ut à se tradita observando, aliis non contemnenda demonstrent.*

## §. II.

### *An, & quibus legibus obligentur infideles? amentes? pueri?*

NOn est dubium, infideles obligari ju- 559.
re naturali, & divino; cùm Deo, & rectæ rationi subdantur; quæstio autem de legibus Ecclesiasticis negativè resolvitur, cùm sint extra Ecclesiam, & ex *c. gaudemus*; *de divortiis*, disertè constet, Ecclesiam in eos nullam habere jurisdictionem. Ex hoc sequitur, infideles jure naturali, & divino teneri ad media salutis necessaria non tantùm necessitate medii; sed etiam præcepti divini, ubi debitam eorum notitiam, quæ sufficiat ad intimandam naturalis, aut divinæ legis obligationem, acceperint; &, ubi dubium, vel scrupulus

ali-

aliquis occurrerit, conandum, ut debitam eorum notitiam acquirant. Not. tamen, aliud esse, quòd infideles non ligentur legibus Ecclesiasticis; aliud, quòd defectus aliquis, qui etiam sine subjectione ad Ecclesiam in aliquibus infidelibus est, propter quem etiam Christiani ab Ecclesia pro certis casibus repelluntur, in illis tempore infidelitatis contrahatur, qui etiam susceptô Baptismô duret, ut est bigamia; & ob hunc ab Ecclesia à certis casibus repelluntur, ut dicemus *infrà*; quibus positis:

560. Quæstio est 1. an amentes, ac ebrij (durante statu amentiæ, ac ebrietatis) ligentur legibus? Resp. eos excusari ab imputabili transgressione legis; cùm careant tunc usu rationis, necessariô ad liberum voluntatis exercitium morale; & ideo ex eadem ratione pueri ante usum rationis nullis legibus tenentur (censentur autem communiter habere usum rationis, completô septenniô; & in dubio, an tunc habeant? præsumitur affirmativa; quia hoc est ex communiter contingentibus) ex hoc sumitur ratio, eos, durante tali statu, nullis ligari legibus, saltem obligatione proximâ. Nam hæc in taliter obligato supponit usum rationis expeditum, ad debitè deliberandum, sine quo nec formalis bonitas, nec malitia in actum refundi potest. Qualiter autem commissa in ebrietate imputari ad culpam possint, & debeant, quando rationis compos prævidit ea in ebrietate secutura, pluribus exposuimus *in tract. Theolog. de vitiis, & peccatis.*

561. Quæstio tamen altera est, an, & quibus legibus ligentur pueri adepto usu rationis, qui præsumitur adesse completô septenniô? Resp. teneri tunc legibus naturalibus, & divinis, imò etiam prius, si citius pollerent usu rationis. Nam jus naturale, & divinum, debitè per cognitionem rationis intimatum, statim obligat; intellige, si revera tunc adsit rectum judicium, quo dignoscant bonum à malo morali; ubi enim hoc abest, nec legis obligatio esse potest; de legibus autem positivis potissima quæstio est? sed idem de his dicendum, quòd illis non obligentur *proximè*, ubi in re abest usus rationis, etiamsi essent septenniô majores; quia tamen à jure usus rationis, completô septenniô, in illis præsumitur, ubi violarent legem Ecclesiæ, præsumerentur transgressores imputabiliter, hoc est, cum scientia de obligatione; quæ tamen præsumptio, in foro poli (si talis puer affirmaret, se non intellexisse malum, vel saltem gravitatem ejus) cederet veritati, id, quod etiam in foro fori tenendum est, ubi probaret notitiæ debitæ defectum, quæ in hac ætate exigi non debet *tanta*; cùm reverâ multi satis tardè orientem sibi solem videant super tanta malitiæ gravitate.

562. Quæstio est 3. an, si ante septennium pollerent usu rationis, tenerentur tunc legibus positivis? Joannes Sanchez *in select. D. 51 n. 31.* docet, non teneri, quia leges positivæ attendunt ad ea, quæ cõmuniter contingunt, ut dicitur *L. non ad ea, ff. de legibus*, consequenter non est intentio Legislatoris obstringere subditum, ante *legale* tempus, quo *communiter* adest capacitas passiva obligationis, cujus defectus præstet naturale impedimentum legi, ad obligandum; quod verum judico de legibus humanis; cùm ferri non debeant in incertum; quod tamen eveniret, humano judice vix rectè pronuntiaturo de transgressione scienter facta in ea ætate tenera.

563. Quæstio est 4. an pueri ligentur legibus Ecclesiasticis, post adeptum usum rationis, sed ante pubertatem? tametsi plurimùm in hac quæstione varient Doctores, ut videri potest apud Castropalaum *p. 1 tr. 3. D. 1. p. 24. §. 2. n. 4.* nec desint, qui hoc negent; verior tamen sententia est affirmativa, ubi lex Ecclesiastica non expresse determinat tempus, ante quod nolit septenniô majores suis legibus obstringi; ita Thom. Sanch. *l. 1. c. 12. n. 6.* Suarez *tom. 4. p. 3. D. 36. s. 2. n. 3.* apud, & cum Castropal. *cit. n. 5.* Ratio est, quia omnes subditi, passivè capaces alicujus obligationis, ex lege legitimè constituta, à subditis cognita, illâ obligantur, nisi excipiantur; sed pueri usum rationis habentes, completô septenniô, etiam ante pubertatem sunt subditi Ecclesiæ; & sunt passivè capaces obligationis ex lege Ecclesiastica legitimè constituta; ergo illâ ligantur ante pubertatem, *nisi excipiantur.* Nam quædam sunt Ecclesiæ leges, ad quarum observantiam ipsa non obligat ante certum tempus, vel ab ipsa, vel à consuetudine legitimè recepta definitum, ut patet in lege jejunij, & aliis, de quibus Theologi morales.

564. Ex dictis colliges, pueros, cùm pervenerint ad annos *discretionis*, teneri præceptô

ceptô confessionis annuæ, de quo *c. omnis utriusque sexûs*; nec excusari, nisi affirmandô, discretionem perfectam ad illius observantiam non habere; id, quod relinquitur prudenti judicio Parentum, Institutorum, & cumprimis Confessariorum, quorum est judicare de sufficienti maturitate judicij, ut hoc Sacramentum debitè peragatur. Et ideo in *cit. c. omnis utriusque* (ubi etiam præcipitur habentibus annos discretionis sumptio S. Evchariſtiæ) prorogatio temporis remittitur Confessoris arbitrio; unde puer, etiam completô septenniô, non tenebitur lege communicandi, si prudentis Confessarij judicio præscriptum septennij tempus prorogetur; sic enim operabitur juxta legitimam dictæ legis declarationem, sumptam ex judicio prudentum, & Ecclesiæ consuetudine recepta. Vix enim prudenter judicari potest *universim*, pueros etiam completô septenniô habere discretionem tantam, ut reverenter Christi Corpus sumant.

565. Etsi autem judicio Confessoris pueris septennio majoribus prorogari possit tempus Communionis annuæ, aliàs Ecclesiæ præcepto debitæ; tamen in agone, si doli sint capaces, & apti confiteri, rectè tribuitur Sacra Communio; imò secundùm multos, debet. Hinc valde probabiliter Castropalaus cit. (qui in prima parte nobiscum sentit *n.* 7.) in eodem docet, etiam annuæ communionis lege illos teneri, ubi annos discretionis habent, nisi expressè Confessor judicet, tempusprorogandum secundùm dicta; quia si habent annos discretionis, sunt capaces passivæ obligationis.

566. Quæstio est 5. an pueri adepto rationis usu ante pubertatem ligentur legibus Ecclesiasticis etiam *quoad pœnas & censuras*? R. ante pubertatem non ligari, *latis ab homine*, ut habetur expressè *in c. 1. de delictis puerorum*, ubi, cùm Gregorius Pontifex dixisset, quosdam pueris grandiusculis nolle peccatum attribuere, nisi ab annis 14. cùm pubescere cœperint; negari tamen non posse, furta, mendacia, perjuria esse peccata, quibus plena sit puerilis ætas; *in eis tamen non ita punienda esse, ut in majoribus; & in c. Referente, 2. eod.* ibi: *quoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in alijs provectioris ætatis, humanæ leges dicunt severiùs corrigendum*: mandamus, quatenus, si constiterit filium prædicti H. intra 14. ætatis suæ annum, eundem excessum commisisse, memoratum Abbatem moneas, & compellas, ut ab eodem H. prædictos centum solidos propter illam consuetudinem *non exigat, nec ab ipso pro temporali pœna requirat; &* hoc ex benigna mente Matris Ecclesiæ. sic Azor *tom. 1. l. 7. c. 40. q. 6.* Sanchez *l. 1. decal. c. 12. n. 7.* & alij.

Dixi *latis ab homine*. Nam ligari pœnis, 567.
& censuris *latis à jure communi*, si doli capaces sint, tenent complures cum Azor *cit. c. 41. q. 10.* Suarez *tom. 5. de Censur. D. 5. S. 1. n. 19.* cum alijs, fundantur in *c. super eo; c. quamvis; c. pueris, de sent. excommunic.* Castropalaus autem *cit. p. 24. §. 2. n. 9.* censet, non ligari pœnis, & censuris etiam latis à jure, exceptâ solâ excommunicatione ipso jure latâ ob Clerici percussionem. Et hæc opinio videtur probabilior; quia cùm versemur in materia pœnali, & odiosa, tenendum est, quod dicitur *in c. Pueris, 1. de delictis puerorũ*, ubi habetur: *in pueris nondum puberibus delicta non ita, ut in majoribus, videri punienda*; item *c. Referente, 2. & fin. eod.* ubi *puer infra pubertatem*, propter commissum homicidium, etiam à temporali pœnâ liberatur jussu Alexandri III. *quoniam in pueris solet relinqui inultum, quod in alijs provectioris ætatis humanæ leges dicunt severiùs puniendum.*

Nec obstant citati in contrarium cano- 568.
nes. *Nam in c. super eo*, solùm dicitur, impuberem, qui Clericum percussit, ab Episcopo absolvi posse; *quia ætas illum excusat*; ubi gloss. V. *Excusat, ait: non ab excommunicatione* (quam incurri ab eo concedimus propter criminis gravitatem) *sed quoad hoc, quòd non sit mittendus ad Curiam pro absolutione.* In *c. quamvis* solùm dicitur, percussorem Clerici (propter hoc, *quòd percusso satisfaciat*) non posse absolvi ab Episcopo, nisi in certis casibus ibidẽ expressis, quo casu (si laboret impedimentô temporali, quo minus Curiam pro absolutione accedat, jurare tenetur (*exceptis pueris*) se, impedimento cessante, ad Sedem Apostolicam accessurum.

Dicitur: *exceptis pueris*; nam *in c. Pue-* 569.
*ris 60. de sent. excom.* habetur, *pueris, qui in canonem* (nimirum de percussione Clerici) *inciderunt sententiæ promulgatæ, si-*

*ve*

*ve ante sivepost pubertatem postulent se absolvi, posse Episcopū diœcesanum absolutionis beneficium impertiri* (non exigito illo juramento) *quòd propter defectum ætatis, in qua fuit comissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.* Ex his patet non obstare canones in contrarium adductos. Nam ex illis (collatis cum *c.* 1. & 2. *de delictis puerorum*, de quibus *n.* 566.) solùm deducitur, impuberes propter delicta, in ea ætate commissa, excusari à pœnis, & censuris juris, exceptâ solâ excommunicatione, de qua in illis canonibus sermo est, imò etiam à pluribus aliis, quæ talis excommunicatio incursa post se trahit, quale est onus accedendi Romanam sedem pro absolutione ab excommunicatione; vel juramento, cessante impubertate, ut dictum est.

## §. III.

### *Quâ ratione teneantur lege, seu statuto locali forenses, & peregrini?*

579. SEx casus sunt, in quibus obligationem agnoscunt & communiter conveniunt Doctores in hac quæstione, ut notat Castropalaus *p.* 1. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 3. primus est, forensem teneri legibus locorum, cùm accedit animô ibi figendi habitationem; sic enim fit incola, & sortitur ibi forum, ratione habitationis, *L. domicilium*, *ff. ad municipalem.* Secundus, iisdem loci legibus teneri forenses, qui veniunt ad locum animô majore parte anni ibi commorandi; quia sic habent *quasi domicilium* in tali loco. Hinc ratione *quasi domicilij* possunt in tali loco recipere omnia Sacramenta (Ordine excepto, *c. cùm nullus, de temporibus ordinat. in* 6.) Nam esto per hoc non consequantur domicilium in tali loco; tamen propter quasi domicilium (quod dicitur *assidua, & diuturna habitatio*) conveniri possunt, ut dicitur *L.* 2. *C. ubi Senatores*, ibi: *& assiduè versatur*; & *L.* 2. *C. ubi de crimine agi oportet, junctа gloss. V. elegit.* Et ideo talis ibi mortuus, ibidem sepulturam habet, nisi alibi elegerit, ut docet Molina *de just. tr.* 2. *D.* 214. Tertius est, quòd forenses, & peregrini teneantur ad leges locales in celebratione contractuum, *c. Dilecti*, & *c. fin. de foro compet.* & *L. quòd si nolit*, §. *quia assidua, de ædilit. edict. L. si hæres absens.* §. *si quis tutelas, ff. de judic.* sed Thomas Sanchez tamen *de matr. l.* 3. *D.* 18. *n.* 10. & Suarez cum Salas excipit contractum dotalem, volens debere in hoc attendi locum, ubi Vir habet domicilium, propter *L. exigere*, *ff. de judic.* ubi dicitur, *mulier debet* (intellige, *exigere*) *ubi maritus habet domicilium, non ubi instrumentum dotale scriptum est*: at exceptionem negat Castropalaus *cit.* §. 3. *n.* 4. quia aliud est, *dotis exactionem*, ac repetitionem fieri debere in loco, ubi Vir domicilium habet, quia bona Viri obligata sunt doti solvendæ; aliud *contractum de dote* debere celebrari juxta leges loci, ubi Vir domicilium habet. Primum dicitur in *c. L. exigere*; at non secundum. Quartus est, peregrinum teneri legibus loci, quà transit, si tales etiam sint in loco sui domicilij secundùm habitationem; quia sic non plus gravatur, quàm si esset domi. Sanchez *de matr. l.* 3. *D.* 18. *n.* 3. & 24. Quintus, peregrinum teneri legibus loci, latis *ob commune bonum illius loci*, v. g. ne advena ultra certos dies ibi moretur &c. Sanchez *l.* 1. *in decal. c.* 12. *n.* 36. aliàs enim ejus inquilini non haberent justam, ac sibi debitam defensionem: sed quoad hoc non æquè Doctores conveniunt, ut patebit *ex seqq.* Sextus, peregrinum teneri legibus communibus in loco, ubi vigent; esto in loco sui domicilij non sint in vigore ob consuetudinem contrariam; ita Suarez *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *c.* 14. *n.* 17. & 28. quia sic subest Legislatori, & consuetudo contraria illi solùm favet favore locali, scilicet sui oppidi, vel civitatis; cùm non egrediatur territorium: his præmissis:

571. Quæstio est, an forenses, & peregrini, *extra prædictos sex casus*, teneantur *statutis, & municipali lege locorum*, per quæ transeunt? affirmativam sequitur Castropalaus *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 3. *n.* 11. extendens opinionem suam etiam *ad vim coactivam*, eò quòd hoc pertineat ad pacem, & tranquilitatem communem talis loci; fatetur tamen etiam esse probabilem negativam, quam tenet Sanchez *l.* 3. *matrimonij*, *D.* 18. *n.* 6. Lessius *l.* 4. *de just. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 49. & plurimi alij. Ratio negantium fundatur potissimùm in eo, quòd lege locali, seu municipali non ligetur *nisi subditus*; peregrinus autem, & forensis, solùm transiens, aut modicum dunta-

duntaxat fistens in loco aliquo, non est subditus illius loci; subditus enim non est nisi ratione originis, domicilij, contractûs, vel delicti; ergo. Hæc ratio omnino probabilem reddit negantium opinionem, in quantum universaliter negat eam obligationem, seu in quantum loquitur de omnibus legibus localibus; quæ confirmatur *in seqq.*

572. Sed contra hoc instat sententia affirmantium ex eo, quòd sic sequeretur, peregrinos, & forenses nec obligandos locali lege, latâ propter commune bonum talis loci. Nam etiam in dato casu dici posset, forensem, vel peregrinum non esse subditum origine, domicilio, contractu, delictô: & tamen in hoc casu eum teneri concedunt, ut dictum est *n.* 570. Et ideo Castropal. *cit. n.* 13. censet, viatores obligari legibus municipalibus, quà transeunt, non solùm quoad vim directivam, seu culpam; sed etiam coactivam, & pœnalem. Nam si subduntur legi municipali quoad vim directivam, transgrediendô, seu non servandô eã, delinquunt; & sic ratione delicti etiam sortiuntur forum, quoad pœnam.

573. Posset tamen à negantibus responderi, aliud esse bonum commune *generaliter*; aliud *specialiter*, nimirum specialis communitatis, & loci, quà talis, conservationi necessarium; & in ordine ad hoc, non ad illud, quemlibet à natura subjici legibus, illud speciale bonum directè quærentibus. Nam unius loci conservatio præ altero potest indigere; ne hoc, aut illud fiat, v. g. ne inducantur tales mores, merces &c. undè omnino rectæ rationi consonum est, omnes, qui eò veniunt, naturali jure exigente, Præsidibus subjici, quibus per leges locales, *bonũ speciale loci*, respicientes, eam communitatem gubernare datum est.

574. Dices: potest aliqua provincia, vel civitas ferre leges pro solis advenis, & peregrinis; ergo datur in republica potestas ad hanc obligationem inducendam; ant. pat. quia alias non posset se respublica incolumem, ac indemnem servare; sic Abbas, & Hostiensis in *c. à nobis, elig. 1. de sent. excom.* Resp. ex hac, & priori ratione in *n.* 572. sententiam affirmantium omnido reddi valde probabilem; à negantibus autem eam doctrinam, indefinitè affirmantem, rectè antecedens distingui posse, dicendô: illud procedere, quando illæ leges latæ sunt *ob bonum speciale talis loci*; non *generale*, ut suprà dictum est. Nam per hoc sufficienter provisum est defensioni, & conservationi talis loci.

575. Negantium opinio confirmari potest ex *c. à nobis, elig. 1. de sent. excom.* ubi Pontifex interrogatus, *an forenses comprehenderentur in excommunicatione, lata ab Episcopo pro futuris delictis?* respondit, *solos subditos comprehendi.* Ex hac enim Pontificia resolutione rectè colligitur, diœcesanorum legibus non comprehendi forenses, & peregrinos, seu viatores; cùm ad hanc quæstionem: *an, ubi Episcopus sic pronuntiaverit (qui furtum fecerit, excommunicatus sit) hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur? an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de jurisdictione illius?* expressè responderit: *non nisi subditi ligantur.*

576. Dices 1. hoc solùm procedere, quando Episcopus statuit excommunicationem, *per sententiam*; non autem, quando *per statutum*; id, quod tenet Suarez *l. 3. de legibus, c. 33. à n. 9.* dicens, forenses, & peregrinos omnino esse excluses, seu non comprehensos in sententiis, *& præceptis* Superiorum localium (nam hæc afficiunt personas) secus in *statutis*, quia hæc afficiunt personam ratione loci subjecti statuenti. Verùm, si peregrini, & forenses possunt à supremo Domino alicujus loci ligari illius localibus statutis; poterunt etiam ligari non modò generalibus, sed etiam specialibus sententiis, & præceptis. Utrique enim casui communis est ratio antecedentis in eo sita, quòd speciale bonum talis loci requirat etiam viatores, & forenses conformari cum reliquis de republica. Sic Castropal. *cit. n.* 15.

577. Deinde negari potest, responsum Pontificis *in cit. c. à nobis* procedere solùm *de præceptis*; *non statutis*, ut exponit P. Suarez *cit.* Nam responsio negativè data est ad quæsitum indefinitè, *an* ejusmodi *pronuntiato* Episcopi, *ligentur tantùm subditi*, vel etiam illi, *qui non sunt de jurisdictione illius?* pronuntiatum enim comprehendit non tantùm *præcepta*, sed etiam *leges*, & *statuta.* Confirmari potest ex eo, quia *c. à nobis*, eodem modo procedit in hac quæstione de pronuntiato Episcopi, quo *c. ut animarum, de Constitut. in 6.* sed

hoc

hoc etiam comprehendit statuta, & leges; ergo & illud; ita Salas hìc *D.* 14. *S.* 4. *n.* 44. & alij.

578. Dices 2. licèt Pontifex in *cit. c. à nobis*, expresè non dixerit, ibi advenas comprehendi; non tamen illos excluſit, ſed quæſtionem indeciſam reliquit, ut locus daretur opinionibus; ergo ex illo textu non rectè probatur, advenas, peregrinos, & forenſes non ligari localibus ſtatutis; ſic Caſtropalaus *cit. n.* 15. ſed, nego antecedens. Nam Pontifex expreſè reſpondit *negativè* ad quæſtionem: *an eo Epiſcopi pronuntiato ligentur etiam illi, qui non ſunt de jurisdictione* talis Epiſcopi; & affirmavit de ſolis ſubditis ejus.

579. Dices 3. S. Auguſtinus relatus in *c. quæ contra, diſt.* 8. ait: quæ contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate ſunt vitanda, ut pactum inter ſe gentis, aut civitatis, conſuetudine, vel lege firmatum, nullâ civis, *aut peregrini libidine violetur*; turpis enim eſt omnis pars univerſo ſuo non conveniens; ergo peregrini, etiam ex mente S. Doctoris, ligantur legibus loci. Reſp. ex *n.* 69. D. Auguſtinum non condidiſſe legem; ejus tamen opinionem (ne contradicat Summi Pontificis deciſioni in *cit. c. à nobis*, de quo *n.* 552.) *quoad peregrinos* rectè intelligi de obligatione ſtatuti propter *ſpeciale* bonum talis loci; non autem *generale*, ut diximus *num.* 573. & quoad hoc ſatisfieri, dicendô, eſſe obligationem decentiæ, & honeſtatis, vel etiam procedere de lege locali in materia jure naturali, divino, vel communi aliàs debitâ.

580. Ad extremum nota, ex hoc, quòd admittatur, viatores ſubjici ſtatutis loci, quà tranſeunt, non rectè inferri, delinquentes in ſuo oppido, ſi aliò veniunt, poſſe ibi puniri. Nam etiam admiſsâ ſententiâ affirmante, Viatores obſtringi legibus loci, quà tranſeunt, ſolùm ſequitur, eos ſubjici Judici loci, quà tranſeunt, in his, quæ ad rectam illius Reipublicæ gubernationem pertinent; ad quod nihil confert delictum alibi commiſſum. Unde in hac opinione viatorum obligatio ad leges locales eſt ſolùm indirecta, quatenus ea Respublica pro conſervatione ſua petit inibi ſiſtentes, aut tranſeuntes, pro tempore ſuæ moræ, cæteris conformari; ſic Farinacius in *praxi l.* 1. *q.* 7. *à n.* 6. quid autem tenendum de contrahendis vagorum matrimonijs, conſtabit ex *lib.* 4. quibus addo, quòd, ſi loci Parochus aſſiſtat matrimonio vagorum, non præmiſsâ debitâ diligentiâ, & licentiâ Ordinarij, graviter peccet, matrimonium tamen valeat; ſic Barboſ. in *Trid. ſeſſ.* 24. *de reform. matr. c.* 7. *n.* 4. & apud eundem Sanchez, Pontius, & complures alij.

581. Quæres, an forenſes, peregrini, & viatores gaudeant privilegijs locorum, quà tranſeunt? Reſp. notandum, quædam eſſe privilegia præcisè in favorem *incolarum*; quædam autem ſita ſolùm in exemptione à jure communi, v. g. quòd in tali loco celebretur feſtum aliquod ritu duplici, quod alibi, vel ſolùm ſub ſimplici, vel nullo modo; quòd tali die in ejusmodi loco non ſit feſtum fori, jejunium &c. Non gaudere privilegijs primi generis ex eo dici poſſet, quia *viatores* non ſunt *incolæ* talis loci. Dici tamen poſſet, etiam gaudere, ſaltem dum ibi ſunt; ſi enim juxta probabilem ſententiam, dum ibi ſunt, ligantur legibus locorum, ut ſic inquilinis conformentur, æquum eſt, ut fruantur favoribus; cùm juſtum omnino ſit, ut ſentiat & commodum, qui ſentit onus; & ex hac ratione à fortiori ſequitur eos gaudere privilegijs ſecundi generis, niſi expreſsè reſtricta ſint ad certum duntaxat populum, vel communitatem; ita ſentire videtur Caſtropalaus *cit. p.* 24. §. 5. *n.* 2. cum Suarez, Sanchez, Salas, Bonacina, & alijs ibidem relatis.

582. Si quæras, qua ratione legibus teneantur vagi? Reſp. *vagos cenſeri*, qui nullibi habent certam ſedem. Hinc qui habens alicubi domicilium, inde abit animô nunquam redeundi, nec alibi, ſaltem majori parte anni habitandi, vagabundus eſt; ita Sanchez *l.* 3. *matrim. c.* 25. *n.* 1. &c. quo poſito: Reſp. quamvis Leſſius *l.* 4. *c.* 2. *d.* 7. *n.* 49. & alij cenſeant, de his idem tenendum eſſe, quod dictum eſt de peregrinis, nimirum non obſtringi legibus municipalibus locorum, per quæ tranſeunt: probabiliùs tamen, illos teneri legibus loci, ubi actu ſunt, & quamdiu ibi ſunt, cenſeri à Caſtropalao *cit. p.* 24. §. 4. *n.* 3. Aliàs enim eſſent exempti ab omnibus legibus particularibus, quod rectæ ipſorum gubernationi repugnat; ſic etiam Suarez *D.* 14. *de legibus, ſ.* 4. *n.* 55. & communis. Hæc tamen

tamen ratio non evertit probabilitatem sententiæ oppositæ. 1. quia per hoc non eximuntur à jure naturali, & divino, nec à jure comuni Ecclesiastico; imò nec à municipali locorum, quà transeunt, quod respicit *speciale bonum* talis Reipublicæ.

583. Dubium est, an vagus in loco, per quem transit, puniri possit de delicto alibi commisso? affirmativam tenet glos. in *L. 1. C. ubi de criminibus agi*; quam esse communiter receptam affirmat Farinacius in praxi *l. 1. q. 7. n. 13.* Alij rectiùs distinguunt, & dicunt, posse, *in defectu judicis loci, ubi deliquit*; secus, *cùm ab hoc sibi remitti petitur.* Ratio primæ partis; quia judici loci, quà transit vagus, non est subditus in punitione delictorum alibi commissorum; cùm hæc tendat, ut ex punitione fiat alijs exemplum, & dati scandali reparatio; quòd, ubi deficit Judex loci, in quo peccatum est, ne crimina maneant omnino impunita, justè tribuitur Judici alterius loci. Ratio secundæ partis est; quia ratione delicti factus est subditus loci, in quo deliquit; ergo hic *justè* illum exigit sibi reddi; consequenter Judex alterius loci, in quo non deliquit, tenetur eum *justè petenti* reddere; cùm hæc sint correlativa justè, seu *jure petere*, ac *jure debere*; sic Decius in *tract. crimin. tom. 1. l. 4. c. 13. à n. 17.* Julius Clarus *l. 5. recept. sentent. in pract. crimin. q. 39. n. 7.* Azor *p. 1. l. 5. c. 11. q. 3.* quod procedit, sive ambo Judices sint sub eodem, sive sub diverso Principe; cùm ratio militet pro utroque casu; sic Castropal. *cit. n. 5.*

## §. IV.

### *An lex, vel statutum obliget existentem extra territorium Legislatoris?*

584. COmmunis regula est negativa; fundatur in eo, quòd *extra territorium jus dicenti non pareatur impunè*, juxta *c. 2. & statuta, de Constit. in 6.* Et ideo, qui non paret, non incurrit pœnam legis. Non enim potest jurisdictionem exercere ultra limites suæ potestatis, *L. ult. ff. de jurisdict. omn. Judic.* & statuta non feruntur in personas absolutè, sed dependenter à territorio. *L. omnes populi, ff. de just. & jure.* Hinc subditus, etiam extra territorium semper *manet subditus ad obediendum*, sed *intra territorium*, non extra. Hæc tamen regula declaratione indiget, ut rectè procedat. Primò enim non venit intelligenda pro casu, quo subditus, existens extra territorium, delinquit intra territorium; ut si existens foris, jaculetur in alium existentem intra territorium, & hic occidatur.

585. Verùm circa hanc declarationē advertendū est 1° cum Suar. *l. 3. de legibus, c. 22. n. 8. & de censur. D. 5. s. 4. n. 9.* illam posse adhiberi statuto vel *affirmativo*, nimirum exigendi positionem alicujus actus; vel *negativo*, nimirum exigendi omissionem alicujus actus. Advertendum 2. in hac materia maximè attendendum, *ubi delictum* contra statutum *censeatur fieri?* si sit contra statutum positivum, seu affirmativum, ibi censetur committi delictum, per omissionem, ubi ex obligatione ponendus erat actus; sic si detur statutum exigens Titij præsentiam in territorio A v. g. triduo Pascatis; ubicunque sit Titius, dum eo tempore abest à territorio, delictum censetur fieri in ipso territorio; quia intra hoc tali tempore illius præsentia in loco exigebatur statuto.

586. Si autem sit statutum negativum, distinguendum est inter pœnas. Nam si transgressoribus imponat *censuram*, ibi censetur delictum committi contra tale statutum, ubi delictum consumatur, esto alibi sit inchoatum; nisi etiam censuram statuat delicto solùm attentato; cujus ratio est ex *L. qui non facit ff. de reg. juris*, ibi: *qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quæ non facit*; & colligitur ex *c. tuæ 11. de Cleric. non resident.* si autem imponat alias pœnas temporales, quoad has delictum committi censetur, & *ubi inchoatum*, & *ubi consummatum est*; hinc si quis in uno territorio delictum inchoet, & in alio consummet, ratione delicti sortitur forum in utroque loco, & puniri potest, *L. 1. C. ubi de crimine agi oportet*, ibi: *ubi commissa, vel inchoata sunt.*

587. Secundò non venit intelligenda dicta regula pro casu, si statutū violetur ab existente extra territoriū, quando directè respicit rem in territorio sitā (v. g. *ne frumentum distrahatur extra territorium*, vel *quovis anno conveniat ad Synodum*) vel ipsius territorij speciale commodum; v. g. si sub pœna censuræ prohibeat mercaturam exerceri extra territorium; quia tunc

inju-

injuria fit ipsi loco, seu municipio, quæ utique est intra territorium &c. ita Suarez *cit. s.* 5. *n.* 17. Præter hæc notandum, quod diximus de statuto afficiente personas ratione loci (nam in hoc lex localis, seu statutum consistit, in quantum differt à præcepto) non posse intelligi de præcepto; quia hoc afficit personas secundùm se, & independenter à loco, adeoque illas ligat, ubicunque existant: præceptum autem est constitutio tantùm ad singulares personas, quo differt â mandato, quod etiam ad communitatem pertinet. Streinius in *prolegom. Juris Can.* §. 2. *in fine.*

588. Not. 2. quod dictum est de præcepto, intelligi quoque de sententia Judicis, etiam generaliter lata, v. g. *si quis non restituat intra mense, sit ipso facto excommunicatus* Hæc enim fieri potest directè in personas, sine respectu ad locum; consequenter ligat etiam absentes, *c. cùm sit, de appellat.* Ut autem subditus dicatur deliquisse non in territorio, & sic evitet pœnas sui statuti localis, requiritur, quòd & ipse, & actio mala etiam quoad effectum, & res, circa quam versatur, sit extra territorium, ut cum comuni tenet Suarez *tom. 5. in 3. p. D.* 5. *à s.* 4. & *l.* 3. *de leg. c.* 32. aliique. Aliàs enim, si vel delinquens, vel delictum etiam quoad effectum, vel res, circa quam delinquitur, sit in territorio, & Judex hujus loci punire non posset, non haberet plenam potestatem præcavendi sibi noxia.

589. Dices: si ad hoc, ut quis dicatur deliquisse in territorio, sufficiat, quòd ipsi territorio fiat injuria, etiamsi ipse foris sit, imò & actio prava; nulla lex erit, quæ non obliget subditos existentes extra territorium; probatur: nam, cùm quælibet lex respiciat commune bonum, de violante illam (licèt existat extra territorium) dici potest, quòd damnum, vel injuriam suæ communitati, seu municipio faciat; ergo sic quælibet lex ligabit existentem extra locum Legislatoris. Sed hæc sequela est contra apertam decisionem *c. ut animarum, de constitut. in* 6. ubi dicitur *impunè non pareri*, seu obediri *jus dicenti extra territorium.* Et quamvis aliqui cum Bartolo in *L.* 1. *C. de Summa Trinit. à n.* 45. hoc limitent pro casu, quo Legislator non exprimit, *se velle legem à suis observari etiam extra territorium;* rectiùs tamen dicitur, id etiam procedere, licèt exprimeret; quia jurisdictio ejus definitur limitibus sui territorij, nec ultra porrigitur. Sic Covarruv. *in c. alma mater, p.* 1 §. 10. *n.* 3. Suarez *l.* 3. *de leg. c.* 32. *n.* 4. &c.

Ante responsionem not. dupliciter actionem aliquam, in alieno territorio exercitam, cedere in damnum, vel injuriam territorij, cujus statutis prohibetur. 1. specialiter. 2. generaliter. *Generaliter* cedit in damnum, vel injuriam territorij eam statuto prohibentis, quando non magis cedit in damnum hujus territorij prohibentis, quàm cujuscunque alterius; cujusmodi sunt furta, homicidia, stupra &c. quæ scilicet in qualibet Republica prohibentur, & justitiam legalem, seu generalem lædunt, nimirum tanquam ubique noxia communi bono: *specialiter* autem, quando lædunt speciale bonum talis municipij statutô quæsitum, ut sunt, frumentum extra territorium non divendere, exteris arma non vendere &c. sic Castropal. *p.* 1. *tr.* 3. *D.* 1. *P.* 24. ∂. 5. *n.* 18. quibus positis: Resp. ad object. in *n.* 589. ex hoc, quòd dicamus sufficere, ut etiam extra territorium existens, & actionem pravam ponens, dicatur intra territorium delinquere, & cadat in pœnam statuti eam prohibentis, *si specialiter cedat in damnum, vel injuriam territorij, quod tale statutum condidit*, nullatenus rectè inferri, omnem legem localem ligare etiam extra territorium; quia non omnis transgressio cujuslibet statuti cedit *specialiter* in damnum vel injuriam illius communitatis; sed sæpè tantùm *generaliter.* Quare neganda est sequela sub data distinctione. 590.

## §. V.

### *An lex, vel statutum obliget existentes in loco exempto?*

591. PRo resolut. suppon. 1. ex P. Suarez *l.* 4. *contra errores Angl. c.* 1. exemptionem, seu *immunitatem* in genere sic describi: quòd sit *privilegium, quo res aliqua, vel persona, à communi aliqua obligatione, seu onere eximitur*, ut habetur *L. munus*, 18. *ff. de verb. signif.* & ex parte subjecti triplex est, nempe *immunitas locorum, personarum, & bonorum.* Ex quo facilè deduces, quid veniat nomine *immunitatis*, seu libertatis (hæc enim idem

sunt) *Ecclesiasticæ.* Suppon. 2. *exemptionem*, quamvis immunitatem, & libertatem importet, videri tamen magis esse facti, quàm juris; & potiùs effectum privilegij, quàm ipsum privilegium significare; sic Peregra in *Elucidar. n.* 847. Suppon. 3. quòd, quamvis exemptio (teste Suarez *cit.*) concessa *Ecclesiæ, bonis, vel personis Ecclesiasticis*, quà talibus in genere, ita spectet ad immunitatem Ecclesiasticam, ut violator illius, hujus etiam violator sit; non censeri tamen violatorem immunitatis Ecclesiasticæ, qui violat privilegium *particulare* datum tali Ecclesiæ, ex peculiari ipsius consideratione. Suppon. 4. exemptionem aliam esse *personalem*, aliam *localem.* Personalis est, quando certæ personæ vel communitates *ratione sui, non ratione loci, eximuntur à jurisdictione alicujus.* Localis, quando locus *ratione sui, & non ratione personarum in ea commorantium* eximitur à jurisdictione alicujus.

592. Hinc ubi solus locus est exemptus à jurisdictione v. g. Episcopi, personæ in eo commorantes possunt interdici ab Episcopo, quoad divina officia in loco non exempto; quia personæ, ut ponit casus, non sunt exemptæ ratione sui; sed tantùm per accidens ratione loci exempti, ut, dum in eo sunt, liberè divina celebrare possint, ut colligitur ex *c. per exemptionem, de privileg. in 6.* & *c. cùm capella, de privileg:* Unde, si exempta sit sola capella, non censentur exempti Capellani, nisi quatenus exercent officium in tali Capella; ita Sylv. V. *exemptio, q.* 2. ratio est eadem; quia cùm ponatur solus locus exemptus, non personæ ratione sui, exemptio illis alia in præsenti non favet, nisi loci. Dupliciter autem aliquis locus potest esse exemptus. 1. plenè, seu pleniſſimè, quando scilicet non tantùm ipse ratione sui, sed etiam ratione populi, seu pertinentium ad illum exemptus est à jurisdictione v. g. Ordinarij; quando autem vel populum non habet, vel populus ejus ab Ordinario exemptus non est, non dicitur exemptus plenè, seu pleniſſimè. Sic Layman *c. ut animarum, de Constitut. in 6. n.* 5. his præmissis:

593. Quæstio est, an subditi alicujus territorij, agentes aliquid in loco exempto, quod prohibitum est statutô loci, intra quem solùm materialiter existit talis locus, fiat reus culpæ, ac pœnæ à tali statuto transgressoribus statutæ? consequenter, *an statuta ligent subditos statuentis, existentes in loco exempto?* Layman in *cit. c. ut animarum, n.* 5. censet, non ligari, si existant in loco *perfectè & plenè, seu pleniſſimè exempto;* secus, si talis non sit. Illum enim, non istum æquiparari loco extra diœcesin. Primam partem ait sumi ex *c. Episcopus* 7. | *de offic. Ordinar. in 6.* ubi dicitur, *non esse dubium, quin Episcopus quolibet loco ipsius diœcesis, non exempto, per se, vel per alium possit pro tribunali sedere.* Ex quo per sensum contrarium colligitur, id eum non posse *in loco exempto*, saltem plenè, ac pleniſſimè. Secundam autem ex hoc, quòd privilegium exemptionis, in quantùm præjudicat ordinariæ Episcoporum jurisdictioni, strictam habeat interpretationem; nec ad casum non expressum extendi debeat; cæteroquin daturum occasionem delinquendi, nec parum turbandi diœcesanam Episcoporum jurisdictionem. Hanc etiam sententiam tenet Castropal. *cit. p.* 5. *in fine pro eadem citans P. Suarez de censuris D. 5. s.* 4. *n.* 10. Salas *de legibus D.* 14. *s.* 6. *n.* 85. Et ideo citatus Author *ibid.* docet 1. *loca exempta*, esse illa, in quibus Judex territorij exercere jurisdictionem non potest, sed incolæ jurisdictioni alterius subduntur. 2. Monasteria Monialium, & conventus Religiosorum, in quibus sui superiores jurisdictionem quasi Episcopalem non habent, nullo modo reputari exempta per se, ac ratione sui; sed tantùm ratione personarum ibi degentium. Hinc infert, subditos territorij illuc accedentes ligari præceptis, & statutis latis pro suo territorio.

In hac quæstione videtur illud probabilius dici, quòd existentes *in loco exempto per se, ac ratione sui*, non ligentur statutis localibus territorij, intra quod ejusmodi exemptus locus est, sicut non ligantur existentes in loco alieno. Nam exemptio de se reddit exemptum, *non subditum, seu subjectum illi*, à cujus jurisdictione eximit in his, in quibus eum eximit; ergo exemptio, quæ locum afficit *per se*; *ac ratione sui*, reddit eum non subjectum illi, à cujus jurisdictione eximit, nimirum in his, in quibus illum eximit; at sic in his ad jurisdictionem illius se habet talis locus exemptus, sicut territorium alienum; ergo existens in loco taliter exempto perinde 594.

de

de se habet, ac existens interritorio alieno; ergo existens in loco per se, ac ratione sui exempto non aliter ligatur statutis localibus, ac existens in territorio alieno. Locus enim per se, ac ratione sui exemptus in jure æquiparatur loco extra diœcesim, & territorio alieno; sic Joan. Andreas, & Udalr. Zasius in *L. ult. ff. de jurisdict. omn. Jud. col.* 3. *apud Laymann cit. in c. ut animarum, de constitut. in* 6. *n.* 5. *universim* docentes, locũ exemptum æquiparari loco extra diœcesin; id, quod nos hìc asseruimus solùm de loco exempto *per se, ac ratione sui*, seu gaudente vera *exemptione locali.*

595. Quamvis autem Episcopus intentionem jurisdictionis sibi competentis ex jure communi habeat fundatam erga omnia loca, & personas intra diœcesin consistentes, adeò, ut si exemptio aliqua prætendatur, ea ostendi, probarique debeat, ut colligitur ex *c. cùm Episcopus*, 7. *de offic. Jud. ordin.* & *c. cùm personæ*, 7. *de privileg. in* 6. id tamen fallit in loco *per se, ac ratione sui exempto*, quod attinet ad excludendam Episcopi jurisdictionem in his, per ordinem ad ea omnia, ad quæ illi exemptio favet, ita Layman in *cit. c. cùm Episcopus, n.* 2. indefinitè ibi loquens de loco exempto. Hinc diversa sunt hæc duo, *esse in, vel intra diœcesin materialiter, & physicè*, materiali nimirum situatione loci intra fines illius; & *esse in, seu intra diœcesin formaliter, seu juridicè*, nimirum quoad jurisdictionem Ordinarij se porrigentis etiam ad talem locum. Unde locus per se, ac ratione sui exemptus à jurisdictione Episcopi, etsi sit *in* ejus diœcesi, nimirum solùm materialiter; non est tamen *de* diœcesi formaliter, seu *juridicè, ac quoad jurisdictionem.*

596. Not. præterea, significari exemptionem *personalem*, si Pontifex in privilegio exemptionis dato personis, quæ sunt de tali Ecclesia, Collegio, vel monasterio, dicat: *imediatè nobis subjicimns*, vel, *eximimus à jurisdictione Ordinariorum*, aut, *recipimus eos in proprios subditos, c. ex parte, elig.* 2. *V. recipimus, de privileg.* non autem per hoc, quòd dicat: *suscipimus eos sub nostra, & sedis Apostolicæ protectione*; nec per hoc: *recipimus eos in proprios filios*, ut notat Sanchez *l. Consil. c.* 9. *d.* 1. *n.* 4. *ex cit. c. ex parte*; & *c.* 1. *de verb. signific. c. si Papa*, 10. *de privil. in* 6. Similiter censetur eximere locum, si dicat in privilegio exemptionis, vel sententia: *super ea Ecclesiam juris B. Petri existere*; sive, *eum ad jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere*, vel, *quòd Ecclesia sit libera*, vel, *Ecclesiæ Romanæ libertate fruatur*, vel, *quòd Episcopus non audeat Cathedram ibi collocare*, vel *imperium, aut potestatem exercere*, vel, *quòd eam eximat, ut libera sit à potestate Episcopi*; ita Sylvest. Angel. Tabien. D. Antonin. & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *loc. cit.* Not. 2. valde probabile esse, ut locus (Collegium, vel Monasterium v. g.) dicatur ratione sui, ac per se exemptus ab alicujus jurisdictione, sufficere, quòd is nullam jurisdictionem *ordinariam* exercere possit in talẽ locum, ac incolas ejus. Nam sic locus ille, & ratione sui, & ratione incolarum jurisdictioni ejus *ordinariæ* subtractus, seu nullatenus subjectus est; cùm tota ratio, propter quam Ecclesia dicitur, *etiam localiter exempta* à jurisdictione Ordinarij, sit, quòd *nec in eam, nec in ejus populum*, aut indigetas, ullam jurisdictionem *ordinariam* exercere possit. Et sic videntur sentire Joannes Andreas, & Zasius, de quibus dixi *n.* 543.

Not. 3. Societatem nostram, & nniversos illius Socios, & personas, illorumque bona quæcunque, ab omni superioritate, *jurisdictione*, & *ab omni correctione, quorumcunque Ordinariorum*, à Paulo III. exemptos esse, ut notat Sanchez *l.* 6. *Consil. c.* 9. *D.* 1. *n.* 11. & declarat Greg. XIII. in Bulla: *ascendente Domino*, homines Societatis dicens Sedi Apostolicæ *immediatè subjectos, & à quorumvis Ordinariorum, & Delegatorum, seu aliorum Judicum jurisdictione omnino exemptos*, addensque: *prout nos etiam vigore præsentium eximimus.* Idem habetur in ejusdem Gregorij XIII. constitutione: *satis, superque*, ibi: *nonnulli Romani Pontifices, prædecessores nostri, dictam societatem, à primæva ejus erectione, illiúsque personas, & bona quæcunque, à quorumvis Ordinariorum visitatione, jurisdictione, correctione, superioritate exemerunt, & sub sedis Apostolicæ protectione susceperunt; ut illa Romano Pontifici pro tempore existenti immediatè subjecta esse noscatur:* & subjungit: *quare nos dictam exemptionem illi confirmamus, &c.* Ex his autem habetur, Societatem nostram gaudere privilegio exemptionis 597.

onis non tantùm *personalis*, sed etiam *localis* à jurisdictione quorumcunque Ordinariorum, ut rectè notat Sanchez cit. *n.* 11. *in fine*; quia *ipsa*, hoc est, omnes, & singulæ personæ, ac bona, seu res ejus *immediatè subjecta sunt Romanæ Sedi*, ut liquet ex dictis; si enim ejus domus, & Ecclesiæ solùm ratione personarum exempta forent, exemptio non esset *localis*; & res ejus, ac bona, non bene dicerentur exempta *simpliciter*; sed cum addito: *ratione personarum*; cujus contrarium constat ex allato textu.

598. Dices 1. si ejusmodi domus per se haberent exemptionem, & non ratione personarum, manerent exemptæ etiam, ubi deseruntur à talibus personis; hoc autem dici non potest. Resp. distinguendò, & dico, quòd etiam in dato casu manerent exemptæ, si solùm physicè, non autem, si etiam juridicè deseruntur ab illis. Nam si juridicè deserunt, censentur renuntiare privilegio ipsi loco concesso in ipsorum favorem. Ex his sequitur, subditos alicujus territorij, existentes in territorio gaudente locali exemptione, non aliter teneri legibus statuentis aliquid pro suo territorio, quàm teneantur subditi existentes in territorio alieno; ratio est ex *n.* 591. qualiter autem subditi ligentur statutis localibus, dum existunt in alieno territorio, constat ex dictis *à n.* 584.

599. Dices 2. subditi existentes in alieno territorio, ligantur præceptis, & sententijs ejus, sub cujus jurisdictione sunt; ergo etiam statutis localibus; ergo idem in utroque casu dicendum quoad existentes in territorio gaudente exemptione locali, seu per se exempto; patet hæc conseq. ex ipsa doctrina nostra in *præced. num.* Primam conseq. probat Castropalaus *p.* 1. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 5. *n.* 21. eam omnino defendens, paritate sumpta à præceptis ad statuta, sic opponens: qui sententiam, & præceptum generale imponit, *jus dicit*, sicuti cùm legem imponit; ergo si per præceptũ dicere potest jus in existentes in alieno territorio, jus etiam in eodem dicere poterit per legem, & statutum. Nec enim valet dicere legem adstringi territorio; secus verò præceptum: utrumque enim tam *generale præceptum, quàm lex, & statutum ob commune bonum fertur.*

600. Confirmari potest ex eo, quòd nullum hinc sequatur inconveniens, esto existentes extra territorium ligentur *statutis* potiùs, quàm præceptis. Nec enim ex hoc specialiter labefactatur jurisdictio Judicis, in cujus territorio delinquens existit: siquidem in ejus territorio, & ditione Legislator nullum exercet actum jurisdictionis *contentiosæ*; nec enim ibi citat reum, nec capit, nec punit punitione supponente delictum, quæ præcepto imponi non possit. Nam esto dicatur: *jurisdictionem contentiosam esse, quæ in invitum exercetur*, ut habetur L. 2. *ff. de offic. Proconsul.* &; *semper censeri, invitum sustinere obligationem legis impositam*: non propterea quis dicitur exercere jurisdictionem contentiosam in alieno territorio, quòd subditum existentem in alieno territorio *sua lege obliget*; sed requiritur præterea, quòd interveniant testes, citatio, aut aliæ juris solennitates, quod non fit præcisè obligandò subditum existentem extra territorium; aliud enim est, *legem imponere*; aliud, *lege obligare.* Unde quamvis Legislator, extra territorium, *legem ferre* non possit (cùm ea, quæ ad legis impositionem necessaria sunt, extra territorium, exercere nullatenus possit, ut legem promulgare, &c.) effectus tamen legis, nimirum *obligatio* extra territorium, esse potest; cùm afficiat insensibiliter personas. Ex his demum infert citatus Author *n.* 22. *in omnibus illis casibus, in quibus præceptum generale imponi potest subditis, extra territorium existentibus, etiam imponi posse legem:* & econtra, *in quibus statutum ferri non possit adversus extra territorium delinquentes, neque præceptum posse ferri.*

Verùm hæc paritas *à præceptis* (quibus 601.
ligari possunt subditi etiam extra territorium sui Judicis, vel Legislatoris existentes) *ad idem statuendum* de legibus, ac statutis ejus, non videtur tenere universaliter, sicut docet Castropalaus *cit.* Quare ad object. in *n.* 599. N. conseq. ad hujus prob. R. 1. N. ant. Nam, ut fatetur ipse Castropal. cit. *n.* 22. qui præceptum imponit, *jus dicit* jurisdictione solùm *voluntaria*, nimirum jurisdictione juris pendente à sola voluntate obligantis; qui autem legem, jurisdictione *contentiosa*, jus dicit, jurisdictione (ut ipse ait) pendente à solennitatibus juris; ergo non habet se unum, *sicut* alterum. Deinde R. 2. cum distinctione: qui

*præce-*

*præceptum* imponit, jus dicit *directè* intendendo *bonum duntaxat particulare* ejus, aut eorum secundùm se, quibus præcipit, C. directè intendendo *bonum communitatis in tali loco, quà talis*, N. Contrarium autem habet, qui jus dicit, imponendo *legem*, vel *statutum*; ergo rursum fallit ly *sicut*; hinc. N. conseq. Ad ejus prob. in *n. cit.* distinguo id, quod assumitur: utrumque (nimirum *præceptum* generale, & *lex*, seu *statutum* locale) *fertur ob commune bonum*, eodem modo, N. diverso, C. Præceptum *generale* non intendit *directè* bonum commune, in quantum est *bonum Communitatis*, quà talis; sed bonum commune, in quantum est bonum singulorum de Communitate. Nam in hoc differunt potestas *præcipiendi*, & potestas *condendi legem*, vel *statuendi*. Contrarium habet *lex*, & *statutum*, atque ex hac causa apparet, quare *potestas condendi legem, seu statutum* definiatur limitibus solius territorij; non autem *potestas præcipiendi*. Cùm enim jus jurisdictionis in eo differat à jure proprietatis, quòd illud *directè* respiciat bonum subditorum; & aliud sit *bonum particulare singulorum*; aliud *communitatis, in quantum communitas est, quin directè respiciat singulos, quà tales*, necesse quoque est, quòd jurisdictio, in quantum distincta à jure proprietatis, alia sit, quæ directè respiciat bonum particulare, quà tale; alia, quæ directè bonum communitatis, quà talis: cùm ergo *potestas præcipiendi* directè tendat ad bonum particulare, quà tale; *statuendi*, ad bonum communitatis quà talis; & bonum particulare singulorum consideretur *ratione personæ*, quà talis non affixæ loco; bonum communitalis quà talis in ordine *ad communitatem talis territorij*, rectè sequitur, *potestatem præcipiendi* non considerari, aut definiri limitibus territorij; secus *potestatem statuendi*.

602. Ad confirmat in *n.* 600. rectè negatur, *nullum sequi inconveniens*. Nam sic non verificaretur decisio capituli *ut animarum*, citra culpam, & pœnam posse non pareri statutis Ordinariorum ab existentibus extra territorium; hoc autem est inconveniens. Unde, esto non sequeretur inconveniens ex eo, quòd per hoc non labefactetur jurisdictio alieni Judicis; satis tamen inconveniens est potestatem *statuendi* ultra suos terminos extendi à sola paritate potestatis *præcipiendi*, non fundata in medio concludendi, quod utrique commune sit. Ant. probatur: si enim aliquod *statutum* existentes extra diœcesin non ligat, sicut reverà admitti debet vi c. *ut animarum*; rationes desumptæ ab eo, quòd *præcepta* ligent existentes extra territorium *præcipientis*; non procedunt legitimè ad statuta extra territorium *statuentis*. Et quamvis hoc videatur admittere cit. Castropalaus, ut diximus, non ostendit tamen, unde potestas præcipiendi existentibus extra territorium præcipientis limitetur, cùm præcepta non respiciant nisi bonum privatum subditorum, quod non definitur certo loco; sicut bonum alicujus municipij, seu communitatis, quà talis.

Ad eand. confir.; Resp. non tantùm 603.
tunc exerceri jurisdictionem contentiosam extra territorium (ferendo legem v. g.) quando Legislator extra territorium eam promulgat, vel alias juris solennitates adhibet; sed etiam, cùm hujus actûs obligationem transmittit extrà suum territorium. Nam per c. *ut animarum* non minùs effectus *statuti* (qui dicitur obligatio) quàm *statutum*, definitur limitibus sui statuentis, territorij; aliàs enim verum non esset *impunè non pareri jus dicenti extra territorium*, transmissâ obligatione. Si enim obligatio statuti, solenniter conditi intra territorium statuentis, transmitteretur in subditum existentem extra illius territorium, falsum esset, *quòd posset impunè non parere*. Ex quo etiam patet ad id, quod dicitur pro discrimine inter hæc: *legem imponere*, ac *obligare*, seu obligationem transmittere in alienum territorium.

Si quæras, an, & qualiter existentes in 604.
alieno territorio ligentur pœnis, per statutum impositis? R. inter pœnas aliquas esse, quæ non requirunt Judicis executionem, sed ipso facto incurruntur, ut sunt censuræ ipso jure latæ; alias, quæ requirunt oppositum; quibus positis quæstio est 1. an subditus incurrat pœnam, statuto impositam, ipso jure incurrendam, agens oppositum statuto, si id agat existens extra territorium statuentis, aut in loco per se, ac ratione sui exempto? Ad hoc generaliter

neraliter resʃponderi potest, incurri, si etiam existens in tali loco, ligetur statutô; non autem secus. Ratio est, quia si existens in tali loco ligetur statutô sui territorij, ibi committens actum prohibitum, est verè transgressor ejus; non autem, si ibi non ligetur: pœnæ autem afficiunt solùm transgressores. Hinc si transgresʃoribus *præcepti* imposita est pœna, ipso jure incurrenda, subditus incurrit pœnam eo *præcepto* impositam, licèt existens extra territorium delinquat contra tale præceptum; cùm liget etiam existentes extra territorium præcipientis, per *n.* 587. Si autem transgresʃoribus *statuti* imposita est pœna, ipso jure incurrenda, subditus non incurrit pœnam eo statuto impositam, si existens extra territorium statuentis faciat oppositum *statuto*; nam sic non est ejus transgressor; cùm non liget existentes extra territorium *statuentis* ex *n. cit:* nisi occurrat unus ex casibus, in quibus hæc regula non procedit, ut notavimus *supra;* Unde, si transgresʃoribus imposita est ejusmodi pœna per statutum, quod *directè* respicit rem in territorio sitam (v. g. ne frumentum, vel pecora inde extrahat:) vel ipsius territorii speciale bonum, incurritur pœna à subdito, si oppositum statuto agat, licèt id agat existens extra territorium statuentis; nam in hoc casu statutum ligat subditos etiam extra suum territorium, per *n.* 578.

605. Quæstio est 2. an incurrat pœnam, statuto impositam, ac ipso jure incurrendam, qui delictum quidem inchoat intra suum territorium, sed consummat extra illud in alieno? &. si pœna sit censura, non incurri à faciente, vel omittente actum sub censura prohibitum, si consummetur in loco non subjecto jurisdictioni statuentis, nisi expresè lata sit contra delictum etiam attentatum, vel inchoatum; nam censuræ, seclusâ tali expressione, non intelliguntur latæ nisi *ob delictum consummatum*; cùm ergo consummatio non contingat intra territorium, pro quo urget pœnale statutum; non fit hujus transgressio, consequenter nec pœnæ incursio; ita Suarez *l.* 3. *de legib.* c. 32. *à. n.* 5. & alij. Idem dicendum venit de alijs pœnis, ipso jure impositis, ubi non expresè fit extensio ad delictum etiam *attentatum*, vel *inchoatum*; quia in pœnis mitior interpretatio est.

606. Quæstio est. 3. de pœnis sententiæ ferendæ, seu requirentibus executionem Judicis; de quibus communis tenet, nullum Judicem, extra suum territorium, posse pœnam illam imponere, sive statuta sit delicto inchoato, sive consummato; quia hoc importat actum jurisdictionis contentioſæ. In quæstione autem, quis delictum punire possit, an Judex, ubi delictum est inchoatum, an, ubi consummatum, si *inchoatio* fiat in alio, in alio territorio *consummatio?* Communis opinio fert, quòd ille, ubi facta est consummatio, licèt delinquens de cætero ibi domicilium non habeat. Nam sic verè læsum est ejus territorium, & delictum ibi commissum. Si autem delinquens ibi habeat domicilium, ubi solùm est inchoatum; etiam ibi puniri potest propter delicti attentationem, vel inchoationem; nam & in hoc deliquit; ergo cùm ratione domicilij subditus sit Judici illius loci, ab illo puniri poterit. An autem eâdem pœnâ, qua, si delictum etiam ibi foret consummatum? affirmat Castropal. cit. *p.* 1. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 5. *n.* 26. dicens, in hoc Doctores convenire. Si denique delinquens aliàs non sit subditus Judici loci, in quo delictum attentavit, *nisi ratione attentationis*, posse illum nihilominus puniri *propter delictum*, licèt *alibi consummatum*, tenet communis. Suadet consuetudo jure gentium introducta, quæ utrique Judici delictum integrè subjecit, ne crimina maneant impunita; & colligitur ex L. 1. *C. ubi de crimine agi;* id, quod constat ex dictis *supra*; Sic Felinus in c. *fin. de foro compet. n.* 13. Abbas in c. *Postulasti*, *eod. n.* 25. Bartol. in L. *Dominium*, ff. *de furtis*, &c.

607. Dices: aliud est *inchoare*, aliud *consummare delictum*; ergo si consummatio fiat in loco extra jurisdictionem Judicis, ab eo consummatio puniri non potest; pat. conseq. quia non potest punire delictum, nisi in quantum est injuria ipsius territorio; at, cùm ponatur non contigisse consummatio intra illud, non est illi injuria; ergo talis Judex non poterit punire consummationem, sed tantùm inchoationem factam in suo territorio. Et ita tenet Abbas in c. *fin. de foro compet.* Julius Clarus *in practic. q.* 38. & plures alij. Resp. dato antecedente, dist. conseq: ergo Judex loci, ubi delictum solùm est inchoatum,

tum, non autem consummatum, non poterit punire, nisi delicti inchoationem, non autem consummationem, *seclusâ legitimâ consuetudine, jure gentium introductâ, & juris dispositione*, quæ delinquentem in tali casu utrique Judici subjicit integrè, C. stante illâ, N. conseq.

608. Dices. 2. qui intra territorium sui domicilij dat alicuj mandatum, ut occidat Petrum, non potest in loco dati mandati puniri pœnâ statuto impositâ *occisioni*, si mandatarius mandatum executus est in alio territorio; ergo, qui intra territorium sui domicilij lethaliter vulnerat Petrum, in loco facti vulneris non potest puniri pœnâ impositâ homicidio. Resp. cum Farinacio l. 1. *Praxis, tit. 1. q. 7. n. 45.* probabiliter posse negari antecedens; sed quia probabilius est, quòd consuetudo *mandantem*, ac *mandatarium* in casu delicti, per illum mandato, per istum facto, in distinctis, nec eidem Judici subjectis territoriis commissi, non æquè subjecerit utriusque territorij Judici, ac *inchoantem*, & *consummantem* delictum, quantumvis etiam in distinctis territoriis facta sit inchoatio, & consummatio delicti: ideo Bz. 2. dato anteced: N. conseq. propter consuetudinem, & juris dispositionem stantem pro consequenti; non antecedenti.

## §. VI.

### *An, & qualiter omnes fideles ligentur legibus Ecclesiasticis*

609. NOn est dubium, Canonum statuta ab omnibus observanda esse, ut dicitur c. 1. *de Constitutionibus*. Simile quid habetur in jure civili, L. 3. C. de Legib. ibi: *ab omnibus æquanimiter observentur*. Et ratio est, quia in his, quæ pertinent ad æternam animæ salutem, summus Pontifex, respectu Fidelium, tenet potestatem Christi Vicariam in terris, ligandi, & solvendi, quam immediatè accepit à Christo. Unde si Principes Laici constitutionibus suis justè possint subditos suos obligare in conscientia, & sub peccato, ut constat *ex dict. à. n. 233.* & 274.: à fortiori hoc poterit summus Pontifex, & omnis Superior Ecclesiasticus, respectu sibi subjectorum. V. dicta *n. citat.* Hujus autem ratio est; quia vis, & potestas Vicarij Christi in terris multò certius est à Deo, quàm in Principe sæculari; ac ad finem habet multò nobiliorem, qui est animæ felicitas indefectibilis; quàm habeat potestas Laica, qui est sola Reipublicæ felicitas temporalis. Hinc non potest esse indicium bonæ conscientiæ in illis Judicibus, & Tribunalium Præsidibus, qui, ut intentiones suas in temporalibus promoveant, etsi sacros Canones contrariari noverint, eos vel rejiciunt, vel contemnunt, nixi communi suo refugio, *quod in praxi servetur contrarium*, immemores, praxim laborantem vitiô in objecto, corruptelam potiùs esse, quàm usum legitimum, qui jus tribuat, ut constabit ex dicendis. Et ideo meritò dixit Damasus Papa, relatus supr. *num. 6. In Spiritum Sanctum peccare violatores sacrorum canonum*; quia ejus instinctu, & dono dictati sunt; quibus positis:

610. Not. 1. ex n. 61. Decreta Pontificum, etiam non inserta juri communi, æquè obligare, ac inserta; Sic Bartholom. Chassainus *de Privileg. Regul.* tr. 1. c. 1. propos. 2. ex c. *Si Romanorum*, dist. 19. & c. 2. *ead.* Nam ad naturam legis per accidens est, hoc vel illo modo scribi, expediri &c. intellige, pro foro poli. Nam in externo jus commune præponderat Conciliis; hæc Bullis; istæ Brævibus; his signaturæ; & hæ vivæ vocis Oraculis; ita Chassainus l. c. Not. 2. in cit. c. *per statuta canonum*, intelligi *canones generales*, non autem merè locales, vel merè personales, ut notat gloss. ad c. 1. V. *Canonum*; & per *omnes* ibidem intelligi *subditos Ecclesiæ*. Nam nemo in non subditum jus dicere potest; hinc sermo est de canonibus, continentibus vim legis obligantis; non autem puri consilij, vel meræ directionis non præceptivæ. Et ideo etiam hæretici, ac omnes semel baptizati (consequenter etiam Apostatæ à fide Catholica) obligantur sacris canonibus; non autem non baptizati, imò nec Catechumeni. Illi enim sunt subditi Ecclesiæ, non isti. c. *canonum, de constitut.* Layman in cit. c. n. 1. Servari autem debent leges, & canones secundùm accommodationem, nimirum ab iis, respectu quorum conditi sunt; *generales*, ab omnibus;

bus; *locales*, à degentibus in tali loco, &c. quia aliter non sunt subditi legislatoris, nec is intendit obligare.

611. Not. 3. sacros canones, qui versantur circa materiam Ecclesiasticam, etiam à Laicis observandos esse (nam quoad hanc materiam æquè subsunt potestati Ecclesiasticæ, ac Clerici, c. *novit*, *de Judiciis*) unde leges in hac materia contrariæ canonibus, censeri debent abolitæ, *c. 1. & seq. dist.* 10. Rescriptum tamen Principis in *certa* causa, vel erga *certam* personam, non habet rationem legis; Felin. in rubric. de rescript. quia sic non est *præceptum commune*; sed limita, nisi voluntate Principis extendatur ad omnes, ut si sit insertum juri communi; vel, sit interpretatio alicujus juris &c. ut dicitur L. *ult.* C. *de legib.* hinc rescriptum in materia particulari inter personas, quarum interest, facit jus speciale; in aliis constituit legem generalem, c. 1. dist. 19. & glos. in c. *Ex tua*, V. *Consultationi*, de fil. presbyt. Sanch. *de matr. l.* 2. *D.* 31. Layman. l. 1. *tr.* 4. *c.* 6. *§.* 3. *n.* 13. Armilla V. *Rescriptum.*

612. Not. 4. si aliud lege civili, aliud sacris canonibus statutum sit, eam in foro civili, istam in foro Ecclesiastico servandam esse; sic glos. in. c. 2. *de arbitr.* 6. V. *Lex civilis*; quod potissimum contingit in formandis judicijs, ut dicitur loc. cit. sed intellige, modò lex civilis non foveat peccatum, juxta dicta à n. præced. nec disponat de personis, aut materia, sibi non subditis, ut constabit à n. 616. Unde in tali casu non obstat Laicorum praxis, & consuetudo. Nam ad Papam spectat, *tollere irrationabilem consuetudinem etiam à Laicis inductam*, si scilicet sit nutritiva peccati, c. 2. *de Probat.* Quando autem in c. *Canonum*, 1. h. t. dicitur: *nemo in actionibus, vel judiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum* (nempe canonum) *auctoritate ducatur*, quidam cum Fagnano censent, sensum esse, quòd Judex judicare debeat secundùm notitiam, quam habet *ut Judex*, nimirum secundùm allegata, & probata, licèt *ut homo* notitiâ privatâ sciat oppositum. Sed hoc sit indefinitè acceptum, puto illicitum.

613. Ratio est, quia quando dicitur, quòd Judex *quà talis*, ex lege, & obligatione sua debeat judicare secundùm allegata & probata, lex habet tacitam conditionem, *nisi certò sciat, allegata esse falsa.* Nam aliàs illa lex non esset justa, sed foveret peccatum. Sic Judex Ecclesiasticus privatâ scientiâ certò sciens Bertam non esse uxorem Titij, esto secundùm allegata probetur talis, nulliter obligat, nec obligare potest Titium, ut ej conjugaliter convivat. Sed de hoc alibi. Unde rectius dici videtur, ibidem per ea Verba insinuari, quòd Judex subordinatus Canonum, vel Legum Conditori, debeat judicare *secundùm* leges, vel canones; non autem *de* legibus, vel sacris canonibus, quos constat authoritate legitimâ latos esse. sic Layman *in cit. c.* 1. *n.* 13.

614. Quia tamen quandoque occurrit casus, ubi propter quasdam circumstantias lex *secundùm literam* observari non posse videtur, quæritur, an Judex relicto externo cortice, seu literâ, judicare possit secundùm mentem Legislatoris, quam in tali circumstantia prudenter præsumit? R. si de mente Legislatoris constet, non curandam literam, ut dicemus infra. Idem dicendum est, ubi prudenter de mente Legislatoris præsumi potest contra literam; nam hæc illi, non econtra servire debet. Hinc, etsi Judex (exceptâ plenitudine potestatis supremæ) pœnam legalem ob crimen aliquod, regulariter, & ordinariè augere, aut minuere non possit, ut dicitur L. 1. ad S. C. Turpil. (cùm *nihil Reipublicæ tam perniciosum sit, quàm si Judices arbitraria faciant ea, quæ à lege certam definitionem habent*, ut rectè docet Layman *in c. 1. de Constit. n.* 14.) non desunt tamen plures casus, in quibus Judex subordinatus, ob gravem, & urgentem causam ex circumstantiis personarum delinquentium à præscripto legum recedere possit, ut notat Felinus *in cit. c.* 1. *n.* 48. Et quamvis Felinus censeat, debere tunc consuli Superiorem; id tamen non procedit, ubi causa evidens est, licèt Superior præsens sit, ut vult Layman cit. n. 15. Nam in tali casu ipsa jura indulgent Judici hanc epichiam, seu arbitrandi facultatem, prout sumitur ex L. 1. C. de Legib. ubi Imperator ait: *inter æquitatem, jusque, interpositam interpretationem nobis solis, & oportet, & licet inspice-*

*inspicere*: secus est, ubi causa dubia est; tum enim ad Superiorem recurri debet, si id fieri possit.

615. Quòd autem quandoque occurrant ejusmodi casus, ubi secundùm legis literam videatur procedi non posse, inductione constat; nam sæpe lex indeterminatè habet, *nisi gravia criminis indicia habeantur, non esse deveniendum ad capturam; vel torturam criminosi;* quin determinet, quæ sint ea gravia indicia? Similiter non rarò lex statuit, *Judici sic, vel sic procedendum esse in casu, quo alicui metus gravis, vel atrox injuria illata est*; quin definiat, *quis metus gravis*, aut *injuria* censeri *atrox* debeat? cùm omnes casus speciales, qui ex variatione circumstantiarum innumerabilium, mirè variantur, unâ lege universali comprehendi non possint. Licèt autem interdum in lege speciatim exponatur, quis metus v. g. censeatur *gravis*? &c. hoc tamen communiter non fit aliter, quàm *exempli gratiâ* asserendo unum, vel alterum casum, ut in multis liquet. Et ideo in ejusdmodi casibus occurentibus, fori præsertim externi Judex, non statim *sensu suo duci debet* (qui frequenter cæcis affectibus corrumpi potest) sed quando casus neque per legem, nec statuta, stylum Curiæ, seu consuetudinem, decisionem habet, in judicando adhærere debet communi, & meliorum Doctorum opinioni. Quia cùm inter litigantes arbiter constitutus sit; sequi cogitur, quod probabilius, seu veritati ac justitiæ magis consentaneum est. Nam hoc importat *obligatio muneris judicarij*; ita Layman *l.* 1. *Summæ, tr.* 2. *c.* 6. *n.* 5. Dixi: opinioni *communi*, & *meliori*. Nam major opinionis probabilitas non debet sumi *ex sola pluralitate authorum* eam sequentium, sed ex pondere, & gravitate rationum, quibus nititur, L. 1. C. *de veteri jure enucleando*, ibi: *sed neque ex multitudine Authorum, quod melius est, judicatote*; cujus rationem dat ipsa lex dicens: *cùm possit unius forsitan, & deterioris sententia, & multos, & majores* aliquâ *parte superare*. Cui consonare videtur c. *Capellanus*, de Feriis, ibi: *posterior sententia meliori, & subtiliori nititur ratione*. Et ideo rectè ait glos. marginal. in cit. L. 1. *ponderandæ sunt sententiæ, non numerandæ*. Si autem nec his juvari possit, tradit hanc regulam Manzius *p.* 1. *Instit. ad Tit.* 2. 2. §. 9. *de jure naturali, n.* 16. quòd, *quoties aliquid jure non satis reperitur definitum, recurratur ad Judicis arbitrium.*

## §. VII.

### *An, & qualiter Ecclesiastici ligentur legibus, & statutis Laicorum?*

ANte resolut. not. 1. per exemptionem, seu immunitatem Ecclesiasticam intelligi jus, vi cujus Ecclesiæ, personæ Ecclesiasticæ, ac earum bona eximuntur, seu liberantur à præstandis oneribus, vel etiam subeundis officiis sæcularibus, & subjectione, *relatè ad Laicum Superiorem*. Hoc autem nomine veniunt solùm exemptiones illæ, quæ toti statuj Clericorum, vel omnibus locis, aliisque rebus Deo particulariter dicatis communes sunt. Sic Thom. Delbene *c.* 1. *de Immun. Ecclesiastica, dubio* 1. *n.* 4. hæc immunitas triplex est: *Localis*, quæ Ecclesiis, & aliis locis Ecclesiasticis; *Realis*, quæ rebus, seu bonis ad Ecclesiam, vel Clericos pertinentibus; *Personalis*, quæ ipsis personis Ecclesiasticis concessa est. Not. 2. potissimam quæstionem hìc in eo versari, *an Clerici, & Regulares civilibus Principum legibus, & statuis obligentrr*? Negativam sequuntur non tantùm Theologi, sed etiam Canonistæ, fundantes se in eo, quòd nemo ligari possit legibus, aut statutô alicujus, nisi subditus sit jurisdictioni, & potestati Legislatoris *quoad eam materiam, circa quam versatur lex*; sed Clerici, & Regulares nulli jurisdictioni, seu potestati Legislatoris Laici subditi sunt quoad personas suas, Ecclesias, ac earum & sua etiam bona: ergo nullis eorum legibus, & statutis ligari possunt. Minorem probant ex utroque jure humano, *civili* scilicet, & *canonico*. 616.

*Ex jure civili.* Nam in Authentica *Cassa, de sacrosanctis Eccesie, Cassa*, inquit Imperator, *& irrita esse denuntiari per totam Italiam præcipimus omnia statuta, & consuetudines, contra libertatem Ecclesiæ, ejusq; personas.* Ea porro statuta Laicorum *contra libertatem Ecclesiasticam* censentur, (ut dicimus amplius n. 635.) quibus Clerici timidiores, & minùs 617.

nùs expediti redduntur, vel ad amplectendum statum, vel ad exercenda officia suscepti statûs, quòd sanè fit per onera, & gravamina, quæ Laicorum statutis, & præceptis, personis Ecclesiasticis directè, vel indirectè, & cum effectu inferuntur; sic *Bart.* in Authent. *Cassa*, & L. 1. §. *quæ onerandæ*, ff. *quarum rerum actio non datur*; & Suarez *de immunit. Eccles. c. 22. n. 11.* Plura super hoc videri possunt in l. 1. *authenticorum*, & in authent. *Item nulla*, C. *de Episcop. & Cleric.* His addi potest constitutio quarta ex Constitut: Friderici Secundi Imperatoris, cujus verba sunt: *item statuimus, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel civili, trahere ad judicium sæculare præsumat, contra constitutiones imperiales, & canonicas sanctiones; quod si fecerit, actor à suo jure cadat; & judicatum non teneat: & Judex sit ex tunc judicandi potestate privatus. Statuimus enim, ut si quis Clericis, vel personis Ecclesiasticis justitiam denegare præsumserit, tertiò requisitus, suam jurisdictionem amittat.*

118. *Ex jure Canonico.* Nam in c. *quæ in Ecclesiarum*, 7. h. t. dicitur, quòd constitutio Laicorum, Ecclesias, personas Ecclesiasticas, ac earum bona non adstringat; & c. *Ecclesia S. Mariæ*, 10. eod. quòd *statutum generale* Laicorum ad Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas, vel ipsarum bona, in earum præjudicium non extendatur: *nec* etiam *speciale, licèt earum commodum, & favorem concernat*, c. *significâsti*, 18. *de foro compet.* quòd *Clericus in Judicem non suum* (nisi fortè sit personaEcclesiastica,&Diœcesani voluntas accesserit) consentire non possit. Et ideo in c. *si diligenti*, 12. eod. *Clericus constituens, seu se subjiciens Judici Laico, etiamsi proprium juramentum, & adversarij consensus accedat, causam perdit, & à communione* jubetur *haberi extraneus*, c. *Noverit*, 4. *de sent. excom.* ubi Honorius III. excommunicat eos, *qui de cætero servari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas, contra Ecclesiæ libertatem.* Eandem excommunicationem statuit idem Pontifex cit. c. *Noverit, in statutarios, scriptores statutorum ipsorum, Potestates, Consules, Rectores, Consiliarios locorum, ubi de cætero hujusmodi statuta, & consuetudines editæ fuerint, vel servatæ;* item illos, *qui secundùm ea præsumpserint judicare, vel in publicam formam scribere judicata.* Ubi expresè additur, & habetur in integra Lectione, quòd hanc excommunicationem in Basilica Principis Apostolorum præsente Federico Romanorum Imperatore, in celebratione missarum, postquam Honorius capiti ejusdem diadema imposuit, accensis candelis pronuntiaverit. Demum in c. 1. *de Immunit. Eccles. in 6.* indistinctè dicitur: *quæcunque res, seu bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum dicuntur exempta à jurisdictione sæcularium, etiamsi intra illorum districtum, vel territorium sint constituta*: excipe bona feudalia; quia clericus vasallus laici, *quoad* feudum, laici potestati, & jurisdictioni subest, c. *Transmissa*, *de foro compet.* Denique c. *quanquam*, 4. *de Censib. in 6.* expresè dicitur, *quòd Ecclesiæ, Ecclesiasticæq; personæ, ac res ipsarum, non solùm jure humano; quin imò & divino, à sæcularium personarum exactionibus sint immunes*; ergo ex utroque jure certum est, potestatem, & jurisdictionem laicam nihil omnino posse contra Ecclesias, Ecclesiasticasque personas, ac earum bona, etiam leges, & statuta condendô contra libertatem Ecclesiasticam, nimirum in illis, in quibus ab eorum potestate, ac jurisdictione exempti sunt.

Ex his tam apertis summorum Pontificum decisionibus (nisi quis dicat eos in re pertinente ad mores fidelium, dixisse falsum, quod nefas est) videtur certum, quòd Laici statutis suis non possint derogare juribus Ecclesiarum, c. *quæ in Ecclesiarum, de constitut.* Laymam *in cit. c. n. 1.* Hinc Magistratus sæcularis nec ex plenitudine potestatis quidquam disponere potest circa Ecclesias, personas Ecclesiasticas, earumque bona. Nam nulla potestas aliquid potest circa non subjectam. Nec obest, quod mali politici communiter objiciunt: *necessitas legem non habet*; &, *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. reg. 4. de regul. juris.* Nam necessitas, aut ratio boni publici jurisdictionem *fundatam*, seu *præexistentem* extendere quidem potest; sed *ubi non subest*, seu non præexistit circa talem materiam, dare non potest, ut notat Suarez 619.

in de-

*in defens. fid. Cath l. de immunit. Eccles. c.* 31. *n.* 8. Unde omnino cum Christi Vicario negandum est, quòd sola necessitas det jurisdictionem: at potestati laicæ, quà tali, nulla est jurisdictio in Ecclesias, earumque personas, aut res; ergo eam etiam in casu necessitatis non acquirit; ita Layman *in c.* 7. *de Constitut. n.* 12. Imò nec vi consuetudinis etiam immemorialis, aut præscriptionis, jus ullum in Clericos habere potest, quia Laici sunt incapaces juris Ecclesiastici, seu spiritualis. sic Barbosa in *c.* 7. *de constit n.* 3. *&c.*

620. Hinc universaliter tenendum, quòd leges, constitutiones, aut statuta laicorum, quæ de Ecclesiis, aut Ecclesiasticis rebus, vel personis, *specificè*, hoc est, *expresè*, & *nominatim* disponunt, sive *præcipiendò*, sive *prohibendò*, licèt earum commodum, & favorem concernant, omnino irritæ sint, & vim nullam habeant, defectu potestatis; ita definitum est c. *Ecclesia S. Mariæ de constit.* Dixi: si *specificè* disponant de Ecclesiis, aut earum rebus, vel personis. Nam si disponant *generaliter*, nec juri Canonico contradicant, & statutum aliàs honestum sit, nec ex objecto suo onerosum, aut Ecclesiasticæ libertati contrarium, nec dedecens statum Clericalem, statuta ejusmodi *generalia*, etiam Clericos, & personas Ecclesiasticas, saltem vi directivâ ligant, sed
19. solùm juxta dicenda *in seqq.* sic Barbosa in *c.* 10. *de constit. n.* 3. Zoesius in 1. *decret. tit.* 2. *n.* 37. Talia statua sunt, quæ respiciunt regimen, & politiam civitatis, cujusmodi sunt statuta, quibus justa rerum venalium prætia taxantur, vel prohibentur arma deferri noctu, vetantur merces extrahi, præscribitur forma contractibus, &c. *;* ita Sotus *l.* 1. *de. just. q.* 6. *a.* 7. eodem etiam modo quidam resolvunt, etiam Clericos ligari consuetudine Clericis, & Laicis communi. Barbos. cit. *n.* 4.

621. Verum circa prædictum casum controversia est, an Clerici, & Regulares prædictis legibus *directè*, ac *in vi earum* obligentur? Aliqui censent hanc ipsam obligationem parendi ejusmodi statutis, vel consuetudini, non nasci *ex vi statuti Laicorum*, v. g. taxantis prætium rei venalis; sed *ex ipso jure naturali*, *& divino*, quo tenemur res nostras justò prætiò vendere. Quarè, si lege Principis laici pœna sit constituta in eos, qui pluris vendiderint, ejus pœnæ laicus fit reus, non Clericus *;* sic Barbosa cit. *n.* 4. Azor *Institut. moral. p.* 1. *l.* 5. *c.* 12. *q.* 4. Zoësius *cit. n.* 38. Alij autem cum Suarez *l.* 3. *d. legibus*, *c.* 3. *&* 34. *n.* 13. his legibus Clericos, & Regulares obligari solùm, in quantum ab Ecclesia receptæ sunt. Nam in ejusmodi personas nulla Laicis potestas attributa est, ut expresè dicitur c. *Ecclesia S. Mariæ*, *de Constitut.* c. *Decernimus*, *de Judic.* c. *Sæculares*, *de foro compet in* 6.

Castropalaus *p.* 1. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 6. 622.
*n.* 5. prædicta non approbat; & 1. quoad hoc, quo dicitur non peccare Clericos, & Regulares contra leges, & statuta Laicorum *directè*, si eas leges non observent. 1. quia sic non committerent injustitiam vendendò triticum ultra prætium taxatum à lege. 2. sic non facerent contractum irritum, etiam non servatâ formâ, jure vel statuto generaliter præscriptâ, &c. Nec approbat integrè modum dicendi Patris Suarez *;* Sed *n.* 6. censet probabilius, dictis legibus *per se ac directè* Clericos obligari. Nam Clerici cives sunt, & partes præcipuæ talis Reipublicæ; ergo etiam illi Gubernatori politico talis Reipublicæ debent esse subjecti in merè temporalibus; at is in eo casu non est Pontifex, sed Rex v. g. vel supremus ejus gubernator: ergo. Primam conseq. probat *;* quia neque jure divino, neque humano exempti sunt à gubernatione politica Reipublicæ. *Non ex jure divino;* nam *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est*, juxta S. Paulum, *ad Rom.* 13. quæ verba expendens D. Chrysostomus *hom.* 23. extendit etiam ad Clericos *;* & paulò superiùs dixit: Christum leges suas non ad hoc induxisse, ut politicas evertat *;* sed ut ad melius instituat. *Non etiam ex jure canonico*; tum quia sæpè præcipit eas observari *;* tum quia, quando personæ Ecclesiasticæ dicuntur exemptæ à jurisdictione Laicorum, intelligi debet *quoad vim coërcitivam*, seu punitionem *;* & *quoad vim directivam in rebus tantùm spiritualibus*, *& quæ illorum immunitatem spectant.* sic ille.

Sed contrarium videtur probabilius, ni- 623.
mirum Clericos, & Regulares, non ligari

gari *per se*, *ac directè* ullis legibus, & statutis Laicorum. Et. 1. loquendô de legibus, & statutis contra immunitatem Ecclesiasticam concedit ipse Castropalaus, ut constat ex *eod. in cit.* §. 6. *n.* 1. *&* 6. de aliis verò (de quibus in præsenti agitur, ut diximus *n.* 620.) quæ scilicet Clericorũ statum non dedecent, probatur: Quia nemo per se, ac directè potest ligari legibus ejus, cui nulla in eum attributa est jurisdictio, & potestas; sed in Clericos, & Regulares nulla Laicis est attributa jurisdictio, & potestas, ut constat ex *n.* 616. Cùm enim omnis potestas sit à Deo mediatè, vel immediatè, etiam in Principe Laico, ut diximus suprà; quæ illa sit, & quanta? nemo certius definire potest, quàm Ecclesia; hæc autem expressè, ac indefinitè dicit, *Laicis in Clericos, & personas Ecclesiasticas nullam jurisdictionem, vel potestatem attributam esse*, ut præmissum est; ergo.

624. Nec obstant contraria fundamenta. Ad 1. *in n.* 622. ℞. ut verum, sit, Clericos committere injustitiam vendendo triticum, ultra taxatum pretium à lege, non requiri, quòd *directè* obligentur statuto Laicorum taxante pretium; sed sufficere, quòd *indirectè*, quatenus jure naturali, & divino directè obligantur res suas justô prætiô vendere, & consequenter indirectè præscriptæ se taxæ in tali Republica accommodare. Idem respondetur ad alterum de contractibus celebrandis juxta præscriptam formam, ne cæteroquin lædant jus alienum, inæqualitate onerum, nec statum Ecclesiasticum dedecentium. Ad 2. ℞. concedi personas Ecclesiasticas adstringi legibus civilibus in merè temporalibus, quæ omnibus civibus communes sunt, nec dedecent eorum statum, nec lædunt eorum immunitatem; *at non directè*, *ac in vi legis civilis* (nam ad hoc nulla Laicis potestas attributa est) *sed solùm indirectè*, nimirum *in vi legis naturalis, & divinæ*, qua pars quælibet secundùm rationem statûs sui tenetur procurare bonum totius. Unde omnino negandum est, personas Ecclesiasticas, nec jure divino, nec jure humano exemptas esse à gubernatione politica Reipublicæ, importante vim *directè obligandi* ejusmodi personas, ut constabit *ex seq.*

625. Et quidem exemptas esse *jure divino* dicemus infra à *n.* 640; nec obstat textus S. Pauli in *n.* 622. Concedo enim, omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse, *secundùm mensuram jurisdictionis à Deo immediatè, vel mediatè concessæ*; at personas Ecclesiasticas *per se, ac directè* obligandi legibus politicis nulla Laicis potestas attributa est ex *n.* 616.; & S. Chrysostomus rectè intelligitur de obligatione solùm indirecta; cùm id doctrinæ Conciliorum, & sacrorum Canonum à *n.* 618. multò conformius sit. Nec aliud intendit Christus per leges à se inductas.

Exemptas esse *jure humano*, constat 626.
non tantùm de jure canonico à *n.* 618. sed etiam civili, ex *n.* 617. Ex eo autem, quòd jus Canonicum sæpe præcipiat servari leges, non sequitur, Clericos obligari *directè in vi talis legis*, in quantum procedit à Legislatore *Laico*; sed in vi legis *canonizatæ*, seu in quantum approbatur, & assumitur à Legislatore Ecclesiastico, eoipso impertiente illi authoritatem suam, & vim canonis, ut patet in multis casibus de cognatione legali ex arrogatione, vel adoptione &c.

Nec ulli dubium esse potest, personas 627.
Ecclesiasticas à jurisdictione Laicorum, *Ecclesiastico jure*, exemptas esse, ut manifestum fit à *n.* 618.; immeritò autem eam exemptionem limitat tantùm *ad spiritualia*, & *quæ lædunt eorum immunitatem.* 1. quia leges Laicorum, quæ sive generaliter, sive specificè disponunt, etiam in favorem Ecclesiarum, irritæ sunt, etiamsi non sint *de puris spiritualibus.* Nam, ut habetur c. *Ecclesia S. Mariæ*, 10. *h. t.* statutum Basilij, Præfecti Urbis Romæ, *de non alienandis prædiis rusticis, vel Urbanis* (quæ temporalia sunt) ministeriis, & ornamentis Ecclesiarum deputatis, fuit in favorem Ecclesiarum, & nullatenus pœnale; & tamen Innocentius III. ibid. expressè definivit *irritum*, ac omnino reprobavit eâ potissimùm ratione, *quòd authoritate non fuit Romani Pontificis roboratum; cùm Laicis* (etiam religiosis, ac piis) *super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas: quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* Ubi not. to *nulla facultas, nec imperandi authoritas*, etiam in temporalibus, ut liquet ex allato casu, & pluribus ibid.

Ex hoc sequitur, non posse admitti re- 628.
strictio-

strictionem, quam *n.* 622. attulimus ex P. Castropalao; imò eo ipso lædi immunitatem Ecclesiasticam, si Laici usurpent sibi motu proprio auctoritatem imperandi, vel ipsis personis Ecclesiasticis, etiam sine coërcitione, vel de bonis, & rebus Ecclesiasticis, ut liquet ex *n.* 618. & citatis ibidem juribus, ubi dicitur, *quascunque res*, seu *bona*, exempta esse à jurisdictione Laicorum; ergo non sola *spiritualia*; & quoniam expressè dicitur *nulla potestas*, *nulla imperandi auctoritas*, manifestè excluditur potestas saltem *directè* ligandi legibus suis, sive consideretur, in quantum est coërcitiva, sive in quantum merè directiva. Nam tò *nulla* excludit omnia.

629. Esto igitur Clerici non observent leges, & statuta Laicorum, & ob id directè violent jus naturale, ac divinum; non tamen ex hoc fiunt obnoxij pœnæ, si quæ transgressoribus statuta sit lege Principis; quia qui non observat id, quod lege, quâ non tenetur, cautum est, non potest dici *transgressor*. Et quidem si agatur de pœna, vel punitione, quæ requirit cognitionem causæ, communis Doctorum sententia est, irritam esse legem Laicorum, quæ statuit ejusmodi pœnas in Clericos transgressores statuti etiam non specificè lati in Clericos; hi enim exempti sunt à foro Laicorum; sic Castropalaus *p.* 1. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 24. §. 6. *n.* 7. Idem dicendum venit de pœna, seu punitione ipsi delicto annexa. Nam etiam hæc punitio est quædam virtualis sententia, lata non adversus communitatem, sed adversus quamlibet personam particularem delinquentem in statutum. Nam Clericus, quà talis, exemptus est à foro, & jurisdictione laica, *c. at si Clerici*, c. *Clerici*, & c. *qualiter*, *de Judiciis*, c. *Ecclesia. S. Mariæ*, *de constitut.* c. *decernimus*, *de re judicata*, c. *sæculares*, *de foro competente.*

630. Unde deducitur, statutum Laicorum, *expressè* disponens de Clericis, Ecclesiis, aut rebus Ecclesiasticis, *præcipiendò*, aut *vetandò*, irritum esse, quamvis respiciat eorum favorem, ex *n.* 618. nam nulla jurisdictio extendere se potest extra limites suos; seu erga non subjecta, L. *ult. ff. de jurisdict. omnium Judic.* nisi sponte recipiantur ab habente legitimam potestatem; sed tunc vim habent non ex authoritate statuentium, sed authoritate confirmantis, seu recipientis; ita Layman *in c.* 10. *de constit. n.* 3.

Sic nec leges sæculariũ *generaliter* latæ, 631.
quæ per se, & ex objecto onus imponunt, seu gravamen, aut juri acquisito derogant, extendunt se ad Ecclesias, aut earum res, ac personas; ita Bartol. in L. *Cunctos populos*, *C. de Sancta Trinit.. q.* 5. *n.* 28. Andr. Gail. *l.* 2. *observ.* 23. Layman *cit. n.* 4. quia actus imponendi onera, & gravamina, præseferunt jurisdictionem ergo eos, in quos feruntur; at à jurisdictione Laicorum exemptæ sunt Ecclesiæ, res, & personæ earum, c. *quanquam*, *de censibus*, in 6. & hoc max imè procedit, si ratio statuendi de rebus, aut personis Ecclesiasticis, in statutis afferatur jurisdictio territorialis magistratui laico competens. Nam, quod apud omnes notum est, ea non nisi erga personas, & res subditas extendi potest; tales autem non sunt Ecclesiæ, earúmque res, & personæ relatè ad Laicos. Et ideo hi non tantùm irritò statuunt, sed etiam peccant, si pœnam, & gratiæ suæ amissionem Clericis statuti sui transgressoribus, unà cum Laicis, tanquam inobedientibus, & contumacibus adjiciant, vel minentur. Nam hæc statuta apertè repugnant libertati Ecclesiasticæ. Quamvis enim concedamus, statutis Laicorum *generatim* disponentibus *quoad vim directivam* ligari etiam Clericos; juxta id, quod dictum est à *n.* 620.: negandum tamẽ est *quoad vim coërcitivam*, seu punitivam; ita Castropalaus *cit. n.* 7. nec obstat, quòd jus præcipiendi per se conjunctam habeat vim puniendi; quia per accidens (si scilicet quis exemptus sit à vi coërcitiva) fieri potest, ut separentur. V. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 41. *q.* 2.

Neque dicas ex reg. 55. in 6. *qui sentis onus, sentire debet commodum, & econtra:* ergo cùm personæ Ecclesiasticæ unà 632.
cum laicis, tanquam partes, & membra Reipublicæ civilis, utantur commodis, ac juribus communibus, ex pacto quodam tacito, & naturali æquitate dicendum venit, eas oneribus, & gravaminibus communibus subjectas esse, præsertim, cùm Magistratus sæcularis obligationem habeat, & non minùs curam gerat, ut defendat eas, quàm Laicos. R. nec illam regulam juris, nec æquita em naturalem, quæ de se optima est, huic materiæ bene

applicari. Hæc enim commoda, quæ à Magistratu civili præstantur Ecclesiasticis personis, his præstantur *ex debito propter spiritualia officia*, & *obsequia*, quæ Reipublicæ civili præstantur ab Ecclesiis, ut notat Apostolus. 1. *ad Cor. 9 si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus*; de quo fusiùs Laymam *cit. n. 6.* Revera enim temporalia, quæ à Laicis percipiunt Ecclesiastici ministrantes eis bona spiritualia, comparatione horum modica sunt; ut rectè docet Apostolus. Accedit, quòd pro his, quæ illis præstantur à Laicis, qui curam Communitatum gerunt, amplissimè satisfiat, per subjectionem indirectam, de qua diximus à *n.* 620.

633. Nec istud dicunt soli Ecclesiastici. Nam ipsi etiam Principes Laici dicunt, si exactiones, collectæ, angariæ, seu vehiculares, aut similes præstationes Ecclesiasticis personis indicantur, contra earum privilegia, & immunitates, eas utroque jure nullas esse, ut apertè constat ex jure civili, de quo *n.* 617. & ratio est; quia Laici carent legitimâ facultate non tantùm lædendi immunitatem Ecclesiasticam per leges suas illi contrarias, ut constat; sed etiam directè, vel *generaliter*, vel *specialiter* ligandi Ecclesias, personas Ecclesiasticas, & quascunque earum res, & bona, ex juribus jam præmissis. Similiter, irritum est statutum Laicorum (in quantum se extendit ad personas Ecclesiasticas) quo disponitur, ut si quis incolarum bona sua in alium locum transfert, partem aliquam, decimam v. g. fisco, vel communitati solvere cogatur; vel si quis civium filiam, vel filium religionem ingressurum dotaverit, partem aliquam publicæ fabricæ applicare necesse sit. Ratio sumitur ex defectu statuendi de his bonis in præjudicium Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum. Et ejusmodi statuta nullâ consuetudine, vel præscriptione stabiliri possunt, ut constabit, cùm opponantur juri divino; sic Felinus *in c. 10. de constit. n.* 94. *ex c. 1. de consuetud.*

634. Irritum pariter est statutum municipale Laicorum, ut qui religionem ingrediuntur, excludantur ab hæreditate, & vel parte aliquâ hæreditatis, vel solâ legitimâ, seu vitalitiô contenti sint, & esse debeant. Ratio est eadem, & ita tradunt passim omnes Canonistæ. Nam tale statutum retrahit ab ingressu religionis, facitque homines timidiores, & magis impeditos, ne ingrediantur; Layman *in c. 10. de constit. n.* 7. Irritum quoque est statutum municipale Laicorum in ordine ad res, & personas Ecclesiasticas, ut res immobiles æquè, ac mobiles triennij spatiô usucapiantur; ratio est eadem. Unde Gail. *cit. observ.* 32. testatur, in Camera Imperiali decisum esse, quòd statuta Laicorum non ligent Clericos; cùm sint contra libertatem Ecclesiasticam, juxta Authent. *Cassa, cit. sup. n.* 617.

Notandum autem, *ea statuta Laicorum contra libertatem Ecclesiasticam censeri*, 635
quibus Clerici timidiores, & minùs expediti redduntur, vel ad amplectendum statum Ecclesiasticum, vel ad exercenda officia suscepti statûs, quod sanè fit per onera, & gravamina, quæ Laicorum statutis, & præceptis personis Ecclesiasticis directè, seu indirectè, & cum effectu inferuntur. Bartol. in authent *Cassa*, & L. 1. §. *quæ onerandæ*, ff. *quarum rerum actio non datur*, & Suarez *de immunit. Eccles. c.* 22. *n.* 11. Nam sicut à potestate sæculari commoda, favores, & privilegia, Clericis concessa, statum clericalem cohonestant, personas Ecclesiasticas animant, & ad officia sua erga populum fidelem alacriùs obeunda excitant, aliosque plures ad amplectendum ejusmodi statum excitant; sic vicissim onera, & gravamina, quæ Laicorum statutis, & præceptis, personis Ecclesiasticis directè, vel indirectè, ac in effectu inferuntur, statum Ecclesiasticum dehonestant, ignobilem, ac despectum reddunt, Clericorum animos contristant, ac dejiciunt, & alios ab hujusmodi statu assumendo absterrent; ita Laymam *in c. 10. h. t. n.* 8. ‖ *V. c. 1. de Immunit. Eccles.* ubi dicitur, quòd libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam lædere, ac minuere, tanquam honoris, & privilegij Ecclesiarum invidi moliantur.

Si autem quæras, an invalida sint sta- 636.
tuta Laicorum, quæ specificè disponunt de bonis personarum Ecclesiasticarum, *etiam patrimonialibus*? R. quòd sic; quia & hæc exempta sunt ab omni foro, & jurisdictione sæculari. Quando enim personæ sunt exemptæ, etiam res earum, utpote accessoriæ, sunt exemptæ; Abbas

in c.

in c. *Qualiter*, *de judiciis*, *n.* 17. ibi: *certum est, quòd persona est exempta; ergo & res.* Ex eodem invalida sunt Laicorum statuta, quibus conceditur Laicis, habentibus feudum ab Ecclesia, ut illud in casu necessitatis alienare possint, sine consensu Domini directi, c. *quæ in Ecclesiarum*, *de Constit.* & hoc universaliter procedit de bonis, quorum dominium directum est penes Ecclesiam, licèt utile sit penes Laicum; sic Pirhing *de constit. n.* 77. quod verum est, quamvis in contrarium à Jure Canonico nihil reperiatur in tali casu statutum. Nam hoc Ecclesiæ præjudicium nullo jure subest jurisdictioni Laicorum, quam habent à Deo, ut constabit ex *n.* 640. *& seq.*

637. Leges verò, & statuta Laicorum, quibus Clericis conceditur purus favor, cùm talis concessio non sit actus jurisdictionis *exercitæ in Clericum*, omnino valent. Sic valet statutum Laicorum, ut Clerici primogeniti possint succedere in feudis, majoratibus, fideicommissis, &c. Nam privilegia concedi possunt etiam non subditis, & omnino extraneis, ne in detrimentum cedat, quod in favorem concessum est. Hinc si fiat statutum Laicorum, ut fœmina non succedat, quamdiu superest agnatus masculus, etiam Clericus, & Monachus in hoc beneficio comprehenditur. Nec obstat, quod diximus, non valere statutum Laicorum, licèt *favorem contineat*. Nam hoc intelligendum venit, ut liquet ex textu c. *Ecclesia S. Mariæ*, si procedat Clericis *præcipiendò*, vel *vetandò*; non autem *purè concedendo*, *donandò*, &c. Si autem ejusmodi statutum, excludens fœminas, primò factum sit, postquam aliquæ religionem ingressæ sunt, quoad has invalidum est, secundùm vim earum exclusivam; quia jam ingressæ non ampliùs subsunt statuentium jurisdictioni. Et ideo etiam irritum est statutum Laicorum, ut filij, vel filiæ, ingressi, vel ingressæ Religionem, non succedant; quia statuunt in non subjectos. Idem est, si dicant: *ingrediens religionem*, quia sic effectus ejus confertur in tempus inhabile, ut pluribus ostendi in tract. *de Jure*, *& Just. n.* 110. Idem enim est, *aliquid fieri tempore inhabili*, & *ejus effectum conferri in tempus inhabile.* L. *Quod sponsa*, C. *de donat. ante nuptias.* Tale autem statutum cum effectu non obligat, nisi cùm per professionem ingreditur, quo tempore jam non ampliùs subest jurisdictioni laicæ; ergo.

Cæterùm leges civiles communes (si habeant qualitates, de quibus *n.* 620.) maximè Cæsareæ, à Jure Canonico potissimùm approbatæ sunt, adeóque etiam in foro Ecclesiastico servandæ *in vi legis receptæ ab Ecclesia*, modò non sint contrariæ Sacris Canonibus; secus est de municipalibus, locorum specialium statutis, quæ contra jus commune sunt. Abbas in *c.* 1. *de novi operis nuntiat. num. ult.* Major tamen favor, & exemptio competit Ecclesiis, & communitatibus Ecclesiasticis, quàm earum personis in particulari; quia causa publica magis favorabilis est; sic Layman in c. *Ecclesia*, *de constit. n.* 14. Et quoniam observari statuta edita contra libertatem Ecclesiasticam, prohibetur sub pœna excommunitationis; & in bulla cœnæ, *censurâ* 14. excommunicantur, qui statuta, ordinationes, vel constitutiones in genere, vel in specie, quovis quæsito colore fecerint, vel publicaverint, vel factis usi fuerint, unde libertas Ecclesiæ tollitur, seu in aliquo læditur, aut alio quovis modo restringitur: dubium esse non potest, obligationem non lædendi per ejusmodi statuta Sacrorum Canonum dispositionem esse gravem. 638.

Si tamen fieret statutum à Laicis, quo decernitur, ne ipsorum privilegiis potiantur non subditi; non derogaretur immunitati Ecclesiasticæ: quia aliud est, *derogare*, aliud *privilegium non concedere*; sic Azor *p.* 1. *Instit. mor. l.* 5. *c.* 13. *q.* 4. excipe, nisi priùs fuisset statutum in favorem Ecclesiarum, vel Communitatem, in quibus degunt Ecclesiastici; quia tunc non valeret statutum illud revocans, postquam ab eo, cui concessus est favor, statutum acceptatum est; quia statutum sic acceptatum transit in jus; Azor *cit. q.* 5. irritum autem est statutum Laicorum, quo cavetur, ne quis apprehendat possessionem Ecclesiæ, vel beneficij *sine facultate ejus*, *qui præest populo Civitatis*, *provinciæ*, *vel loco*; sic enim derogat juri Ecclesiæ, & potestati Clericos mittendi in possessionem Ecclesiarum, vel beneficiorum. Azor *cit. q.* 6. Felinus in c. *Ecclesia S. Mariæ*, *de Constitut. n.* 96. ex 639.

communi sensu interpretum juris Pontificij. Quid verò dicendum de statutis laicorum Principum, ne literæ Apostolicæ sine suo consensu in regnis suis publicentur, vel affigantur; ne exteris beneficia sita in suis territoriis conferantur, vel pensiones assignentur, tractat Azor *p.* 1. *Instit. moral. l.* 5. *c.* 14. *q.* 3. *&c.* ubi rarissimos casus proponit in hac materia, quos consultò prætermittimus.

## §. VIII.

### *An, & quo jure Ecclesiæ, ac personæ Ecclesiasticæ, earúmque bona exempta sint à jurisdictione Laicorum.*

640. IMmunitatem Ecclesiasticam, & exemptionem talium personarum, & quarumcunque rerum ad eas pertinentium esse non tantùm juris Ecclesiastici, sed etiam civilis, ex dictis hactenus constat; quæstio est, an etiam sit *juris divini*? ante resolut. not. *jus divinum* aliud esse *scriptum*, *traditum*, & *explicatum*. *Scriptum* est, quod habetur ex sacris literis; *traditum*, quod per traditionem; *explicatum*, quod ex Conciliorum generalium, & Pontificum decretis, jus divinum explicantibus. Porrò, immunitatem illam esse de jure divino, ex pluribus locis probari potest, de quibus fusè Delbenè *cit. dub.* 2. *S.* 1. *à. n.* 1. Nam in c. *Continua*, 11. *q.* 1. & c. *futurum*, 12. *q.* 1. Constantinus Imperator querimoniis quorundam Clericorum respondens, ait: *Vos à nemine judicari potestis, sed judicio Dei reservamini*, c. *quanquam, de censib. in* 6. ibi: *Ecclesiæ; Ecclesiasticæq; personæ, & res ipsarum* non solùm jure humano, *quin imò & divino* à sæcularium personarum exactionibus sunt immunes. Ex Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 9. *in bulla reformationis Curiæ*, ibi: *Cùm à jure tam divino*, quàm humano Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit. *Trid. sess.* 25. *c.* 20. *de reform.* ibi: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus constituta est.* Ex his juribus ritè concludi, immunitatem Ecclesiasticam esse de jure divino quoad *causas spirituales*, quæ respiciunt v. g. fidem, Sacramenta, cultum divinum, vel salutem animarum, commmuniter conceditur, prout disertè habetur in c. *Si Imperator*, & c. *duo sunt*, *dist.* 94. Judicium enim spiritualiũ illi tantùm competit, cui Christus concessit, nimirum Petro, & Successoribus ejus, quibus dixit: *pasce oves meas*. Et quoniam ex juris utriusque textibus allatis habetur, *esse juris divini*, *nullam Laicis esse potestatem* non tantùm in personas, sed etiam *res ipsarum*, adeóque causas, sive has, sive illas concernentes, idem de his dicendum est.

Quæstio nunc est, an hoc sit de jure divino *scripto*, vel *tradito*, vel *explicato tantùm*, explicatione fundatâ in ordinatione divina? qua in re 1. exemptionem in purè spiritualibus esse de jure divino immediatè, saltem tradito, ut tenet communis; exemptionem autem Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, quoad ipsas personas, & res temporales earum, etiam esse de jure divino, ut constat ex *n.* 640. sed probabilius *mediatè* tantùm, nimirum *tradito*, & *explicato*, vel saltem de jure Ecclesiastico introducto, *Deo sic dictante, & præcipiente*. de quo V. Delbenè *cit. c.* 5. *dub.* 8. Dixi. 1. de jure divino *tradito*; hæc enim veritas in Ecclesia Dei continuò à temporibus Apostolorum pro tali habebatur. Nam *immunitas Ecclesiastica vetustissima res est jure pariter divino, & humano*; ut loquitur Concilium Colonienſe *part.* 9. *c.* 20. *apud Delbenè cit. c.* 5. *dubit.* 8. *n.* 5. quod expressè nominat exemptionem *Clericorum*, & *eorum possessiones à vectigalibus, & tributis*, & ut non extrahantur ab Ecclesiis, si ad eas Rei confugiunt. Dixi 2. de jure divino *explicato* per Concilium, & summos Pontifices, ut patet ex *n.* 640. & quidem *ex Dei ordinatione*, seu Deo sic ordinante, & dictante, ut patet ex Trid. in *num. cit.* Cùm enim potestas Petro, & Successoribus concessa à Christo rectè gubernandi Ecclesiam, hoc includat, sine quo ea gubernatio rectè fieri non posset, sicut illa, sic inclusum est ex Dei ordinatione; sed recta gubernatio Ecclesiæ includit exemptionem Ecclesiarum, & Clericorum, saltem quoad substantiam, cùm sine hoc ea gubernatio haberi non posset, licèt modus inducendi hanc exemptionem tam quoad personas, & materias, quàm quoad quantitatem Pontifici remiserit, prout bono 641.

Eccle-

Ecclesiæ conveniens judicaverit; ergo. V. Delbene *cit. c. 1. dubit. 2. S. 1. à. n. 61.*

643. Dices, in allatis textibus *jus divinum* accipi pro *jure canonico*, qualiter etiam sumitur in c. *Cùm de diversis; de privil. in 6.* ibi: *providimus, quòd ibidem de cætero regatur, & vigeat studium juris divini, & humani, Canonici videlicet, & civilis;* ergo non rectè dicitur, immunitatem illam, de qua in præsens, esse juris divini, prout hoc contradistinguitur à canonico. R. N. ant. Tametsi enim verum sit, *jus divinum* supponere solùm pro *jure canonico*, quando expressè accipitur ut contradistinctum solùm inadæquatè à jure humano, restricto ad solum jus civile, prout videre licet in allato c. *Cùm de diversis*; fallit tamen, quando jus divinum accipitur, ut contradistinctum adæquatè à jure humano non restricto, prout sumitur in allatis textibus, ut constat; alias enim, ubicunque simpliciter, & sine ullâ restrictione dicitur aliquid esse *juris divini*, plus non foret, quàm esse *juris Canonici*; quod apertè repugnat communi verborum significationi passim usurpatæ; & omnes leges juris canonici forent juris divini; adeóque dicere simpliciter, Pontificem posse dispensare in his, quæ sunt *de jure canonico*, & dicere, eundem posse dispensare in his, *quæ sunt de jure divino*, idem omnino foret; quod profecto dici non potest. Sed de his plura *l. 5. Tit. 49.*

643. Dices. 2. textus, à nobis allatos *n. 640.* rectè exponi dicendò: exemptionem Clericorum, & bonorum ad eos pertinentium *esse de jure divino, quando considerantur in illis, quæ verè, & propriè spiritualia sunt*, veluti, quæ per essentiam, & concomitantiam talia sunt, vel per causam, aut annexionem, sive antecedenter, sive consequenter. Talia sunt Sacramenta, dona spiritualia supernaturalia, &c. *non* autem *in illis, quæ sunt spiritualibus annexa, & talia effecta lege humanâ*, ut patet in vestibus sacris, Sacramentalibus, beneficiis Ecclesiasticis, in exemptione fori, causa possessionis, &c. ergo in his non sunt exempti jure divino, sed solùm humano.

644. Resp. cum distinct. anteced. si prædicti textus exponantur de his, quæ verè Spiritualia sunt, *cum exclusione reliquorum, quæ etiam annexivè talia sunt*, N. ant. cùm expressè loquantur etiam de illis, quæ in se, ac intrinsecè spiritualia non sunt; sed tantùm annexivè, cujusmodi est immunitas ab impositione novorum onerum, tributorum, evocatione ad forum laicum, &c. Unde si expositio in objectione allata recta foret, necessariò æquipollere deberet exponibili, seu propositioni per eam expositæ; hoc autem omnino fallit; nam textus, qui exponuntur, expressè loquuntur etiam de personis Ecclesiasticis, ac earum bonis etiam temporalibus, ut patet ex *n. 640.* exponens autem ea excludit. Quare

645. Resp. 2. & insto, si, quando summi Pontifices, & Concilia dicunt, exemptionem Clericorum *in personis, & rebus*, intelligendi sunt de exemptione in his tantùm, quæ verè spiritualia sunt; *nulla* illis exemptio per eos textus concederetur: *non in causis merè temporalibus*, ut volunt contrarij; *non etiam in causis lege solùm humanâ annexis ipsis verè spiritualibus*, ut vult objectio; *non* denique *in merè spiritualibus*, ut rectè notat Barbosa *l. 2. de Jure Ecclesiastico, c. 39. §. 2. n. 6.* & apud eum Covarruvias, Molina, & alij: & sic probatur: quia ab ejus potestate non potest quis dici *exemptus* quoad certam materiam, quando talis Superior nunquam accepit jurisdictionem, vel potestatem disponendi, vel præcipiendi, aut ligandi in tali materia; sed Principes laici nullam unquam potestatem, vel jurisdictionem acceperunt disponendi, vel præcipiendi, aut ligandi *in verè spiritualibus*; neque Clerici unquam illis in his subjecti fuerunt; ergo exemptio à jurisdictione laicorum Principum, quam summi Pontifices, & Concilia asserunt competere Clericis jure divino in personis, & rebus suis, non potest exponi *de rebus verè spiritualibus*; argum. c. *quod autem, de Jure Patronat.* ergo etiam in his, quæ non sunt verè spiritualia, sed tantùm annexivè talia, quantumvis annexionem habeant, lege tantùm humanâ, jure divino exempti sunt à jurisdictione Principum laicorum. Et ità docet Barbosa *cit. n. 5.* ac apud eum Complures alij, quos inter Layman *in Summâ l. 4. tr. 9. c. 8. n. 1.* Sanchez *Consil. moral. l. 1. c. 4. D. 55.* Marta *de Jurisdict. p. 2. c. 6. &c.* Major videtur ex se clara, non

enim dicitur, *propriè loquendô*, *exemptus à lege in certa materia per aliquam juris dispositionem*, nisi eâ seclusâ eo ipso esset ei subjectus in tali materia; atque adeò, nisi is, à cujus lege exemptus dicitur, acceperit jurisdictionem in eum etiam in tali materia, saltem generaliter. Min. etiam prob. 1. ex c. *ad dissolvendum, de desponsat. impub.* ubi sub nullitate actorum inhibetur Judici laico, ne quid in judicio circa sponsalia, vel matrimonium puellæ, de qua ibi, attenteur; 2. in. c. *Ecclesia S. Mariæ*, de quo supra; *item* c. *In novo, dist.* 21. ubi expresè dicitur, potestatem in his, *quæ ad potestatem clavium* pertinent, Christum dedisse Petro, & legitimis Successoribus ejus. Et ratio est, quia potestas disponendi in his, quæ supernaturalia sunt, & suapte naturâ in finem supernaturalem ordinantur, potestas supernaturalis est, non cadens in Laicos; sed quæ verè spiritualia sunt, hanc supernaturalitatem habent; ergo.

646. Ex hoc colliges, exemptionem, quam Sacri Canones, & Concilia dicunt, *esse juris divini*, necessariò intelligendam esse etiam de his, quæ, licèt in se temporalia sint, jure tamen humano, & Ecclesiastico evadunt spiritualia per annexionem; sed talia sunt Ecclesiæ, personæ Ecclesiasticæ, & eorum bona, consequenter omnes causæ, quæ illa concernunt, ut constat ex juribus hactenus allatis, quibus eximuntur penitus ob omni jurisdictione Laicorum; ergo. Ma. pat. nam illa exemptio, quam contrarii volunt cadere *in sola spiritualia*, necessariò cadere debet vel *in sola spiritualia verè*, ac intrinsecè; vel *in sola spiritualia annexivè*, ac extrinsecè talia, vel *in ambo*; postremum non concedunt, ut patet ex *n.* 643. primum etiam dici non potest; ergo necessariò cadit in secundum, id, quòd intendimus. Et huc respexisse videtur Trid. *Supracit.* quando *sess.* 25. *c.* 2. Principes laicos hortatur, & monet, ne Præsides, & Magistratus sibi subordinati, Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem, *Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constitutam* aliqo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliquâ violent. Ubi pensanda sunt verba: *Dei ordinatione*, & *canonicis sanctionibus constitutam*; quo clalè innuitur, ea *Dei ordinatione* extra Laicorum jurisdictionem esse posita, quæ *canonicis sanctionibus* ad Dei cultum, ac animarum salutem ordinata sunt. Et ideo, etsi beneficia Ecclesiastica sint de jure humano; cùm solùm extrinsecè, ac annexivè spiritualia sint; meritò tamen negatur hæc consequentia: *ergo illorum venditio* (si sumantur formaliter) *non est prohibita de jure divono.*

Dices. 3. licèt in c. *Sylvester*, 11. *q.* 1. 647.
dicatur, vacandô Clericos ad forum Laicorum, *agi contra leges divinas, & publicas*, tamen ibi *forum* non stat *pro loco judicij*; sed *pro statu libertatis, & conditione personæ*; cùm enim Clericis, de quibus ibi, vivente adhuc Manumissore, divinis ministerjis addictis, postmodum à filiis, & hæredibus Manumissoris) adjuvante quodam Archidiacono) moveretur quæstio *statûs*, *ut in servitutem reducerentur*, veniendô contra voluntatem defuncti, qui eos manumisit; requisitus Gelasius Papa respondit: id esse *contra leges divinas, & publicas*; cùm illis auferretur, quod ipsorum est; ergo exemptiò Clericorum à foro judiciali non est juris divini. R. ibi non tantùm agi *de statu, & conditione personæ*, sed etiam *hæreditate*, quam dictis Clericis, vi legum, auferre volebant hæredes defuncti, qui eos manumisit; cùm autem legitimè manumissum reducere in servitutem sit contra *leges publicas*; & suis bonis privare Clericos, *contra divinas*, meritò textus intelligendus venit non tantùm de statu, seu conditione personæ, sed etiam judiciali foro; quia propter eam causam, adjuvante quodam Archidiacono, ad Actorum judicium pulsabantur, seu vocabantur, Archidiacono propterea putante, *forum suum* auferri in eorum judicio. Agebatur ergo de foro Archidiaconi, quod utique judiciale est.

Confirmari hoc totum potest ex c. *Con-* 648.
*tinua*, 11. *q.* 1. & c. *Futuram* 12. *q.* 1. ubi referuntur verba Constantini Imperatoris, in Synodo Niccena, ad querelam Clericorum, qui à Judicibus laicis indebitè, ac iniquè in judicium vocabantur, palàm profitentis: *Vos à nemine dijudicari potestis; quia solius Dei judicio reservamini*: *Dij enim vocati estis; & idcirco non potestis ab hominibus judicari*; ita pientissimus

entissimus Princeps; ubi nota tò *à nemine*, & *Dei solius judiciô*.

649. Advertendum tamen meritò, hanc, & similes leges Cæsareas pro immunitate Ecclesiastica, & in favorem ejus promulgatas, non esse, nec fuisse *institutorias* (nam divinâ lege illam Clerici habent, ut diximus *n.* 640.) sed tantùm *subsidiarias*. Et ideo ipse quoque Fridericus Imperator, ut retulimus *n.* 617. decretum suum, quo 647. statuit, ut ne *in quæstione civili* Ecclesiastica persona ad judicium sæculare trahatur, expressè addit *contra publicas, & canonicas sanctiones;* cùm illæ in his, & istæ in divino jure fundentur. Unde Joannes Papa in c. *Si Imperator, dist.* 96. ea, quæ in Ecclesiasticis constituta sunt, vocat *dispositionem cœlestis ordinis*; & propterea hortatur laicos Principes, ne sibi vendicent *alienum jus*, & ministerium, quòd alteri deputatum est, *ne contra eum tendat, abrumpi, à quo omnia constituta sunt &c. non legibus publicis, non à potestatibus sæculi, sed à Pontificibus, & Sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ religionis Clericos, & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti;* quo satis clarè innuitur, exemptionem Clericorum, à jurisdictione Principum, & Magistratuum sæcularium esse *divini juris* non tantùm in his, quæ verè, ac in se; sed etiam, quæ annexivè tantùm spiritualia, & Ecclesiastica sunt. Plura super his videri possunt apud Barbos. *l.* 1. *Juris Eccles. c.* 39. §. 2. præsertim à *n.* 153.

650. Ex dictis colliges, quid dicendum ad quæstionem, *an valeat statutum Laicorum, prohibens subditis, alienari bona immobilia in Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas?* Not. autem, dupliciter fieri posse talem legem, vel statutum. 1. *generaliter*, ne liceat bona immobilia vendere extraneo, seu non subdito. 2. *specificè*, ut 648. non liceat ea vendere, vel alio modo alienare *in Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas;* his præmissis: Potissima quæstio est de statuto specificè prohibente talem alienationem in personas Ecclesiasticas. Communis Canonistarum sententia est, ejusmodi statutum irritum esse. Nam statuta Laicorum, quæ sunt contra immunitatem Ecclesiasticam, irrita sunt, defectu potestatis in statuente; at statutum, temporale dominium obtinentium, interdicens subditis, ne Prælatis, aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis *quicquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, vel communia obsequia exhibeant*, est contra immunitatem Ecclesiasticam (ut apertè dicitur in *c. fin. de Immunit Eccles.* ibi: *cùm talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur*) ergo. Ma. prob. quia nulla datur legitima potestas statuendi, quod jure divino, & humano est illicitum; sed quod est contra immunitatem Ecclesiasticam, jure divino, & humano est illicitum, ut hactenus ostensum est. 2. quia in cit. c. *fin.* contra taliter statuentes imponitur excommunicatio latæ sententiæ, quæ supponit essentialiter factum graviter illicitum; ergo.

Dices. 1. eo loco non fieri mentionem 651. de prohibitione *vendendi Clericis immobilia.* R. nullam fieri mentionem *expressam*; fieri tamen *implicitam;* ibi: *ne Clericis quidquam vendant.* Deinde esto non fieret ibi expressa mentio de alienatione *immobilium;* satis est, quòd contineatur sub mente, & intentione Lagislatoris, quæ ex causis, quibus movetur, & aliis circumstantiis sufficienter intelligitur. Quia mens, & ratio Legislatoris est anima legis, L. *Scire, ff. de Legibus* & L. *non dubium* 1. *C. eod. junctâ gloss. V. Amplexus.* Quòd autem Pontifex sub illis verbis, quibus statuit excommunicationem latæ sententiæ in Laicos, qui statuunt, ne Clericis quicquam vendatur, intendat comprehendere illos etiam, qui prohibent iis vendi bona immobilia, patet ex ejus ratione, ibi: *cùm talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur.* Ex hoc colliges: erroneum esse, constitutiones Pontificum in Jure Canonico velle restingere solùm ad casus in illis *specificè* expressos, ubi constat de mente Legislatoris *universali* in ea materia. Quia non omnes casus *specificè* possunt *exprimi.* L. *neque*, L. *Non possunt, ff. de legibus.* sed sufficit, eos comprehendi sub mente Legislatoris, & intentione; cùm hæc potiùs, quàm verba sint attendenda, L. *Scire, & aliud, ff. de excusationibus Tutorum*, ibi: *sed etsi maximè verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens Legislatoris aliud vult.*

Dices. 2. cùm in textu expressè dicatur, 652. quòd talia *præsumantur* in derogationem liber-

libertatis Ecclesiasticæ; satis innuitur *in re* non esse talia; sed tantùm præsumi, quòd sint talia. Verùm ly *præsumantur* ibi non facit illum sensum, quem intendit objectio; sed solùm explicatur, quàm firmiter Ecclesia judicet suæ libertati derogari, consequenter constituatur præsumptio juris de jure, contra quam non admittitur probatio; cùm ex ejusmodi Laicorum statutis positis, liquidò colligatur animus, Clericorum, & Ecclesiarum immunitatibus derogandi. Confirmari potest responsio data. 1. quia in rubrica cit. c. *finalis* habetur, quòd *omnes Domini temporales, prohibentes subditis, ne cum personis Ecclesiasticis contrahant, vel communia obsequia exhibeant, ipso facto excommunicationem incurrant.* Certum autem est, prohibito genere, prohiberi etiam quamlibet speciem; sed c. *fin.* sub excommunicatione prohibetur *in genere* quodvis statutum Laicorum prohibens subditis, *aliquid vendere* Ecclesiasticis; ergo etiam prohibetur sub excommunicatione statutum Laicorum, *in specie* prohibens subditis, immobilia vendere Ecclesiasticis.

653. Confirmatur. 2. ex gloss. in c. *finale*, ubi dicitur: *nota, quòd prohibitio directa ad subditos, ex qua indirectè præjudicatur Clericis, quoad ipsorum libertatem, non teneat.* Quidquid autem est, quo in effectu violantur non tantùm privilegia Clericis concessa Jure Canonico, vel civili, sed ea etiam, quæ ipsis competunt jure divino, seu naturali, & gentium, illisque communia sunt cum aliis membris Reipublicæ, etiam Laicis, dicitur contra illorum libertatem; sic Pirhing *de constitutionibus, n.* 92. *ex dictis*; & colligitur ex *n.* 637.

Confirmatur 3. quia c. *Novit.* & c. *gravem, de sent. excom.* generaliter excommunicantur, *ipso facto*, omnes, qui statuta fecerint contra Ecclesiæ libertatem, vel secundùm illa præsumpserint judicare, vel jura Ecclesiæ auferre conantur, vel gravamen aliquod, seu onus ei imponunt, ut notat, glossa *ibid. V. Ecclesiæ.*

Confirmatur 4. ex c. *ult. de rebus Eccles. non alienand.* desumpto ex Concilio Lateranensi, ubi generaliter decernitur, quòd *Laicis de rebus Ecclesiæ disponendi nulla sit attributa potestas*; consequenter defectu potestatis irritum esse, quod Laici statuunt in præjudicium Ecclesiæ.

Confirmatur 5. ex Sylvestro *in Summa V. Statutum*, qui *q.* 2. ait, quòd statutum Laicorum *prohibens, ne quis vendat Clericis, vel emat ab eis*, quia est in præjudicium Clericorum, & eos indirectè tangit, *non excusat ab excommunicatione lata in c. fin. de immunit Eccles. in* 6. *V.* Dianam *p.* 6 *tr.* 3. *resolut.* 6.

Ad eam porrò quæstionem, *an bonis* 654. *temporalibus Ecclesiasticorum, potestate Laica imponi possint onera, tributa*, & similia; R. ante resolutionem notandum, tributum vel onus aliud esse, quod rebus inest, ac incumbit, antequam transeant in Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas; aliud, quod rebus imponitur primò, cùm jam sunt sub potestate Ecclesiæ; vel dominio Clericorum; deinde, onus illud posse esse vel certum, & invariabile; vel incertum, & variabile; quibus positis: R. bona Clericorum, quæ antequam ad illos pervenirent, habebant onus certum, & invariabile, manere illi subjecta, etiam cùm sunt in dominio Ecclesiæ, & Clericorum. Quia sic ex pacto Clericorum debetur illud onus, cùm sic onerata, & non aliter transeant in Clericos. Nam utroque jure res cum suo onere transit, c. *cùm non sit, de decimis*, c. *Ex literis, de pignor. L. alienatio, ff. de contrahendis empt. & vendit.* & L. *Si divina, C. de Exactoribus tributorum*: secus est, si priusquam transirent ad Ecclesiam, non erant subjecta oneri, vel tributo certo, & invariabili; ita in terminis Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 13. *q.* 1. quia sic exerceretur jurisdictio gravando rem, dum non est subjecta.

Verùm his objici potest communis pra- 655. xis in multis regnis, & provinciis, in quibus talia statuta facta sunt, & observantur. Verùm, non quid factum sit, sed quid fieri debeat, spectandum est, neque exemplis est judicandum, L. *Sed neque, ff. de officio Præsidis, junct. gloss. marg.* Nec juvat, quòd Pontifex talia statuta sciat, & toleret; quia per hoc non rectè præsumitur tacitus ejus consensus, cùm jure contrarium sit expressum; & tum summi Pontifices, tum Concilia generalia dudum ea reprobaverint. Profectò, si quælibet dissimultatio dissimultata faceret licita, multa illicita forent licita. *Multa* enim *per patientiam tolerat Ecclesia, quæ*

*non*

*non approbat*, ut ait Pontifex, c. *Cùm jam dudum de præbendis*, quod maximè sit in his, quæ prohibita sunt sub pœna excommunicationis, ad vitanda schismata, & alia gravia mala, quæ meritò timeri possunt. Unde sequitur, si bona priùs, quàm constitutum fuisset jus laudemij, vel simpliciter, vel in tali quantitate, venerunt ad Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas, illa deinceps immunia esse, & non posse gravari onere pendendi laudemium, statutô Laicorum; ratio sumitur ex dictis *in præced.* idem autem est de aliis novis oneribus, vel tributis, quibus, antequam ad Ecclesiam, Monasterium, vel personas Ecclesiasticas pervenirent, gravata non erant; quia postquam pertinent ad Ecclesiam, sunt extra jurisdictionem Laicorum; & solùm ratione pacti, quo acceptando bona priùs gravata, consenserunt in gravamina certa, & invariabilia illis annexa, ad ea tenentur.

## §. IX.

### *Resolvuntur argumenta contraria.*

656. POtissimæ rationes in contrarium nituntur convincere, *in rebus merè temporalibus*, etiam Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, potestatem esse penes Principes sæculares, in quorum ditione sunt; & exemptionem Ecclesiasticam non cadere in alia, *nisi quæ verè spiritualia* sunt, ut diximus *n.* 643. Verùm ex dictis hactenus satis probatum est, Magistratum sæcularem (quicunque sit) nihil disponere posse, ut stature, circa Ecclesias, aut personas Ecclesiasticas, earumque bona; nec de rebus, vel juribus sacris, seu *spiritualibus*, *etiam annexivè solùm talibus*, ut rectè docet Layman, c. *Quæ in Ecclesiarum*, 17. *h. t. n.* 13. *ne quidem ex plenitudine potestatis*; cùm super his illi nulla omnino facultas concessa sit à Deo immediatè, vel mediatè, ut dictum est à *n.* 634.

657. Sed dices. 1. Magistratus laicus *ob urgentem aliquam causam* statuere, vel decernere potest aliquid cum præjudicio, seu *diminutione juris* aliorum; ergo etiam ex eadem causa gravi, *cum præjudicio Clericorum in temporalibus*, v. g. ne bona immobilia Ecclesiasticis personis vendantur; pat. consequentia, quia in his, quæ ex libertate Ecclesiastica vergunt in grave præjudicium totius Reipublicæ, & boni publici, libertati Ecclesiasticæ præferri debet bonum publicum; sed si ob libertatem Ecclesiasticam invalidum esset statutum Laicorum, ne bona immobilia alienari possint in personas Ecclesiasticas, grave fieret præjudicium Reipublicæ, & bono communi. Nam si bona immobilia transeant ad Ecclesias, de jure fiunt exempta ab omnibus exactionibus, & collectis, quæ priùs illis à Magistratu imponi poterant ob communes necessitates, c. *non minùs*, & c. *adversus*, *de immutit. Eccles.* &. c. 1. *eod in* 6.

Ante responsionem not. nullum Magi- 658.
stratum posse statuendô, aut decernendô, *absque justa causa* jus suum aliis auferre; cùm ideo constitutus sit, *ut jus subditis reddat*, *& justitiam colat*, ut colligitur ex L. *penult. C. de precibus Imperatori offerendis*, ubi dicitur: *rescripta Principis contra jus elicita*, *& quibus alius læditur*, *nullius roboris esse*, *nec à Judicibus recipienda*; intellige, si talia rescripta non contineant clausulam, quâ rescribens exprimat, esse intentionis suæ, ut id, de quo rescribit, procedat, non obstante jure tertij. Tunc enim meritò præsumitur id facere ex justa causa. Ratio hujus est, quòd omne rescriptum gratiæ, procedens à Principe, habeat hanc tacitam clausulam: *salvo jure alterius*, *vel sine alterius præjudicio*, ut dicitur L. *Ex facto*, 143. *ff. de Vulgar. substit. L.* 2. §. *Si quis à Principe*, *ff. ne quis in loco publ.* c. *Super eo*, 15. *de offic. delegat.* ibi: volumus discretionem tuam tenere, quòd, licèt quæstionem, quæ de præsentatione vertitur, committamus alicui terminandam; *non tamen est nostræ intentionis*, *diœcesis Episcopo*, *Archipresbytero*, *vel Archidiacono præjudicium generare*; ideóque præsentandus est illi, qui instituendus fuerit. Ubi vides, facultatem concessam ad terminandam quæstionem, *cujus sit præsentare*? non extendi in præjudicium ejus, *cui est præsentandus*. Nam delegatus Judex *ut pronuntiet*, *aliquem esse instituendum*, non propterea potest ipse *illum instituere*, ut notat Barbosa in cit. c. *Super eo*, *n.* 2. causam reddens ibid. V. *præjudicium generare*, quòd Papa nunquam intendat

tertio præjudicium etiam minimum inferre; intellige, *nisi exprimat, justâ causâ id exigente.*

659. Not. 2. Principem ex justa causa, publicam utilitatem concernente, posse juri *sui subditi* præjudicare, seu jus illi suum auferre, ac alteri dare; sic Doctores communiter ex Jasone in L. *Barbarius, de offic. Prætor. n.* 24. Baldo *L. 2. C. de servitut. & aqua &c.* Nam bono publico (cùm sit universalius, & natura dictet, præstare, conservari totum, cum præjudicio partis) cedere debet bonum privatum; quod intellige, si certò constet de tali Principis voluntate. Nam in dubio id nunquam præsumendum est, propter dicta *n. priori*; & constat ex *cit. L. 2. §. Si quis*; item c. *Ex tuarum, 5. de authorit. & usu pall.* ubi Archiepiscopo Campostellano ex speciali gratia conceditur, *extra suam* in aliena Ecclesia uti pallio, *non tamen, nisi is, ad quem pertinet talis Ecclesia, id permittat.*

660. Not. 3. non posse admitti doctrinam eorum Legistarum apud Baldum in cit. *L. 2. n.* 40. docentium, quòd *plenitudo potestatis*, quâ pollet Princeps, *sit arbitrij plenitudo, nulli necessitati subjecta nullisq; juris publici legibus limitata*; & infra: quòd, cùm in Principe sedes libertatis sit, & non sit obligatus ad aliquid, *possit præferre minus æquum, magis æquo*; & *magis bono, minus bonum*; *consequenter eligere, sicut placet.* Hæc enim doctrina destruit omnem justitiam, & honestatem; ac Principem eximit à lege naturæ, dictamine rectæ rationis, vel legis æternæ, quod nulla auctoritas potest; his præmissis:

661. Ad object. in *n.* 657. &. C. ant. *si loquatur de Supremo Magistratu; & jure subditorum, in quo illi subjecti sunt*, N. consec. quia Clerici nec in persona, nec in bonis suis Principi laico subjecti sunt, ex *dict.* Unde, si dicas: *ergo nullatenus sunt subditi.* &. cum distinctione: ergo nullatenus sunt subditi, nimirum *sicut reliqui cives laici*, C. *Sicut cives, sed simul Clerici*, N. nam ipsi Legistæ fateri debent, *hos non ita, sicut illos*, subjectos esse Principi, in cujus territorio degunt. Sunt tamen ei in hoc subjecti. 1. ut, si bona temporalia possident, quæ antequam ad Personas Ecclesiasticas transiverint, erant subjecta oneri certæ, ac determinatæ contributionis, aut servitutis &c. etiam postquam ad eas transiverint, ab his suo Principi præstari debeant, ut diximus *n.* 655. Deinde, quòd, si Princeps legem ferat, in bonum gubernationis politicæ, cujus executio ex objecto non est onerosa, nec dedecet statum Ecclesiasticæ personæ, ad eam observandam obligentur in vi juris naturalis, ac divini, ut exposuimus à *n.* 620.

Ad prob. negatæ consec. in *n.* 657. &. 662. cum distinctione majoris juxta dicta in *n. super.* libertati Ecclesiasticæ præferri debet bonum publicum, *in quibus ratio boni publici, jurisdictionem habet fundatam, seu præexistentum*, C. ma. secùs, N. maj. & sub eadem dist. min. Nec ex eo, quòd, ubi bona immobilia transiverunt in Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, fiant exempta, & novis oneribus potestate Magistratûs laici ampliùs gravari non possint, legitimè infertur, *quòd ratio boni publici habeat præexistentem jurisdictionem*, excludendi Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas ab acquisitione talium bonorum. Nam hoc, quod allegatur, nullum omnina præjudicium majus (imò nec tantum quidem, quin in rei veritate, nec ullum) generatur, quàm si ad eos non transeant. Ratio hujus manifesta est. Nam. 1. onera realia, quibus antè affecta fuerant, etiam ubi facta sunt Ecclesiastica, eadem omnino, Princeps, vel Respublica, & fidelius, & exactius, & citius communiter percipit, quàm si possideantur à Laicis; qui communiter & solvunt segnius, & dissimulantur diutius; & in multis quandoque millibus remissionem obtinent, Ecclesiasticis etiam ad nummum ultimum adstrictis. Si autem sermo sit de contributionibus extraordinariis, & novis impositionibus, eas exigentibus communibus periculis, & gravi necessitate Reipublicæ, manifestum quoque est, longè fidelius, citius, & exactius fieri à statu Ecclesiastico, quàm Laico, rarò dante nisi multiplicato fœnero in se redundante, &c. Ecclesia enim in ejusmodi necessitatibus benignissima est, & non modò largissima Principibus subsidia de bonis suis temporalibus largitur; sed indulget etiam, ut ab Ecclesiis, & Ecclesiasticis collectas liceat exigere, ut experientiâ certum est. Quòd autem pro novis his imponendis oneribus requiren-

requirendus sit *consensus summi Pontificis*, quid detrimenti hoc affert bono publico, in tanta promptitudine indulgentis Ecclesiæ, ubi vera ratio subest; cùm & ipsi Laici super postulatis suorum Principum non statim annuant, &, multis etiam deliberationibus habitis, tergiversentur, &c.

663. Dices. 2. quod potest quilibet privatus, multò magis potest per statutum, vel legem Princeps, vel Magistratus publicus; sed quilibet privatus licitè, ac validè prohibere potest, ne sua bona immobilia transferantur in Ecclesias, Monasteria, vel personas Ecclesiasticas, ut patet in bonis emphyteuticis, & feudalibus; ergo. R. nec Principem, nec Magistratum *jure jurisdictionis* id posse circa bona immobilia subditorum, quod possunt ipsi subditi *jure dominij proprietatis*; quia illorum non sunt domini; ergo ex hoc; quòd subditus, seu privatus pactô, vel contractu possit sic prohibere, *jure proprietatis*, non sequitur, quòd id possit Magistratus *per statutum*; hoc enim non est actus dominij proprietatis, sed jurisdictionis.

664. Dices. 3. communis jam usus, & praxis obtinuit, ut Clerici puniantur, transgredientes statuta, & leges, quæ Clericorum statum non dedecent, communesque sunt Clericis, & Laicis, & rectæ, politicæque gubernationi conveniunt. Sic, ubi lex civilis prohibet arma deferri noctu; vel ne quis sylvas, & nemora ingrediatur ad venationem &c. Clerico transgressori Judex laicus arma tollit, nec restituit, esto id intendat Judex Ecclesiasticus, ut docet Julius Clarus *l. 5. receptarum sentent.* §. *fin. q.* 35. *n.* 26. Similiter, cùm imponitur contributio pro reparatione viarum, pontium &c. vel si quæ alia exigantur, v. g. reddant rationem talis facti, sistant se tali Tribunali, Clerici non parentes puniuntur à Judice sæculari, vel per apprehensionem bonorum; vel interdictô fructuum ex bonis beneficij &c. ergo Clerici non sunt exempti à jurisdictione etiam coërcitiva Judicis laici quoad leges, de quibus in *object.* Et ita practicari in multis Provinciis, constat.

665. Sed R. à nobis hìc non requiri, *quid fiat*? at, *quid fieri debeat*; nec enim omnis usus, praxis, & consuetudo vim habet *abolendi legem*, quâ certi quidam actus prohibentur; & *inducendi jus* eos deinceps licitè practicandi. Quid communius in mundo, quàm mentiri, dolô agere, Judices corrumpi muneribus, violare passim legem etiam æternam, amicitiam simulare in alterius detrimentum &c. neque tamen ex hoc unquam nata est, aut nasci potuit consuetudo *legitima*, quâ inductum esset jus, eos actus circa culpam exercendi. Praxis porrò, & consuetudo, Clericos, & personas Ecclesiasticas trahendi ad tribunal laicum, ac puniendi, omnino talis consuetudo est; ergo. Min. prob. quia consuetudo, quæ legem præexistentem abrogat; vel novum jus inducit, debet esse *rationabilis*; consequenter inducta per actus *non vitiosos ex objecto* (seu *non malos de se, nisi quia prohibiti sunt humanâ lege*) at illa consuetudo Laicorum Tribunalium non est talis; inducitur enim per actus *jure divino prohibitos*, ut constat à *n.* 640. & *vitiosos ex objecto.* Nam *jus dicere in non subditum* jure naturali vitiosum est, præsertim, si hoc fiat in invitum, ac justè reclamantem, & gravi metu coactum se subjicere illorum potestati, ferè semper contra voluntatem, ac præter omne mandatum supremi Principis, solâ cupiditate lucri, & ampliandi dominatum, ut reverâ fit in pluribus locis. Hinc not. *aliud esse*, quod in dato casu, quo personæ Ecclesiasticæ non observant illas Laicorum leges, de quibus in *object.* & similes, arma illis accipiantur, ut servetur Civitatis indemnitas, vel damnum illatum reparetur; *aliud*, ut hoc fiat *in pœnam*: quo posito directè R. ad argum. in *n.* 664. Communis jam usus, & praxis, *ex ipso objecto vitiosa*, jam obtinuit, ut Clerici à Judice laico puniantur &c. C. communis usus, & *praxis legitima*, N. ant. & conseq. Usus autem vitiosus ex objecto, non parit consuetudinem, sed meram corruptelam, quæ omnino inepta est, ut ejusmodi actus judiciales Laicorum contra Clericos justificet, ut ex se patet, & pluribus dicemus in *Tit. de Consuetud.* ergo. Neque per hoc fit, impunè licere, personis Ecclesiasticis agere contra leges communes, de quibus hìc disputatio est; cùm non careant Ecclesiastico, qui ad se delatos coërcere possit; &

jure naturali teneantur observare, quæ postulat necessitas boni communis, juxta dicta à *n.* 620.

## ARTICULUS XII.

### *De causis excusantibus ab impletione legis.*

666. Cùm ex variis, & sanè multiplicibus circumstantiis evenire possit, quòd lex non impleatur, puta ex ignorantia, oblivione, inadvertentia, eaque *cum*, vel *citra* culpam in nobis existente; item ex probabili opinione de non existentia legis, vel extensione ad casum præsentem in datis circumstantiis; ex periculo imminentis damni, si hìc & nunc lex observetur; ex gravi difficultate, quam affert, &c. in sequentibus breviter de his causis dicendum venit.

### §. I.

### *An inculpabilis ignorantia legis, ejus inobservantiam excuset à culpa?*

667. Ignorantia inculpabilis est, quæ illam patienti nec directè, nec indirectè per ullum culpabilem actum antecedentem est voluntaria. Hinc Doctores, si vinci non possit à patiente illam, vocant eam justam, invincibilem, probabilem. Dicitur, *invincibilis*, quia etiam adhibitâ debita diligentiâ, ut obtineatur notitia rei ignoratæ, vinci non potest; dicitur *justa, & inculpabilis*; quia datur in nobis independenter à nostra voluntate, culpabiliter illam inducente v. g. per neglectum diligentiæ debitæ pro casu, quo lex, quæ ignorari dicitur, potuisset, ac debuisset à nobis sciri. De ista quæstione in c. *Cognoscentes, de constitutionibus*, & c. *Ut animarum, eod in 6.* dicitur, quòd *sententiis, per quorumcunque Ordinariorum statuta prolatis, ignorantes non obligentur, dummodo eorum ignorantia crassa non sit, aut supina.* Ubi, licèt Pontifex loquatur ex professo de censuris per statuta promulgatis, quas vult non incurri ab ignorantibus statuta talia, nisi ignorantia sit crassa, & supina; indefinitè tamen communiter accipitur de ignorantia cujusvis legis etiam non pœnalis, ut constabit ex *seqq.* Contingit autem fieri aliquid cum ignorantia crassa, & supina, si alicui venit in mentem rationabiliter dubitare, num opus aliquod sub Ecclesiastica censura prohibitum sit? & nullâ, vel vix ullâ inquisitione factâ, illud tamen facere aggreditur. Sic Layman in *cit.* c. *ut animarum*, *n.* 1. qui extendit etiam ad casum ignoratæ censuræ annexæ actui, per statutum prohibito; cùm dictus Canon contineat beneficium juris, quod habet amplam interpretationem; quibus positis:

Universalis doctrina est, quòd ignoran- 668.
tia inculpabilis, & invincibilis operantem aliquid, materialiter malum contra legem ignoratam, *in foro conscientiæ* excuset à culpa, seu transgressione *formaliter imputabili ad culpam*; nam hoc requirit; quòd sit *libera transgressio legis*; quod non stat sine cognitione, atque adeò cum ignorantia legis. Certum enim est, nihil, quod non est voluntarium operanti, esse peccatum illi imputabile; hæc enim propositio (quam docuit Bajus, & ex illo Jansenius) *ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium*, damnata est à Pio V. Greg. XIII. & Urbano VIII.; voluntarium autem stare non potest cum ignorantia; ergo nec ratio culpæ, vel peccati ad culpam imputabilis operanti. Non sufficere autem ad culpam formaliter imputabilem *quodcunque voluntarium*, sed requiri voluntarium *liberum* à *necessitate*, non minùs certum est, ut aliàs tradidi in *tract. Theolog. de gratia.* Et ideo hæc propositio Bajana, ordine 67. (*homo damnabiliter peccat in eo, quod necessariò facit*) quem secutus est Jansenius, pariter damnata est ab Innocentio X. Hinc D. Augustinus *tract.* 89. quærens: *utrum ij, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo?* respondet, *habere excusationem, non de omni peccato suo; sed de hoc peccato, quòd in Christum non crediderunt, quia sic ejus cognitionem non habuerant.*

Not. autem, ad rationem *culpæ, formaliter imputabilis*, non sufficere, quòd 669.
opus, seu actus, quem quis facit, *in esse operis*, seu actûs præcisè, sit illi voluntarius; sed requiri, ei voluntariam esse *malitiam operis*, seu esse voluntarium *in*

esse

*esse peccati*; aliàs, quoties aliquis facit opus in re malum, invincibiliter ignorans illud esse in re malum; imò, per errorem existimans, esse bonum, non excusaretur à culpa formaliter imputabili, modò illi opus tale in esse operis sit voluntarium, esto nullam omnino cogitationem, vel notitiam habeat, esse prohibitum, aut aliquâ ratione malum; quod tamen est certò falsum. Hinc collig. quamlibet ignorantiam legis in foro conscientiæ excusare à culpa *formali* contra legem ignoratam *secundùm rationem ignorati mali*, quam 668. aliàs contraheret *scienter contraveniens* illi legi. Nam *formalis culpa* non stat sine libera transgressione legis; at libera transgressio legis petit eam fieri cum cognitione legis, quæ non habetur, ubi adest ejus ignorantia, qualiscunque ea sit; cùm importet vel privationem cognitionis de oppositione actûs cum lege, vel judicium falsum; id, quod magis explicabitur *infra*, & *in seqq.*

670. Dices: ignorantia crassa, & supina non excusat, à censuris per Ordinariorum statuta latis; ergo nec à culpa; cùm censuræ supponant culpam; ant. constat ex *n.* 667. ubi id habetur apertè. Deinde communis doctrina est, quòd ignorantia vincibilis, & culpabilis non excuset à culpa; ergo sustineri non potest adeò *indefinitè*, quòd quælibet ignorantia excuset à culpa contra legem ignoratam. Sed si attendantur verba illius corollarii, hæc objectio non urget. Nam id, quod affertur in object. ex c. *cognoscentes*, & c. *Ut animarum in n. cit.* procedit solùm *in foro externo*; quia talis præsumitur non ignorâsse, saltem periculum culpæ. Qui enim agit contra legem cum ignorantia crassa, & supina, temerè se committit periculo agendi contra Ecclesiasticæ censuræ prohibitionem; ita Suarez *D. 4. de Censuris, S. 9. n. 19.* Hinc talis ignorantia est virtualis contemptus legis, ut ait Layman *loc. cit.* quamvis opponatur fraudi, ac malitiæ, quæ requirit scientiam, & propositum circumveniendi, saltem virtuale, ac implicitum, ut notat cit. Layman in *c. 20. de rescriptis, n. 2.* Et ideo, si *supinè* ignorans statutum, cujus transgressio annexam habet censuram, agit contra tale statutum, esto peccaverit contra legem, vi cujus tenebatur impendere diligentiam, ut, antequam operaretur, inquireret, num sit, vel non sit aliqua lex, vel statutum prohibens illam operationem; non tamen peccavit contra statutum prohibens actum, v. g. *alienationem* sub censura; quia ponitur, quòd in eo nulla sit ejus notitia; sine quo talis operatio, v. g. *alienatio*, nequit esse libera transgressio statuti prohibentis *alienationem* sub censura. Non ergo tollit culpam, & peccatum *negligentiæ*; sed tantùm culpam *malitiæ ignoratæ.*

Quod adducitur de ignorantia culpabili, à multis non bene usurpatur. Non enim semper actus materialiter malus habet *imputabiliter* malitiam oppositam virtuti, cujus finem intendit lex prohibens *talem actum*, v. g. *alienationem*; esto habeat malitiam oppositam virtuti, cujus finem intendit lex prohibens *negligentiam in inquirendo* super existentia legis prohibentis alienationem. Nam ignorantia dicitur *culpabilis* solùm ex eo, quòd quis scienter negligat habere notitiam alicujus rei, quando potest, & tenetur eam nosse. Ignorantiæ enim vincibilis culpa, seu malitia formalis consistit in negligentia comparandi scientiam ex præcepto debitam, cùm hæc haberi potuisset; ita Vasquez 1. 2. *D.* 118. *c.* 3. *ad. fin.* Certum autem videtur, quòd possit quis culpabiliter esse negligens in inquirendo, *num alienatio* v. g. quam exercere parat, *prohibita sit*; *quin adsit ulla notitia legis prohibentis alienationem*; ergo pariter certum videtur, posse peccari contra obligationem *inquirendi existentiam legis prohibentis*, quin peccetur contra obligationem *legis prohibentis alienationem.* Plura super hoc videri possunt in *seqq.* 671.

## §. II.

### *An ignorantia præcepti desinat esse invincibilis per habitualem, vel virtualem notitiam præcepti?*

672. SAnchez *l.* 1. *in Decalog. c.* 16. *n.* 9. in fine docet; ex hoc, quòd quis habeat habitualem scientiam, seu notitiam præcepti, etiam perfectissimam, non tolli invincibilem ignorantiam præcepti; quia præceptum, *solùm habitualiter cognitum*, impotens est ad influendum, seu dirigendam voluntatem; nam *habuisse* perfectissimam

ctissimam scientiam præcepti *si modò non adsit*, perinde se habet ad voluntatis directionem, dum operatur, ac si nunquam fuisset. Similiter ad tollendam invincibilem ignorantiam legis, aut præcepti, nec sufficit *scientia virtualis præcepti*; quæ tunc adesse, secundùm Doctores, dicitur, quando, licèt ratio, cùm actu non impletur præceptum, non consideraverit obligationem, aut malitiam objecti, potuit tamen morali potentiâ, vel debuit posse considerare; ita Sanchez *n.* 21. Joseph. Rosell. *de praxi deponendi conscientiam* c. 6. Cùm enim virtualis scientia præcepti explicetur *per debitum sciendi*; hoc autem, licèt in re foret, influere non possit, ubi est defectus actualis cognitionis illud exprimentis, rectè fit, per illam invincibilem ignorantiam præcepti, non tolli, seu auferri; Sic P. Thomas Sanchez cit. *n.* 28. *circa medium n.* 24. *circa finem*: *& n.* 21. *per totum.*

673. Ex hoc sequitur, ad tollendam invincibilem ignorantiam legis, aut præcepti, necessarium esse, ut actualis aliqua cogitatio, moralem obligationem, vel malitiam, certò, probabiliter, aut dubitanter exprimens, eo tempore, quo debet præceptum implere, in mentem venerit. Si enim eâ non veniente tunc in mentem immemor juris, vel facti, præceptum quis transgrediatur, transgressio invincibilis erit, & naturalis, absque omni peccato, defectu libertatis; quia in tantum aliquid est liberum, in quantum actualiter præcognitum; sic P. Henricus Herdinck in *M. S. de Legibus*, Vir timoratus, & in moralibus eximiè doctus; & sequitur ex doctrina P. Thomæ Sanchez supra *cit.* Hinc ignorantia præcepti, vel malitiæ in actu, tamdiu manet *invincibilis*, quamdiu nulla talis cogitatio in mentem venit; non autem secùs, si is, cui talis cogitatio in mentem venit, voluntariè tunc negligat investigare veritatem, an actus, quem exercere vult, laboret morali vitiô, aut suppositus sit legi; cum hìc & nunc prohibenti. Ratio primæ partis est; quiâ nullâ tali cogitatione, operanti veniente in mentem, non est, unde ignorantia illa antecedens, & invincibilis, evadat culpabilis ex negligentia voluntaria inquirendi scientiam debitam; cùm ponatur non adesse ulla cogitatio exprimens obligationem inquirendi, vel existentiam præcepti, aut malitiæ in actu; ex quo in oppositum colligitur ratio secundæ partis. Et ita quoque sentire videtur Terillus *q.* 63. *Reg. mor. assert.* 4. dicens: hominem non peccare peccato *ratione sui formaliter imputabili*, si nulla actualis advertentia, nec specialis, nec confusa talis malitiæ præcesserit, aut saltem dubitatio, vel scrupulus; & quamvis *num.* 60. dicat, eum, qui de præsenti non cogitat, sed ex culpa præterita non retractata in hanc incogitantiam devenerit, peccare; negat tamen, *peccare novâ malitiâ, & imputabilitate*; sic ille prout citatur à P. Thoma Munièssa *in Stimulo Conscientiæ, stimulat.* 3. *de Conscient. errante*, §. 15. *n.* 135.

Hanc Terilli sententiam laxitatis ar- 674.
guit Munièssa cit. *§.* 15. *à. n.* 148. pro quo ritè intelligendo, sit casus, quem ponit ipse Munièssa cit. *n.* 135. Titius neglexit ex culpa mortali addiscere præcepta Decalogi, sciens obligationem addiscendi; & deinde ignoret, *mendacium*, aut *perjurium* pro bono proximi; vel duellum, & vindictam, à Deo prohiberi, imò errans existimet esse licita, & honesta; sicque ignorans mentiatur, pejeret, & ulciscatur sine actuali scrupulo. In isto casu Munièssæ videtur, sequi, ex Terilli sententia, ejusmodi mendacia, perjuria, duella, & vindictam, esse quidem peccata ex ignorantia culpabili; & talia denominari à causa sua peccaminosa (nempe culpabili negligentiâ præcedente) non retractatâ per pœnitentiam, quamvis sine actuali advertentia, & scrupulo prohibitionis fiant; non tamen habere *specialem imputabilitatem ad novam culpam* (*contradistinctam à culpa causæ, in qua solùm sit voluntaria*) *ratione cujus homini correspondeat nova pœna, distincta à pœna correspondente præcedenti peccato negligentiæ addiscendi præcepta Decalogi*; id, quod Munièssa reprobat, volens, *mendacium*, v. g. vel *perjurium* in tali casu non tantùm habere malitiam *causæ*, ex qua sequitur; sed etiam *malitiam mendacij propriam*, & oppositam veracitati, ut patet ex cit. *§.* 15. *n.* 138.

Rationes Munièssæ præcipuæ sunt se- 675.
quentes. 1. in. *n.* 139. quæ sic habet: cuncti Theologi supponunt cum S. Thom. 1. 2. *q.* 76. *& seq.* dari tria genera peccatorum,

rum, nempe *ex ignorantia*, *infirmitate*, seu *passione*, & *malitia*; sed ex dicta sententia sequitur, nullum dari peccatum *ex ignorantia*; probatur: si enim peccatum, sine ullo scrupulo secutum ex ignorantia, non habeat aliam malitiam, *nisi malitiam causæ* (nimirum culpabilis negligentiæ) ex qua sequitur, tota *peccaminositas imputabilis* sita est in peccato negligentiæ præcedentis ad ignorantiam; ergo non datur peccatum, seu malitia moralis, imputabilis, proveniens *ex ignorantia*; nam illa negligentia non est peccatum ex ignorantia; cùm scienter, & antecedenter ad ignorantiam committatur.

676. Secunda ratio est in *eod. §. 15. n.* 140. Homo peccat *imputabiliter* contra legem *toto tempore*, quo exercet opus prohibitum, quin *toto tempore* advertat ad malitiam, & prohibitionem operis, quod facit, ut fatetur Terillus *n.* 33. *ibid. citatus*; ergo verè dici potest, & debet, hominem peccare *toto tempore*, quo liberè exercet opus oppositum legi, quam ignorat, quamvis *in nullo instanti* operis actu advertat ad malitiam, & prohibitionem; dummodo inadvertentia, error, sive ignorantia, quæ est causa operis, oriatur ex negligentia culpabili moraliter influente in opus, dum non retractatur per pœnitentiam.

677. Tertia est ejus ratio in *n.* 141. si verum est, neminem peccare, dum facit id, quod sine scrupulo, remorsuque conscientiæ firmiter judicat esse honestum, excusarentur gravissima peccata obstinatissimorum hominum, imò & hæreticorum, qui eò suâ culpâ deveniunt, ut firmissimè judicent, sua opera esse honestissima, & suos errores esse veritates à Deo revelatas, & in eis pugnacissimè defendendis existimant, obsequium se præstare Deo.

678. Quarta demum in *n.* 142. *si, ut homo peccet*, debet actu advertere, *se peccare*, deberet advertere, *se advertere*; sed certum est, hanc reflexionem ad peccandum non requiri; imò & quin actu pungatur dubiô, aut scrupulô peccati: ergo non requiritur ad peccatum actualis cogitatio præcepti, sed sufficit præcedens negligentia, quâ culpabiliter prætermisit aliquid eorum, quæ debuit, ut sciret veritatem; ergo id, quòd à nobis in superioribus dictum *n.* 673. non subsistit. Sed ad hæc dicemus à *n.* 703. Hinc:

679. Antequam respondeamus ad prædicta, not. 1. secundùm aliquos duplicem esse ignorantiam *vincibilem*; unam *crassam*, quæ alio vocabulo etiam *supina* dicitur; aliam *affectatam*; hæc est ignorantia ex industria, & *directè volita*, ut, si quis studiosè vellet præcepta legis ignorare, quo quasi exlex liberiùs appetitui indulgeat, & vitiis vacet: illa est solùm *indirectè volita*, quatenus homo ex negligentia, & desidia omittit, quod scire potest, ex qua negligentia, & desidia fit, quòd ea ignoret. Rectiùs tamen datur media, quæ nec affectata sit, nec supina, & comparatur levissimæ juridicæ culpæ.

680. Not. autem. 2. hanc ignorantiam indirectè voluntariam dici *culpabilem*, quando ex tali negligentia ignorantur ea, quæ scire possumus, & tenemur; hinc si ex negligentia ignoremus ea, quorum sciendorum potentiam, at non obligationem habemus, illa ignorantia erit quidem *vincibilis* (quia vinci potuit, adhibitâque diligentiâ obtineri scientia, per quam sublata fuisset) non tamen erit *culpabilis*; quia, ut supponitur, negligentia habendi scientiam eorum, quæ ignoramus, non est contra ullam obligationem ea sciendi, aut scientiam procurandi.

681. Not. 3. ut ignorantia sit, & rectè dicatur *vincibilis*, & simul *culpabilis*, tria requiri. 1. quòd sit *aliquo modo voluntaria*, saltem indirectè, & in confuso. Nam sine hoc non stat ratio peccati. 2. quòd homini *fuerit possibilis diligentia sciendi*, seu scientiam acquirendi, quâ ignorantia tolleretur; aliàs enim vinci nec posset, consequenter vincibilis non foret; nec culpabilis; quia in eo, quod mihi possibile non est, nulla culpa reperitur: 3. quòd diligentia possibilis *non fuerit adhibita sufficienter*, pro exigentia rei, pensatâ qualitate tum ipsius, tum personarum; cùm potuisset, & debuisset.

682. Ex defectu primæ conditionis fit; si, nec circa rem ignoratam, nec circa obligationem sciendi est, aut fuit unquam cogitatio, dubium, vel scrupulus, ignorantiam non fore vincibilem, nec culpabilem, ut dictum est; idem dicendum venit ex defectu secundæ conditionis; nam licèt

licèt homini occurrat cogitatio de obligatione sciendi; si autem in ejus potestate non sit deligentia, per quam acquirat ignoratæ rei scientiam, & vincat ignorantiam, ei invincibilis est citra culpam. Ex defectu tertiæ conditionis similiter ignorantia carebit culpâ, si vinci non potuit, seu scientiam obtinere per diligentiam adhibitam secundùm posse, & debere. Hæc distinctio proportionaliter accommodari potest *ad actualem inadvertentiam, incogitantiam, & inconsiderationem.* Nam & hæc, ut vincibilis, & culpabilis sit, ob easdem rationes, requirit prædictas tres conditiones.

683. Not. 4. ab ipsomet Munièssa cit. §. 16. *n.* 151. (ut malefacta ex ignorantia, vel errore priùs culpabili, sint deinceps *nova peccata formaliter imputabilia ad novam pœnam, ultra pœnam correspondentem peccato omissionis, seu negligentiæ sciendi legem, vel præceptum*) requiri, quòd *voluntareitas illius culpæ* faciat homini *voluntaria saltem implicitè, aut virtualiter* mala opera in errore illo subsecuta; & hoc sub istis terminis videtur certum; ita ille.

684. Quærenti autem, unde dignosci possit, quòd malitia peccati, ex errore, vel ignorantia subsecuti, *in ipsa culpabili omissione diligentiæ requisitæ* ad habendam scientiam eorum, quæ ignorantur, fiat *implicitè voluntaria*? respondet *n.* 152. quando per negligentiam voluntariè *affectatur* ignorantia eorum, quæ scire quis poterat, ac debebat; aut si non affectatur, saltem omittitur debita deligentia cum prævisione malorum exinde secuturorum, prævidendô scilicet ea vel in specie, vel in genere. Primum ait haberi per ignorantiam *affectatam*; alterum per *crassam, & supinam*, de qua diximus à *n.* 679. *Virtualiter* autem malitiam peccati ex errore, vel ignorantia subsecuti, fieri voluntarium in ipsa culpabili omissione diligentiæ debitæ, quando culpa negligentiæ moraliter virtualiter influit in ea opera subsecuta.

685. Ut autem culpa negligentiæ dicatur moraliter influere in opera subsecuta, docet, non sufficere permanentiam habitualem illius præcedentis culpæ (sitam præcisè in non retractatione per pœnitentiam) sed requiri saltem *virtualem*, nimirum *moraliter continuatam* in effectibus à præcedentis negligentiæ culpa descendentibus, ad eum modum, quo explicari solet in administratione Sacramentorum moralis permanentia intentionis virtualis physicè præteritæ, à differentia permanentiæ purè habitualis. Antequam respondeam ad hæc Munièssæ fundamenta, prætermitto resolutionem sequentis quæstionis.

## §. III.

### *Quo tempore actus, solùm voluntarij in causa, imputentur ad culpam?*

686. SUpponendum, in quæstione apud Theologos versari, quo tempore ad culpam imputetur omissio, vel positio alicujus actus, in se, ac directè non intenti, sed voluntarij solùm indirectè, seu in causa? an tunc, quando voluntariè ponitur causa, ex qua prævidetur secutura talis omissio, vel positio actûs de se mala; an verò tunc, quando actu sequitur ea omissio, vel positio actûs, etsi tunc non sit in potestate omittentis illam impedire; vel saltem nulla tunc cogitatio exprimat malitiam ejus.

687. Mihi semper probabilius visum est (prout etiam tradidi in *tract. Theol. de peccatis*) *tunc solùm imputari ad culpam* ejusmodi omissionem, vel positionem de se malam, *quando actu, voluntariè, ac liberè ponitur causa, ex qua prævidetur secutura*; non autem, quando ipsa omissio, vel positio actu sit extra statum libertatis *præsentis.* Ratio hujus est, quia nulla omissio, vel positio actûs (ultra culpam malitiæ in causa, in qua unicè est libera) imputari potest ad culpam, secundùm quod in se non habet libertatem) nec enim habere potest aliter malitiam, nisi secundum quod habet libertatem) at tunc, quando extra statum libertatis præsentis ponitur omissio, vel positio actûs, nullam in se habet libertatem, ut ponit casus; ergo tunc, quando extra statum libertatis præsentis ponitur, *in se* imputari non potest ad culpam; quia tamen habuit libertatem in alio, nimirum *in causa* liberè volita cum præscientia secuturi talis effectûs, *tunc*, quando causa liberè posita est, *imputata fuit ad culpam*; quia *tunc*, & *non post*, fuit libera. Et ita etiam docuit meus quondam in Theologia Viennæ Austriæ Professor, R. P. Jacobus Valentini

in *tract.*

in *tract. Theol. de vitiis, & peccatis, D. 2. c. 4.*

688. Eadem doctrina confirmatur. 1. quia omissio actûs præcepti, per operantem ignoranti tunc, quando actu facit illum actum, non potest contrahere malitiam, nisi quando est posita liberè; sed non est posita liberè, nisi quando liberè posita est causa; ergo tunc solùm, quando liberè posita est causa, contracta est malitia. 2. omissio rei præceptæ, pro tempore sequenti, non habet aliam libertatem, nisi in causa, quatenus poterat causa poni, vel non poni, ut ponit casus; quo posito sic arguitur: quando talis omissio culpabilis, per pœnitentiam retractatur, actus subsecuti ex illa non imputantur ad culpam *tunc*, quando fiunt; ergo etiam si per pœnitentiam nondum est retractata. Nam, etsi verum sit, quòd in casu antecedenti, dum illi actus subsequentes ponuntur, *nec in se, nec in causa habeant libertatem de præsenti*, sed tantùm *habuerint* de præterito in causa: quia tamen pœnitentia non facit, *quòd non habuerint libertatem in causa*, si, quando abest, nihilominus facit imputabiles, *quia habuerunt libertatem in causa*; etiam præsens non impediet imputari ad culpam; quia etiam præsens non facit, *quòd non habuerint libertatem in causa*; id, quod non admittunt Contrarij.

689. Dies: per pœnitentiam fieri, quòd libertas in causa *nec habitualiter* sit præsens, quando reliqui actus materialiter mali subsequuntur; id, quod non contingit, ubi non præcessit pœnitentia. Sed contra est; nam si actus materialiter mali, ex causa liberè volita subsequentes, sunt imputabiles ad culpam, dum actu fiunt sine omni scrupulo, imò cum opinione, quòd sint honesti, *ideo præcisè, quia eorum libertas in causa tunc est præsens habituaLiter*; à fortiori erunt imputabiles, dum eorum libertas in causa est *præsens actualiter*; hoc autem dici non potest; ergo in casu pœnitentiæ non ideo non sunt imputabiles, quia illorum libertas in causa, nec actualiter, nec habitualiter est præsens; sed *quia fuit aliquando*; at hoc etiam contingit; quando sequuntur postea, etiam seclusâ pœnitentiâ. Min. prob. Nam sic idem actus, non retractatâ causâ culpabili, bis imputaretur; primò, dum ejus libertas in causa est *actu*, & 2. quando ejus libertas non est actu, sed tantùm in habitu.

690. Instabis: quando libertas operis in causa *est* actu, imputari *quoad malitiam causæ*; quando autem opus subsequens actu fit, & libertas in causa est *solùm in habitu*, seu non retractata, imputari *quoad malitiam propriam, ultra malitiam causæ*. Verùm nec hoc dici potest. Quia, cùm non sit alia libertas causæ *in habitu*, seu morali perseverantia, quàm quæ erat, *cùm esset in actuali existentia*; si hæc actualis libertas in causa, dum esset præsens actualiter, non potuit tunc facere, ut *malitia operis ultra malitiam causæ primò tunc* imputaretur, quando ponitur extra statum libertatis, licèt tunc esset actualiter cum cognitione operis secuturi ex causa; minùs id poterit, dum est præsens solùm *habitualiter* & nullatenus *est*, sed tantùm *fuit* cum cognitione operis secuturi ex causa. Ut autem vis hujus instantiæ inelligatur, observandum, quosdam velle, effectus malos in causa liberè volita prævisos, etiam tunc (quando sequuntur extra statum libertatis) imputari, quando culpa causæ per pœnitentiam non est retractata; rationem reddentes: quia sic libertas causæ perseverat adhuc *habitualiter*, etiam pro instanti, quando extra statum libertatis *actualis* ponuntur; quia tamesi non sint tunc liberi libertate *actuali*; sunt tamen liberi libertate *habituali*, quam volunt sufficere, ut illi effectus etiam tunc inficiantur malitiâ imputabili ad culpam. Contra istos igitur in præsens hoc *n.* 690. dico, quòd libertas causæ, sive existat *actualiter*, sive *habitualiter*, non possit facere, ut malitia propria effectûs (*homicidij* v. g. prævisi ex *ebrietate* secuturi) imputetur primò tunc, quando sequitur homicidium extra statum *actualis* libertatis; & non fuerit imputata tunc, quando actu liberè volita est ejus causa.

691. In hoc ergo. *n.* 690. non est quæstio, an malitia ebrietatis directè volitæ, & malitia homicidij v. g. solùm in directè voluntarij, imputetur tunc, quando liberè ponitur causa; quia hoc jam affirmavimus *n.* 687. sed an *utraque* vel *alterutra* imputetur etiam tunc, quando homicidium sequitur extra statum libertatis; & quia est aliquorum sententia, qui hoc affirmant, si libertas causæ tunc existat *saltem habitualiter*,

*tualiter*, hoc est, *si nondum sit retractata per pœnitentiam*, ut constat ex his, quæ dico *n.* 688. & 689. ideo contra hos dico *n.* 690. quòd libertas causæ, sive existat *habitualiter*, sive *actualiter*, non possit facere, ut *vel utraque* malitia, vel *alterutra* tunc imputetur ad culpam operanti, quando homicidium sequitur extra statum libertatis *actualis*; sed tantùm, quando liberè posita est causa, quod meô quidem judiciô multò probabilius est oppositô.

Nec valet, si dicas: effectus de se mali, solùm indirectè voluntarij in causa, ex qua prævidentur secuturi, imputantur ad culpam tunc, quando causa est *actualiter* libera; ergo tunc, quando est *habitualiter* libera; sed quando ponuntur extra statum libertatis *actualis*, si culpa causæ nondum est retractata per pœnitentiam, sunt *habitualiter* liberi; ergo etiam imputantur ad culpam, dum sequuntur extra statum libertatis *actualis*; R. not. quando dicitur effectus *est habitualiter liber*, verbum *est* per adjunctum syncategorema, seu vocem *habitualiter* distrahi â proprio significato, quod est verbi *præsentis temporis*; & ampliori, ad tempus *physicè præteritum*, in quo *fuit* de præsenti, sed jam non est; quo posito: dato anteced. N. conseq. quia argumentum fit â verbo *est*, sumpto statu præsenti, & simpliciter ad verbum est, cum termino distrahente; quo fit, ut affirmet verbum *imputatur* (quod est de præsenti) æquè affirmet de illo, quod *fuit* liberum, ac de eo, quod *est* liberum; qualiter argueret dicens: novus annus *est præteritus*; ergo novus annus *est*; vel econtra.

691. Pro solvendis aliis objectionibus contra doctrinam à *n.* 687. traditam not. 1. negandum esse, quòd effectus *extra statum libertatis*, ad causam liberè datam secutus, aliquando sit peccatum *ultra rationem peccati*, *ex malitia causæ* imputabile. Nam tunc, quando in tempore distante ab eo, quo liberè volita est causa, talis effectus sequitur, nec malitia causæ, nec malitia propria ipsi imputatur; sed utraque illi imputata fuit, quando liberè posita est illius causa. Hinc quando dicitur *ebrietas* contingit extra statum libertatis, & tamen tunc est peccatum; cum distinctione respondetur: est peccatum *tantùm*, N. est peccatum *cum addito*, nempe *præteritum*, *& simul privatio usûs rationis actu posita ex peccato præterito*. C. Unde, sicut *homicidium* includit *duo*, nimirum actionem injustam, vel præteriam, vel præsentem, & privationem vitæ, quæ sequitur ex tali actione injusta; sic *ebrietas* includit *duo*, nimirum voluntariam illam potationem, ex qua subsequitur privatio usûs rationis, & hanc ipsam privationem: & sicut ante privationem vitæ, illa injusta actio non dicitur *homicidium*; sic ante privationem usûs rationis illa excessiva potatio non dicitur *ebrietas*; utrumque enim delictum, præter actionem pravam, quæ infert effectum, quo externè consummatur, importat illum effectum, nec priùs dicitur *ebrietas*, vel *homicidium*; nam hæ denominationes requirunt actum externè consummatum, ultra internum actum, ratione cujus habent formalem imputabilitatem ad culpam. Unde, sicut ponens actionem occisivam, *non tunc peccat* peccatô imputabili, quando ex intervallo sequitur privatio vitæ; sed *jam peccavit imputabiliter*, quando posuit actionem occisivam; esto non peccatô externè consummatô; sic dicendum venit de ebrietate.

Hinc instanti: *homicidium*, & *ebrietas* 692.
est essentialiter peccatum actuale; ergo non priùs est peccatum, quàm sit privatio vitæ, vel usûs rationis; sed hæc contingit extra statum libertatis; ergo est peccatum actu extra statum libertatis: respondetur cum priore distinctione: est peccatum *tantùm*, N. ma. *peccatum*, & *simul dicta privatio*, C. ma. cum minori, dist. conseq. ergo est peccatum actu extra statum libertatis, secundùm quod homicidium, vel ebrietas important *dictam privationem*; C. secundùm quod important *actionem pravam*, *& imputabilem*, N. conseq. Tunc ergo, quando ponitur dicta privatio, homicidium v. g. est actu solùm *consummatione*; sed non *commissione*; hæc enim formaliter sita est in voluntaria positione causæ, necessariò illativæ illius privationis; certum autem est, quòd illa voluntaria positio causæ non ponatur extra statum libertatis; ergo nec commissio peccati; ergo nec formalis imputabilitas.

Not. 2. ad hoc argumentum: *tunc* 693.
transgressio rei præceptæ est peccatum, *quando* urget præceptum, & non ante; sed

sed tunc, quando urget præceptum, fit omissio rei præceptæ extra statum libertatis (ut si quis voluntariè combussit breviarium, fore prævidens, ut die postero non possit dicere horas canonicas, quas tenetur) ergo tunc est peccatum, quando omissio est extra statum libertatis: ad hoc, inquam, argumentum responderi cum distinctione ma: & eam concedi de *transgressione formali, & libera*; negari de *necessaria*; in casu autem posito *tunc*; ubi urget præceptum, omissio fit *necessariò*, & non liberè; sicut, si tunc sine omni sua culpa obligatus ad horas careret omni breviariô.

694. Nec obstat, quòd homines ejusmodi omissiones, & materiales, ac non liberas transgressiones soleant confiteri. Hoc enim faciunt etiam post pœnitentiam de causa voluntariè data priùs, quàm sequeretur effectus in ea prævisus. Et ideo P. Vasquez *D. 94. c. 3.* negat, *per se loquendô*, esse obligationem confitendi effectum extra statum libertatis secutum ex causa priùs voluntaria; sed satisfacere dicendô, se dedisse causam proximam tali eventui. Dicit, *per se loquendô.* Nam per accidens obligabitur, si exinde nascatur damnum alteri, exigens restitutionem; vel delicto annexa sit censura, *quæ* non infligitur delicto utcunque, sed *consummato*, seu *effectu secuto.* Tunc enim censura, ex mente ferentis, aut eam statuentis, non incurritur etiam propter delictum præteritum *præcisè*; sed propter illud *consummatum*, seu effectu secuto.

695. Not. 3. negandum esse, quòd sequatur ex nostra sententia, nec fore peccatum, voluntariè *dare causam*, ex qua sequitur actio materialiter mala, *si non sit tunc formaliter mala, quando ponitur extra statum libertatis*; negandum pariter *ideo præcisè* causam esse malam, quia effectus est malus *imputabiliter.* Nam idem instatur contra Adversarios in casu, quo mala voluntas causæ retractatur ante eventum. Deinde, qui voluntariè canem concitat in gregem ovium, esto retractet voluntatem, antequam canis oves laceret, adhuc tamen laceratione ovium per canem factâ contrahit obligationem restituendi, esto dimisso cane doleat, nec sit in libertate, lacerationem ovium impediendi, & hæc laceratio non sit peccatum; quia voluntariè posuit causam actionis alteri nocivæ, ac jure naturali vetitæ, licèt ea actio lacerativa ovium non sit peccatum.

Not. 4. *audire sacrum* v. g. (vel præstare aliud opus præceptum) posse considerari dupliciter. 1. *in genere entis*, quod fit ipsa sacri auditione *physica*, seu *reali*; 2. *in genere moris*, quod contingit, quando quis, quantùm est ex se, ponit media necessaria ad illum effectum physicum, *audiendi sacrum*, à se dependentia. Hinc quando dicitur: qui habuit voluntatem audiendi sacrum, non potest dici *implevisse præceptum*, si tamen opere ipso non audiat; ergo viciissim, qui habuit voluntatem non audiendi sacrum, non potest dici non audivisse sacrum, seu violâsse præceptum, nisi opere ipso non audiat; ergo *tunc* solùm peccat contra præceptum, quando ponitur omissio; at hæc ponitur extra statum libertatis. Nam adhibitâ distinctione, de qua dictum est, patet solutio. Qui enim, quantum est ex se, efficaciter vult audire sacrum, esto per accidens contingat impediri aliunde media, quæ adhibuit, non potest quidem dici audivisse sacrum *in genere entis*; bene tamen *in genere moris*; quod in tali casu sufficit, ut dicatur præceptum implevisse. Ex quo patet ad reliqua. 696.

Not. 5. verum esse, quòd actus externus, *furti* v. g. sit verè peccatum *denominativè* ab actu interno libero, etsi de se non sit capax ullius libertatis formalis; non autem inferri bene: *ergo etiam, licèt omissio rei præceptæ, dum ponitur extra statum libertatis, non sit capax amplius ullius libertatis, poterit tamen esse libera denominativè, quando ponitur.* Ratio est; quia hæc omissio, dum ponitur, non ponitur liberè; secus furtum externum. 197.

Not. 6. quando S. Thomas 2. 2. *q.* 79. *a.* 3. *ad* 3. ait: omissionem, seu effectum secutum ex causa ipsum inferente, *tunc incipere imputari ad culpam, quando est tempus operandi*, intelligendum esse, quòd tunc imputetur ad culpam *tanquam consummatam in genere entis*, non autem *tanquam consummatam in genere moris*, quando urgente operandi tempore omissio ponitur; cujus ratio est, quia ibidem ipse dicit, *omissionem* (vel alium effectum ex causa directè voluntaria) *subsequentem*, 698.

*reddi voluntariam per causam præcedentem;* ergo non, dum ponitur omissio, vel effectus subsequens; sed, dum liberè posita fuit causa talem effectum inferens.

699. Dices: licèt non rarò aliquæ actiones fiant cum omnimoda distractione, & consequenter sine actuali libertate (cùm nemo possit liberè ferri in aliquod objectum, ad quod nullo modo intellectus attendit) quia tamen cum advertentia, & libertate sunt *inchoatæ*, censentur humanæ, & capaces bonitatis, & malitiæ eo modo, quo actus externus, ut, cùm Sacerdos, planè distractus, consecrat; ergo idem dici poterit de omissione, aliisque actionibus factis extra statum libertatis, in somno, ebrietate, &c. Sed. R. N. ant. Nam si nulla adsit attentio, etiam actualis tenuis, actio interrumpetur, aut fiet solùm materialiter tunc, quando ponitur; cujus ratio est; quia os Sacerdotis celebrantis est indifferens, ut proferat *hæc*, vel *illa verba*; 2. ut ea proferat *suo*, *vel Christi*, *aut alieno nomine*; ergo ut *sic*, & *tali modo*, *ac nomine fiant*, determinari debet per aliquid; hoc autem non est aliud, quàm actus voluntatis determinans potentias externas; qui tamen adesse non potest, nisi cum aliqua saltem cognitione circa tale objectum; nam aliàs *humana* non est. Et ideo etiam in *tract. de Sacram. in genere*, *D. 3. a. 7. concluf. 5.* meus olim in Theologia Viennæ Austriæ Professor R. P. Hieronymus Milser, Vir magnæ Virtutis, ac exquisitæ doctrinæ, per complures deinde annos in Universitate Græcensi Cancellarius, probabilius censuit, tam actiones Sacramentales, quibus conficitur Sacramentum, quàm alias etiam prævias, quæ ordinantur ad illas, semper provenire ab aliquo actu intellectûs, & voluntatis *præsente*; id, quod & ego secutus sum in eodem tractatu, 1686. Viennæ in Theologia scholastica tradito; aliàs enim vix salvari poterit, eas actiones fieri *humano modò*.

700. Ex dictis inferes. 1. negandam esse opinionem Marsilij asserentis *omissionem*, non verò ejus *causam positivam* esse peccatum; ex illa enim sequeretur. 1. quòd Petrus concedens cubitum in gratia surgeret in peccato mortali absque eo, quòd ullum exercitium libertatis interea elicuisset, si nimirum ex illius somno interim sequeretur omissio mortaliter peccaminosa. 2. quòd alteri *consulere malum*, non foret malum, sicut non est mala voluntas dormiendi, etsi ex illa videat Petrus secuturam transgressionem præcepti per omissionem. Deinde, nec illorum sententiam subsistere, qui docent, peccâsse quidem priùs, dum posita fuit causa, sed ab eadem illa malitia jam posita denominari *de novo* peccatorem propter *novum* peccatum, quod postea ponitur, quatenus denominatur de novo *homcida*, à voluntate libera præterita, & effectu hanc secuto. Contra enim est; quia sic, si Sacerdos confessus fuisset, se breviarium projecisse in Danubium, & simul prævidisse, ex illa projectione secuturam omissionem culpabilem unius mensis, quòd talis toto illo mense, singulis diebus, antequam celebraret missam, deberet se de novo accusare in confessione, se pridie omisse breviarium. Idem est, si quis dedisset venenum alteri ad occidendum alterum, factiúque pœnitens, fuisset peccatum confessus, talis iterum teneretur confiteri subsecutô homicidiô; quæ quis non videat esse absurda?

Inferes. 2. ea, quæ hactenus dicta sunt, 701.
eodem modo procedere de effectibus positivis extra statum libertatis secutis, ac de ipsa omissione. Unde ulteriùs habetur, *ex qualitate culpæ in danda causa*, ferendum quoque esse judicium *de culpa omissionis*; quare si venialiter tantùm peccâsti in ponenda causa e. g. in projiciendo breviario, vel in te inebriando, omissio breviarij, vel ex ebrietate homicidium secutum, erunt tantùm peccata venialia; cùm enim sint tantùm peccata *in causa*, uti probatum est, non poterunt habere majorem malitiam, quàm illa positio causæ habuerit. Et ideo, cùm omissio rei præceptæ imputetur in causa, non est necessariò in confessione exprimenda in particulari, quænam fuerit causa data omissioni, nisi data causa secundùm se haberet specialem malitiam; ut si quis omitteret horas, *quia se inebriavit*; tunc enim utrumque esset explicandum; cùm etiam ebrietas *in se* sit peccatum; quare dicet: *se per ebrietatem*, *voluntariè positam*, *omisisse horas canonicas*: & ratio est; quia si causa data non habet de se specialem malitiam, solùm est mala, quia est causa omissionis rei præceptæ; ergo quòd sit data hæc vel illa causa, habebit se merè materialiter,

rialiter, sicut, quòd jejunium transgrediatur hoc, vel illo cibo, habet se merè materialiter respectu transgressionis jejunij, &c.

702. Inferes. 3. allatam doctrinam procedere, quando omissio post datam causam secuta est extra statum libertatis nostræ; ita, ut non sit ampliùs in potestate nostra, *tollere causam semel positam*; si enim possim illam tollere, & poni res præcepta, si sequatur omissio, illa omissio erit verum peccatum; quia in tali casu ponitur liberè omissio, atqueadeò erit multiplex peccatum numerô, prout censebitur interruptum ab instanti, quo data fuit causa; qualisnam autem interruptio requiratur ad multiplicanda numerô peccata, dicetur alibi.

## §. IV.

### *An opus extra statum libertatis secutum ex causa voluntariè data, imputetur ad novam malitiam, ultra malitiam causæ?*

703. NEgativam à nobis teneri constat ex hactenus dictis, præsertim *n.* 687. (hoc nimirum sensu, quod quando actus malus voluntarius est solùm in causa, *tunc, quando sequitur extra statum libertatis actualis*, non contrahat *novam malitiam*, non contractam antè, dum actu liberè posita est ejus causa) affirmativam autem, quòd contrahat etiam *novam* malitiam tunc, teneri à Muniessa cit. supra *n.* 674. aliisque. Rationes porrò, quibus nititur citatus Author, retulimus à *n.* 675. Nunc ad singulas, & quidem ad primam in *n.* 675. ℟. nego min. ad hujus prob. C. ant. dist. consequens: ergo non datur peccatum, seu malitia moralis, proveniens *ex ignorantia*, sumpta *secundùm* se, C. ex ignorantia *culpabiliter per præcedentem negligentiam inducta*, N. conseq. Quando D. Thomas, & Theologi dicunt, præter peccatum ex *infirmitate*, & *malitia*, dari etiam peccatum *ex ignorantia*, non volunt aliud, quàm dari quandoque peccatum, cujus causa nec sit hominis fragilitas, nec malitia; sed *mera ignorantia, non secundùm se, sed prout voluntaria in omissione diligentiæ debitæ*, si talis omissio non obstante prævisione secuturæ ignorantiæ, & inde sequentium malorum, saltem indirectè fuit volita: si enim hæc nullatenus prævisa fuerunt, cùm voluntariè admissa fuit ea negligentia, inde secuta nullam habent culpam imputabilem. Ratio hujus est; quia tunc nullam habuerunt libertatem; *non in se*, ut ponit casus; quia sequuntur extra statum libertatis præsentis, quæ non stat sine cognitione de malitia talis operis, quando ponitur; *non etiam in causa*; quia ponitur, nullatenus esse prævisa in causa; at sine hoc nihil dici potest liberum in alio, seu in causa: ergo.

Ad. 2. rationem ℟. cum distinctione 704.
antecedentis: homo *tunc peccat imputabiliter* contra legem toto tempore, quo exercet opus prohibitum, licèt tunc toto tempore non advertat ad malitiam operis, quod exercet, N. ant. solùm externè consummat peccatum imputabile in causa, jam priùs liberè volita, C. ant. & sub data distinctione conseq. Pro quo not. quòd libertas præsens, quam explicat potentia proxima peccandi, importet aliquam cognitionem præsentem de malitia operis, vel saltem dubitationem, aut scrupulum; quare si tunc, quando ponitur tale opus, nulla talis cogitatio adsit, opus tunc ponitur extra statum præsentis libertatis, consequenter *tunc ponitur*, *sed non liberè*. Quando autem opus malum ponitur, sed non liberè, tunc, quando ponitur, non est imputabile ad malum, quia tunc non est malum ullâ præsenti malitiâ formali: ergo.

Quia verò hæc ratio Muniessæ specia- 705.
liter intendit evincere, quòd actus, etiam extra statum libertatis præsentis, seu citra ullam cogitationem præsentem *de propria ipsius malitia*, sit nihilominus imputabilis *secundùm propriam malitiam, ultra malitiam causæ, ex qua sequitur*: ideo ad eandem secundam rationem ℟. 2. cum distinctione anteced. Etiamsi homo non habeat ullam cogitationem de malitia operis per totum tempus, quo illud exercet, tamen toto tempore peccat imputabiliter, quo illud opus facit, secundùm quod ei tunc illud opus est liberum, C. ant. secus, N. ant. Vel ergo tunc, quando ponitur opus, v. g. *mendacium*, quoad *propriam malitiam mendacij* est illi liberum in se, vel non? si non? ipsum in se non est imputabile tunc; cùm in se non sit *formaliter*

*liter* malum tunc; si ita? necesse est, quòd adsit tunc aliqua cogitatio, quòd opus in se malum sit, cujus contrarium supponit objectio.

706. Si autem dicas: *tunc*, quando ponitur opus (v. g. *mendacium*) *esse liberum in causa*, &c. sicut tunc causa *de præsenti* non ponitur liberè, sed solùm posita est *de præterito*; sic mendacium tunc, quando ponitur, non esse *de præsenti* liberum in causa; sed tantum *fuit liberum de præterito*; ergo non est imputabile *nunc*, sed jam imputatū fuit *tunc*, quando liberè volita fuit causa præviso simul secuturo mendacio. Ex hoc autem, quòd aliquod opus in se malum, malitiâ distinctâ à malitia causæ, ex qua liberè volita secuturum prævidetur, sit non in se, ac directè, sed tantùm indirectè, & in alio voluntarium, non sequitur propriam operis malitiam, ultra malitiam causæ, opus illud exercenti, esse directè imputabilem, sed solùm indirectè, nec aliàs, nisi dum liberè ponitur causa. Quia plus illi nequit justè imputari, quàm sit ei voluntarium; sed malitia propria mendacij, quà talis, in se non est ei directè voluntaria; ergo illa in se nequit ei justè, ac directè imputari; ergo solùm malitia causæ; sed hæc est distincta à propria malitia mendacij; ergo sola malitia distincta à malitia mendacij (nimirum malitia causæ) est ei imputabilis justè, ac directè; secùs indirectè.

707. Instabis: *ipsa malitia mendacij est ei voluntaria in causa*; ergo ipsa malitia mendacij est ei imputabilis ultra malitiam causæ. &c. cum distinct. ant. ipsa malitia mendacij est ei voluntaria in causa, per voluntarium directum solius malitiæ causæ, C. ant. secus, N. ant. quia sic mendacium eo ipso non esset voluntarium *tantùm in causa mala*; sed etiam ultra illam, adeóque directè, ac in se, contra suppositum; dist. conseq. ergo ipsa malitia mendacij est ei imputabilis indirectè ultra malitiam causæ, C. directè, N. conseq. Et hoc videtur satis certum, quando tale opus sequitur ex ignorantia, nec crassa, seu supina, nec affectata; id, quod ex propriis principiis admittere debet Munies-sa, ut notavimus n. 683. cùm ipse doceat, *tunc solùm propriam operis malitiam esse formaliter imputabilem ultra malitiam culpæ admissæ in negligentia* inductiva ignorantiæ, ex qua certa advertentiam malitiæ sequitur illud opus malum, *quando voluntareitas illius culpæ, saltem implicitè, aut virtualiter facit homini voluntaria mala opera inde secuta*; quod censet evenire non solùm, ubi ignorantia est affectata, vel crassa, ut ex illo retulimus *n.* 684. V. dicenda à *n. seq.*

An autem, ubi ignorantia *præsens* nata est ex ignorantia crassa, vel affectata, culpa negligentiæ liberè admissa tunc, aliquo modo influat in actus postea secutos ex ignorantia crassè, vel affectatè inducta? non ita facilè dicitur, ut existimat Munies-sa. Ponamus enim casum, quòd Titius ante annum, vel etiam dimidium, potuerit, & debuerit scire officium hominis Christiani, sed supinè neglexerit: nunc occurrit occasio faciendi opus aliquod reipsa contrarium officio hominis Christiani; sed neque de hujus malitia, neque de culpa supinæ negligentiæ jam præterita occurrit illi ulla cogitatio, scrupulus, vel dubium; imò potiùs existimat, esse honestum, consequenter illud facit. In hoc casu non videtur, quomodo culpa præterita nunc influat in opus (v. g. mendacium) de præsenti commissum, ex *n.* 691. Ratio hujus est; quia, si culpa præterita *nunc* influit in mendacium, seu liberam positionem mendacij, necesse est, quòd influat *ut objectum cognitum*, consequenter influxu solùm objectivo per sui cognitionem (nec enim se tenet ex parte subjecti, qualiter dignitas operantis, dignificativè, etiam sine sui cognitione, influit in opus moraliter bonum; nec etiam influit ut causa physica, quod certum videtur) at in casu posito exercens liberè illud mendacium, nullam habet cognitionem de malitia hujus operis, nullam etiam culpæ præteritæ, ut supponitur in casu; ergo *nunc*, dum actu fit mendacium, nullo modo actu influit in liberam positionem mendacij; ergo voluntareitas illius culpæ, nec implicitè, nec virtualiter nunc facit voluntariam homini malitiam mendacij; hæc postrema consequentia apertè sequitur ex doctrina Munies-sæ, de qua *n.* 683. 708.

Dices: non rectè argui contra Munies-sam factô à nobis argumentô; Munies-sa enim statuit, quòd malitia operis, ex errore, vel ignorantia subsecuti, fiat voluntaria in ipso culpabili omissione diligentiæ debitæ,

debitæ, quando culpa negligentiæ *moraliter virtualiter* influit in ea opera subsecuta; ad hunc autem influxum *moralem virtualem*, ait Muniessa, non sufficere permanentiam *habitualem* illius præteritæ culpæ, sitam in carentia retractationis per pœnitentiam, sed requiri permanentiam *saltem virtualem*, nempe *moraliter continuatam*; & argumentum contra ipsum fit solùm adducto casu, qui non est *moraliter continuatus*; ponit enim casum in homine ante annum medium supinè negligentem scire officium hominis Christiani (v. g. præceptum non mentiendi) in hoc, inquit, casu non apparet modus, quo culpa negligentiæ præteritæ *moraliter* influat in mendacium; non enim influit ut objectum nunc cognitum; quia supponitur, malitiam mendacij non apprehendere, nec meminit culpæ præteritæ admissæ in negligentia sciendi; sed hæc impugnatio nihil facit contra Muniessam; quia ipse requirit *virtualem permanentiam* culpæ præteritæ sitam in virtuali continuatione in effectibus descendentibus ex præcedentis negligentiæ culpa, quæ *moralis continuatio* in casu facti argumenti deficit, estque purè habitualis.

Resp. me loco cit. impugnare quidem sententiam Muniessæ, sed *non ex solo casu culpæ habitualiter permanentis*. Vis argumenti â me in *n.* 208. contra Muniessam propositi, in hoc stat, quòd culpa physicè præterita nullum omnino influxum possit exercere in mendacium v. g. exinde subsequens tunc, quando id ponitur, *si tunc mentiens nullam omnino cognitionem habeat de malitia mendacij* v. g. *nullam culpæ præteritæ, vel existentis in se, vel in effectu ex ipsa descendente*; hoc autem taliter probo argumentô ibi per discursum propositô, hic in formam reductô; quando culpa physicè est præterita, sed permanet solùm *habitualiter*, nequit influere in actum subsequentem (mendacium v. g. in ea prævisum) liberè ponendum, quando tunc, dum ponitur, in operante nulla est cognitio de malitia mendacij, aut causæ, vel in se, vel in effectu aliquo ex ipsa descendente; ergo nec quando permanet *virtualiter*, ut vult Muniessa, si pariter in operante nulla sit cognitio, de malitia mendacij, aut culpæ præteritæ, vel in se, vel in effectu ab ipsa descendente; antecedens concedit Muniessa, uti notavi ex ipso; consequentiam probo: ut culpa physicè præterita, *virtualiter* (seu per effectum ab ipsa descendentem) causet voluntarium liberum circa aliquod objectum (*mendacium* v. g.) influxu reddente *liberum* actum subsequentem, necesse est, quòd ponens tale voluntarium liberum circa mendacium, in virtute effectûs ab ipsa culpa præterita descendentis habeat aliquam saltem cognitionem de ipsa malitia mendacij, aut culpæ præteritæ, vel in se, vel in effectu ab eo relicto, si non influit ut causa physica dignificativè ex parte subjecti, sed *objectivè* tantùm, vel *moraliter*, aut *finaliter*; quia non datur de præsenti ullum voluntarium liberum circa objectum aliquod, ex alicujus influxu, non merè physico, vel dignificativo, *sed morali*, nisi de præsenti sit præcognitum; ergo etiam ut culpa præterita *in effectu â se relicto* influat *moraliter*, seu influxu, mendacium subsequens reddente *tunc liberè positum*, necesse est, quòd tunc in operante sit aliqua cognitio de malitia mendacij, aut culpæ præteritæ, vel in se, vel in effectu â se relicto: quo enim genere causæ influet illa culpa negligentiæ, vel per se, vel per effectum â se relictum sine ulla sui cognitione, si non causet mendacium, ut causa physica, vel circumstantia dignificativa? Sed casus ponit, quòd tunc nulla prorsus adsit cognitio de malitia mendacij, aut negligentiæ, vel in se, vel in effectu â se relicto; ergo.

Deinde demus, culpam præteritam perseverare in aliquo effectu ab ipsa dependente, & tunc existente, quando ponitur mendacium; ex hoc tamen non ostenditur, quomodo *moraliter virtualiter* influat in mendacium subsequens, influxu *formaliter vitiante* mendacium, nimirum ut non tantùm dicatur *liberè volitum* tunc, quando *actu* liberè posita est culpa negligentiæ; sed etiam *postquam præteriit*, & reliquit post se aliquid ab ipsa dependens. Nam vel extat tunc (nimirum dum extat solus ille effectus â culpa præterita dependens) vel inquam extat tunc aliqua cognitio de malitia mendacij, aut legis illud prohibentis? vel nulla prorsus? si nulla prorsus, impossibile est, quòd ille effectus tunc *moraliter* influat

fluat in mendacium influxu illud vitiante, seu reddente illud operanti liberum; cùm hoc non stet sine præsenti cognitione mali, si aliqua? jam non influit in mendacium juxta casum propositum.

709. Ex dictis sequitur. 1. quando aliquis actus habet malitiam, distinctam à malitia causæ, ex qua sequitur, fieri posse, quòd talis actus liberè exerceatur sine omni culpa formali; nimirum, si nec in se, ac directè, nec in causa, seu indirectè sit voluntarius. Nam formalis culpa, seu culpa liberè admissa, non stat sine omni voluntario tam directo, quàm indirecto; item, quando talis actus est tantùm voluntarius indirectè, seu in causa liberè volita, illum non habere malitiam formalem, directè imputabilem, nisi malitiam causæ, quando aliquo saltem modo præcognitus est ex illa secuturus; nam ultra malitiam causæ nulla illi alia in se est directè volita; & malitia propria actûs, in quantum condistincta à malitia causæ, nullam habet libertatem, nisi causæ liberè volitæ; ergo etiam nullam malitiam directè imputabilem, nisi causæ liberè volitæ, ex *n.* 701. Dixi, actum *tunc solùm* dici voluntarium *in causa*, quando liberè amplectens talem causam, aliquo saltem modo prævidit, eum actum inde secuturum. Nam si actus nec in se, nec in sui causa aliquo saltem modo est præcognitus, impossibile est, quòd vel in se, vel in sui causa sit voluntarius; hoc enim non stat circa objectum nullo modo præcognitum.

710. Sequitur. 2. si prævidens in genere (se in multis erraturum, ex suppositione, quòd nunc omittat diligentiam debitam, ut sciat, quæ scire potest, & tenetur) liberè omittat dictam diligentiam; & consequenter illi in tali culpa fiant voluntaria opera mala inde secutura cum ignorantia de ipsorum culpa, ea tamen, quando fiunt cum ignorantia de ipsorum culpa, tunc non imputari ad culpam; sed jam imputata esse prius in causa; ratio est ex *n.* 706. Quarè negandum est, quòd voluntareitas culpæ admissæ in omissione debitæ deligentiæ, *tunc*, quando cum ignorantia mali fit actus, etiam *implicitè* influat in talem actum; quia *tunc* non est ulla ejus cognitio, ut suppono; si enim tunc adesset aliqua cognitio movens scrupulum, & eâ neglectâ poneretur opus, jam præsens ignorantia in se priùs non voluntaria, evaderet voluntaria in negligentia præsenti.

Sequitur. 3. quòd voluntareitas culpæ priùs admissæ in negligentia sciendi, atqueadeò in culpabili inductione ignorantiæ, cum qua postea fit, & continuatur opus malum inde secutum, nec *virtualiter* tunc influat in positionem, & continuationem operis cum ignorantia, seu inadvertentia, defectúque omnis scrupuli circa malitiam dicti operis, quando illud actu ponitur, & continuatur. Nec enim physicè, nec objectivè tunc, quando fit opus, ullam causalitatem exercere potest in illud, ut ostensum est in *n.* 705. Nec juvat ea remissio ad Sacramentorum administrationem, quo se refert Muniessa, de quo *n.* 685. *virtualis* enim *intentio, quâ causatur continuatio operum sacramentalium*, non est aliquid, quod de præsenti non sit; sed est verè actus voluntatis præsens, adeò tamen tenuis, ut licèt tunc reflexè non cognoscatur ab operante; ratione tamen sufficienti adesse convincatur, quòd externæ actiones sacramentales non nisi voluntariæ, sint materia divinæ assumptionis; & actu causentur à voluntate illas imperante; ergo pariter si culpa præteritæ negligentiæ est causa operis, & continuationis ejus, debet tunc esse præsens in sui cognitione; cujus tamen contrarium ponit casus. 711.

Sequitur. 4. etsi continuans opus malum cum ignorantia præsenti de malitia operis, quod continuat, tunc non peccet imputabiliter, quia tunc malitia operis non est illi libera, utpote tunc nullatenus cognita; peccâsse tamen jam ante in admissa voluntariè negligentia cum prævisione mali operis secuturi, esto in se directè non intenti; ratio est ex *n.* 687. esto autem opus malum cum ignorantia *præsenti* de ipsius malitia commissum, *tunc*, quando committitur, non imputetur ad culpam, sed imputatum fuerit, quando liberè volita est causa cum præscientia talis operis exinde secuturi; ipsum tamen opus est in confessione aperiendum, licèt, antequam committeretur, per pœnitentiam retractatum sit malum culpæ, commissæ in admissa liberè negligentia, ex qua deinde citra novam culpam secutum est illud opus malum. Nam omne opus 712.

malum,

malum, secundùm quod est formaliter malum (si grave sit) confessioni debet subjici, si nondum sit confessum; sed licèt quis confessus sit negligentiam commissam in scientia debita, nondum tamen confessus est *opus malum* (v. g. *perjurium*) *secundùm malitiam, quam habet â causa, in qua fuit voluntarium*; ergo.

713. Sequitur. 5. quando lex imponit pœnam delicto *consummato*, v. g. *homicidio excommunicationem*; hanc in foro conscientiæ non incurri ab eo, cui homidium est tantùm indirectè, & in causa voluntarium v. g. in negligentia liberè volita, vel percussione lethali, ex qua prævidit secuturum homicidium, si priùs, quàm sequeretur mors, culpam priorem per pœnitentiam retractavit. Nam pœna, quæ petit delictum *consummatum*, intelligitur de delicto; *quod manet voluntarium*; nam in pœnalibus interpretatio benignior fieri debet, id quod ampliùs constabit ex dicendis.

714. Ad 3. rationem Munièssæ in *n.* 677. R. aliud esse, quòd tales *neque nunc peccent imputabiliter*, quando ponunt opus malum, non modò ignorantes illius malitiam, vel prohibitionem, sed firmiter sibi persuadentes, se facere bonum; *neque tunc*, quando liberè posuerunt causam hujus ignorantiæ, & pertinacis firmitatis, ex qua præviderunt secutura ea opera mala; aliud, *quòd non peccent nunc imputabiliter, peccaverint tamen jam tunc, quando liberè illis volita est ea causa.* Primum non sequitur ex sententia negante, ab his contrahi malitiam novam, *ultra malitiam causæ*, quando eis opus malum indirectè solùm est voluntarium, & tantùm in causa prava; secundum autem nihil non rectum continet; cùm solùm dicat, malitiam operis nulli esse imputabilem, nisi quatenus est libera operanti.

715. Ad quartam ejusdem rationem in *n.* 678. R. me concedere cum plurimis Theologorum, quòd, ut homo actu peccet, debeat advertere *se peccare*, hoc est, *se ponere opus prohibitum*; sed nego, ad hoc requiri, ut *adversione quadam reflexâ advertat, se advertere*; nam cognitio exprimens malitiam, vel prohibitionem operis, posita in intellectu, reddit eum formaliter cognoscentem malitiam, vel prohibitionem operis; unde si voluntati liberæ talis cognitio præluceat, & nihilominus opus faciat, sufficienter advertit, *se peccare, si facit*: ad hoc autem non requiritur illa advertentia reflexa; ergo. Ex dictis demum colliges, ignorantiam, quam quis habet, dum operatur aliquid de se malum, vel prohibitum, posse hìc & nunc esse invincibilem, & inculpabilem culpâ præsenti, licèt antecedenter inducta sit culpabiliter per voluntariam omissionem diligentiæ jure debitæ. Sit enim homo, qui ante tempus aliquod culpabiliter neglexit scientiam præceptorum; nunc autem pœnitens illius culpæ, toto animo vellet, sed nullatenus potest scire; & aliunde persuasus errore priùs culpabiliter inducto, *hoc opus* (quod exercere vult) honestum esse saltem negativè, illud exerceat: in isto casu error præsens, & ignorantia, invincibilis est, & caret præsenti culpâ; & quia etiam culpa negligentiæ supponitur deleta per pœnitentiam, carebit etiam culpâ præteritâ.

Dices: ergo talis homo, tunc faciens illud opus malum, ex ejusmodi ignorantia, nullatenus peccat. 716. R. dist. illatum: ergo talis homo tunc nullatenus peccat peccatô tunc imputabili, C. illatum; peccato nec imputabili, aut jam imputato, quando liberè posuit causam erroris, ex qua istud opus malum prævidit secuturum, N. illatum. Ratio est ex dictis. Cæterùm ignorantiam præcepti non desinere esse invincibilem per habitualem, aut virtualem notitiam præcepti, si in nobis sit citra causam culpabiliter admissam, ac ejus inductivam cum præscientia secuturæ ignorantiæ, unde plura fient opera de se mala cum defectu notitiæ de malitia, vel prohibitione talium operum, consequenter excusare à culpa imputabili; constat à *n.* 672.

## §. V.

### *An ignorantia vincibilis evadere possit invincibilis?*

717. NOn est dubium, ignorantiam vincibilem antecedenter, & ex eo *culpabilem* (quòd tunc victa non sit, cùm potuisset, ac ex obligatione debuisset) successu temporis, evadere posse invincibilem,

lem, & inculpabilem quoad specialem malitiam actuum materialiter malorum, ex inducta culpabiliter ignorantia subsequentium, etiam nondum peractâ pœnitentiâ super priori negligentia contra debitum sciendi admissa; sic Castropal. *P. 2. tr. 1. D. 1. p. 2. n. 4.* Ratio est, quia fieri potest, quòd à tempore commissæ negligentiæ tam longum temporis intervallum, talésque circumstantiæ interveniant, ut illud peccatum negligentiæ, respectu aliorum, quæ sequuntur ex ignorantia præsenti, sit, acsi non fuisset, in ordine ad influendam in opus, quod fit nunc ab ignorante illius malitiam specialem, & condistinctam à malitia præcedentis negligentiæ, ut constat ex *n.* 708.

718. Nec obstat, quòd culpa negligentiæ præcedentis necdum abolita sit per pœnitentiam. Ex hoc enim non fit, quòd in peccatorum post tantum tempus subsequentium malitiam specialem, quando fiunt, actu influat, reddendô ea, etiam secundùm illam rationem mali specialem voluntaria; cùm enim non influat physicè, sed solùm *objectivè* in peccata subsequentia, dum actu fiunt; id autem tunc præstare non possit, utpote tunc nullatenus cognita; & consequenter tunc nullatenus voluntaria, non est, unde ex illa specialis malitia operum materialiter malorum, & post longum tempus subsequentium, evadat voluntaria secundùm rationem illius mali specialem.

719. Dices, ex data doctrina sequi, quòd etiam excuset à peccato conscientia *vincibiliter errans*; nam hæc in modo, proponendi objectum, non differt ab invincibili; sed in eo tantùm, quòd illa, non ista, inducta sit per negligentiam inquirendi, cùm sciri potuisset, ac debuisset obligatio; contra quam deinde fit opus ex ignorantia; sed quòd hæc sit, vel non sit culpabiliter inducta, per ordinem ad præsentem libertatem, ac ejus exercitium formaliter imputabile de præsenti, materialiter se habet; nec enim actus aliter fieret stante ignorantia, licèt abfuisset, aut abesset culpa præterita; ergo.

720. Ante responsionem not. non eodem modo considerandas esse omnes operationes subsecutas ex ignorantia, vel errore priùsv incibili. Nam 1. aliæ sunt, quæ fiunt illo ipso instanti, quo quis per culpam admisit ignorantiam, vel errorem, non investigans veritatem, quam posset, & deberet; aliæ sunt, quæ fiunt in subsequentibus instantibus, in quibus tamen potest, & deberet deponere ignorantiam, eò quòd tunc occurrat aliquis scrupulus, vel cogitatio de obligatione inquirendi, aut abstinendi à tali opere: aliæ rursum sunt, quæ fiunt post pœnitentiam de culpa præterita; & cùm ponuntur ex ignorantia per culpam inductâ, sed jam retractatâ, talis ignorantia, vel error vinci non potest, consequenter jam sequuntur ex ignorantia, vel errore nunc invincibili; cùm esto vellet, non est, à quo jam interroget; vel quia de obligatione interrogandi, aut inquirendi, nullo modo cogitat; aliæ demum, quæ fiunt postea durante adhuc habitualiter culpâ præteritâ, non retractata, esto tunc homo nihil cogitet vel de illa præcedenti negligentia culpabili; vel obligatione inquirendi &c.

721. Not. 2. in primo, & secundo casu operantem non excusari à peccato, sed *actu peccare imputabiliter*, positione operis prohibiti, vel omissione præcepti, licèt sequatur ex ignorantia, vel errore culpabili. Ratio est, quia tunc quis actu peccat imputabiliter, quando ipsi actu voluntarium est opus materialiter malum, quod facit; sed sic contingit in dato casu; probatur; nam tale opus ponitur voluntarium in causa ignorantiæ, vel erroris culpabiliter data; ergo quando tale opus, materialiter malum, actu ponitur, dum actu ponitur voluntaria culpa talis causæ culpabiliter datæ; actu ipsi voluntarium est opus materialiter malum; sed in utroque casu tunc, quando ponitur opus materialiter malum, actu ponitur voluntariè causa illius ignorantiæ, vel erroris, ut constat ex *n.* 720. ergo.

722. Not. 3. in tertio casu non peccari imputabiliter *tunc*, quando ponitur opus materialiter malum. Rationem dat Muniessa cit. *stimulat. 3. q. 8. n. 69.* quia in hoc casu ignorantia, vel error *antea vincibilis, fit jam invincibilis, & excusans*; adeóque operatio deinceps subsecuta non est jam, à quo denominetur formaliter peccaminosa; cùm præcedens peccatum ignorantiæ, vel erroris, priùs culpabiliter contracti, jam per pœnitentiam sit delectum, nec habitualiter permaneat. Cæ-

terùm ratio hujus nostræ responsionis secundùm dicta est, quia tunc nec in se, nec in alio tale opus subsecutum est voluntarium, ut diximus suprà; & mox dicemus.

723. De quarto casu in *n.* 720. sic loquitur Munies sa cit. *n.* 69. *Operationes istæ, sic subsecutæ, quamvis non in perpetuum sint peccata formalia per novam ipsorum imputabilitatem, denominari adhuc possunt extrinsecè peccata, à peccato erroris culpabiliter commissi, nondum deleto, sed habitualiter perseverante.* Sed hæc resolutio admitti non potest. 1. ex dictis à *n.* 687. quia *tunc*, quando fit opus materialiter malum ex ignorantia, vel errore, culpabiliter inducto, nulla est in operante libertas vel operis, vel causæ; ergo nulla imputabilitas *tunc*, quæ non stat sine libertate *tunc*. Secundò, quia culpa præterita, etiam retractata, non impedit *voluntarium operis præteritum in causa*; ergo si hoc voluntarium causa, quod *non est*, dum opus ponitur, *sed fuit*, positâ retractatione non facit, quòd tunc non influat; quia tunc non est, sed fuit; nec enim non positâ retractatione facit, quòd tunc non influat; quia tunc non est, sed fuit, ut dixi *n.* 708. Nec obstat, quòd in primo casu nec sit *habitualiter*; secus, in secundo. Nam etsi hoc verum sit; hoc tamen discrimen in præsenti casu planè *materialiter* se habet. 1. quia aliàs, quamdiu est *habitualiter*, inficeret opera subsequentia, eáque *in perpetuum* denominaret peccata formalia per novam ipsorum imputabilitatem; quod tamen non admittit Munies sa, ut liquet ex ejus doctrina relata *num. præcedenti.*

724. Secundò, quia non ostenditur, quomodo culpa præterita, nondum retractata tunc, quando ex illa ponuntur opera subsequentia (citra ullam illius cognitionem) in ea influere possit *ad novam imputabilitatem*, distinctam ab ea, quam habuerunt, dum voluntariè posita est causa, ex qua sequuntur? Certum enim est, quòd illa culpa præterita, sequenti tempore in opera subsequentia *non* influat *physicè*; certum pariter est, quòd *non objectivè*, utpote nullatenus tunc operanti cognita, nec tunc impedibilis, ut ponit casus; ergo. V. dicta à *n.* 708. his præmissis:

725. Ad object. in *n.* 719. ℟. cum distinctione: ex data doctrina sequitur, quòd conscientia vincibiliter errans excuset à peccato formali, & noviter imputabili, quando opus ex illa secutum ponitur extra statum libertatis tam circa causam mali operis inductivam, quàm circa ipsum opus, C. quando opus ex illa secutum ponitur intra statum libertatis, vel circa causam mali operis inductivam, vel circa ipsum opus, N. sequelam. Ratio prioris est, quia in primo casu est opus voluntarium actu, saltem in causa, dum opus actu fit; ut diximus *n.* 721. Ratio posterioris est; quia tunc, quando ponitur opus, hoc nec in se, nec in causa est voluntarium.

Instabis 1. tunc, quando ponitur opus, 726.
*hoc* manet *habitualiter* voluntarium in causa. ℟. 1. solùm sequi, *quòd peccaverit*, quando voluntariè posuit causam; non autem, quòd *peccet nunc.* ℟. 2. cum distinctione: tunc, quando ponitur opus, hoc manet *habitualiter voluntarium* in causa, *voluntarietate habituali solùm materialiter se habente ad actus inde secutos* extra omnem libertatem de præsenti ad novam imputabilitatem, C. formaliter se habente, N. ratio constat ex dictis *n.* 718.

Instabis 2. esto mors Petri primò se- 727.
quatur extra statum libertatis, postquam præterîit causa voluntariè data à Paulo, ex qua mors Petri extra statum libertatis sequitur, tamen Paulus *tunc primò* denominatur *homicida*, consequenter *peccans peccatô homicidij formaliter imputabili*, quando ponitur mors Petri, & non ante: ergo similiter, esto perjurium *primò* sequatur extra statum libertatis, postquam præterîit causa voluntariè data à pejerante, ex qua perjurium extra statum libertatis sequitur; tamen *tunc primò* denominatur *perjurus*, consequenter *peccans* peccatô perjurij formaliter imputabili, quando ponitur perjurium; seu vocatio Dei in testem falsi.

Resp. cum distinctione antecedentis: 728.
tamen *tunc primò* denominatur *homicida*, consequenter *peccans* peccatô homicidij formaliter imputabili, *quoad solam consummationem delicti antè commissi*, C. *quoad formalem malitiam*, & *formalem imputabilitatem homidij*, N. anteced. Ratio patet ex dict. à *n.* 687. distinguo pariter conseq. ergo *tunc primò* denominatur *perjurus*, & *peccans* peccatô perjurij formaliter

maliter imputabili, *quoad solam consummationem delicti antè commissi*, quando voluntariè posita est causa illius inductiva, C. *quoad malitiam*, & *formalem imputabilitatem* in conscientia, & quoad Deum, N. conseq.

729. Verum est, quòd, quando extra statum libertatis sequitur opus materialiter malum, ex errore priùs vincibiliter, & culpabiliter inducto, conscientia per culpabilem errorem proponens, illud non esse malum, sed potiùs honestum; in modo proponendi eodem modo se habeat, ac se haberet, si tunc sequeretur ex errore invincibiliter errante, seu, ac si illud proponeret conscientia inculpabiliter errans; & ideo sicut in isto, sic in illo casu opus illud materialiter malum, tunc, quando ponitur extra statum libertatis, nullatenus est imputabile ad novam malitiam, quia tunc in neutro casu ullatenus est voluntarium, & liberum: in hoc tamen est discrimen, quòd illud opus secutum *ex errore invincibili*, nec tunc *fit*, quando ponitur; nec antè *fuerit* imputabile ad culpam; quia nec tunc, nec antè ullatenus fuit voluntarium; at quando secutũ est ex *errore* priùs *culpabiliter inducto*, esto tunc, quando ponitur, non sit imputabile; fuit tamen jam priùs imputatum, quando voluntariè, ac culpabiliter posita fuit causa ejus inductiva.

730. Dices. 2. ergo si in dato casu opus (*mendacium* v. g.) extra statum libertatis secutum ex errore priùs culpabiliter inducto, excusatur à nova imputabilitate ultra imputabilitatem causæ, poterit quoque imputari ad bonitatem, & meritum, si talis error de præsenti quidem inculpabilis, antè tamen in causa culpabiliter data voluntarius, dictet esse obligationem mentiendi.

731. Munièssa cit. *stimulat.* 3. §. 9. *n.* 75. negat, *mendacium*, seu voluntatis imperium, imperans *mendacium*, commissum ab invincibiliter putante, *se hic, & nunc teneri ad mentiendum causâ boni communis* v. g. esse formaliter bonum, honestum, meritorium, aut supernaturale esse, vel esse posse, licèt ea invincibilitas faciat, quòd *mentiri* tunc non sit formale peccatum, & malum imputabile.

732. Fundamentum sumit ex D. Thoma, 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. ubi quærens: *utrum voluntas, concordans rationi erranti, sit bona?* opponit sibi primò: *voluntas discordans à ratione errante, est mala: ergo concordans est bona*: & factâ in Corpore distinctione erroris, sicut, & ignorantiæ culpabilis, & inculpabilis, respondet mox: *Ad primum ergo dicendum, quòd, sicut Dionysius dicit in 4. de div. Nom. bonum causatur ex integra causa; malum autem ex singularibus defectibus: & ideo, ad hoc, ut dicatur malum id, in quod fertur voluntas; sufficit, sive quòd secundùm suam naturam sit malum, sive: quòd apprehendatur ut malum; sed ad hoc, quòd sit bonum, requitur, quòd utroque modo sit bonum.* Sibi consonat *q.* 17. *de Ver. art.* 4. ubi locutus de conscientia errante, ait: *ligare conscientia dicitur, quòd aliquis, nisi conscientiam impleat, peccatum incurret; non autem hoc modo, quòd aliquis implens rectè faciat.*

733. Deinde probat ratione, ut ait, solidissimâ: illa conscientia errans, quæ dictat, *licere tunc homini mentiri*, non tollit, quo minùs *mendacium* sit *mendacium*; & volitio *mendacij*, per ipsam regulata sit *volitio mendacij, cogniti, ut mendacij*; ergo non tollit, quo minùs ejusmodi volitio sit *intrinsecè mala, & prohibita, utpote volens mendacium, quod est objectum intrinsecè malum, & prohibitum*: sicut conscientia aliter errans, existimandò: *loqui contra mentem*, non esse *mentiri*, non tolleret, quo minùs reipsâ *loqui contra mentem* esset *objectivè mentiri*, quo posito, concludit: nihil horum negari potest, nisi negandò nec materialiter, aut ajunt, esse malam ejusmodi volitionem, quod evertit quæstionem; aut abeundò in præcipitium dicentium, nihil esse intrinsecè malum.

734. Verùm hæ rationes non evincunt intentum. Igitur, omisso interim textu D. Thomæ, (de quo V. *n.* 760.) ad argumentum ex ratione petitum in *n. præced.* R. datô, quod supponit, *velle mentiri* esse intrinsecè malum, quando talis voluntas concipitur prælucente aliquâ cognitione *de malitia mendacij*; non autem, si secus. Hinc ad primam propositionem antecedentis: illa conscientia errans, quæ dictat: *homini licere mentiri*, non tollit, quo minùs mendacium sit mendacium, R. cum distinctione: non tollit, quo minùs mendacium sit mendacium in se, aut

etiam

etiam in cognitione dictante, *licere mentiri*, C. non tollit, quò minùs mendacium sit mendacium *cognitum ut malum*, & *prohibitum*, N. Ad secundam propositionem antecedentis: illa conscientia errans non tollit, quò minùs in dato casu volitio mendacij, per ipsam regulata, sit volitio mendacij, *cogniti ut mendacij præcisè*, C. *cogniti ut mendacij ex se mali*, & *prohibiti*, N. ant. & consequentiam.

735. Tota igitur quæstio huc reducitur, an, *velle objectum de se malum*, *malitiâ solùm fundamentali*, quando nulla prælucet tunc voluntati cogitatio exprimens talis objecti malitiam, sed potiùs per errorem tunc inculpabilem dictans, esse bonum, & honestum; atqueadeò an volitio operis, quòd est intrinsecè malum, *eo ipso sit intrinsecè mala*, etiam si concipiatur à voluntate non modò penitus ignorante ullo modo, in datis circumstantiis *esse malum*; sed potiùs invincibiliter persuasâ *esse bonum*, & *honestum*?

736. Affirmativam, ut constat, tenet Muniessa, & probat. 1. talis volitio, reipsâ lege Dei est prohibita, non secus, ac ipsum mendacium; certum enim est, legem prohibentem opus, prohibere volitionem operis, licèt falsò putetur, *non prohiberi*; probat: quia si reipsâ faceret, quin esset intrinsecè mala volitio mendacij, dictamen jam non esset falsum, sed verum, utpote dictans *nullatenus esse malum*, quod voluntas exercitè facit.

737. Sed R. volitionem objecti intrinsecè mali, conceptam sine ulla advertentia de malitia talis objecti non æquè prohibitam esse Dei lege, ac ipsum mendacium, seu objectum intrinsecè malum. Hinc nego, legem prohibentem opus intrinsecè malum, prohibere etiam volitionem operis conceptam sine ulla notitia de malitia talis operis, sed potiùs persuasâ firmiter per invincibilem tunc errorem, quòd sit bonum, & honestum. Nego etiam, quòd tale dictamen applicans alterum, quòd non liceat, *velle transgredi legem Dei*, & dicens: *si nunc non mentiaris*, *peccabis*, *& transgredieris legem Dei*, etsi exercitè quis juxta illud mentiretur, non esset falsum, sed verum; cùm dicat: illud objectum, in quod tunc tendit volitio, *nullatenus* esse malum (cùm tamen solùm non sit malum *in suppositione* conscientiæ invincibiliter errantis, ut pluribus dicemus *in seqq.*

Deinde, si est intrinsecè malum, velle facere opus, *quod est*, *sed invincibiliter ignoratur*, *esse intrinsecè malum*, ea volitio hanc intrinsecam difformitatem cum recta ratione vel habet ex se, vel ex intrinseca connexione cum tali objecto? *non secundum*; quia plurima etiam supernaturalia (ut actus divinæ fidei, quo quis credit, *formaliter se mentitum*) sunt intrinsecè connexa cum objecto intrinsecè malo non tantùm materialiter, sed etiam formaliter, quin eo titulo sint intrinsecè mala: *non primum*, quia talis volitio ex se non potest esse difformis rectæ rationi, nisi titulò intrinsecæ connexionis cum tali objecto; sed hoc titulo non evadit intrinsecè mala; ergo. 738.

Dices: habere malitiam intrinsecam objectivam, seu fundamentalem ratione actualis amplexûs objecti intrinsecè mali. R. id dici, sed non probari. Nam unde talis amplexus, *purè materialis*, habet, ex se difformari rectæ rationi? certè non alio titulo, nisi ratione connexionis intrinsecæ cum tali objecto; at hoc ex dictis non sufficit; ergo. 739.

Instabis cum eodem. 1. in *n.* 79. ergo homini, conscio de intrinseca malitia objecti, alteri, invincibiliter putanti, *honestum esse*, *in illis circumstantiis mentiri*, licebit suadere, aut consulere, *ut velit mentiri*; nam talis volitio intrinsecè mala non est, nec prohibita, nisi scienti malitiam objecti. Verùm R. N. illatum, quia, licèt ille, cui consulitur mendacium, eo casu mentiendo non peccaret formaliter, cùm ponatur invincibiliter ignorare, *in iis circumstantiis mentiri*, esse malum, vel prohibitum; consulens tamen licitè non ageret, sed illicitè; cùm scienter vellet, fieri per alium, quod malum est vel ex se, vel ex circumstantia legis, quam quidem alter ignorat, at non ipse. 740.

Instabis. 2. si talis volitio mendacij non foret intrinsecè mala, malitiâ materiali, & objectivâ, non esset, unde sumerent formalem malitiam aliorum non errantium, sed rectè judicantium, deliberatæ volitiones prosecutivæ, sive per modum gaudij, simplicis complacentiæ, sive desiderij illarum operationum hominis errantis, amentis, aut ebrij. 741.

742. Resp. 1. sint duo, quorum ambo die Veneris velint, *comedere carnes eo die prohibitas*, sed unus sciens prohibitionem juris positivi Ecclesiastici; alter cum invincibili ignorantia ejusdem. In dato casu volitio ignorantis, & volitio scientis tendunt in idem objectum; illa tamen caret, & ista habet formalem malitiam contra legem jejunij. Quæro, *unde volitio rectè judicantis, & scientis prohibitionem, præ volitione ignorantis habet formalem malitiam?*

743. Respondebis, ex objecto, non secundùm se, sed ut subest circumstantiæ legis prohibentis à rectè judicante, non autem ab errante cognitæ; at sic ea volitio, in quantum est volitio *edendi carnes die Veneris*, non *est ex se* mala etiam materialiter; sed solùm, *ut conjuncta cum circumstantia legis*, quæ tali volitioni non est intrinseca, æquè, ac volitioni mendacij non sit intrinseca materialis malitia mendacij; ergo nec ista est ex se mala etiam materialiter, sed solùm extrinsecè, ratione circumstantiæ, quæ inest objecto, in quod tendit, ac in eam refunditur, ubi cognitum voluntas nihilominus prosequitur. Hinc

744. Resp. 2. ad instantiam in *n.* 740. negandô id, quod assumitur; jam enim dictum est, quòd prosecutio earum actionum, quas sine formali malitia faciunt invincibiliter errantes, factæ à non errantibus, sed scientibus legem prohibentem, formalem malitiam sumant ab objecto cognito *ut malo*, vel ex se, vel ex circumstantia legis eas prohibentis.

745. Instabis 3. ergo talis volitio, saltem tunc non erit formaliter honesta, & meritoria, si verè sit intrinsecè mala materialiter, non secus ac mendacium, esto contingat dependenter à conscientia invincibili errore, dictante, ex obligatione mentiendum esse. Ad hoc respondet Muniessa *cit. stimulatione* 3. §. 9. *n.* 73. hominis voluntatem in dato casu, *materialiter quidem malam*, excusati *à peccato formali*, non tamen, *bene, ac honestè formaliter operari.* Præter allatas jam rationes, quæ procedunt ex suppositione, quòd volitio objecti intrinsecè mali sit intrinsecè mala, malitiâ objectivâ, & materiali, quod jam negavimus, intentum suum probare nititur sequentibus argumentis, §. 10. *n.* 81.

Primô. Nulla volitio potest evadere formaliter bona, quæ non regulatur à prudentia, ut constat ex Aristotele *Ethic. 6. c.* 1. volitio procedens ex conscientia invincibiliter errante, non regulatur à prudentia; hæc enim nequit falsitati subjacere; illa verò actu falsa est; ergo. 2. dictamen ex invincibili errore approbans mendacium, *ut honestum*, difformatur primæ regulæ omnis honesti, nimirum legi æternæ, & voluntati Dei; ergo etiam volitio humana, quæ sequitur tale dictamen; prob. conseq. quia conformitas cum prima regula omnis honesti, est ratio indefectibilis honestatis, & bonitatis moralis; quod autem ab intrinseco est difforme primæ regulæ omnis honesti, nequit ei esse conforme; ergo quod est ab intrinseco difforme primæ regulæ omnis honesti, nequit esse moraliter bonum, & honestum: at volitio objecti per se, & intrinsecè mali ab intrinseco est difformis dictæ primæ regulæ non minùs, quàm dictamen illud erroneum, ex quo sequitur; est enim intrinsecè, & naturâ suâ *volitio rei* (*mendacij* v. g.) *non honestè volibilis*; ergo. 746.

Verùm nec ista evincunt intentum; & ideo Terillus *p.* 1. *de Reg. mor. q.* 3. P. Mathæus de Moya *tom.* 2. *q.* 9. *§.* 6. P. Ferdinandus de Castropalao, *P.* 1. *tr.* 1. *de Conscient. D.* 1. *p.* 2. *n.* 6. Esparza *de actibus humanis. q.* 24. *a.* 3. & alij apud eos relati, probabilius docent, operationem, *materialiter malam*, quæ ponitur ex dictamine conscientiæ invincibiliter dictante, illam non esse malam, sed hìc & nunc sub obligatione, factam liberè, esse formaliter bonam, & honestam; ut constabit etiam *ex sequentibus.* Igitur ad primam rationem &c. cum distinctione majoris: nulla operatio potest evadere formaliter honestaquæ, non regulatur à prudentia *per dictamen practicum rationis, applicatâ voluntati quoad casũ operationis tunc exercendæ*, C. ma. *non applicatâ*, N. ma. distinguo etiam min. volitio procedens ex conscientia invincibiliter errante, non regulatur à prudentia per dictamen practicum rationis *non applicata* voluntati quoad casum operationis tunc exercendæ, N. min. *applicatâ*, C. min. N. conseq. Hanc distinctionem ipse Muniessa & admittere tenetur; & admittit. 747.

Cùm enim de paucis habeamus certitudinem, 748.

tudinem, ubi quæstio est, *an sit, an non sit lex, prohibens talem actum in particulari?* v. g. talem contractum, aliis affirmantibus, aliis negantibus, esto stet infallibile dictamen prudentiæ, *contractum prohibitum*, illicitè; *non prohibitum*, licitè celebrari; operans tamen, nisi priùs, post debitũ examen, vel inquisitionem, pro suo sibi captu persuadeat, saltem in prudenti apparentia motivorum, verum esse, non dari talem legem prohibentem, non operabitur licitè, nisi dictamen prudentiæ voluntati quoad casum hunc applicetur per dictamen rationis practicum, quo sibi persuadeat, verum esse, non dari talem legem prohibentem, esto dictamen illud, applicans prudentialem eam regulam, sit simpliciter incertum, & in re falsum.

749. Ad id, quod pro minoris probat. additur in objectione cit. *n.* 746. *dictamen prudentiæ nequit falsitati subjacere*, &c. cum dist. nequit falsitati subjacere, *quoad se, & seclusâ applicatione* per dictamen rationis ad casum particularem, C. *quoad ipsam applicationem*, N. Dici etiam potest, dictamen prudentiæ elicitum, non autem *duntaxat imperatum* ab illa, non subjacere falsitati. Sed hoc non obstat, quo minùs verum sit, operationem in dato casu sequi, & regulari à dictamine prudentiæ, applicato per dictamen practicum rationis in casu particulari, quo post debitam diligentiam, pro captu operantis, ipse sibi persuadet, ut dictum est, verum esse, nullam dari legem, quæ prohibeat talem operationem; nam *tale judicium concipere, est formare suam conscientiam, quâ quis licitè operetur*, ut ait ipse Muniessa, *stimulat.* 8. *n.* 120.

750. Ad 2. rationem in *n.* 746. N. ant. cum P. Castropalao *cit. n.* 5. ubi expressè, ac meritò docet, conscientiam errantem, non esse *formaliter* contrariam legi divinæ; quia lex divina, cui videtur contrariari, tunc non obligat; cùm non sit in judicio intellectûs, quod necessarium erat ad obligationem inducendam. Dixi, conscientiam errantem divinæ legi non contrariari *formaliter*, nimirum *ut cognitæ*, tanquam prohibenti volitionem mentiendi in talibus circumstantiis; cum hoc tamen stat, quòd ei contrarietur materialiter, quatenus falsò, & erroneè mendacio tribuit *absolutè* veram honestatem, quam ei lex æterna Dei negat *absolutè*, & solùm concedit ex suppositione conscientiæ invincibiliter, ac citra culpam errantis, ut dicemus à *n.* 772. Nam in hoc situs est error ille conscientiæ, de quo loquimur.

Ex hoc sequitur, *nec volitionem mendacij*, quando hujus objectiva malitia invincibiliter ignoratur, & potiùs judicatur bonum, & honestum; *æternâ lege Dei prohiberi*, nisi pro circumstantia cognitionis eam malitiam exprimentis, adcóque nullatenus ex se malam esse moraliter. Neque dicas: ergo in tali casu mendacium commissum *nec erit materiale peccatum*; quia tunc nec æternâ Dei lege prohibetur, ut dictum est cum [Castropal. *cit. num. priori.*) Respondetur enim N. illatum. Nam ut aliquod opus sit *materiale peccatum*, sufficit, quòd cognitum cum sua malitia (si quam habet ex se, vel ex lege,) ac liberè volitum, evaderet peccatum formaliter, nimirum imputabile ad veram culpam, esto careat hac imputabilitate formali, quando fit ex invincibili errore. 751.

Quando dicitur, quòd *conformitas cum prima regula sit ratio indefectibilis honestatis*, distinguendum est, & concedendum, si loquatur de conformitate cum prima regula, *operanti intimata per conscientiam*; secùs, negandum est. Nam regula *operandi honestè*, non debet relatè ad hominem ab ea dirigendum considerari *merè secundùm se* (prout est in aliis, quæ petunt medium rei, seu ut res rei congruat) sed secundùm quod est in conscientia, regulanda per eam; adeóque sufficit, operationem, quæ fit secundùm conscientiam invincibiliter errantem, conformari primæ regulæ, secundùm quod est in conscientia; at hoc contingit in dato casu; ergo. 752.

Demum ad id, quod in eodem *n.* 746. ad finem additur: *volitio mendacij adhuc esset volitio rei non honestè volibilis*, etiam in causa, quo quis per invincibilem errorem sibi persuaderet, se hìc & nunc jure naturali teneri ad mentiendum ad salvandam v. g. salutem Reipublicæ. &c. omnino negari eam propositionem. Aliud est, quòd volitio mendacij, *sit volitio rei non honestè volibilis, cognitâ ejus malitiâ, & prohibitione*; aliud, quòd *non modò invincibiliter ignoratâ, sed etiam tanquam rei sub obligatione per conscientiam propo-* 753.

*sitæ*

*sitæ.* Primum verum est; sed secundum omnino falsum. Certum enim est, quòd talis homo, sic persuasus, deberet *tunc velle mentiri*; aliàs enim peccaret, ut fatetur Munièssa *stimulat.* 3. §. 13. *n.* 107. ubi rationem reddit dicens: *verum est, quòd ille homo sic constitutus peccaret, si non mentiretur: nam volens tunc non mentiri, vellet transgredi veram Dei legem, sibi repræsentatam; quod velle, peccatum abs dubio est, sive reipsa detur, sive non detur lex mentiendi: quia, sive ista detur, sive non detur, datur abs dubio vera lex Dei, & naturæ, prohibens nobis, velle transgredi Dei legem, & peccare.* quo posito:

754. Quæro jam, an si talis homo sincerè intenderet se conformare veræ legi Dei sibi repræsentatæ, & hoc fine poneret mendacium, verè laudabiliter, bene, ac honestè ageret, vel non, saltem in affectu, & quoad imputabilitatem virtutis, cujus finem operans directè intendit? si conceditur, habetur intentum; si negatur, ut reverâ negare debet Munièssa secundùm sua principia, non video, quid ampliùs ad operandum honestè imputabiliter desiderari possit. Nam etsi plus requiratur, *ad operandum honestè formaliter*, quàm *ad operandum inhonestè formaliter* (nam ad hoc sufficit, quòd quis liberè velit malum morale per conscientiam *ut tale* propositum, esto id non intendat, *quia malum*; ad illud autem non sufficit liberè velle bonum morale per conscientiam *ut tale* propositum; sed requiritur etiam, ut quis illud velit, *quia bonum*, seu honestum moraliter secundùm dictamen conscientiæ) ubi tamen hoc utrumque concurrit, ut reverâ fit in dato casu, nihil omnino deficit, ut talis operatio evadat honesta formaliter, & imputabilis ad virtutem, ut præter citatos Authores in *n.* 747. tenet etiam Thom. Sanchez *l.* 1. *in Decal. c.* 11. *n.* 17. Azor *l.* 2. *c.* 8. *q. ult.* Salas. 1. 2. *tr.* 8. *D. unic. sect.* 3. *n.* 20. & Izquierdo *de Deo Uno, tr.* 10. *D.* 35. *n.* 37. & 43. ubi expressè docet, *ut bonitas materialis alicujus actûs, per conscientiam probabilem, licèt in re falsam, proposita, evadat operanti formaliter imputabilis, & bona, sufficere in ratione propositionis judicium practicum probabile de tali bonitate actûs.*

755. Ad casum *n. priori* propositum, quem sibi objicit Munièssa *cit.* §. 13. *n.* 106. respondet *n.* 107. *falsum esse, quòd talis tunc impleret Dei præceptum, reipsa illum obligans ad tunc mentiendum*; quia nec datur reipsâ, nec dabile est in Deo pro ullo casu tale præceptum, utpote involvens voluntatem Dei de re intrinsecè mala, quod non minùs, ac ipsum peccatum, repugnat Divinæ Sanctitati. Circa istam responsionem recolenda sunt ejus verba relata superius *n.* 753. ubi expressè docet. 1. quòd peccaret contra veram Dei legem sibi repræsentatam, qui mentiri nollet, quando ipsi proponitur per invincibilem errorem, quòd detur vera lex Dei obligans, ut mentiatur. 2. quòd sive detur, sive non detur reipsâ *lex mentiendi*, tamen *abs dubio detur vera lex Dei, & naturæ, prohibens nobis, velle transgredi Dei legem, & peccare*; quo posito:

756. Contra datam responsionem instari potest: si abs dubio datur vera lex Dei, & naturæ, prohibens nobis, *velle transgredi Dei legem, & peccare*; necesse quoque est, quòd abs dubio detur vera lex Dei, & naturæ, prohibens nobis, *velle omittere mendacium*, quando quis per invincibilem errorem conscientiæ judicat, dari veram obligationem mentiendi; quia tunc, *velle omittere mendacium, est velle transgredi veram Dei legem sibi repræsentatam*, quod *velle, abs dubio est peccatum*, ut disertè ait Munièssa cit. *n.* 107. ergo non est falsum, sed verum, quòd Vir ille, si mentiretur, tunc adimpleret Dei præceptum reipsâ existens, & ipsum obligans *ad tunc mentiendum*; patet conseq. quia datur in re vera lex Dei, & naturæ, prohibens, *velle transgredi legem; sed tunc velle omittere mendacium*, est *tunc velle transgredi legem*; ergo datur vera lex Dei, & naturæ, prohibens, *tunc velle omittere mendacium*; at lex prohibens omissionem actûs, petit positionem actûs; ergo vera lex Dei, & naturæ prohibens *tunc velle omissionem mendacij*, petit tunc *positionem mendacij*; qui autem facit, quod lex petit, ac eo modo, quo petit, legem adimplet; ergo.

757. Ex dictis collig. 1. ignorantiam vincibilem, in casu, quo desiit esse vincibilis, & reddita est invincibilis, excusare operantem à culpa tunc imputabili, quando actu ponitur opus materialiter malum ex tali errore, vel ignorantia. Ratio est à

*n.* 722.

*n.* 722. quod procedit non tantùm, quando sequitur post culpam præcedentem jam abolitam per pœnitentiam, ex *num. cit.* sed etiam licèt nondum abolita sit, & habitualiter tunc perseveret, ex *n.* 723. & *seq.* Collig. 2. operantem ex errore, vel ignorantia vincibili, & culpabili tunc, cùm actu ponitur opus cæteroquin prohibitum, non excusari à culpa, quam inducit *negligentia*, quæ tunc committitur, dum non vincitur error, vel ignorantia, cùm posset, & deberet; ratio est à *n.* 721. Collig. 3. eum, qui ex invincibili errore sibi persuadet, se hic, & nunc teneri v. g. *mentiri ad salvandam vitam alterius*, in tali casu *mentiendò*, non tantùm non peccare formaliter; sed etiam operari bene, ac honestè formaliter, si id faciat animò se conformadi tunc legi per conscientiam invincibiliter errantem propositæ. Ratio primi est ex dictis à *n.* 247. secundi, à *n.* 718.

758. Colliges. 4. concedi, quòd dentur quædam objecta ex se, & intrinseca sua ratione fundamentaliter, seu materialiter mala malitia morali. Nam *odium Dei* antecedenter ad omnem legem Dei, vel naturalem, vel positivam habet, quòd ejus *libera eligibilitas, citra errorem in eligente*, disconveniat rectæ rationi. Nam in hoc sita est malitia moralis, fundamentaliter, seu materialiter solùm talis. Ex hoc collig. 5. quòd, si mendacium de se, & ex intrinseca sua ratione est malum moraliter malitia fundamentali, ejus volitio, antecedenter ad omnem legem Dei tam naturalem, quàm positivam, pariter de se, & ex intrinseca sua ratione sit mala moraliter malitiâ fundamentali *relatè ad operantem* circa tale objectum secluso errore, quod voluntas prosequitur; non autem *relatè ad operantem*, seu mentientem *cum errore invincibili*, quo conscientia sic errans dictat, tunc esse sub obligatione mendacium.

759. Ratio postremi est; quia, cùm taliter errans in dato casu ex vera lege Dei, & naturæ *tunc* prohibeatur, velle transgredi legem Dei sibi propositam à conscientia; & nolle *tunc* mentiri, in re *tunc* sit *velle transgredi legem Dei* sibi propositam à conscientia; necesse est, quòd *velle tunc mentiri* sit sub vera lege Dei, & naturæ; quod tamen non esset, si etiam *pro casu erroris* ejus eligibilitas libera, foret disconveniens naturæ rationali, quà tali; cùm implicet in iisdem omninò circumstantiis contradictionem, eundem actum esse, & non esse sub vera lege Dei, & naturæ; quod tamen sequeretur. Sequela ex dictis constat. Nam in casu, quo per conscientiam invincibiliter errantem proponitur, *esse obligationem mentiendi*, est sub vera lege Dei, & naturæ prohibente, *velle transgredi legem Dei*, consequenter, *nolle tunc mentiri*, atqueadeo reipsa est sub vera lege Dei, & naturæ petente, *tunc velle mentiri* ex *dict.*

Si autem etiam pro eodem casu dicti erroris *velle mentiri* esset intrinsecè malum, 760.
seu disconveniens naturæ rationali, quà tali, idem *velle mentiri* sub iisdem circumstantiis, esset, & non esset sub vera lege Dei, & naturæ. Ex hoc facilis est responsio ad argumentum desumptum ex S. Thoma, de quo suprà *n.* 732. Nam esto detur totum, quod ibidem dicit D. Thomas ex S. Dionysio, dum ait: ad hoc, ut dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, sive quòd secundùm suam naturam sit malum; sive quòd apprehendatur ut malum: *sed ad hoc, quòd sit bonum, requiritur, quòd utroque modo sit bonum*; nihil tamen exinde concluditur. Nam volitio mendacij in casu, de quo controvertitur, *utroque modo est bona*; ergo in dato casu, etiam ex doctrina S. Thomæ est bona, & honesta. Ant. prob. & primò, *est bona in cognitione*; cùm apprehendatur ut bona moraliter, & ut præcepta, prout potuit ipse casus. Secundò *est bona* etiam *in se sub illis circumstantiis*; tum quia, ut rectè notavit Castropalaus, *cit.* & à nobis relatus *n.* 750. non prohibetur à Deo; tum quia in illis circumstantiis est sub vera lege Dei, & naturæ, prohibente omissionem volitionis, consequenter petente volitionem operis, quod proponitur per conscientiam errantem ex obligatione volendum. Quis autem neget, opus esse bonum, & honestum tunc, quando est sub obligatione veræ legis Dei, & naturæ?

Responderi etiam posset, quòd, quando S. Thomas dicit, ad hoc, ut sit bonum opus, quod facimus, requiri, *quòd sit bonum ex integrâ causâ*, aliud non intendat, quàm requiri, quòd sit bonum non tantùm

tùm in cognicione, sed etiam *in medio, & fine;* sicut enim medium de se bonum vitiatur ex fine pravo v. g. *dare elëemosynam, ut seducas accipientem pauperem;* sic & finis de se bonus vitiatur ex medio pravo v. g. *furari, ut des elëemosynam:* at in nostro casu finis est bonus, nempe *salus Reipublicæ*; & medium est, *nolle transgredi legem Dei, & naturæ*, mendacium omittendô, quod in dato casu abs dubio esset transgressio illius legis, & peccatum formaliter; ergo. Et ex his resolvi possunt alij textus tum D. Thomæ, tum D. Bernardi à Munies*sa stimulat. 3. c. 9. à n. 76.* in contrarium adducti.

762. Collig. 6. opus aliquod *sub certa circumstantia* intrinsecè malum, non eoipso etiam esse tale *sub alia*; sic homicidium, seclusa lege Dei (in quantum ei ut supremo Domino subest vita hominis) indulgentis occissionẽ hominis, aut seclusâ justitiâ vindicativâ justè ad mortẽ condemnante malefactorem, aut simili causa, est intrinsecè malum; secus ea præsente: at mendacium, quod præsens casus ponit intrinsecè malum, sic se habet. Non enim est intrinsecè malum sub qualibet circumstantia, ut dictum est *suprà*, nimirum in circumstantia conscientiæ invincibiliter dictantis *velle mentiri*, esse sub obligatione. Ex quo habetur, aliud esse, quòd conscientia, invincibiliter errans, objecto intrinsecè malo tollat suam pravitatem *in ratione propositionis*, nimirum erroneè proponendô illud sine malitia, sed potiùs cum bonitate; aliud, quòd *in ratione circumstantiæ* faciat, ne tunc, & pro casu hujus circumstantiæ, ubi sic proponitur, sit dissonum rectæ rationi, consequenter intrinsecè, seu ex se malum; primum omnino conceditur; at secundum negatur ex *dictis.*

763. Collig. 7. sicut homicidium, licèt in certis circumstantiis sit intrinsecè malum, consequenter tunc non honestè volibile; in aliis tamen est honestè volibile, quando scilicet id exigit justitia vindicativa; sic mendacium v. g. licèt in certis circumstantiis (nimirum, cùm operamur citra errorem) sit intrinsecè malum, & consequenter tunc non sit honestè volibile; in aliis tamen esse honestè volibile, nimirum ubi proponitur suppositio errore conscientiæ invincibiliter dictantis, *tunc velle mentiri, esse sub obligatione*; quia tunc id exigit vera lex Dei, & naturæ, prohibens, *velle transgredi legem à conscientia proposita.*

Collig. 8. ex hoc, quòd detur vera lex Dei, & naturæ prohibens, *velle transgredi legem Dei*, consequenter petens, *ut quis velit mentiri tunc, quando nolle mentiri*, vel *velle omittere mendacium*, foret transgredi legem Dei, nullatenus bene inferri, quòd divina voluntas tunc esset de re intrinsecè mala, ut constat ex *dictis.*

Collig. 9. *voluntatem* in dato casu *mentiendi*, fore non tantùm formaliter honestam, ut dictum est, sed etiam meritoriam. 764. Nam actus formaliter honestus est dignus præmiô; consequenter meritorius formaliter; sed ea voluntas in dato casu esset formaliter honesta, ut dictum est; ergo digna præmiô, consequenter formaliter meritoria. Collig. 10. non esse ullum inconveniens, imo rectè concedi, voluntatem mentiendi, quando quis invincibiliter, licèt ex errore, modò inculpabilis sit, judicat, *se hic, & nunc teneri, velle mentiri*, posse supernaturalem esse, quia non laborat ullo vitio vel in ratione entis, vel in genere moris, repugnante supernaturalitati.

Si dicas: Deus author esse non potest 765. alicujus mali moralis, aut alicujus falsi; sed hoc fieret in dato casu; sic enim deberet esse Author illius *judicij errantis*, & dictantis, *esse mentiendum* v. g. ob salvandam vitam alterius. Si enim illius Author non est, non est obligatio sequendi illud. Nam in tantum sequi tenemur conscientiam, in quantum est quædam regula à lege æterna derivata: respondet Castropal *cit. P. 1. tr. 1. D. 1. p. 2. n. 5. ad 3.* Deum, nulla facta suppositione, non posse physicè; vel moraliter ad malum morale, vel falsum inclinare; & ita neque consulere, nec præcipere, *esse mentiendum*; nec determinare intellectum, ut errorem illum habeat; concurrere tamen tanquam causam universalem: at, *errore supposito, bene posse præcipere, esse mentiendum*, non quidem *absolutè*, sed *ex suppositione*, quòd conscientia errans id dictet. Ex quo ad argumentum &c. data majori, si loquatur de Deo specialiter concurrente ad malum morale, vel errorum, & falsum in intellectu; & sic N. min.

cum

cum sua probatione, *quòd deberet esse specialis author, seu causa illius judicij falsi;* nego etiam, quòd si non esset specialis causa, non esset obligatio etiam *in suppositione erroris*, sequendi illud. Nam hæc vis non tantùm tribuitur conscientiæ, *ut quod*, sed etiam *ut quo*, nimirum tanquam applicationi veræ legis, Dei, & naturæ, prohibentis, *velle transgredi legem Dei*, à conscientia propositam.

766. Ad prob. ultimam distinguo: in tantum tenemur sequi conscientiam, in quantum ipsa est regula solùm *ut quo*, à lege æterna derivata, N. in quantum est quædam applicatio regulæ *ut quod*, C. pro cujus intelligentia not. 1. certum esse, dari legem Dei, & naturæ prohibentem, *velle transgredi veram Dei legem*, non tantùm verè, sed etiam falsò, invincibiliter tamen, & sine culpa voluntati propositam ab intellectu, consequenter, esse obligationem eidem obtemperandi; & cognitionem, quæ illam legem proponit, non esse falsam, sed veram; quo casu lex sic proposita est regula, *ut quod*, hoc est, quæ dirigit, & regulat operantem media sui cognitione, quâ, seu per quam applicatur voluntati operantis, quæ cognitio propterea dicitur regula, & lex *ut quo*.

767. Not. 2. voluntatem illo *vero* lumine instructam, necdum habere obligationem volendi, vel omittendi hoc determinatum opus, *mendacium* v. g. nisi accedat alia cognitio, quæ dictet, *nisi* v. g. *nunc mentiaris*, ut salves vitam hujus hominis, *peccabis*; quæ cognitio, quantumvis citra culpam erronea, consequenter de isto particulari enuntians obligationem mentiendi falsa, in vi dictæ legis *ut quod*, obligat, ut velit mentiri; quo posito: apparet, quòd Deus nullo modo sit *causa specialis* hujus judicij secundi, & reipsa falsi, esto causet illud ut causa universalis. Nam ejus causa specialis, cum concursu Dei solùm generali, est intellectus ex motivis, quæ citra culpam apparent illi ut vera, & persuadent, ad salvandam vitam hominis ei esse ex obligatione mentiendum propter eum finem.

768. Apparet 2. cognitionem, quæ falsò proponit in tali casu particulari *esse mentiendum*, non esse legem à lege Dei æterna derivatam; *nec in vi ejus tantùm* etiam in dato casu, esse veram obligationem mentiendi, sed in vi primæ verè proponentis, à lege Dei, & naturæ prohiberi, *velle transgredi legem Dei*, etiam ex suppositione conscientiæ invincibiliter errantis, & dictantis: *nisi tunc mentiaris, transgredieris legem Dei*, ut rectè notavit Castropal. *supr.* cit. *n.* 765. Apparet 3. quòd voluntas mentiendi, per prædictam cognitionem duplicem, veram unam, de qua *n.* 766. & inculpabiliter errantem; ac falsam alteram, regulata, nec formaliter, nec materialiter sit mala moraliter; non formaliter, ut constat ex *n.* 754. non materialiter, ut diximus *n.* 758. consequenter, *quòd Deus* (esto vera lex Dei, & naturæ, illam hìc, & nunc præcipiat ex suppositione conscientiæ invincibiliter errantis, *nullatenus præcipiat malum morale.*

769. Collig. 11. ex eo, quòd Aristoteles dicat 6. *Ethic. c.* 1. *& rationem veram, & appetitum rectum esse oportere, ut operatio sit studiosa*, nihil sequi contra datam doctrinam. Nam appetitus, qui conformatur conscientiæ rectæ, non potest non esse rectus; sed hoc in dato casu contingit. Nam, qui habet hanc cognitionem *veram*: datur vera lex Dei, & naturæ, *prohibens voluntatem peccandi*; & istam inculpabiliter errantem: *nisi nunc mentiar, peccabo*, bene concludit, & format hanc consequentiam: *ergo hìc & nunc non possum velle omittere mendacium*; quia velle hìc & nunc omittere mendacium, est velle peccare; ergo hìc & nunc debeo velle mentiri, si non volo peccare: hæc autem conscientia est vera; ergo.

770. Collig. 12. voluntatem mentiendi *nunc, quia honestum esse* dictat irreprehensibiliter conscientia, non regulari immediatè à solo judicio erroneo directo, nec à solo judicio universali, & vero, quòd nunquam liceat peccare; sed ab hoc universali vero, & illo particulari erroneo, prius judicium universale applicante ad casum particularem, dicente: *nisi nunc mentiaris, peccabis*, in quantum simul causant hoc judicium concludens: *ergo nisi velim peccare, debeo nunc mentiri*; quod judicium verum est, & immediatè regulans operantem; id, quod etiam docet Muniessa cit. *stimulat.* 3. §. 12. *n.* 100. in casu simili de elëemosyna data pauperi, non vero, sed existimato.

771. Collig. 13. hunc syllogismum: bene, ac, hone-

ac honestè operor, quoties facio, quod conscientia irreprehensibiliter dictat, *istud opus* esse præceptum verâ lege Dei, & naturæ, *si propterea facio, ut obediam dictæ legi:* sed in præsenti casu mihi conscientia irreprehensibiliter dictat, esse præceptum verâ lege Dei, & naturæ, ut velim hìc nunc mentiri; ergo si hìc & nunc velim mentiri, ut obediam dictæ legi, bene ac honestè operor: hunc, inquam, syllogismum immeriò vocari à Muniessa cit. *stimulat.* 3. *q.* 10. *n.* 85. *falsissimum, & evidenter inevidentem.* Nam immeriò dicit, dictam majorem universalem *esse falsam*; hanc enim falsitatem ibi non probat; & utique probatam supponit ex rationibus, quas ex eodem adduximus à *n.* 736. præsertim eâ ex D. Thoma: quòd *bonum* sit *ex integra causa*; at ex omnibus illis rationibus non tantùm non convincitur *evidenter inevidens*, sed nec ullâ ratione *falsitati obnoxia* ea major, ut constabit legenti responsiones illis rationibus oppositas, præsentim *n.* 760. ad argumentum ex D. Thoma; ergo; sic in simili Terillus cit. *q.* 16. *n.* 40. Moya cit. *q. q. n.* 41.

772. Collig. 14. omnino negandum esse suppositum, quo nititur Muniessa cit. tum alibi, tum *n.* 89. *quòd, si Deus, ex suppositione conscientiæ irreprehensibiliter dictantis, hìc & nunc esse mentiendum, homini sic erranti præciperet, ut mentiri velit, eoipso malus esset.* Nam in dato casu *velle mentiri*, non modò non est malum, ut constat ex *n.* 758. sed reverâ præceptum, non absolutè, sed solùm ex suppositione erroris, ut diximus *n.* 765. Unde igitur esset malum, præcipiendô, quod in talibus circumstantiis non est moraliter malum. Hinc ad eam propositionem, quam toties repetit: *mentiri*, & *pejerare*, idque *velle taliter, est intrinsecè, ac per se malum*: respondetur: vel loquitur de voluntate mentiendi *concepta citra errorem*, vel *ex errore irreprehensibili*? hoc secundum dicere non potest, cùm ipse *n.* 90. statim subjungat, *taliter esse per se malum, ut homo veri conscius id velle nequeat*: ergo solùm procedit de casu, ubi quis *vellet mentiri conscius de malitia mendacij*, ergo ubi non est conscius, sed irreprehensibiliter judicat, *bonum esse mentiri*, velle mentiri in tali suppositione erroris, non est intrinsecè, ac per se malum.

Unde not. hæc duo esse valde diversa, 773.
velle materialiter malum *in suppositione*, quâ est materialiter malum; & velle materialiter malum *in suppositione*, quâ non est materialiter malum malitiâ morali. 2. velle materialiter malum *in suppositione*, quâ est materialiter malum, importare omnino volitionem intrinsecè, ac per se malam malitiâ morali fundamentaliter tali; non autem *in suppositione*, quâ non est materialiter malum. 3. illud opus rectè dici *materialiter malum* malitiâ morali, fundamentaliter tali; *quod in nulla circumstantia, nisi conscientiæ irreprehensibiliter errantis, licitè eligi potest.* 4. esto ponas *mendacium* absolutè esse ex se, ac intrinsecè malum morali, fundamentaliter tali; non tamen esse tale in suppositione conscientiæ irreprehensibiliter errantis, pro tali suppositione.

Ex his autem sequitur, esto *volitio* 774.
*mendacij extra suppositionem* conscientiæ invincibiliter errantis, sit intrinsecè, ac per se mala *materialiter*, malitiâ morali, fundamentaliter tali; non tamen esse talem *intra suppositionem* conscientiæ irreprehensibiliter errantis, cujus ratio est ex dict. *n.* 762. nam ratione hujus circumstantiæ non dissonat rectæ rationi, quà tali: secus eâ seclusâ: certum autem est, ex fine honesto velle opus in suppositione circumstantiæ, quâ non est materialiter malum, honestè concipi; ergo velle mentiri ad salvandam vitam proximi, in suppositione circumstantiæ, conscientiæ nimirum irreprehensibiliter errantis, potest tunc honestè concipi. Sed de hoc satis.

## §. VI.

### *An, & qualiter verum sit, quòd objectum suam malitiam non transfundat in actum, nisi ut præcognitum?*

P. Muniessa cit. *stimulat.* 3. *q.* 12. *n.* 775.
102. ait: à multis ex axiomate illo, sic indiscussè dicto, subinferri enormia absurda. 1. quia sic idem foret æquè in casu vincibilis, ac invincibilis erroris. 2. quia sic affectus *ex cognitione remissa* de malitia objecti non possent esse *intensè* mali. 3. quia sic affectus amplectens malum *ut sic* (sine discrimine *levis*, vel *gravis*) esset peccatum, nec leve, nec grave; quia non præcogno-

præcognoscitur objectum, nisi ut malum, præscindendô à gravitate, & levitate malitiæ. 4. quia existimans suum affectum *esse peccatum*, sed *non offensam Dei*, reipsâ peccaret, sed non offenderet Deum. 5. affectus peccaminosi opinantium *omnia peccata esse strictas injustitias contra Deum*, coipso forent, non solùm opinativè, sed reipsâ formaliter injustitiæ; quibus positis: in *n.* 102. ad finem concludit, *non igitur ita crudè, pinguiq. Minervâ usurpandum est proloquium illud; quod tamen generaliter, & ut certum, & evidens, jactant identidem Terillus, & Moya, & cum illis turba Modernorum.* Hinc in *num.* statim *sequenti*, ait, illud sic esse distinguendum: objectum in actum non refundit suam malitiam, sicut nec bonitatem, *nisi ut præcognitum*, sumptâ partitículâ *ut* comparativè, seu commensurativè, N. sumptâ particulâ *ut* requisitivè, C.

776. Verùm citatus Author impugnat illos Doctores, & Modernos generaliter usurpantes illud proloquium, seu axioma in sensu, quo nullatenus ab eis accipitur; nam in sensu illorum verissimè procedit, quin vel unicam etiam absurdi umbram admittere cogantur. Illius proloquij sensus est, quòd actus, *ab objecto*, nullam recipiat malitiam, vel bonitatem, nisi præcognitam; non autem, quòd suppositâ semel malitiâ, vel bonitate *ab objecto*, per sui cognitionem, quâ mediante influit, acceptâ, non possit *ex aliis quoque capitibus*, non influentibus *objectivè*, augescere in ea bonitate, vel malitia. Aliud enim est: actus nullam habet malitiam, vel bonitatem *ab objecto*, *nisi præcognitam*; *& tantam solùm, quanta est præcognita*: aliud, actus *ab objecto* nullam habet malitiam, vel bonitatem, nisi ut præcognitam, seu nisi ea sit præcognita. Primum non dicit turba Modernorum; & conceditur falsum esse; secundum autem verissimum est, ut constabit ex responsis ad ea, quæ frustra ponuntur in contrarium.

777. Ad sequelas, quas vocat absurda enormia, in *n.* 775. ℟. & ad primam, quæ sic habet: si objectum non refundit in actum malitiam, vel bonitatem, *nisi ut præcognitum*, eadem ratio erit in actu elicito ex ignorantia *vincibili*, & *invincibili*; in utroque enim casu objectum est præcognitum, ut bonum, saltem negativè, nimirum cum præcisione ab ejus malitia. Nam facilem habet distinctionem, concedendô actum in neutro casu habiturum malitiam *ab objecto*, in quod fertur; negandô, actum in casu ignorantiæ culpabilis non habiturum malitiam *in causa* voluntariè, ac culpabiliter admissa, ut jam aliàs dictum est. Quarè distinguo eam sequelam: *quoad malitiam ignoratam* eadem erit ratio in actu elicito ex ignorantia vincibili, & invincibili, C. *quoad malitiam, quam actus habet in causa culpabilis ignorantiæ*, N. sequelam. Ad prob. ℟. dist. antecedens: in utroque objectum est præcognitum cum præcisione malitiæ *in objecto*, sed *non sine culpa* ignorantiæ vincibilis, C. & præcisione malitiæ *in objecto*, & *sine culpa* ignorantiæ, N. ant. & conseq.

Ad. 2. ibid. ℟. cum distinctione: sic affectus mali, provenientes *ex cognitione remissa* malitiæ in objecto, non possent esse intensivè mali *ex ipso objecto ultra id, quod est præcognitum*, C. non possent esse intensivè mali *ex alio capite*, N. sequelam. Actus eliciti ab humanitate Christi sunt infinitè boni, non ex objecto ut præcognito; cùm & ipsum finitæ bonitatis sit, & cognitio eam finitè repræsentet; sed *à dignitate* subjecti operantis, quæ non requirit sui cognitionem, ut bonitatem actûs in eum derivatam ab objecto intendat, cùm non influat per modum *objecti*, ut pluribus ostendi in *tract. de Incarnat.* 778.

Hinc notandum, bonitatem, vel malitiam actûs, in eum transfusam *ab objecto, ut præcognito*, posse intendi ex aliis etiam capitibus, quæ non habeant rationem *objecti*, v.g. ex majori libertate, ex majori concupiscentia, vel voluntatis promptitudine, ex majori indifferentia voluntatis &c. quibus positis, quid quæso *enormis absurditatis* continet dictum, quòd *affectus proveniens ex remissa cognitione de malitia objecti, non possit intensivè malus esse ex objecto*; licèt ex aliis capitibus intendi possit, si semel malitia in eum transfusa est ex objecto. Et ratio est; quia in causis physicis certum videtur, quòd in effectu non possit aliqua perfectio esse *intensior ex vi causæ, in eum influentis, nisi secundùm quod influit in eum*; cur id non idem rectè dicetur de causis intentionalibus, seu non influentibus, nisi media sui cognitione, secundùm modum, quo 779.

in ea sunt; certè amor infiniti boni, finitè proposîti voluntati ab intellectu, non nisi finitè bonus est ab objecto, licèt ex aliis capitibus intendi possit illa bonitas amoris.

780. Ad tertiam sequelam in eodem *n.* cit. de affectu amplectente objectum, *propositum ut malum præcisè*, quin repræsentetur gravitas, vel levitas mali, responsiones variæ sunt, ut videri potest apud Castropalaum *P. 1. tr. 1. D. 1. p. 3. à n. 3.* aliis volentibus, tunc peccari solùm venialiter; aliis, mortaliter. Judico tamen in hac quæstione distinguendum, *an* in eo casu advertens objectum, quod agit, esse malum præcisè, *nullatenus attendens, seu cognoscens speciem mali gravis, aut levis*, aliqua ratione saltem tunc advertat, quòd hìc, & nunc opus illud exercendò, *committat se periculo faciendi actum graviter malum, an non*; In primo casu censeo, committi tunc peccatum grave; quia tunc repræsentatur ei gravitas periculi. Nam periculum labendi *graviter*, est malum *grave*; & ita tenet Castropalus cit. *n. 6.* In secundo, probabilius judico, committi peccatum solùm veniale; ita Navarrus, Lopez, Valentia, Salas, & alij apud Castropalaum *n. 5.* id, quod in *M. S. de Legibus* expresè docuit P. Henricus Herdinck, *q. 3. de causis excusantibus ab impletione legis*, de quo jam aliàs in præcedentibus. Ratio autem hujus est. 1. quia sic non est, unde talis actus desumat, vel accipiat rationem *gravis* mali; *non à malitia objecti*, quod liberè amplectitur, cùm nullatenus ei repræsentetur objectum *graviter* malum, ut ponit casus; *non à periculo*; quia similiter nihil illi *de gravi* periculo proponitur. 2. si tunc peccaret graviter, deberet adesse *cognitio sufficiens* ad plenè consultandum, vel considerandum, atque deliberandum, consultatione, & deliberatione *requisitâ ad peccandum graviter*; atqui in dato casu non adest talis cognitio; probatur: in dato casu adest sola *cognitio de malitia objecti præscindendò, an sit leve, vel grave*; sed talis cognitio non est sufficiens ad dictam consultationem, ac deliberationem requisitam pro committendo peccato *gravi*; nam non omnis actualis cognitio de malitia objecti, tollit invincibilem ignorantiam, excusantem à *gravi* transgressione præceptorum; probatur: quia, cùm lethali peccato dissolutio amicitiæ divinæ, ac æterna pœna debeatur, non est par credere, tanto supplicio hominem absque perfecta, & plena consideratione fieri obnoxium tantæ pœnæ; ergo cognitio invincibilem ignorantiam, excusantem à transgressione mortali, tollens, debet esse talis, ex qua vel actu fiat, vel fieri possit, vel culpabiliter omittatur, dum fieri poterat, & debebat, plena, atque perfecta obligationis, aut malitiæ objecti consideratio; talis autem non est cognitio proponens objectum *præcisè malum*. Ex dictis colliges, fieri posse, quòd quis, agnoscens opus esse malum, invincibiliter ignoret, quòd sit *grave* malum, si scilicet nihil illi proponatur, nisi ratio *mali in genere*, quin adsit ulla cognitio proponens *gravem obligationem inquirendi, vel à tali opere abstinendi*. Tum enim cognitio de malitia operis in genere, non sufficit ad consultationem, ac deliberationem, prævìè requisitam, ut opus exercitum sit *graviter* imputabile ad culpam.

Dices: qui considerat malitiam non plena deliberatione, habet in se principium plenius considerandi; ergo si non consideravit, & cum illa imperfecta cognitione est operatus, reus erit mortalis transgressionis præcepti; ergo notitia imperfecta malitiæ, vel obligationis potest tollere invincibilem ignorantiam à mortali transgressione excusantem. R. 1. N. ant. imperfecta enim illa notitia non est principium sufficiens plenè considerandi; quia plena notitia libera ex plena naturali debet oriri; dixi: *naturali*; quia deliberatio, aut consideratio non procedit in infinitũ, versùs principia, aliàs nunquam inciperemus operari. Necesse igitur est, ad unam cognitionem naturalem pervenire, quæ non procedat ex consultatione, aut consideratione; sed sit illius initium. Ut ergo quispiam circa operis malitiam, aut bonitatem possit deliberare, opus est, ut occurrat aliqua cogitatio naturalis, cogitatio scilicet *non libera*, in nostra potestate non existens, quæ ipsius considerationis sit initium. Hæc autem, si non sit plena, non potest plenæ deliberationis esse fundamentum. 781.

Resp. 2. in casu objectionis potentiam plenius considerandi neglectam, quia habuit leve principium, non posse dici nisi 781.

levem

levem culpam ; ita Vasquez *in* 1. 2. *d.* 107. *c.* 4. *in fine* ; hinc R. in forma : habet principium *leve*, C. *grave*, N. ant. & conseq. utramque. Ex quo inferes, quòd ignorantia invincibilis antecedens, sive juris sit, sive facti, excuset omnino à culpa eum actum, cujus est causa ; est S. Augustini *l.* 1. *retract. c.* 18. & *l.* 2. *de lib. arbit. c.* 18. Rationem sumit Sanctus ex natura voluntatis impotentis fugere, vel amplecti aliquid, quod priùs actualiter non est cognitum ; quia ut patet ex dictis, nec habitualis scientia, nec debitum sciendi potest influere in actum voluntatis, nisi præcognitum, in quantum præcognitum ; ergo.

783. Ad quartam sequelam in *eod n. cit.* R. *malitiam*, & *offensam* esse denominationes separabiles, & primam posse reperiri sine secunda, ut tradidi in materia de *Incarnatione*, ubi actum est de infinitudine offensæ, quam importat peccatum grave contra Deum ; non autem leve ; cùm, ut ibi ex D. Thoma ostensum est, *offensa* dicat contemptum, & oppositionem cum amicitia Dei ; *malitia* autem oppositionem solùm cum lege ; quo posito : dico, si quis invincibiliter ignoraret, opere malo, quod facit, graviter contemni, ac offendi Deum, & operantem reddi dignum rejici à Dei amicitia, opus illud malum fore *offensam* duntaxat *materialem* ; sicut enim non ponit *formalem offensam Regis*, qui irreprehensibiliter ignorat personam, quam offendit, vel contemnit, *esse Regem* ; sic nec ponit formalem offensam, qui irreprehensibiliter ignorat, opus, quod facit, esse contemptum, seu offensam.

784. Ad quintam sequel. *in eodem n. cit.* R. si quis putaret, peccatum, quod facit, *esse strictam injuriam contra Deum*, licèt in re non esset (ut, si à Deo non prohibeatur, prout potest, *jure stricti dominij*, sed tantùm supremi Legislatoris) tale peccatum fore quidem *formalem injuriâ* contra Deum *in affectu*, sed *non in effectu* ; sicut Titius, qui copulatur uxori suæ, putans esse meretricem, quam ad scelus constituit, committeret quidem *formale adulterium in affectu*, sed non *in effectu*, ratione personæ, cui commiscetur.

785. Ad extremum hic nota, quòd Muniessa, ut defendat, *voluntatem mentiendi*, etiam conceptam ex irreprehensibili conscientia dictante, quòd, si non vellet hic & nunc mentiri, verè peccaret contra veram legem Dei, & naturæ, non posse evadere bonam, & honestam, licèt hoc faceret animô se subjiciendi divinæ legi sibi repræsentatæ, in *n.* 101. postquam sibi sic objicit (*objectum non specificat actum voluntatis, nec suam in illum malitiam refundit, sicut nec bonitatem, nisi ut præcognitum, & prout per dictamen intellectûs repræsentatur, & objicitur voluntati, quæ de se cæca est : sed in dicto casu irreprehensibilis erroris non cognoscitur ab homine malitia mendacij ; quin imò præsentatur, & objicitur voluntati bonitas, & honestas tunc mentiendi ; ergo non malitia, sed bonitas sic repræsentata refunditur formaliter in actum voluntatis, volentem tunc mentiri ; ergo tunc est formaliter honesta*) quâ objectione propositâ : in *n.* 103. respondere : dist. majorem : objectum non refundit malitiam, vel bonitatem in actum voluntatis, *nisi ut præcognitum*, sumptâ particulâ *ut comparativè*, seu *commensurativè*, nego, propter absurda ingentia, quæ sequi vidimus ex isto sensu, superiùs relata : sumptâ particulâ *ut requisitivè*, id est, quòd, ut actus voluntatis feratur in objectum, requiratur objecti præcognitio, concedo. Deinde ad minorem similiter distinguit : in dicto casu erroris non cognoscitur ab homine malitia mendacij, *cognitione affirmante de mendacio eam malitiam*, C. *cognitione mendacij reipsa involentis intrinsecè malitiam suam objectivam*, N. min. & conseq.

786. Verùm hæc responsio totum argumentum, (solidè probans, *voluntatem mentiendi* in dato casu nullatenus esse malam, sed potiùs bonam formaliter) relinquit in suo vigore, ac insolutum. 1. quòd termini distinctionis datæ majori, planè diversi sint à terminis, quibus distinguitur minor, ut constat responsionem recolenti. 2. quia sensus propositionis majoris, prout à Doctoribus, quos impugnat, usurpatur, est, quòd, *ut objectum refundat in actum voluntatis malitiam, vel bonitatem, necesse sit ipsum* non utcunque cognosci, sed *cognosci, quòd sit bonum, vel malum moraliter* ; hunc porrò sensum non attingit distinctio adhibita majori. Nam illi non dicunt, requiri, quòd particula *ut* sumatur *commensurativè*, ut sensus sit, in actu non

non posse esse ullam, vel etiam majorem malitiam, aut bonitatem transfusam, quàm sit ea, quæ proponitur à cognitione, ut constat ex *dictis*. Deinde non sufficere, si particula *ut* sumatur *requisitivè* tantùm, prout explicat Muniessa, volens sufficere, cognosci objectum, *quod in se intrinsecè est malum*, videtur manifestum ex plurimis instantiis.

787. Sic copula *soluti cum muliere conjugata, vel moniali*, quam ille invincibiliter putat esse solutam ab omni vinculo conjugij, vel Religionis, *in se reverâ continet malitiam adulterij, vel Sacrilegij materialis*; quia tamen, dum illi præsentatur mala moraliter, nempe solùm fornicaria talis copula, quin ullo modo præsentetur *adulterina*, vel *sacrilega*, ea copula (etiam *requisitivè*, ut vult cit. Author) cognita, non propterea evadit formaliter adulterina, vel Sacrilega. Deinde aliud est, cognitô mendaciô *cognitione mendacij*, etiam cognitam esse *malitiam objectivam* mendacio intrinsecam; aliud mendacium esse cognitum *cognitione malitiæ*: sicut aliud est objectum aliquod ex motu progressivo esse *cognitum animal*, seu cognitione referente illud ad sensationem, & eâdem cognitione etiam rationale esse materialiter cognitum, quâ verum sit, *rationale esse cognitum cognitione animalis*, seu *rationale esse animal cognitum*; aliud, rationale *esse cognitum cognitione rationalis*, seu cognitione illud referente ad discursum. Unde sicut non est verum, quòd *cognitione animalis*, quod est rationale, cognoscatur *rationale formaliter*; sed tantùm *identicè, ac materialiter*; sic non est verum, quòd cognitione mendacij, quod est malum, cognoscatur malum formaliter, sed tantùm identicè, ac materialiter. Ex his tandem concludo, posse quem habere invincibilem ingnorantiam, quæ operantem excuset à peccato *gravi*, quin excuset ab *omni* peccato, etiam levi; ratio constat ex dictis à *n.* 780.

## §. VII.

### *An ignorantia priùs inculpabilis, talis permaneat superveniente scrupulo, vel dubitatione de bonitate operis?*

788. SUpponendum. 1. *ignorantiam*, quam quis patitur, posse *nunc* esse invincibilem, licèt olim aliqua præcesserit in homine personalis culpa negligentiæ addiscendi ea etiam, quæ sunt juris naturæ; ratio sumitur ex dictis à *n.* 717. aliàs enim homo, qui contra conscientiam sic errantem semel peccavit (v. g. *omittendô mendacium tunc*, quando ex conscientia invincibili credebat, *esse obligationem mentiendi*) non posset ampliùs concipere propositum non peccandi de cætero, omissione mandacij in talibus circumstantiis, si ob præteritam negligentiam voluntas mentiendi in dictis circumstantiis esset formaliter peccaminosa.

Suppon. 2. conscientiam invincibiliter 789.
errantem, licèt inductam ex negligentia de præterito, nunc posse esse inculpabilem, & excusantem à peccato ad novam culpam imputabili, dum ex ea fit opus aliquod materialiter malum, non tantùm ubi culpa præterita jam retractata est per pœnitentiam; sed etiam, si nondum retractata sit; sic Muniessa *cit. stimulat.* 3. §. 15. *n.* 150. Ratio est ex dictis in *præcedentibus*.

Suppon. 3. *dubium*, seu *dubitationem* 790.
formaliter, & propriè sumptam involvere *suspensionem judicij circa objectum directè propositum*, quin intellectus illud neget, vel affirmet. Hoc ex duplici capite fieri potest. 1. quando pro neutra parte quæstionis propositæ (v. g. *an stellæ sint paris, vel imparis numeri?*) offerunt se rationes, quibus inclinetur intellectus in unam determinatè partem per assensum, vel dissensum. 2. quando quidem pro utraque parte contradictionis offerunt se rationes, sed ita, ut pro qualibet sint ferè paris momenti, & stantes pro una parte, per contrarias alterius quodammodo, & vicissim, infirmentur, ut intellectum determinent pro parte determinata.

Suppon. 4. fieri posse, quòd intellectus 791.
reflectens judicet, se esse dubium circa objectum directum. Ex hoc autem fit, quòd intellectus supposita tali reflexione, per varia judicia consultans, quid in tali casu agendum, aut qualiter dubitans se gerat? dicatur habere *conscientiam dubiam*, in illis judiciis sitam; non autem, quòd *conscientia* sit talis suspensio, seu carentia judicij. Nam conscientia est dictamen practicum, & quidem *judicativum*; dubitatio autem non est judicium, sed potius ejus omissio.

Suppon.

792. Suppon. 5. *dubium*, & *incertum* non esse idem. Nam intellectus, qui assentitur objecto ex motivo probabili, non tamen infallibili, *incertus* est, sed *non dubius*; hoc enim explicat suspensionem judicij. Unde licèt omnis dubitans sit incertus; non tamen omnis incertus est dubius. Qui enim judicat, incertus esse potest; sed non dubius, seu suspendens omne judicium circa objectum directè propositum. Dubium autem aliud est juris, aliud facti. *Dubium juris* est, cùm intellectus suspensus hæret circa quæstionem directè propositam, an detur, vel non detur lex præcipiens, vel prohibens certum aliquod factum v. g. restrictionem purè mentalem? quando autem suspensus hæret circa quæstionem alicujus facti, num sit, vel non sit sub lege, dicitur *dubium facti*.

793. Suppon. 6. *dubium morale* (quo scilicet intellectus suspensus hæret circa quæstionem aliquam directè propositam v. g. num hìc & nunc tale opus licitè, vel illicitè fieret) *rectè dividi in dubium negativum, & positivum*, per illud intelligendo suspensionem omnis judicij circa objectum directè propositum, provenientem ex defectu rationum pro alterutra parte sese offerentium; per istud, suspensionem nascentem ex eo, quòd rationes etiam graves, si seorsim considerentur, pro qualibet parte contradictionis se offerentes, sed ad invicem collatæ, mutuò se collidant, neutrâ vi suâ multùm prævalente, ut diximus superiùs.

794. Ex hoc colliges, eum, qui habet *opinionem* aliquam circa objectum directè propositum, licèt etiam actu, & formaliter formidet de oppositò, non esse propriè, ac formaliter *dubium*, sed solùm *incertum*. Nam, ut rectè ait P. Suarez *D.* 40. *de Censur. S.* 5. *n.* 2. aliud est, *dubitare*; aliud, *assentiri cum formidine*. Dubium enim proprium est, quando post diligentem inquisitionem intellectus anceps, & quasi suspensus manet: assensus autem, licèt sit cum formidine, est tamen determinatus ad alteram partem; atque ita tollit dubium, & præbet saltem opinionem; sic ille.

795. Contra expositionem dubij negativi dices: quando nulla occurrit ratio pro alterutra parte contradictionis, non subori-

tur *dubium*, sed *mera nescientia*. Nemo enim prudens ad quæstionem, *an Turca nunc saltet, vel non saltet*, responderet: *dubito*, sed *nescio*: si enim responderet, *dubito*, & interrogaretur de ratione dubitandi, non posset dare ullam rationem, cùm nulla, ut supponimus, occurrat; ergo malè explicatur *dubium negativum per meram insciti*am. Sed N. anteced. cum sua probatione; nam interrogatus, *cur dubitet*, seu omne judicium circa objectum propositum suspendat? aptè omnino responderet, ideò, *quia nulla mihi occurrit ratio alterutri judicativè accedendi*. Pura nescientia, seu insciti*a* nullam necessariò importat notitiam terminorum illorum, circa quos omne judicium suspendit intellectus dubitans; secùs, dubitatio. Sic Cardenas *p.* 1. Crisis, *D.* 6. *n.* 187.

796. Suppon. 7. dubium aliud esse *speculativum*, aliud, *practicum*; illud est, cùm intellectus suspendit omne judicium circa objectum, seu quæstionem directè propositam, secundùm se consideratam, v. g. an aqua rosacea sit idonea materia baptismi validi; si autem ex illa dubitatione nascatur quæstio, an nunc, & in datis circumstantiis uti liceat tali aquâ? & intellectus suspendat omne judicium circa quæstionem in his circumstantiis? *erit dubium practicum*. Similiter, si quis suspendit omne judicium circa hanc quæstionem; *an incurrerit censuram*; & exinde nascitur alia dubitatio, seu omnis judicij suspensio circa istam quæstionem: *an sibi hic, & nunc liceat celebrare*? *perinde, acsi nihil incurrisset*? prima suspensio parit dubium speculativum; altera practicum.

797. Suppon. 8. in quæstione, utra pars contradictionis (v. g. *an talis contractus sit, vel non sit licitus*?) sit *tutior*, seu *tuta*; quæ *minus tuta*, seu *non tuta*? ex communi jam usu eorum terminorum illam opinionem dici, & vocari *tutiorem*, vel *tutam*, quæ apud omnes hinc inde probabiliter opinantes eximit sic eligentem à peccato etiam *materiali*: *minus*, aut *non tutam*, quæ apud aliquos probabiliter opinantes eximit à peccato sic eligentem; apud alios non. Res ponitur in exemplo. Sunt enim, qui probabiliter opinantur, *circumstantias peccatorum, solum aggravantes*,

*vantes, esse sub obligatione, illas confitendi;* alij, qui probabiliter opinantur, *non esse confitendas ex obligatione*; & sic de aliis. Primam partem sequi, juxta datam explicationem, *tutius est, quàm oppositam.* Nam sequens opinionem priorem, & confitens circumstantias, etiam aggravantes, *nec materialiter peccat*, esto illa opinio, quam sequitur, falsa esset; non autem sequens secundam partem. Nam si falsa esset, omissio illa foret materialiter mala.

798. Suppon. 9. aliquam opinionem *esse tutiorem*, non esse indiscriminatim idem, ac *esse probabiliorem*, nec econtra. Nam inter has duas: *peccat mortaliter, non peccat mortaliter, qui distribuit aliis Eucharistiam, conscius peccati mortalis*; prima tutior est, secunda probabilior, sed minùs tuta, secundùm expositionem opinionis magis, & minùs tutæ in *n. præced.* Sed hoc intelligendum venit cum aliqua distinctione. Nam dupliciter considerari possunt opiniones in materia morum sibi contradicentes; nimirùm vel *relatè ad veritatem, vel relatè ad exemptionem à peccato etiam materiali.* In prima consideratione, opinio *probabilior*, est etiam *tutior, quoad veritatem*, cui magis accedit, vel quod idem est, tutior est à falsitate; in secunda verò, secùs. Nam, ut ostensum est, probabilior aliquando non eximit à peccato materiali, si nempe falsa sit.

799. Suppon. 10. *scrupulum*, propriè loquendo, *esse levem, & imprudentem suspicionem peccati, cum nimia animi anxietate in operando*; ita Sanchez *l.* 1. *in Decal. c.* 9. *n.* 2. Castropalaus *p.* 1. *D.* 4. *n.* 1. & apud hunc Vasquez, Salas, Valentia, & alij. Ex hoc vides, ubi timetur peccatum in aliqua operatione, timore, seu formidine *concepta ex prudenti fundamento*, non esse *scrupulum*, sed potiùs opinionem; & quia *scrupulus* stat cum judicio, quo quis adhæret uni parti, eoipso non esse *dubium.* Illud porrò judicium, cui annectitur ejusmodi levis, ac imprudens suspicio peccati, non est scrupulus, aut conscientia, seu judicium scrupulosum, nisi objectivè, quatenus intellectus reflectens supra talem suspicionem, consultat, quid in tali casu suspicanti sit agendum? in quo sita est conscientia scrupulosa. Ex hoc habetur, quòd scrupulus duo importet. Unum ex parte intellectûs, nimirum, apprehensionem conceptam ex levibus, & insufficientibus motivis, suspicativam peccati, ubi revera non est; alterum ex parte voluntatis, nimium videlicet timorem peccati sic apprehensi.

Suppon. 11. in quæstione, an conscientia irreprehensibiliter errans dici valeat *recta ratio*? pro affirmativa citari P. Terillum, & P. Moyam à Munièssa *stimulat.* 3. *q.* 11. *n.* 120. tenente contrariam. Sed, ut quæstio resolvatur, exponendum videtur, quid hìc intelligatur, *per rectam rationem*? Nam 1. si per eam intelligatur ratio, seu judicium mentis *verum*, seu non declinans à vero, & non errans etiam in principio, vel ejus applicatione, sine dubio non erit recta ratio; cùm talis conscientia supponatur errans, licèt sine culpa. 2. si per eam intelligatur dictamen, seu judicium mentis, sufficiens ad operantem ex illius ductu ad excusandum à culpa formaliter imputabili, videtur pariter, bene dici *recta ratio*; cùm ex dictis *n.* 731. etiam Munièssæ suffragio, constet operantem ex conscientia irreprehensibili non peccare formaliter, & imputabiliter. 3. si per *rectam rationem* intelligatur judicium, quo quis conjuncto alio principio certo, & per conscientiam irreprehensibiliter errantem applicato ad opus aliquod hìc & nunc exercendum, sufficienter dirigitur, ut non modò non malè, sed laudabiliter, ac honestè formaliter, opus illud tunc exerceat, negandum est, non posse dici *rectam rationem.* 800.

Nam, cùm certum sit, dari legem Dei, & naturæ, prohibentem *velle transgredi legem Dei* per conscientiæ dictamen præsentatam; consequenter præcipientem, ut fiat actio, quam *velle omittere tunc*, esset *velle transgredi legem Dei* per conscientiæ dictamen præsentatam, si per conscientiam irreprehensibiliter dictantem proponeretur, in datis circumstantiis esse sub obligatione *velle mentiri*; ac *nolle tunc mentiri*, sit *velle transgredi legem Dei*, prudenter concludet regulatus per utrumque illud judicium: *ergo nunc debeo velle mentiri*; quod si reipsa faciat, ex fine submittendi suam voluntatem obligationi propositæ, ac Deo præcipienti, non 801.

est,

est, unde tunc hæc formaliter non sit imputabilis ad virtutem. Nec obstant Muniessæ rationes in contrarium, quibus jam respondimus à *n.* 777. his præmissis: exponendum igitur in sequentibus venit. 1. an, & qualiter homo irreprehensibiliter errans teneatur sequi talem conscientiam? 2. quid agendum, ubi talis conscientia per dubium superveniens excluditur? 3. quid si superveniat solùm aliquis scrupulus?

## §. VIII.

### *An homo teneatur obedire conscientiæ irreprehensibiliter erranti?*

802. AFfirmativam communis tenet cum Castropalao *p.* 1. *tr.* 1. *D.* 1. *p.* 3. *n.* 1. & constat ex dictis, tum noviſſimè *n.* 801. tum in præced. prætermissis autem quæstionibus, an, ubi proponitur præcisè malum in communi, nihil determinatè de morali levitate, vel gravitate operis exercendi, nihilominus amplecti, & exercere tale opus, eo ipso sit mortaliter malum? &, an, qui nunc ignorat, *esse jejunium*, & non jejunat, *actu peccet*, quia de præterito neglexit habere, quam potuisset, ac debuisset, notitiam de existente præcepto tali die jejunandi, licèt illi tunc non occurrat cogitatio, vel dubium, de existentia talis præcepti? cùm ad illam jam responsum sit in præmissis.

803. Quæstio est, an peccet sequens conscientiam errantem, quæ invincibiliter dictat utramque partem contradictionis esse malam? R. non peccaturum eligendo determinatè unam ex duabus, quarum alterutra necessariò eligenda est, ubi ambæ partes habent malitiam æqualem. Quia sic necessitatus ad alterutrum, quorum quodlibet proponitur malum moraliter, *peccaret necessariò* (non enim posset utrumque omittere) *peccare* autem *necessariò* (necessitate nimirum antecedente) chimericum est.

804. Dices: etsi una pars ex illis contradictoriis necessariò eligenda sit, tamen, quando *unam determinatè* eligo, cùm potuerim illam non eligere, sed alteram, liberè *hanc* eligo, consequenter *hanc* eligendo, *pecco*. Confirmatur: ad meritum sufficit electio unius partis determinatæ præ alia; esto quis sit necessitatus ad bona omninò æqualia; ergo etiam ad demeritum, consequenter ad peccandum, esto quis sit necessitatus ad mala omninò æqualia. Ant. pat. 1. Christus fuit necessitatus ad obediendum Patri suo æterno, & tamen liberè egit obediendo. 2. omnes actus divini, quibus agit ad extra, sunt simpliciter infinitè laudabiles, consequenter necessariò liberi; & tamen in Deo est necessitas, ut *velit*, vel *nolit*, aut omittat, quo casu, & *velle*, & *nolle*, vel *omittere* in Deo, eandem habent bonitatem.

Resp. ex dictis de Deo uno, ubi actum 805.
est de imputabilitate actuum divinorum, nec ad meritum, nec ad demeritum sufficere solam libertatem *ad unum*, *ex omninò æqualibus*, *determinatè cum antecedenti necessitate ad alterutrum*; nam in tali casu, sicut non foret laudabilis eligens bonum A. præ B. quando electio illius tantum boni excluderet, quantum ponitur, quin omitti possit utrumquè; sic nec foret vituperabilis omittens quidem malum A. sed tantum malum necessariò eligens, eligendo B, quin omitti possit utrumque. Hinc ad object. R. cum distinctione antecedentis: *liberè hanc eligo*, potens neutrum malorum eligere N. coactus eligere alterum eorum, si *hoc* non eligerem C. ant. & N. conseq. Non enim est dignus vituperio, qui eligit malum A. præ B, quando si non eligeret malum A, necessitaretur eligere malum B. in malitia omninò æquale malo A.

Ad primam confirmat. R. supponi fal- 806.
sum. Nam, etsi ponas Christum, essentialiter impeccabilem, habuisse præceptum moriendi, etiam indispensabile; si tamen hoc præceptum illi à Deo impositum est dependenter à scientia media, media in Deo, quòd, si Judæi visis tot signis, Christo inferre vellent mortem, Christus ex amore generis humani sponte subiret mortem, necessitas moriendi non foret antecedens, sed consequens, atque adeò à Christo simpliciter evitabilis, omittendo mortem pro sensu diviso præcepti, ut pluribus exposui, agens de obedientia Christi, *in tract. de Incarnatione.*

Ad 2. R. nullum actum esse imputabi- 807.
lem ad laudem, qui est electio unius objecti, præ alio, nisi objecta ipsa, saltem *ex genere suo*, in bonitate morali, fundamentaliter tali, sint inæqualia, propter ratio-

rationem in *n.* 805. Hinc loco cit. diximus, electionem *incarnationis*, præ omissione illius (esto & volitio, & nolitio incarnationis *formaliter* sint infinitè laudabiles) fuisse nihilominus in genere moris *ex genere suo*, inæquales; & volitionem ex genere suo, fuisse meliorem, si Deus illam ordinavit in finem virtutis v. g. charitatis in Deum, & proximum; nolitionem autem in finem justitiæ vindicativæ, quæ *ex genere suo* charitate inferior est. *Sic esse intellectivum*, ex genere suo nobilius est, quàm *esse calidum*; & quamvis utrumque *formaliter* esset infinitum, adeoque in sua linea *summum*; adhuc tamen, *esse infinitè intellectivum*, foret æstimabilius, quàm esset, esse infinitè calidum. Nam quando duobus inæqualibus adduntur æqualia, non tollitur inæqualitas, & excessus unius præ altero in eorum uno præsupposita.

808. Quæstio est. 2. an sit majus peccatum, agere juxta, vel contra conscientiam vincibiliter errantem? R. id pendere à materiæ gravitate, vel levitate; si enim conscientia vincibilis dictet, teneri te *mentiri ex charitate*, ad salvandam vitam hominis, *non mentiri* erit contra charitatem; *mentiri*, contra veracitatem, quod illo minus est. Similiter, si dictet *esse furandum* ad sublevandam egestatem pauperis, *nolle furari* minus est cæteris paribus, quàm *velle furari*. V. Sanchez *l.* 1. *in Decal. c.* 11. *n.* 15. Azor *p.* 1. *l.* 2. *c.* 8. *q.* 9. &c.

## §. IX.

### *Quid agendum, ubi conscientia irreprehensibilis per dubium superveniens excluditur?*

809. NOn est dubium, excludi conscientiam, seu dictamen, & judicium mentis, quo quis sibi persuadet, *aliquid esse licitum, vel illicitum*, si superveniat dubium, vel negativum, vel positivum de honestate, vel turpitudine operationis, circa quam judicium illud versabatur. *Dubium* enim *propriè dictum* importat suspensionem judicij circa objectum directè propositum, ut dictum est *n.* 790. Suppon. autem. 1. hìc sermonem esse de dubio *practico*; quia, ut rectè notat Castropalaus *P.* 1. *tr.* 1. *D.* 3. *p.* 1. *n.* 4. cum dubio *speculativo* stat judicium practicum de recta operatione. Nam si dubites, *an hæc res sit tua*? dubium est speculativum; si autem non dubites, *an illam possis retinere?* quia reflexione factâ, *quod sis in possessione certa*, rectè ac practicè concludis, quòd tibi liceat retinere, manente dubio speculativo, de proprietate. Nam possessio, cæteris paribus, est sufficiens titulus, deponendi dubiam conscientiam, & honestandi retentionem, postquam factâ diligentiâ debitâ ad investigandum verum dominum, dubium vincere non potes; ita Covaruvias, Molina, Sanchez, Salas, & complures alij, quos refert, & sequitur Castropalaus *cit. p.* 2. *n.* 4.

Suppon. 2. *semper esse malum, & peccatum, operari stante dubio practico sive negativo, sive positivo, de honestate, vel turpitudine operis exercendi*; ita communis; quia *quod non est ex fide, peccatum* est; quod autem non est ex conscientia, seu judicio mentis, non est ex fide, ut tradunt Patres ad illa Apostoli verba; ergo, qui operatur cum illo dubio, peccat. Hinc enim fit, quòd quis exponat se manifesto periculo transgrediendi legem Dei, & posthabendi amicitiam Dei, amori illius boni, cujus causâ tale opus cum ejusmodi dubio amplectitur. V. dicenda à *n.* 815. 810.

Si quæras, quid igitur in ejusmodi dubio taliter dubitanti agendum? R. *quòd, si possit deponere dubium*, hoc est, *per judicium mentis se determinare ad unam contradictionis partem, debeat se, saltem naturâ priùs, ad unam determinatè partem sequendam resolvere.* Nam hâc determinatione suppositâ, adhærendo determinatè uni parti contradictionis, intellectus definit esse suspensus circa objectum directè propositum; consequenter definit esse dubius. Sed circa hoc ipsum plures dubitationes occurrunt. 1. quid agendum, si etiam adhibitâ diligentiâ non possit vincere dubium? 2. an, si dubium sit positivum (quando scilicet intellectus anceps hæret, quid in præsenti casu agendum? esto pro utraque contradictionis parte occurrant rationes, sed ambæ in momentis rationum confligentium sunt vel propè æquales; 811.

æquales; vel etiam inæquales, neutrâ tamen convincente, saltem in mente sic hærentis? Igitur sit.

## §. X.

### *Quid agendum dubitanti dubio negativo?*

812. IN hac quæstione plures sunt, qui velint, si dubium sive negativum, sive positivum, *aliunde* vinci non potest, hoc est, si homo sic dubitans se determinare non potest ad unam contradictionis partem per judicium irreprehensibile, seu inculpabile, ipsum debere amplecti partem tutiorem, juxta communem juris regulam, quæ in jure canonico variis locis traditur, signatè c. *Ad audientiam, de homicid.* quæ dictat, *quòd in dubio tutior pars est eligenda.* Procedit autem quæstio de dubio practico, jam expositio *n.* 809.

813. Not. autem, quòd in dicta regula per *partem tutiorem* intelligi possit vel ea, quæ favet legi contra libertatem, & consequenter tutior est ratione impeccantiæ, juxta *n.* 797. vel ea, quæ probabilior est, & consequenter tutior ratione veritatis, seu remotior à falsitate, juxta alios. In hoc autem diversi sunt Authorum sensus; quibusdam volentibus in dato casu semper eligendam *tutiorem*, hoc est, *minùs expositam peccato etiam materiali*; aliis *tutiorem*, hoc est, *probabiliorem*, atque adeò veritati propriorem. Ad hanc quæstionem:

814. Resp. 1. in casu dubij propriè dicti, nimirum excludentis omnem assensum etiam merè opinantem determinatè quoad unam partem contradictionis, circa quæstionem practicam directè propositam, quin ejusmodi dubium per assensum irreprehensibilem *ex aliis principiis* ritè deponi possit, ejusmodi dubium, ex obligatione deponendum esse *determinatè amplectendo partem tutiorem.* Hæc conclusio est communis, & passim recipitur à Doctoribus. Quia nisi dato casu deponatur dubium, *amplectendo partem tutiorem*, operatio ponenda tali casu erit peccatum; sed est sub obligatione, ne ponatur operatio peccaminosa; ergo est sub obligatione, ut deponatur dubium determinatè amplectendo partem tutiorem.

Ma. quoad primam partem (*quòd ex obligatione deponendum sit dubium*) prob. quia operari, manente dubio practico de honestate, vel turpitudine materiali operationis exercendæ, est peccatum ex *n.* 810. & constat ex D. Thoma, *quodlibeto* 8. *a.* 13. dicente: *qui ex contarietate opinionum in quandam dubietatem inducitur, & manente tali dubietate plures præbendas habet, periculo se committit, & procul dubio peccat; utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem.* Et ideo rectè dicitur, eum, *qui agit id, de quo dubitat, an sit mortale? peccare mortaliter, exponendo se discrimini*, propter datam in prioribus rationem; ita admodum R. P. N. Generalis, Thyrsus Gonzalez *in Tract. Theol. de recto usu opin. probab. dissert.* 7. §. 19. *n.* 60. & apud illum Vasquez, 1. 2. *D.* 64. *c.* 1. Salas *tract.* 8. *D. unic sect.* 16. *n.* 143. Valentia *tom.* 2. *D.* 2. *q.* 14. *p.* 4. dicens: *de hac re, nullam esse controversiam apud Theologos*, id, quod etiam in tract. Theol. de actibus humanis tradidi. 815.

Probatur etiam secunda pars majoris in *n.* 814. quia si non deponit dubium *amplectendo partem tutiorem*, ex nullo alio capite deponere potest; supponitur enim, quòd *ex nullo alio principio* se irreprehensibiliter determinare possit; ergo cùm sit sub obligatione, *ne peccet*, consequenter, ne operetur cum illo dubio, & hoc, ut ponit casus, deponere non possit, quia ex dicta regula (*quod in dubio tutior pars eligenda sit*) est sub obligatione, in tali casu eligendi partem tutiorem. Dixi: *si ex nullo alio principio dubium deponere possit, irreprehensibiliter se determinando ad partem minùs tutam.* Nam etsi per quodcunque judicium accedat determinatè uni parti contradictionis circa objectum directè propositum, tollatur dubium; cùm implicet, illum esse dubium (*an actio sit, vel non sit licita?*) atque suspendere omnem assensum circa utramque partem contradictionis; & tamen judicare, sibi esse licitum hìc, & nunc illam actionem exercere, etsi tunc non operetur cum dubio, non tamen eoipso operatur licitè. Ratio est, quia tale judicium, quo quis determinatè accedit uni parti contradictionis v. g. minùs tutæ (de qua *n.* 797.) interdum concipitur imprudenter, 816.

ter, & culpabiliter, & licet vitetur peccatum contra obligationem *non operandi cum dubio*; non vitatur tamen peccatum, in quantum tale judicium concipitur *imprudenter*, & *culpabiliter*. Unde potissima quæstio est, quòd judicium practicum sufficiens sit, ut per illud, irreprehensibiliter deposito dubio, quis licitè operetur id, quod in eis circumstantiis judicat sibi licitum? de quo V. dicenda in *seqq.*

817. Pro ampliori notitia not. 1. dubium *subjectivè* existens in operante non deponi per hoc, quòd quis sciat, unam determinatam partem contradictionis (v. g. *talem contractum esse licitum*) ab aliis sustineri, ut probabilem, vel etiam probabiliorem oppositâ, nisi & ipse operans per propriam conscientiam, seu judicium à se conceptum sibi persuadeat illam partem contradictionis (v. g. *talem contractum esse licitum*) esse probabilem, vel probabiliorem, oppositâ. Nam cum illo judicio, de aliorum opinione circa dictum contractum, non tollitur in operante *carentia judicij approbantis* unam partem contradictionis, ut licitam, vel illicitam, atqueadeo nec dubium. Nam aliorum opinio, *relatè ad hoc judicium operantis* habet se merè *objectivè*; dubium autem, *subjectivè*; sed hoc utique non excluditur nisi per formam contradictoriè oppositam, habentem se pariter *subjectivè in operante.*

818. Ex hoc sequitur, operantem non juvari opinione aliorum Doctorum pro una determinatè parte contradictionis stantium, nisi & ipse conscientiam suam, seu judicium practicum illorum judicio, seu opinioni conformet ex causis ad idem irreprehensibiliter sentiendum juxta proprium ipsius captum, & modulum sufficientibus. Nam nemo judicatur, *nisi operetur ex conscientia sua recta, vel mala*; non autem ex conscientia aliena à se non approbatâ. Dixi: *juxta proprium ipsius captum sufficientibus.* Nam etsi omnes teneamur ad aliquam curam de placito Dei quærendo; & occurrente dubio, *an res Deo placeat, vel displiceat?* obligemur adhibere aliquam diligentiam ad agnoscendam veritatem, & formandam nobis conscientiam, saltem probabiliter opinativam, hoc est, ad formandum judicium, *hanc partem hic, & nunc à nobis licitè in praxim deduci posse* (nam *formare hoc judicium*, est *formare suam conscientiam*) cùm in multis ante operis executionem conscientia, seu judicium certum à nobis haberi non possit: quia tamen omnes ad eandem diligentiam obligare, irrationabile foret (non enim omnia possumus omnes) sufficiet diligentia respectivè proportionata, quam nempe singuli pro captu suo præstare possunt.

Not. 2. illam regulam (*in dubio tutior pars eligenda est*) omnino esse præceptivam, atqueadeo sequendam *in dubio propriè dicto* ad illud rectè deponendum, quoties non suppetit aliud principium, ex quo, independenter ab illa, citra reprehensionem, seu culpam, deponi possit; non autem secùs; ratio est ex *n.* 814. Ex quo colliges, non bene dici, eam esse *universaliter* præceptivam, ut aliqui volunt; sed tantùm in casu, quo aliter dubium vinci non potest. Et quoniam, ubi stat probabilitas pro qualibet parte contradictionis, in multis casibus fieri potest, quòd dubitans ex rationibus pro una parte militantibus, accedente prudenti voluntatis imperio, prudenter se determinat, etiam ad partem contra legem, ut mox dicemus; ideo, cùm locus est illi regulæ, quòd *in dubio tutior pars eligenda sit*, pars tutior accipienda est juxta *n.* 797. nimirum pro ea, quæ tutior est ratione impeccantiæ, seu immunitatis à peccato; non, quæ tutior est ratione veritatis, ut ibidem dictum est *n.* 798. Nam *tutior ratione veritatis* non reperitur in dubio purè negativo, de quo loquimur, nimirum *ex alio principio non vincibili.* 819.

Hinc si negativè dubitanti, v. g. *in materia justitiæ*, occurreret aliquod aliud principium, ex quo citra culpam deponeretur dubium, hoc est, uni determinatè parti contradictionis operans per conscientiam, seu judicium suum, ex illo regulatum, accederet; dictæ regulæ, quòd *in dubio tutior pars eligenda sit*, sumendo tutiorem pro ea, quæ favet legi, non foret locus ex *n.* 816. Hæc enim subintrat solùm in casu, quo aliunde dubium circa culpam vinci non potest, ut diximus loco citato. Et ideo, si possessori bonæ fidei occurrat dubium negativum, an rem hactenus bonâ fide possessam licitè retineat? 820.

neat? rectè retinebit, si deponat illud dubium ex reflexione ad illam juris regulam, 65. *de regul. juris in 6. & reg.* 170. *ff. eod.* quòd *in pari causa, vel delicto, melior sit conditio possidentis;* quod intellige, postquam adhibitâ requisitâ diligentia non potuit rescire verum rei dominum; ratio hujus est ex *n.* 819.

821. Et confirmatur, quia talis possessor in dato casu æqualis dubij, *an res sit sua, vel aliena?* consequenter, *an licitè retineat?* in foro externo non esset spoliandus re possessâ; quia *ubi partium jura obscura sunt, Reo potiùs favendum est, quàm actori, per reg.* 11. *de Reg. jur. in 6.* Cujus probationem ulteriorem affert Salas 1. 2. *tr.* 8. *D. unic. S.* 23. *n.* 226. præsertim ex L. 1. C. *de condit.* insertis, ubi dicitur, quòd *possessor bonæ fidei, sine plena, & evidenti probatione in contrarium, removeri non debeat*; ergo nec in foro interno talis possessor in dato casu re possessâ spoliandus esset. Prob. conseq. quia forum internum extra dispositiones pœnales semper externo conformari debet, quando externum falsâ præsumptione non nititur; ergo cùm in foro externo non esset spoliandus re possessâ in dato casu, nec spoliandus erit in foro interno. Ant. tenet Castropalaus. *p.* 1. *tr.* 1. *D.* 3. *p.* 2. *n.* 4. & apud eum Covarruvias in c. *Cùm esses*, de Testam. *n.* 7. Baldus Authent. *Ingressi*, C. *de Sacrosanct. Eccles. n.* 49. Thomas Sanchez *l.* 1. *de matr. D.* 5. *n.* 2. ac pluribus aliis locis, Suarez *de Censuris D.* 40. *S.* 5. *n.* 16. & complures alij. Et ratio est, quia lex justa, quæ operantem rectè dirigit in foro externo, etiam pro foro interno retinet justitiam; cùm ergo sufficiat, ut in illo justum fiat justè, dum operamur secundùm illam, etiam sufficiet in isto; modò non procedat ex falsa præsumptione. Tunc enim cedere debet veritati cognitæ, ac certæ, quod discrimen etiam observandum censet Sanchez in pœnis fori externi, non eo ipso etiam transferendis ad forum internum; cùm in hoc Reo credatur; non in illo.

822. Dices: si possessori superveniat dubium, *an res sit sua?* adeòque *an illam licitè retineat?* tollitur bona fides, adeòque possessio bonæ fidei quæ possessor superabat alios, & præferendus erat non possessoribus; ergo in tali casu non potest prudenter, ac licitè deponere dubium, ex reflexione ad illam regulam, quòd in pari causa possessio faciat meliorem illius causam. R. N. ant. Nam licèt, cùm quis dubitat, *an res sit sua?* tale dubium impediat *initium possessionis bonæ fidei* (sic enim injustè arrogaret sibi rem, quàm non magis judicat ad se pertinere, quàm ad alium) secus tamen est, *quoad continuationem possessionis bonâ fide cœptæ;* plus enim in hoc casu non requiritur, quàm quòd *ignoret, rem esse alienam.* Dum enim non probatur aliena, præsumitur pro possidente per c. *Si Virgo*, 34. *q.* 1. ibi: *in jure prædiorum tam diu unusquisque possessor bonæ fidei dicitur, quàm diu possidere se ignorat alienum;* at per dubium superveniens non tollitur hæc ignorantia; ergo nec bona fides possessionis; ita Covarruvias *ad reg. Possessor, p.* 2. *§.* 7. *n.* 3. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 6. *d.* 3. & alij, etiam ex L. *Is, qui destinavit*, ff. *de Rei vindicat.* & §. *Retinendæ, Instit. de Interdict.*

## §. XI.

### *Quousque locum habeat regula, quòd in dubio tutior pars est eligenda?*

EX dictis constat, huic regulæ solùm esse locum, quando dubium ex alia regula, vel principio deponi non potest, judicio nimirum irreprehensibili amplectendo determinatè unam partem contradictionis, & quidem eam, quæ stat pro lege, secundùm dicta *n.* 816. etsi non desint, qui velint, eam regulam *universaliter* obtinere, ac præceptivam esse, ut notavimus in *l.* 4. *decretal:* quia tamen dubitatur circa quædam principia, num ea sufficiant ad ejusmodi determinationem intellectûs pro ea parte contradictionis, quæ favet libertati contra legem; *breviter* de illis agendum in sequentibus. 823.

Hinc:

Quæres. 1. an dubitans, num contractus, hìc & nunc exercendus, sit, vel non sit licitus? teneatur eligere partem faventem legi contra libertatem, si post diligens examen comperiat, partem faventem libertati contra legem, notabiliter in rationibus oppositæ præponderare? Negativam 824.

vam sequitur admodum R. P. N. Generalis *de recto usu opin. probab. dissert. 10. c. ult. n. 124.* Idem tenet P. Thomas Muniessa *in Stimulo conscientiæ, stimulat. 4. §. 4. n. 28.* dicens: si operans non manet anceps intellectu, sed fert pro una parte judicium, quamvis non nisi opinativum, & incertum, in intellectu non amplius propriè dubium esse; sed potius prudentem resolutionem dubij, quamvis non certam; cùm aliter in humanis communiter dubia non resolvantur, sive in Tribunalibus, sive in consultationibus conscientiæ, nisi per judicia probabilia, seu opinativa, seu nobis non certa; & statim subjungit: itaque, *quando quis habet subjectivè in intellectu suo judicium opinativum ritè probabile, quòd vera sit pars minùs tuta, præ alia tuta, seu tutiori, non habet locum regula*, quòd in dubio sit eligenda pars tutior, seu remotior à peccato etiam materiali. Quia talis verè, & propriè, non est in dubio, sed in incerto. quo posito:

825. Resp. ad quæst. in *n.* 823. in dicto casu non esse locum regulæ, quòd *in dubio pars tutior, seu remotior à peccato etiam materiali eligenda sit.* Ratio est, quia dicta regula solùm habet locum in casu dubij propriè dicti; at ubi operans eligit partem minùs tutam, quia sibi probabilior est, non est dubium propriè dictum; ergo. Minor est certa ex dictis: Maj. etiam tenent illi, qui aliàs volunt eam regulam universaliter esse præceptivam: & constat, quia regula non loquitur de eo, qui *incertus* est; sed, qui *dubius* est; at incertus non eo ipso est dubius, ut constat ex *n.* 792. Quia dubius suspendit omne judicium circa objectum directè propositum.

826. Quæres. 2. an speculativè dubius de proposita quæstione (*an detur, vel non detur lex prohibens talem contractum?*) teneatur vi relugæ cit. ad eligendam partem tutiorem, seu remotiorem à peccato, si oriatur dubium? practicum, *an liceat, vel non liceat hic & nunc celebrare talem contractum?* quibusdam negantibus, aliis affirmantibus existentiam legis prohibentis? R. quòd non, si non obstante tali dubio *subsequitur* judicium in operante prudens, & practicum, sibi licere partem minùs tutam. Nam ea regula locum non habet, nisi in dubio practico; sed ubi est judicium practicum pro parte minùs tuta, abest dubium practicum; ergo. Muniessa *cit. stimulat. 4. §. 4. n.* 30. idem censet; sed ratio non placet, qua vult per judicium practicum, quòd subsequitur, vinci, aut deponi dubium *speculativum.* Nam hujus contrarium ostendimus ex Castropalao jam superius in *n.* 809.

827. Quæres. 3. an prædictæ regulæ sit locus in dubio practico circa materiam peccaminosam? R. quòd sic, nisi prius vincatur dubium, seu deponatur per conscientiam practicam determinando se ad unam contradictionis partem; & in tali casu, eam regulam non esse merè consiliativam, sed præceptivam. Nam nisi priùs vincatur dubium, & operans cum tali dubio exerceat actionem illam, circa quam versatur dubium, peccat ex *n.* 810. at non peccare, est sub præcepto; ergo etiam servare datam regulam, ut constat ex *n.* 816.

828. Quæres. 4. an prædictæ regulæ sit locus in dubio circa materiam peccaminosam, sumendo *dubium*, solùm *impropriè*, nimirum pro *incerto*, seu judicante solùm opinativè, si hanc determinatè partem eligat, quæ ait: *eam licere.* R. negativè. Nam prædicta regula solùm procedit in casu *dubij propriè dicti*, at *incertus non est propriè dubius*, ex *n.* 792.

829. Quæres. 5. an, cùm prædicta regula (quòd *in dubio tutior pars est eligenda*) est sub obligatione, seu præceptiva, intelligendum sit de dubio propriè dicto *existente subjectivè in homine particulari operaturo*, vel *in tota aliqua communitate*, ubi est disceptatio de rei licitudine, vel illicitudine, quibusdam tenentibus illud, aliis istud? R. probabilius esse, intelligendum esse de dubio propriè dicto, *& subjectivè existente in ipso operante;* cujus ratio est ex dictis à *n.* 817.

830. Dices contra *q.* 4. in *n.* 828. si data inbi resolutio vera est, licitè operabitur talis dubitans, eligendo partem minùs tutam, (in sensu opinionis minùs tutæ, juxta *n.* 797.) si post judicium practicum (supposità diligentiâ debitâ inquirendi veritatem) amplectatur partem minùs tutam, seu contra legem, saltem in casu, quo illi hæc pars probabilior est, licèt incerta; sed hoc dici non potest. Probatur, quia operans non excusatur à peccato si non

agat

agat ex bona fide, hoc est, bonâ conscientiâ; hoc autem non habet conscientia, nisi moraliter certa; probatur. 1. quia conscientia solùm probabilis, aut etiam probabilior oppositâ, potest esse falsa non tantùm *in re*, sed etiam *subjectivè ipsi operanti*, cognoscenti conscientiam suam, duntaxat probabiliter opinantem *non esse certam*; & consequenter eam sequendô *peccare saltem materialiter*; at hoc non stat cum conscientia sufficiente ad honestè operandum; ergo. 2. qui operatur cum dubio, aut formidine, an peccet? reipsa peccat; ergo cùm id importet omnis conscientia non certa moraliter, sed solùm opinativa, licèt probabilior oppositâ, non excusatur à peccato, nisi agat ex conscientia moraliter certa.

831. Resp. ad object. C. maj. N. min. ad hujus primam probat. C. maj. N. min., ad hujus prob. N. secundam partem maj. nimirum hanc: quòd conscientia verè probabilis, possit esse falsa *ipsi operanti in existimatione sua*, & inducens in peccatum. 1. quia non requiritur, quòd reflectat supra fallibilitatem suæ conscientiæ. 2. quia licèt operans, reflectens supra suam conscientiam probabilem de honestate operis, cognoscat, eam opinionem non esse certam de honestate operis, per hoc tamen non judicat, *non judicari prudenter, opus esse honestum*; aut, *esse certum, tale prudens dictamen esse certò insufficiens ad honestè, vel saltem citra formalem culpam operandum.* Nec obstat, quòd quandoque cum conscientia probabili conjungatur formido peccati materialis (quæ tamen non sit *dubium*) nam hæc formido subest etiam certitudini morali; cùm & ea simpliciter, imò & physicè possit esse falsa; & tamen satis deponitur judiciô prudenti, quo sibi operans post debitam diligentiam persuadet, opus hìc & nunc licitè exerceri. Dixi: *quæ tamen non sit dubium.* Nam & hoc sufficienter deponitur per illud dictamen prudens, de quo antè. Et ideo, si dicant, *conscientiam probabilem* (si certa non sit) *vacillare*, hoc est in utramque partem suspensam manere, omnino negandum est ex *dictis*.

832. Ad 2. prob. min. in *n.* 830. R. non esse idem *operari cum dubio*, & *operari cum formidine peccati*; hoc enim importat judicium circa unam contradictionis partem determinatè; illud suspensionem judicij circa utramque. Quare ad primam partem anteced. concedo, quòd peccet operans cum dubio, manente tali dubio, ex *n.* 810. sed nego, operantem ex conscientia probabili, operari cum dubio, ex *n.* 794. Ad secundam partem anteced. R. N. quòd operans cum formidine peccati, eoipso peccet; quia cum tali formidine stare potest judicium absolutum, & prudens pro non peccato; hinc N. conseq. imò etiam suppositum, quòd omnis opinio importet actualem formidinem oppositi. Nam si motivum fallibile, sufficiens tamen ad prudentem in talibus circumstantiis assensum pro parte minùs tuta, seu stante contra legem, non influat, *ut fallibile*, assensus talis non est actu formidolosus, sed solùm *incertus negativè*, nimirum *non certus*; non *incertus positivè*, nimirum *actu formidans oppositum.*

Dices: nemini licet, exponere se probabili periculo peccandi; hoc autem facit operans sine certitudine de honestate operis exercendi; ergo nemini licet operari sine certitudine de honestate operationis hìc & nunc exercendæ. Min. prob. quia quando est tantùm probabile, *opus esse honestum*, potest non esse verum à parte rei; & sicut est probabile, *quòd opus sit honestum*, sic etiam est probabile, *quòd non sit honestum*; *sed peccatum*; ergo operans sine certitudine de honestate operis, exponit se periculo peccandi. 833.

Resp. dist. maj. nemini licet exponere se periculo peccandi, *proximo, voluntariè, incautè, ac imprudenter suscepto*, C. maj. *cuicunque periculo peccandi*, N. maj. dist. min. sed operans sine certitudine de honestate operis exercendi, ductus tamen opinione rite probabili, exponit se *alicui* periculo peccandi, transeat; *proximo, incautè, ac imprudenter suscepto*, N. min. & conseq. 834.

Quòd exponere se *cuicunque* periculo peccandi, non eoipso sit peccatum, videtur certum, ut multis ostendit Castropalaus *p.* 1. *tr.* 2. *D.* 2. *p.* 9. §. 3. Periculum enim aliud est *proximum*, aliud *remotum*, & in hoc aliud magis, aliud minùs propinquum malo. Quare si universim procedat dicta propositio, major *in num. priori*, omnino neganda est. Nam status Advocati, 835.

Advocati, seu Causidici, Cambsoris, Judicis, militis, & similium, *per se loquendò*, peccatum non est, licèt obnoxius sit multis peccandi periculis; quin propterea per se peccatum sit amplecti talem statum: procedit ergo solùm, ubi voluntariè, imprudenter, ac incautè eligitur periculum *proximum*, ut docet Sanchez in *Decal. l. 1. c. 8.* Suarez *de Pœnit. D. 32. S. 2. & alij.* Qui autem pro parte non tuta, seu pro libertate contra legem habet majorem probabilitatem, non exponit se voluntariè, imprudenter, ac incautè periculo proximo, ut per se patet; ergo. Dixi: qui habet *probabilitatem majorem*; nam quid dicendum, quando contrariæ opiniones directæ sunt *ferè æquè probabiles*, forsan alibi dicetur.

836. Cæterùm, etsi verum sit, opinionem, *quòd non peccabo* (etiam probabiliorem oppositâ) posse falsam esse *in re*, vi connexionis, cum veritate objecti, saltem secundùm apparentiam, quam habet in intellectu operantis secundùm illam; falsum tamen est, eo ipso etiam esse ipsi *operanti subjectivè probabile oppositum*, nimirum *quòd peccabo.* 1. si absolutè judicet, *non peccabo*; nam sic alteram directè oppositam, saltem consequenter, judicat falsam. 2. si prudenter amplecti possit minùs tutam, etiamsi opposita sit probabilior, de quo suo loco. Et ratio est; quia quando quis habet rationes sufficientes pro una parte contradictionis v. g. duos testes, *quòd Petrus non occiderit Paulum*, fieri potest, quòd nullus sit testis pro parte dicente, *quòd Petrus occiderit Paulum*; ergo ex hoc, quòd una pars contradictonis sit probabilis, non eo ipso etiam probabilis est opposita.

837. Not. autem. 1. duo ista judicia directa, quorum unum ex motivis probabilibus absolutè ait: *nulla datur lex prohibens hunc contractum*; alterum ex motivis probabilioribus: *datur aliqua lex prohibens hunc contractum*; esse valde diversa ab his duobus reflectentibus super illos actus directos, eorùmque motiva, uno dicente: *actus negans dari legem, prohibentem hunc contractum, habet apparentiam veri*; & altero: *actus affirmans dari legem, prohibentem talem contractum, habet majorem apparentiam veri.* Unde licèt quis concederet, priora duo judicia directa non posse simul *subjectivè* esse in eodem intellectu, non convinceretur ad concedendum idem de duobus aliis reflexis; nam hæc sibi non contradicunt. Hinc si in eodem intellectu ex præhabitis illis judiciis reflexis, subsequeretur illi dubium practicum, *an licitè nihilominus eligere possit sententiam, quæ habet minorem apparentiam veri?* & ex aliis principiis ritè sufficientibus ad licitè operandum hæc omnino tuta suaderetur, & operans persuaderetur, ex hac persuasione operans omnino licitè ageret.

838. Not. 2. dupliciter intelligi posse, quòd aliqua opinio, seu judicium, *subjectivè* probabile operanti, sit *prudens.* 1. prudens *positivè*, si nimirum non tantùm sit verum in apparentia, sed etiam in re. 2. prudens *negativè*, si, licèt non sit verum in re, sit tamen verum in apparentia, quæ vinci non possit etiam post debitam diligentiam, ut habeatur veritas in re, quæ tamen apparentia veri sufficiat, ut quis citra culpam illi præbeat assensum. Nam sic esset prudens *negativè*, hoc est, *non imprudens.*

839. Not. 3. non esse de ratione conscientiæ, quòd sit virtus mentis, quæ scilicet excludat falsum *in re*; cùm ea interdum erret, sive culpatè, sive inculpatè, dum enuntiat opus aliquod conformari, vel difformari cum universali regula moralitatis, seu honestatis; ex hoc vides, ad conscientiam, quæ sufficiat ad *rectè* agendum, saltem *negativè*, hoc est, *non inhonestè*, requiri, quòd sit judicium, seu dictamen rationis *prudens*, *saltem negativè.* Nam operans juxta dictamen imprudens eo ipso caret regula operantem conformante universali regulæ moralitatis.

840. Not. 4. conscientiam differre à *Synderesi* actuali, quæ consistit in actuali notitia principiorum moralium *generalium*, ut, bonum est faciendum, malum omittendum; & *prudentiâ*, qua in quovis negotio occurrente novimus, quid in datis circumstantiis honestum sit, quid turpe, ut docet Lessius *l. 1. de Just. c. 1. d. 1. n. 2.* Et quia est virtus mentis, eoipso explicat judicium, seu notitiam *veram* (nam falsum non est virtus, seu bonum mentis, sed vitium) & quidem non utcunque, incautè, ac temerè conceptam, sed post justam ac debitam veritatis inquisitionem; intellige *quoad actûs elicitos.*

Noti

841. Not. 5. non repugnare, quòd judicium opinativum, seu incertum possit esse prudens, non tantùm negativè, sed etiam positivè. Nam ponamus duplex judicium in materia morali, quorum unum neget, alterum affirmet, *dari legem prohibitivam operis exercendi in datis circumstantiis*, & utrumque conceptum inculpatè, post diligens veritatis examen; in hoc casu necesse est, *unum eorum esse verum, & alterum in re falsum*; illud, quod erit in re falsum, erit *prudens negativè*, seu non imprudens positivè, juxta *n.* 838. quod verum, *prudens positivè*, quia est verum, & non temerè conceptum.

842. Dices: dictamen prudentiæ, quòd est tale *positivè*, debere esse certum; aliàs posset esse falsum, & si posset esse falsum, deficeret à ratione positivæ prudentiæ. R. 1. debet esse certum quoad actus elicitos ab habitu prudentiæ; dato: quoad actus imperatos ab ipso, N. maj. nam cùm quis irreprehensibiliter judicat, hunc hominem esse indigum, consequenter dignum, cujus inopia ope data sublevetur, licèt in re non sit indigus, judicium in re falsum est; & tamen actus voluntatis conceptus dependenter à tali judicio cum universali dictamine prudentiæ laudabiliter agi sublevandô miseriam inopis, qui talis judiciô non imprudenti ac temerè judicatur, manet certus. R. 2. negandô, quòd requirat *certitudinem*: id enim nec habet ex eo, quòd sit virtus mentis, cùm hoc obtineat, quando est vera, & non incautè, sed ex motivis rationabilibus, & dignis assensu. Aliud enim est, judicium aliquod *posse esse falsum*; aliud *esse falsum*; nam ex illo non infertur, *quòd non sit prudens*, sed tantùm, *quòd possit non esse prudens*, quando falsum esset.

843. Hoc confirmari potest ex doctrina Patris Thomæ Sanchez, qui *lib. 1. in Decal. c. 9. n.* 18. sic loquitur: *cùm prudentia sit humanorum actuum regula, judicium, quòd sufficit ad prudenter agendum, sufficit quoque ad honestè operandum; at prudens operatio non requirit omnimodam certitudinem, sed probabili, cum alterius partis formidine, contenta est. Aliàs vix esset, cui operari liceret; cùm res practicæ difficillimæ cognitu, & variis opinionibus subjectæ sint.*

Nec obstat, *opinionem* juxta Philoso- 844.
phum *6. Ethic. 3. non esse virtutem*; nam id procedit de opinione *ex genere suo*; cùm ex conceptu suo ei non repugnet falsitas, quo stante utique deficeret à ratione positivæ prudentiæ per *n.* 838. secùs tamen est, ubi non temerè concepta conjungitur veritati. Nam & ipse Aristoteles, & ex illo D. Thomas, dixerunt, *artem, & prudentiam esse, de his, quæ possunt aliter se habere.*

Not. 6. quando dicitur, quòd judicium 845.
opinativum habeat adjunctam *formidinem oppositi*, id posse variis modis intelligi, ut, cùm opinativè judico, *non dari legem* hujus operis hìc, & nunc exercendi prohibitivam. Aliqui enim volunt, illi judicio, ex hoc ipso, *quòd opinativum sit*, conjunctum esse hunc actum: *fortasse hìc, & nunc id displicet Deo*; vel, *fortè nunc per hoc ipsum opus pecco*; vel, *fortè res est aliter, ac judico*; quamvis aliqui velint, per eam *formidinem* nihil aliud importari, quàm apprehensionem quandam, vel existimationem ex motivis contrariis conceptam *de periculo falsi, & peccati.*

Not. 7. non pertinere ad essentiam *opi-* 846.
*nionis propriè dictæ*, ut vel ipsa, vel alius actus illi conjunctus dicat, *res habet se aliter*; aut, *oppositum, quòd judico licitum, est illicitum*, &c. Nam essentia opinionis in eo stat, quòd procedat ex motivo fallibili apprehenso, ac influente, quà tali, consequenter, quòd ex tali motivo præstet assensum *objecto, & non repugnantiæ ad oppositum.* Hoc enim eo ipso habet ex vi motivi ut influentis in ejusmodi assensum. Sicut enim motivum *scientificum*, aut *certum*, actum ex illo procedentem non facit *formaliter scientificum*, aut *certum*, nisi ex eo procedat, *ut scientifico, aut certo, cognito quà tali*; ita etiam motivum fallibile, seu opinativum, actum ex illo procedentem non facit formaliter opinativum, nisi ex eo procedat ut fallibili, nimirum cognito quà tali: at motivum fallibile, etiam cognitum quà tale, non importat, nec suadet *oppositum actu esse*, sed tantùm *posse esse*; ergo.

Not. 8. metum, seu *formidinem intel-* 847.
*lectualem* sitam in apprehensione, vel etiam suspicione, quòd fortè nostro judicio actu subsit falsum, vel peccatum, aliam esse *prudentem*, aliam *imprudentem*, nimirum,

mirum, ratione, gravitate, vel levitate motivorum sic esse suadentium. Sic ergo accipiendô formidinem, certum videtur, illam quoque non esse de substantia, seu essentia judicij opinativi propriè dicti; cùm dari possit opinio pro una determinatè parte contradictionis, quin in oppositum occurrant alia motiva id suadentia, ut diximus *supra*, licèt quandoque talis formido simul cum opinione consistere possit.

848. Not. 9. ab Authoribus, qui negant, ullum judicium rationis, nisi certum, sufficere ad amplectendam partem minùs tutam, seu stantem pro libertate contra legem, rejici à sufficientia inculpatè operandi, ex judicio rationis, seu conscientia merè probabili, nec certa mortaliter propterea, quòd, cùm sit merè opinativa, & sæpè habeat contra se rationes probabiles, admittat prudentem formidinem falsi, ac peccati, oriundam ex motivis contrariis, ac prudenter, seu probabiliter, aut etiam probabilius suadentibus, illud judicium, seu conscientiam, falli actu, & opus exercendum, esse peccatum.

849. Hæc ergo formido, præter judicium, quo quis judicat, *rem esse licitam cum non repugnantia tamen, ut sit illicita*, explicat præterea periculum aliquod, quòd, cùm contraria sententia probabiliter dictet, judicium oppositum esse falsum, & rem esse illicitam, opinio dicens, *esse licitum*, minus remota sit *ab actu aliter essendi*, atqueadeò, *quòd res aliter se habeat*, quàm ipse judicet. Consistit ergo hæc formido non in mera apprehensione de possibilitate oppositi, sed periculi aliquo modo impendentis, quòd, *si fiat actus*, peccatum fiet, sic suadentibus momentis contrariæ opinionis probabilis.

850. Ex his infero, nec istam formidinem essentialem esse opinioni, cùm, ut jam dictum est, possit una pars contradictionis esse probabilis, quin eoipso probabilis sit opposita. Et ratio est, quia quæstio practica versari potest inter extrema quandoque non ritè probabilia *utrinque*, & tamen cadere sub opinionem. Quia tamen frequentissimè usuvenit, quòd ex rationibus pro, & contra probabilibus, esto quis amplectatur unam partem determinatam ex illis duabus sibi contrariis; quarum tamen quælibet sit probabilis, propter rationes probabiles oppositæ partis, cùm qualibet probabilium opinionum contrariarum stet prudens illa formido; quæstio est, an stante tali formidine nihilominus licitè operetur, vel priùs deponi debeat, *& qualiter*?

Loquimur autem, ut dixi, de prudenti formidine oppositi, quam fundant rationes opinionis contrariæ. Nam si imprudens sit, non obstat honestati actus; quia etiam cum actu divinæ fidei, qui essentialiter certus est, ob suam obscuritatem frequenter conjuncta est formido irrationabiliter concepta, quin propterea vitietur. Unde tota difficultas est de concursu opinionum probabilium, & contrariarum. Cuilibet enim earum adjuncta est, aut adesse potest ejusmodi formido prudens, propter rationabiles causas, & momenta, quibus stabilitur contraria, etiã probabilis, vel æquè, vel minùs, vel etiam magis. Ad hanc quæstionem dicemus *infra*; cùm altera, quæ sequitur, priùs expedienda sit. 851.

## §. XII.

### *Quousque locum habeat regula, quòd in dubio melior est Conditio possidentis?*

HÆc regula de possessione, in pari causa litigantibus, tribuente conditionem illi potiorem, qui possessionem allegare potest, est 65. *de regul. juris in 6.* & sic habet: *in pari delicto, & causa, potior est conditio possidentis*; & *L. 171. ff. de reg. juris*, ubi dicitur: *in pari causa possessor potior haberi habet.* Hinc Alexander III. ut habetur in c. *ad aures. 6. de præscript.* ait: *jure divino, & humano meliorem esse conditionem possidentis.* Hujus regulæ usum plerique concedunt, quando subnascitur dubium, ad quem res (de qua litigatur) pertineat? vel cùm homini rem possidenti suboritur dubium, scrupulus, aut formido, an res, quam possidet, non sit aliena, consequenter non illicitè retineat? 852.

Nam licèt aliqui existimaverint, quòd, quando possessor, etiam factâ debitâ diligentiâ, non potest deponere dubium per notitiam veri Domini, non possit rem à se possessam retinere, eò quòd in tali casu subintret, 853.

subintret, ac prævaleat regula, quòd *in dubiis tutior pars eligenda sit;* cùm in restitutione, seu non retentione nulla injustitia appareat; secùs in retentione; alij autem in casu talis dubij rem esse dividendam inter possessorem, & alium, de cujus jure dubitatur: rectiùs tamen dicitur, ut jam notavimus in *præced.* in tali casu dubium sufficienter vinci, ac deponi posse à possessore, per dictamen, seu judicium practicum, fundatum in illis regulis, *quòd in tali casu melior sit conditio possidentis*, & totum licitè retineat; præsentim, cùm & Judici præscripta sit hæc regula, *quòd, cùm jura partium sunt obscura, Reo potiùs favendum sit, quàm Actori. Reg.* 11. *de reg. juris in* 6.

854. Difficultas est, an, quando subnascitur ejusmodi dubium, etiam *extra materiam justitiæ* v. g. inter libertatem hominis, & legem (libertate prætendente immunitatem ab obligatione legis; hac autem asserente) ubi utriusque partis probationes, aut pares sunt, sed non certæ, adeóque solùm incertæ, libertas etiam contra legem tueri se possit ex illis regulis, si probet, se ante motam sibi litem per rationes contrarias; & inde subnatum dubium (an subsit, vel non subsit obligationi?) fuisse in possessione immunitatis ab obligatione talis legis? Quæstio hæc breviùs sic proponi potest: *an non solùm in materiis justitiæ, sed etiam in aliis, titulus possessionis sit recta regula deponendi, seu evincendi conscientiam dubiam, rectéque operandi?* Negativam sequuntur Vasquez, & Salas apud Castropalaum *P.* 1. *tr.* 1. *D.* 3. *p.* 7. *n.* 1. Eandem negativam tenet P. Thomas Munièssa in *stimulo conscientiæ, stimulat.* 4. §. 5. *n.* 40. & *stimulat.* 7. §. 7. *n.* 75.

855. Rationes negantium sunt *sequens* 1. quia ratio, propter quam in materia justitiæ titulus possessionis sit recta regula deponendi conscientiam dubiam non convenit aliis materiis; probatur: nam ideo ibi valet, quia quamvis in titulo proprietatis sint pares illi duo propter dubium; titulus tamen possessionis est pro altero certus, quo certò caret alter; ex hoc enim fit, quòd talis possessor in foro externo, imò & interno à nullo Judice spoliari possit possessione suâ, fundante, & honestante intentionem suam, sine plena probatione in contrarium; at hæc ratio non convenit aliis materiis; ergo. Min. probat. Nam sit casus, quo quis dubitet, an talis contractus sit, vel non sit sub lege Dei prohibente illum tanquam usuarium. Ubinam possessio? si dicas, pro libertate, donec dubium resolvatur? contra est, quia nunquam fuit libertas sic contrahendi, & nunc dubitatur, an sit licitum sic contrahere; ergo dubitans non habet rationem titulò possessionis ferendi sententiam pro libertate, & amplectendi, tanquam licitum ejusmodi contractum; ergo aliis materiis non convenit ratio, propter quam titulus possessionis in materia justitiæ sufficiat ad ritè deponendam conscientiam dubiam.

856. 2. Ex dictis constat, hominem constitutum in dubio (*an opus sit prohibitum, nec ne?*) non posse illud, nisi dubium deponat, sine certo peccato velle, & facere. Nam, ut ait S. Augustinus, *efficere id, quòd incertum est, an sit peccatum? certum peccatum est;* ergo in aliis materiis, saltem in casu opinionis probabilis, aut etiam probabilioris pro altero contra possidentem, huic non favet titulus possessionis, cùm eo titulo etiam in tribunalibus causa decidatur contra possidentem, quia nunc non sumus in dubio.

857. 3. Arguit Munièssa *cit.* §. 7. *n.* 77. Hæc imaginaria libertatis possessio, vel procedit de libertate *physica* ad faciendum talem contractum v. g. vel de libertate *morali*, seu juris, eum faciendi? *Non primum;* quia lex non aufert libertatem physicam; aliàs hominem non relinqueret cum libertate peccandi; ergo de morali; sed sic supponitur plus, quàm falsò, fuisse unquam hominem in possessione talis libertatis; aut illam ei concessam à Deo, aut concedi potuisse. Quia nunquam potuit homo licitè, & impeccanter, facere opus prohibitum lege Dei, *sibi* (nisi velit affectatè claudere oculos, vel à lege, vel à Deo avertere) satis propositâ, & intimata per ipsius judicium, quo directè opinatur in actu secundo, contractum esse usurarium.

## §. XIII.

### *Eligitur sententia affirmans.*

858. SEntentia affirmans tenet, in dubio, *an detur, vel non detur lex prohibens aliquem actum, dubitantem posse dubium ritè deponere per judicium negativum* (nempe, non dari legem illam, *quoad vim obligandi ad omittendum illum actum vi talis legis*) *conceptum ex regula*, quòd titulus possessionis libertatem in jure immunitatis ab obligatione illius legis, de cujus existentia dubitabatur, potiorem faciat ejus conditionem. Hanc sententiam tenent complures ex gravibus Authoribus. Nam in quæstione: *an, si factâ sufficienti diligentiâ ad investigandam veritatem, adhuc dubius es de lege, vel præcepto; te non teneri illo*, docet Suarez *tom. 5. in 3. p. D. 40. S. 5. n. 15.* Thomas Sanchez *l. 2. de matr. D. 41. n. 36. & l. 1. in Decal. c. 10. n. 32.* Villalobos, Henriquez, Emmanuel Sa, & alij, quos citat, & sequitur Castropalaus *P. 1. tr. 1. D. 3. p. 7. n. 1. qui n. 2.* cum Thoma Sanchez *cit. c. 10. n. 33.* & Salas *tr. 8. D. unic. S. 25. n. 258.* idem sentit, quoties dubitas, an lex ad aliquem casum se extendat? Pro eadem affirmante refert ipse Muniessa *cit. §. 5. n. 39.* Terillum, Moyam, Tapiam, Tamburinum *l. 1. Decal. c. 3. §. 7.*

859. Pro resolut. *not. 1.* non esse dubium, quòd lex divina sive naturalis, sive positiva, tempore sit anterior libertate creata. Illa enim ab æterno est; hæc in tempore. Sed hoc non impedit etiam certam possessionem creatæ libertatis contra legem sive divinam, sive humanam, ut constabit ex sequentibus. Not. 2. certum quoque videri quandoque libertatem hominis esse in possessione contra legem, etiam divinam, & humanam. Nam *possessio libertatis contra legem*, est immunitas ab obligatione ponendi, vel omittendi aliquem actum, atqueadeò *potestas faciendi, vel omittendi talem actum absque peccato formaliter imputabili.* Ipse enim Muniessa fatetur *cit. §. 7. n. 79.* idem esse, *habuisse, vel habere potestatem moralem juris ad licitè, ac impeccanter exercendum aliquem actum*, ac *fuisse, & esse in possessione libertatis moralis ad licitè, & impeccanter exercendum aliquem hìc & nunc actum.* Ex quo per oppositum rectè sequitur, possessionem legis contra libertatem, esse potestatem stringendi libertatem ad ponendum, vel omittendum aliquem actum, ut secùs agens pro sensu composito talis potestatis, & vinculi, eo ipso peccet imputabiliter; sed illa potestas quandoque est in libertate, ut mox dicemus à *n. 863.* ergo.

860. Dixi: si secus faciat *pro sensu composito talis potestatis, & vinculi*, nimirum, *omissionem actûs ponendi*, vel *positionem actûs omittendi ex lege, componendô cum existentia legis cognitæ.* Nam, si per omissionem actûs ex lege ponendi, vel positionem actûs omittendi dividat existentiam legis à tali omissione, vel positione actûs; sicut justus *peccandô* dividit gratiam, hoc est, facit, ne tunc sit gratia, aliàs extitura; & prædefinitus ad actum, omittendô illum dividit prædefinitionem, hoc est, facit, ne tunc sit prædefinitio, quando ponitur omissio actûs, qui dependenter à scientia media prædefinitus est, nihil omnino agit contra gratiam, vel prædefinitionem, utpote tunc non existentem; ita omittens actum præceptum pro sensu diviso præcepti, nihil agit contra præceptum. Et ideo in tractatu *de obedientia* Christi docui, quòd necessitas faciendi actum, quam imponit præceptum existens dependenter à scientia media de aliunde futura liberè substantia talis actûs, *non importet determinatè potentiam peccandi*, sed vel faciendi actum, vel per ejus omissionem dividendô præceptum, hoc est, faciendô, quòd tunc non existeret existente omissione actûs præcepti.

861. Not. 3. nullam legem habere potestatem, seu vim obligandi libertatem hominis sub peccato formaliter imputabili, nisi ea lex existat, & eam existere sufficienter intimetur voluntati. Nam certum videtur. 1. nulla lege existente, nullam ejus esse obligationem; omnia enim nobis licent, quæ nullâ lege prohibentur; & prius est, *legem esse*, quàm *activè obligare.* Certum videtur. 2. nulli legi esse potestatem obligandi hominem sub peccato formaliter imputabili, invincibiliter, ac citra culpam ignorantem existentiam legis. Imputabilitas enim formalis supponit liberam transgressionem legis ritè cognitæ; quæ legem inculpatè ignoranti impossibilis est. Ex hoc sequitur, nullam legem esse in possessi-

possessione certa contra libertatem, quoad vim eam obligandi, quamdiu ejus existentia libertati solùm dubia, aut incerta est. Nam de cujus existentia dubium, aut incertum est, de eo etiam dubium, ac incertum est quoad ea, quæ supponunt ejus existentiam; sed vis obligandi sub peccato formaliter imputabili, supponit, legem existere, legem conditam esse; ergo quamdiu dubium est, vel incertum, quòd lex existat, dubium, ac incertum est, quòd habeat vim obligandi, & consequenter quoad hanc vim sit in certa possessione contra libertatem.

862. Not. 4. certum esse, quòd non omnis lex etiam divina habeat vim obligandi absolutam, sed solùm ex suppositione. Nam obligatio restitutionis est ex lege Dei, & naturæ; sed non habet vim obligandi, *nisi ex suppositione læsi juris alieni*; obligatio retractandi peccatum ad obtinendam veniam, vel confitendi, *est ex suppositione peccati commissi*; & sic de plurimis tam juris naturalis, quàm positivi, æquè humani, ac divini; ergo antequam certa sit suppositio, penes ejusmodi leges non est certa possessio, seu jus obligandi sub peccato formaliter imputabili.

863. Not. 5. certum esse, quòd frequenter homo certus sit, quantum humanitus fieri potest, se non fecisse actum, quo, certò supposito, subintraret lex vel divina, vel humana, & veniret in certam possessionem, quoad vim obligandi. Nam si certum mihi sit, me non peccâsse graviter, libertas mea est in certa possessione contra obligationem confitendi: tunc enim habet potestatem etiam moralem omittendi confessionem, à Deo sibi concessam. Similiter certus, se non dedisse fidem matrimonij de futuro est in certa possessione contra jus, & legem naturalem, quæ jubet implere promissum, sed solùm ex suppositione datæ fidei.

864. Not. 6. omnino verum esse, possessionem libertatis certam esse contra legis obligationem, quoties ejus existentia inculpatè ignoratur. Nam possessio libertatis contra obligationem legis, est potestas faciendi, vel omittendi actum aliquem citra culpam ex *n.* 859. sed hæc potestas certa est penes libertatem inculpatè ignorantem, legis existentiam prohibentis talem actum, vel omissionem; ergo & possessio libertatis, contra legis obligationem. Nunc ponamus casum. Titius hactenus inculpatè ignoravit, hunc contractum A esse simoniacum; consequenter hactenus fuit in certa possessione contra legem, titulô simoniæ prohibentem contractum A; hactenus enim citra labem, seu culpam simoniæ, *formaliter imputabilis*, potuit illum contractum celebrare; cùm etiam contrarij concedant, quòd potuerit illum citra culpam simoniæ formaliter imputabilis, stante illa ignorantia inculpata celebrare. Supponamus, quòd deinde Titio superveniat dubium merè negativum, *an talis contractus sit, necne, simoniacus?* non video, qualiter certa possessio libertatis, quam habuit ante subortum hoc dubium, per dubium hoc merè negativum superveniens evertatur; supponamus subsequi, ad certam illam possessionem libertatis contra legem, dubium positivum ex opinionibus sibi oppositis, & probabilibus, & solùm objectivè existentibus in mente Titij; neutra tamen alteram notabiliter, vi rationum, quibus nituntur, excedente; nec in hoc casu video per ejusmodi purum dubium everti præexistentem libertatis possessionem contra legem; sicut nec reverâ contrarij dicere possunt, bonam fidem in aliquo præexistentem everti. Inculpatè autem ignorans, operatur cum bona fide; ergo sicut possessor bonæ fidei, sic inculpatè ignorans, etiam dato ejusmodi superveniente dubio non amittit possessionem præexistentem; at hoc contingit in materiis etiam extra justitiam; ut ostensum est hactenus; ergo.

865. Consideremus nunc rationes in contrarium. Ad 1. in *n.* 855. N. maj. ad hujus prob. data maj. N. min. ad istius prob. ubi quæritur, *ubi sit possessio?* &c. esse penes libertatem, etiam superveniente dubio, de quo à *n. priori*; hinc nego, quòd Titius, ante illud dubium superveniens, ac inculpatè ignorans, *existere legem prohibentem ejusmodi contractum*, nunquam habuerit libertatem moralem, seu juris, inculpatè, seu citra culpam imputabilem eum contractum celebrandi; & ideo N. consequentia ex ratione data *n. præced.*

866. Ad 2. rat. in *n.* 858. &c. dato anteced. N. consequentia pro casu dubij negativi, vel etiam positivi, ex opinionibus probabilibus contrariis, neutra alteram notabiliter excedente.

cedente. De casu autem, quo una pars contradictionis notabiliter in probabilitate alteram excederet, dicemus *infra*. Hìc enim aliud non intendimus, quàm ostendere, quòd quandoque certa possessio stet pro libertate contra obligationem legis; & homo, qui hactenus ejusmodi libertatis possessionem habuit, ubi dubium supervenerit, rectè deponere possit dubium, per judicium desumptum ex titulo possessionis præhabitæ, nec per ejusmodi superveniens dubium eversæ, etiam *extra materiam justitiæ*. Cæterùm textus D. Augustini *cit. n.* 865. non aptè producitur ad intentum. Nam juxta P. Muniessam, & satis communem sententiam aliorum, *Titius licitè amplectitur opinionem pro libertate contra legem, quando ei probabilior est illâ*, quæ stat pro lege contra legem; & tamen, *incertum est*, an sit peccatum id, quòd operans juxta illam probabiliorem efficit; major enim probabilitas actui relinquit suam incertitudinem; *incertum* ergo ibi Sanctus Doctor sumit pro *dubio*, cum quo, si quis id, de quo dubitat, an sit peccatum, efficit, omnino certum peccatum est.

867. Ad 3. rationem in *n.* 857. &. à nobis concedi, sæpiùs certam esse possessionem pro libertate morali, contra legem; & nego subsumptam min. ex *dict.* à *n.* 859. Nam etiam juxta Munieſſam, *citra culpam, formaliter imputabilem, operatur homo, mentiendò* v. g. *quando inculpatè judicat, se hìc, & nunc, ne transgrediatur legem sibi per errorem invincibilem propositam, debere mentiri*; ergo tunc potest, seu habet potestatem moralem, ac juris, citra culpam mentiendi; hanc autem potestatem utique habet à Deo; ergo.

868. Dices cum eodem Authore *stimulat.* 7. §. 7. *n.* 78. tota ratio pro possessione libertatis contra legem est, quòd homo *antecedenter ad intimationem legis, inculpatè priùs ignoratæ, habebat potestatem, impeccanter, & licitè faciendi talem contractum, & nec dum certò constet de lege, qua ipsi fiat illicitus, quamvis ipse opinetur probabilius, esse usurarium, vel simoniacum, dum alij opinantur, non esse*: quo posito sic progreditur: *Bene quidem possessio illa antecedens erat certa ad exercendum contractum, nullatenus homini proposita lege prohibente; & certa non erat ad exercendum contractum, dum constaret certò de lege prohibente*: ad exercendum verò licitè contractum dum operans opinatur, aut verosimilius ipsi proponitur esse usurarium, atqueadeò lege prohibitum, affirmant adversarij fuisse tunc, & nunc etiam esse homini potestatem; nos autem negamus, & esse, & fuisse; ergo ad summum est possessio incerta, utpote versans sub hominum opinionibus; hoc est luce clarius; ita ille.

Ex hoc tria subinfert *n.* 79. Primum: 869.
Adversarios ludere verbis, petere principium, & respondere per quæstionem: idem enim est, *hominem habuisse, & habere potestatem moralem juris ad licitè, seu impeccanter exercendum in præsenti casu contractum*, ac, *fuisse, & esse in possessione libertatis moralis, ad licitè, & impeccanter contrahendum in hoc casu*: nos utrumque negamus: Adversarij utrumque affirmant: & pro ratione libertatis, & potestatis moralis dant *possessionem libertatis*: & pro ratione possessionis libertatis dant *potestatem moralem ad id licitè faciendum*: quòd est circuire colluſoriè, petendò principium, nullam aliam dantes rationem suæ doctrinæ in re gravissima ad mores maximè pertinente.

Secundum: eandem nobis esse difficul- 870.
tatem de asserta illa possessione libertatis, ac de potestate morali juris in homine illo ad id licitè faciendum in occursu legis sic ipsi propositæ: & de utroque pariter quæritur responsum. Respondere autem, manere in homine sic constituto possessionem libertatis, & potestatem moralem juris ad id tunc licitè faciendum; *quia possidet libertatem ad id tunc licitè faciendum, dum certò non constet de lege*; est in re dicere *possidet, quia possidet*.

Tertium: possessionem illam libertatis 871.
ad id tunc licitè faciendum, utpote non minùs incertam, quàm sit potestas ad id licitè faciendum, suffragari nullatenus homini posse ad licitè operandum in prædicto casu. Quod sic ostendit ibidem *n.* 80. Regula juris: *melior est conditio possidentis*: habet locum, *quando alioquin jura sunt paria, seu dubia pro utraque parte, & pro una stat certa possessio*: tunc enim manutenetur possessor in re, quam possidet, donec per aliud judicium petitorij, seu de jure proprietatis, decidatur lis. At,

quando

quando possessio est dubia pro utraque parte, ideòque sub lite, neutri potiùs suffragatur: & litigatur de possessione, de qua judicatur seorsim in possessorio (hoc in humanis est certum) at homines ij versùs Deum volunt, quòd possessio ad summum dubia, & sub lite, suffragetur libertati contra Dei legem; ac si causâ jam Deus in possessorio cecidisset; cùm tamen sit adhuc sub lite qualisqualis illa possessio: ut vel ex hoc admiremur, adhuc standô illi regulæ juris, quàm sint erga Deum mendaces Filij hominum in stateris.

872. Resp. datam object. in *n.* 868. recedere à statu quæstionis propositæ. Hæc enim est, an in casu dubij, *num detur, vel non detur lex divina prohibens exercitium talis contractûs, vel operis*, etiam *extra materiam justitiæ* locus sit regulæ: *in dubio melior est conditio possidentis*; & consequenter, an *dubitans* in ejusmodi casu *dubij propriè dicti* rectè utatur in favorem suum eâ regulâ, & titulô possessionis, quæ antecedenter ad illud dubium subjectivè in illo erat, rectè deponat dubium resolvendô se pro parte, cui favet possessio? objectio autem loquitur de casu, quo, qui antecedenter ad legis intimationem habebat potestatem exercendi contractum illum impeccanter, & licitè, ipse *opinatur probabiliùs contractum esse usurarium*, aliis probabiliter opinantibus, *non esse*, quod utique longè aliud est à priori, ubi ponitur casus *dubij in operante*. Cùm autem reliqua, quæ subinfert Munientia (de quibus *suprà*) non tangant statum præsentis quæstionis, an *in dubio*, etiam *extra materiam justitiæ*, locus sit regulæ, de qua nunc agimus; sed solùm ejus, an, *quando probabiliùs adhæret parti tutiori, seu remotiori à peccato, & stanti contra libertatem*, tueri se possit eâ regulâ, de quo nunc non agimus, acturi tamen *infrà*, ibidem ad ea respondebimus.

## §. XIV.

### *An dubitans citra culpam se resolvere possit pro parte favente libertati contra legem, nixus eâ regulâ, quòd in dubio potior sit conditio possidentis?*

873. SUpponendum, nos loqui primò de casu, quo Titius antecedenter ad tale dubium, impeccanter, & licitè poterat facere actum, de cujus licito exercitio supervenit deinde *dubium merè negativum*. Quòd homo antecedenter ad tale dubium possit licitè facere actum aliquando, qui postea subjicitur dubio, ex eo constat; quia sæpe fit, quòd antecedenter ad illud dubium fuerit in statu inculpatæ ignorantiæ, de prohibitione, vel malitia actûs, quin etiam leviter occurreret obligatio non ponendi talem actum. Vnde status quæstionis reducitur ad casum, quo homo, antequam subsequeretur dubium illud merè negativum, erat *in certa possessione* immunitatis ab obligatione (quem casum dari posse, nec everti per dubium superveniens, jam probatum est) & de hoc quæritur, an tunc licitè deponat dubium, & se resolvat pro parte contra legem ex titulo possessionis pro se certæ? si post sincerum examen, vel inquisitionem de rei veritate adhuc manet dubius?

874. Responsio est affirmativa, quam tenent Authores jam relati *superiùs*; nam, qui post sincerum examen, & inquisitionem, de rei veritate hæret negativè dubius, circa opus particulare in datis circumstantiis, occurrente tamen ea regula, quòd is, cui favet hìc & nunc possessio contra alterum, habeat potiorem causam non tantùm in materia justitiæ, sed quavis alia, licitè, ac *prudenter* (*saltem negativè*) judicare potest, se citra culpam operari posse, ut antè, consequenter dubiô depositô transire ad operationem; sed hoc contingere potest: ergo. Maj. prob. nam in eo casu certa possessio stat pro libertate, ut constat ex *n.* 864. cùm per superveniens dubium negativum non evertatur; 2. dicta regula, quòd possessio, *si certa sit*, potiorem faciat causam possidentis, contra non possidentem, cæteris paribus, locum habeat etiam extra materiam justitiæ, constat ex *n.* 864. Denique, quòd inclinatus, seu persuasus ex eo principio, & judicans pro sua libertate contra legem, formet judicium prudens pro habente certam possessionem contra legem, quando agitur de materia justitiæ, concedunt Adversarij juxta dicta *suprà*: at eadem ratio est in alia materia, quando possessio certa est penes libertatem, ut constat ex *n.* 858. ergo. Minor autem est per se clara ex ipso casu proposito; ergo.

Dices:

875. Dices: in dubio, *an detur, vel non detur lex prohibens aliquem actum*? si dubium vinci non potest, etiam post diligentiam debitam in examine veritatis, certum est principium, *quòd tutior pars, seu remotior à peccato, eligenda sit ex obligatione*; sed in præsenti est talis casus; ergo in præsenti eligenda est pars tutior, seu remotior à peccato; sed hæc est pro lege contra libertatem; ergo. R. veram esse majorem, quando non suppetit aliud principium rationabile, deponendi dubium, seu rationabiliter assentiendi parti, quæ favet libertati contra legem, ut diximus à *n.* 881. sed in præsenti adest rationabile principium, quòd in casu negativè dubij, dubio superveniente ipsi certæ possessioni (quam antecedenter ad illud habuit libertas) nempe illa regula: *titulus certæ possessionis contra non possidentem faciat potiorem causam possidentis*; ergo in dato casu non est locus regulæ de tutiori parte, seu à peccato remotiori, eligenda, ex obligatione.

876. Quæstio altera est, an dubitans positivè, citra culpam se resolvere possit pro parte favente libertati contra legem; nixus eâ regulâ, quòd in dubio potior sit conditio possidentis? Pro resolutione supponamus casum: Titius, laborans inculpatâ ignorantiâ legis prohibentis aliquem contractum, tanquam usurarium, vel simoniacum; sub hoc incidit in libros Doctorum, scribentium pro, & contra in ea materia, ex quibus aliqui affirmant, aliqui negant *existentiam talis legis*; Titius autem cognoscit utriusque partis sententiam, *objectivè probabilem*, hoc est, eam à suis Authoribus haberi ut talem, quin illi una præ alia sit probabilis subjectivè; hoc est, quin ipse unam præ alia judicet talem, qualis à suis Authoribus asseritur; nec post diligens examen juxta captum, & modulum suum, ex principiis eorum pro una, vel altera parte ferat sententiam, aut ferre possit pro una parte determinatè, intellectu proinde in suspenso manente: in hoc casu quæstio est, an duarum opinionum objectivè solùm probabilium Titio, nullius partis rationibus alteri prævalentibus notabiliter, Titius licitè deponat dubium, per judicium, quo adhæreat opinioni neganti existentiam talis legis, subnixum motivis ejus, non solitariè, sed simul sumptis cum ea regula, *quòd in dubio, seu pari causa titulus possessionis certæ contra legem præhabitæ, potiorem nunc faciat conditionem libertatis contra legem*? Responsio est affirmativa; & ratio eadem est, quæ *n.* 874. quæ confirmatur ex eo, quia (ut fatetur Munieſſa, & omnes, qui volunt, obligationem esse, sequendi partem probabiliorem, seu remotiorem à falsitate, in concursu opinionum inæqualiter probabilium, sive major probabilitas stet pro, sive contra legem, ut notavimus ex eorum mente *superiùs*) si opinio pro libertate sit probabilior opinione stante pro lege, licitè illam sectamur, & deponimus dubium; at in casu, quo ex sententiis oppositis solùm objectivè probabilibus Titio nascitur dubium, quid in praxi, seu executione sequatur? opinio pro libertate ex principiis ejus directis, conjunctis cum certa possessione præhabita, nec per ullam ex objectivè solùm illi probabilibus eversâ, neutra multùm alteri præponderante, per reflexionem ad regulam, quòd titulus certæ possessionis præhabitæ, nec adhuc sublatæ, apparet illi oppositâ probabilior; ergo illi accedendô per suum judicium, ritè deponit dubium, & juxta tale judicium impeccanter, ac licitè operatur.

877. Ex hoc colliges, etsi fundamenta, quæ probabiliter suadent existentiam legis contra libertatem, de se apta sint causare formidinem, de qua à *n.* 845. nimirum, quòd opinio stans pro libertate fortè fallat, & consequenter juxta illam operans peccet; hanc tamen formidinem prudenter contemni, ac excludi posse per judicium contrarium, quo quis accedit opinioni directæ, quæ favet libertati, conceptum ex motivis opinionis directæ, faventis libertati contra legem, conjunctis cum titulo certæ possessionis à libertate præhabitæ contra legem, nec eversæ per fundamenta contraria; ratio constat ex dictis; quia judicium, quo in dato casu accedit parti pro libertate contra legem, prudens est saltem negativè, ac probabilius opposito.

§. XV.

## §. XV.

### *An, & qualiter ignorantia culpabilis excuset à culpa inobservantiam legis?*

878. ANte responsionem not. ignorantiam, vel errorem in nobis existentem, dici *vincibilem*, quando est in nobis cum potentia habendi notitiam ejus, quod secluso talis potentiæ usu ignoramus; seu quod ignoramus, aut falsò cognoscimus, potentes, si voluissemus, scire, aut verè cognoscere. Hæc ignorantia potest esse in nobis vel citra, vel cum nostra culpa; & si est hoc secundo modo, dicitur *culpabilis*. Ad hoc autem (ut ignorantia dicatur *vincibilis*, & *simul culpabilis*) tria necessaria sunt 1. quòd aliquo modo sit voluntaria; 2. quòd vinci potuisset, & debuisset, 3. quòd tunc victa non sit, ut pluribus exposuimus à *n.* 681. Uti autem ignorantia vincibilis, ita etiam culpabilis alia est *crassa*, & *supina*; alia *affectata*; alia nec supina, nec affectata, ut diximus *n.* 679. quibus positis: 2. quòd quælibet ignorantia legis etiam culpabilis, inobservantiam legis excuset à culpa tunc imputabili, quando talis inobservantia ponitur cum defectu omnis cognitionis de ipsius malitia; non tamen à culpa causæ, in qua fuit prævisa, dum ea liberè poneretur. Ratio primæ partis est ex dictis, quia tunc, quando ponitur sine omni cognitione malitiæ, nullam habet libertatem; secùs, quando liberè posita est causa cum prævisione secuturæ inobservantiæ, ex quo constat etiam ratio secundæ partis. V. dicta à *n.* 669. *cum seq.* & à *n.* 686.

879. Ex dictis collig. 1. cùm dicitur in c. *Cognoscentes*, & c. *Ut animarum*, (de quibus *n.* 667.) quòd *ignorantia crassa, & supina non excuset à censuris per Ordinariorum statuta decretis*, procedere in foro externo, quia præsumitur scientia, ut notavimus *n.* 670. non autem in foro conscientiæ, nisi quatenus inobservantia dicti statuti fuit voluntaria, consequenter prohibitio statuti cognita; secus enim non foret libera. Collig. 2. operationem malam, secutam ex ignorantia culpabili, consequenter solùm indirectè voluntariam, & in causa, non habere malitiam formaliter imputabilem, nisi ejus, in quo est liberè volita; ratio est ex *n.* 671. Collig. 3. quòd conscientia irreprehensibiliter errans, non evadat reprehensibilis, seu culpabilis per debitum sciendi, quòd in re habet operans, si nullatenus sit cognitum, dum operatur. Ratio est à *n.* 672. & *seq.*

Collig. 4. per culpam, à qua ignoran 880.
tia *culpabilis* dicitur, inobservantiam legis, quæ subsecuta est ex ignorantia, non reddi formaliter *imputabilem tunc*, quando ipsa ponitur; si, antequam hæc poneretur, fuit retractata per pœnitentiam, fuisse tamen jam priùs imputatam, quando liberè posita est illius causa; ratio est à *n.* 788. Collig. 5. opus malum ex ignorantia culpabili subsecutum, *tunc*, quando fit cum defectu omnis cognitionis de malitia operis, non imputari *ad propriam malitiam*, quam habet in se; *& novam ultra malitiam causæ*, in qua sola ponitur voluntaria; ratio est ex *n.* 690. Collig. 6. opus de se malum, subsecutum ex ignorantia culpabili, *tunc*, quando ponitur, non reddi formaliter voluntarium, & imputabile ad novam culpam, ultra culpam admissam in causa ignorantiæ liberè posita, etiamsi ea culpa in admissione causæ commissa *tunc*, quando ponitur opus, nondum sit retractata per pœnitentiam; ratio est ex *n.* 689. 700. 708.

Collig. 7. ignorantiam vincibilem suc- 881.
cessu temporis fieri posse invincibilem, & inculpabilem, consequenter excusantem à culpa noviter imputabili opus inde subsecutum ex tali ignorantia; constat ex *n.* 712. *cum seq.* quod verum est, licèt culpa negligentiæ priùs commissiæ non sit abolita per pœnitentiam ex *n.* 718. Collig. 8. cùm dicimus, operantem ex conscientia vincibiliter ignorante, excusari à peccato formali, & noviter imputabili ad culpam, ultra culpam malitiæ, quam affert ejus causa liberè admissa, intelligi, *quando opus ex illa secutum ponitur extra statum libertatis tam circa causam mali operis inductivam, quàm circa ipsum opus*; ratio est ex *n.* 727. Collig. 9. actum secutum ex ignorantia (nulla scilicet præcedente cognitione de malitia objecti, vel obligatione procurandi scientiam debitam) sive ignorantia sit inculpabilis, sive culpabilis, in neutro casu habiturum ma-

litiam *ab objecto*, formaliter imputabilem; secùs à causa, si ignorantia sit culpabilis; ratio est ex *dict.* à *n.* 777.

882. Collig. 10. ignorantiam inculpabilem, excusantem à peccato *gravi*, non tolli per quamcunque, etiam actualem cognitionem de malitia objecti, vel debito sciendi; ratio est ex *n.* 780. cùm possit quis, agnoscens opus esse malum, invincibiliter ignorare, *quòd sit grave malum*, juxta *n. cit.* Collig. 11. axioma illud, *scire, & scire debere, æquiparantur*, non valere in foro interno, nisi debiti aliqua actualis notitia præcesserit; ita Herdinck in *M. S. de legibus*, *D.* 3. ℣. 2. quia fieri potest, quòd nulla prorsus cogitatio tunc occurrat de tali delicto. Collig. 12. negandum esse, quòd aliqui universaliter docent, *imputari operanti eventum ad culpam, quoties rei illicitæ dat operam*; quia potest in ratione causæ esse invincibiliter ignorata; sic Vasquez *D.* 114. *in* 1. 2. *c.* 2. *n.* 3. consequenter eventus nec in se, nec in causa voluntarius esse. Et ideo hoc axioma: *eventus est in causa voluntarius*, non habet locum, nisi quando ipsius aliqua actualis notitia præcessit tempore, quo volebat operari. Vasquez *cit. c.* 3. *n.* 7.

883. Collig. 13. hoc axioma: *ignorantia facti, non juris excusat*, intelligendum de præsumptione fori externi, quod legum ritè promulgatarum ignorantiam in suis tribunalibus non admittit: at in foro interno utriusque ignorantia invincibilis excusat. Thomas Sanchez *l.* 1. *in Decal. c.* 10. *n.* 26. si reverâ adsit, vel adfuit in operante. Collig. 14. hoc assertum: *ignorantiam legum, vel statutorum ad alicujus particulare officium pertinentium, esse vincibilem, nec excusare à peccato*, non esse verum universaliter; aliàs enim in foro conscientiæ non daretur in ullis officialibus ulla juris ignorantia invincibilis, quod est contra experientiam; si enim potest dari in illis, quæ sunt Christiani hominis in genere, quare non etiam in casu particularis officii v. g. Advocati, Medici, &c. Sanchez *cit. n.* 23. Collig. 15. fieri posse, ut invincibilis ignorantia præcepti oriatur ex actu peccaminoso, quod tunc solet fieri, quando obligatio vitandi hunc actum peccaminosum nec totaliter, nec particulariter nascitur ex obligatione hoc præceptum sciendi; imò & si nascereture, fieri tamen potest, ut transgressor ad hanc circumstantiam non attendat; Vasquez in 1. 2. *D.* 120. *c.* 4. *n.* 12.

Collig. 16. infideles, qui nihil de fide audiêrunt, posse Mysteria nostræ fidei invincibiliter ignorare; & hujusmodi non damnandos propter infidelitatem; sed alia peccata naturæ; unde si foret aliquis infidelis, qui legem naturæ observaret, hunc Deus in fide illuminabit juxta dictum Joan 1. *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; ita P. Henricus Herdinck in *M. S. de Legib. D.* 3. ℣. 2. ex Lugonis *M. S. de gratia.* 884.
Collig. 17. posse etiam inter Fideles dari ignorantiam invincibilem aliquorum Mysteriorum fidei; quia fieri potest, quòd nullum illis actuale motivum occurrerit ad investiganda illa inducens. Hoc in rudioribus non videtur improbabile: idem à fortiori dicendum de hæreticis, qui inter nullos Catholicos habitant; & hi pariter non damnabuntur propter defectum fidei, sed ob alia peccata mortalia, quæ commiserunt; Vasquez in 1. 2. *q.* 76. *a* 2. *D.* 3. Collig. 18. non posse dari ignorantiam invincibilem circa principia juris naturæ per se nota, ut sunt: *bonum esse faciendum, malum fugiendum*; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* &c. Herdinck loc. *cit.* Inter hæc etiam numerantur illa præcepta Decalogi, quæ ex hujusmodi principiis nullo negotio à quovis homine possunt deduci, ut sunt: *dari Deum, Deum esse colendum, honorandos genitores*, &c. De reliquis quoque docent communiter Doctores, licèt aliquando, ad longum tamen tempus, aut per totam vitam dari non posse invincibilem ignorantiam; sunt enim ita legibus naturæ consentanea, ut impossibile videatur, transgressiones eorum nunquam ullam illiciti cogitationem causare, nisi fortè, quod fieri posset, aliqua apparenti ratione vestiantur, qualis foret: *furtum esse licitum ad erogandam eleemosynam, vitam suam, vel alienam tutandam: licitum esse mendacium ad assequendum aliquod bonum.* Vasquez *cit. D.* 122. *c.* 2.

Collig. 19. universaliter eum, qui non agnoscit ullo modo rem, quam habet, aut facit, esse prohibitam, nec reflexè cognoscit, se teneri ad inquirendum, aut dubitandum, 885.

tandum, an sit prohibita; & in casu, quo hoc cognovit, egitque, quod debuit, atque occurrens dubium prudenter deposuit, immunem esse ab omni culpa formali, licèt fieri possit, ut materialiter peccet, id est, ea committat, quæ ex natura sua sunt quidem peccata, sed hìc & nunc illi ad culpam propter ignorantiam, inconsiderationem, aut oblivionem invincibilem non imputantur. Huc corollario adde probabilem doctrinam, quam cum multis aliis docet Arriaga *D. 13. de act ib. hum. subsect. 2. à n. 27.* non sufficere ad *mortalem* transgressionem, *præcognoscere, quòd res sit prohibita*: sed cognosci debere, *quòd sit graviter prohibita.* Nam ratio malitiæ, *communis mortali, & veniali*, non est sufficiens ad mortalem malitiam; cùm aliam non possit inducere, vel refundere, nisi quam proponit; hæc autem, quæ proponitur, ut ponit casus, non sit mortalis, sed communis mortali, & veniali, non est, unde contingat, fieri mortale, si quis ex malitia sub ratione generica proposita operetur. Hanc sententiam etiam tenet Ant. Escobar in *princip. Theol. moral. exam. 2. de act. hum. c. 6. n. 13.* quia voluntas est imperfecta in genere mali.

886. Argumenta, quæ contra hanc sententiam fiunt, desumuntur à periculo, cui se quis exponit transgrediendi legem graviter obligantem, ad quod hæc sententia facilè potest respondere dicendô: nullum esse periculum *formalis transgressionis rei graviter prohibitæ*; de materiali non esse curandum, paritate sumptâ ab aliis materiis, eò quòd materialis transgressio non sit formalis Dei offensa, nec animæ ruina; sic illi, utique loquentes in eo sensu, quo verum est, *non esse offensam formaliter imputabilem secundùm rationem ignorati mali.* Potest etiam idem argumentum de periculo sic contra illos retorqueri: fortè periculum nullum adest, eò quòd res, *cum malitia generica* proposita, possit esse *in se non nisi leviter mala*; in quo casu non erit periculum legem *graviter* obligantem transgrediendi.

887. Ad extremum not. quòd, cùm, ut dictum est, non quælibet cognitio actualis de malitia objecti, vel debito sciendi (*num liceat exercere opus hìc & nunc exercendum?*) sufficiat, ut ignorantia, inducta per negligentiam admissam in procuranda notitia, sit *mortaliter* culpabilis; sed requiratur ea, quæ sufficiat, *ut actus sit perfectè deliberatus*, Doctores communiter cum Sanchez *cit. c. 10. n. 10.* & aliis ibidem, assignent sequentia indicia, ex quibus prudenter colligere quis possit, se non processisse cum ea notitia ad peccatum grave necessaria.

Primum est, lumen rationis ex vehe- 888.
mentissima distractione, vel passione ita turbatum, ut tenue censeatur pro formanda plena consideratione de malitia, aut obligatione objecti; Secundum, quando solùm in genere apparet malum, nec advertitur ad gravitatem, vel levitatem; Talis enim consideratio (cùm solùm contineat rationem mali, communem veniali, & mortali peccato) non est sufficiens ad consultandum, vel considerandam plenè malitiam peccati, vel gravitatem; Tertium, quando in cognitione est defectus firmitatis, eò quòd ex levi conjectura, vel cum notabili formidine procedat; ita Almainus, Corduba, Angestus, *cit.* à Vasquez in *1. 2. D. 107. c. 4. n. 11.* Quartum, quando quis ita advertit malitiam, ut semi à somno excitati, Sanchez *cit. c. 1. n. 10.* Quintum, cùm quis ex aliqua præsenti cognitione objectum ita quidem advertit, aut posset advertere, ut illud excutere queat, non tamen ita faciliter, quoniam nondum ita plenè cernit, in quonam, vel quali motu sensualitatis hæreat? Valentia in *1. 2. q. 9. p. 3. D. 6.*

Not. 2. ut quis possit manere *inculpa-* 889.
*biliter ignorans*, cùm tempore impletionis præcepti occurrit aliqua cogitatio de ipsius obligatione vel operis malitia, requiri, quòd ea priùs prudenter deponatur sic, ut habeat se operans æqualiter in foro conscientiæ, acsi ea nunquam occurrisset, intellige quoad conscientiam, ex qua procedit actus. Potest hæc cogitatio esse facti, vel juris, seu vel de facto, vel de jure. *De jure* erit, quando existentiam legis, aut prohibitionis habet pro objecto; *de facto*, quando suppositâ legis, aut prohibitionis notitiâ versatur circa aliquod factum individuum, quod aliter, quàm ante cognitum erat, nunc illi proponitur.

Potissima verò difficultas est, quam di- 890.
ligentiam quis adhibere teneatur, ut dicatur,

catur, *citra reprehensionem*, adhuc ignorare id, circa quod illa cogitatio aliquid vel de malitia, vel de obligatione indagandi, an hìc, & nunc operari liceat, movit? Ad hoc respondent Doctores communiter, quando cogitatio occurrens est *circa factum*, pro illa prudenter deponenda, potissimas esse regulas sequentes. Prima est, non requiri summam diligentiam ad indagandam veritatem ejus cogitationis. Quia jubemur declinare *à malo*, & *facere bonum*, non tamen *optimum*; hoc enim est tantùm consilij. Hinc illa diligentia sufficit, quæ in similibus circumstantiis solet à prudentibus adhiberi.

891. Secunda, quòd juxta qualitatem facti, & pondus rationis occurrentis debeat esse major, vel minor diligentia. Tertia, quòd ratio, per illam cogitationem occurrens, debeat esse particularis, id est, cum hoc facto particulariter connexa. Universales enim non probant; quia ex illis de hoc, vel illo facto non potest institui prudens consultatio. Res patet exemplô: multos homines avaritia induxit ad injustos contractus; ergo & Petrum. Multis amor proprius causavit conscientias invincibiliter ignorantes; ergo & huic. Multi ex pudore reticent in confessione peccata; ergo & iste censere debet, vel potest, se aliquando aliquid reticuisse, cùm habeat eandem naturalem verecundiam. Multi existimârunt, se prudenter agere, & non egerunt; ergo & iste debet de se sic existimare. Hæc & similia sæpe occurrunt, turbàntque invincibilem, quam quis habet, ignorantiam; sic Bresserus de *conscientia dubia*, c. 16.

892. Quarta, & præcipua regula est hæc: sufficientia hujus diligentiæ debet à judicio prudentum ultimatè desumi, quòd vel ex eorum libris, vel oretenus, vel ex præsumptionibus juris, quæ sunt eorum effata; vel ex factis, quoties cum doctrina timoratam vitam conjungunt, solemus ab ipsis accipere.

893. Respondent. 2. quando cogitatio occurrens est juris, vel de jure, utrum lex sit lata? quomodo intelligenda? quæ hujus, vel illius officij obligationes sint? & similia, præter regulas suprà dictas ad deponendam occurrentem cogitationem, hanc esse potiorem, quæ dicit, quòd consulendi sint periti in arte, qui similia tractaverint officia, vel eorum libros; hinc in medicina consulendus peritus Medicus, in juridica Jurista &c. Rudiores tamen posse stare judicio sui Parochi in omnibus occurrentibus, quod non possunt cives, mercatores, nobiles, quos non rarò casus difficiliores certum est habere. Parochi autem non possunt prudenter præsumi similia extraordinaria exactè callere, præsertim in minoribus locis. Sed de his plura in *sequentibus*.

## §. XVI.

### *Quid dicendum de ignorantia, quæ non potest vinci, dum operans in actum prodit?*

CAsus est iste: aliquis ex culpa mortali in eum statum incidit, ut non possit dubitationem, v. g. quam priùs habuit de peccatis non ritè confessis, vincere. Alius in eum statum per mortale incidit, ut non possit ampliùs scire ea, quæ ratione sui officij obligaretur scire; alius ex culpa mortali inebriatur, & ebrius peccata committit, quæ defectu libertatis non potuit evitare. De his quæritur, utrum facta in statu impotentiæ à culpa excusentur? 894.

Resp. 1. quæcunque mala, dum ignorantia vinci potuit, fuerunt sufficienter proposita, & tamen per mortalem negligentiam non impedita, inficiunt malitiâ suâ omnes actus, & supradicta negligentia subsequentes propterea, quòd in causa liberè posita censeantur liberè volita; quod *voluntarium* appellant Doctores, *indirectum*. 895.

Resp. 2. eum, qui tunc temporis, quo consensit in ebrietatem, vel quo prævidit se inebriandum, non habuit ullam cogitationem sibi occurrentem de peccatis in ebrietate ab ipso fieri solitis, nequaquam peccare per actus subsequentes in ebrietate commissos; quia sic nec in se, nec in causa sunt liberè voliti, dum poneretur causa. Quod autem dico de ebrietate, idem dicendum de aliis occasionibus, oblivione, ignorantia, &c. 896.

Not. tamen, hoc, quod passim Doctores ajunt de ebrietate, & similibus impedimentis, non esse universaliter verum, sed accipi in hoc sensu: *quòd ea, quæ quis sæpe facit, soleant non rarò ante factum occurre-* 897.

*occurrere.* Unde si leges in Authoribus has, & similes propositiones: *frequenter fieri solita sunt libera in causa*, intelligendum est, quoties ante positionem causæ cogitationi occurrunt ejus effectus; secus, si non occurrant actualiter. In dubio tamen, utrum occurrerit, censendum, quòd ita; quia in obscuris judicandum, quod vero similius, aut quod plerumque fieri consuevit.

898. Resp. 3. juxta quantitatem culpæ, quæ est in causa, mensurari culpam in subsequente effectu solùm in causa voluntario. Hinc si ebrietas est tantùm venialiter mala, effectus solùm voluntarius in causa, duntaxat cum veniali culpa liberè admissa, similiter erit tantùm venialiter malus. Imò licèt causa esset mortaliter mala, si tamen negligentia, quæ in effectibus ipsius præcavendis commissa fuit, sit levis, actus subsequentes non nisi levis malitiæ culpam contrahunt; quia nemo dat plus, quàm habet; & quoniam talis effectus solùm habet malitiam causæ, cùm ponatur non esse nisi in causa liber; malitia verò causæ imputabilis ponatur solùm venialis, plus non habebit effectus, nisi malitiam venialem.

## §. XVII.

### *An inobservantiam legis excuset à culpa inculpabilis ignorantia comitans?*

899. IGnorantia *concomitans* nihil est aliud, quàm, quâ quis invincibiliter ignorat suum vitiosum affectum, quem vel habitualem, vel conditionatum, vel actualem habet, per hunc actum externum ex alio fine hìc & nunc volitum, facto ipso expleri. Exempli causâ: habet quis actu, vel habitu affectum internum, quo vellet occidere inimicum, si occasionem haberet; & (post debitam diligentiam, an objectum, in quod jaculari vult, sit fera, vel homo?) invincibiliter errans, putansque feram esse, jaculatur in objectum, quod in re est jaculantis inimicus: tali casu inimici occisio facta dicitur cum ignorantia *comitante* pravum ejus affectum, *non causante*; quo posito: R. quòd talis ignorantia simul existens cum dicto affectu nunquam inficiat actum, cujus est comes. Nam omnis actus internus in tantum actum externum inficit, seu vitiat, in quantum eum imperat; sed nec ignorantia concomitans invincibilis, nec etiam ipse pravus affectus internus imperat actum externum, quem comitatur; ergo non vitiat. Contraria sententia in eo falli videtur, quòd effectus subsecutus ex actu imperato, dum fiebat, fuerit ab operante, internè concupitus, quæ concupiscentia, licèt faciat, eum non esse operanti contrarium, non tamen efficit, quòd ei sit voluntarius in actu externè posito; ita Thomas Sanchez *cit. n.* 13.

Hinc inferes. 1. ignorantiam concomitantem excusare ab excommunicatione, & irregularitate ex delicto, aliisque similibus pœnis; quia Ecclesia non potuit eas pœnas propter actus internos imponere; & actus externus ex interno, licèt pravo, in hoc casu non procedit, consequenter culpâ caret. 900.

Inferes. 2. ex hac ignorantia non oriri obligationem restituendi, quoties proximo per actum, cujus est comes, aliquod damnum infertur, quia actus, *illativus restitutionis*, debet esse culpabilis *in ordine ad damnum illatum*; intellige, quando restitutionis obligatio nascitur ex actione formaliter injusta. Inferes. 3. eum, qui contrahit cum Berta, existimans esse Cajam, licèt sit ita dispositus internè, ut, esto sciret, non esse Cajam, sed Bertam, tamen cum hac contraheret, non contrahere verum matrimonium; ratio sumitur ex defectu *actualis voluntarij in Bertam* externè proditi. Nam affectus etiam actualis in Bertam non influit in externam promissionem; Dicastillo *tr.* 10. *de matr. D.* 7. *d.* 7.

Inferes. 4. secundùm aliquos sponsalia cum ignorantia concomitante invincibili alicujus defectus notabilis contracta, tenere; ratio est, quòd hic defectus non possit dici *absolutè* à contrahente *incognitus*; cùm per illam ignorantiam fuerit ita dispositus, ut illo non obstante voluisset contrahere. Disparitas autem inter hanc, & priorem illationem est, quòd ad matrimonium consensus de præsenti, id est, *actuale voluntarium* requiratur; in sponsalibus autem, ut illa non possint propter aliquem defectum irritari, satis est, quòd ille defectus non fuerit contrariè involuntarius; ita P. Herdinck sæpe *cit.* Verùm 901.

hoc

hoc limitandum videtur, ut non procedat, si carentiæ defectus alligatus fuit consensus; 2. si consensus externus in Bertam non procedat ab interno in eandem. 3. quoad ly, *ut non possit irritari* talis contractus post cognitum illum defectum notabilem. De his *V. dicta l.* 4.

902. Infer. 5. quòd omnis ignorantia, etiam vincibilis, modò non sit affectata, saltem *minuat* culpam, quia minuit voluntarium; exemplum est in peccato Pilati, *Joan.* 19. *v.* 11. de quo Christus sic loquitur: *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Dixi autem, *modò non sit affectata.* Nam *ignorantia affectata solet æquiparari scientiæ. c. ult. de rescript. in 6.* ibi: *cùm taliter contrahendò non expertes scientiæ videantur*; & Layman in *c.* 20. *de elect. n.* 6. habetúrque etiam in *c.* 2. *de constit.* in 6. teste Pirhing *de Judicijs*, *n.* 44. hinc si ob finem liberiùs peccandi, negligo sciendi occasiones, aut alia pono impedimenta libertatis in futurum, culpa fit auctior: excipe tamen ab hoc augmento malitiæ illam ignorantiam affectatam, quæ ob fines ex circumstantiis bonos assumeretur; Sanchez *cit. c.* 17. *n.* 5.

903. Infer. 6. in foro externo *alleganti ignorantiam legis, aut edicti publici, sine probatione non credi*, ut dicitur c. *fin. qui matrimonium accusare.* Nam *non ei, qui negat, sed, qui affirmat, imponitur onus, seu obligatio probandi. L.* 2. *ff. de probat.* L. *Actor* 23. C. *eod.* Unde, quod dicitur *reg.* 47. *de reg. juris in* 6. *ignorantiam præsumi, ubi scientia non probatur*, fallit. 1. in facto proprio; quia nemo præsumitur ignorare factum proprium, c. *Ab excommunicato, de rescriptis*, nisi interdum ob temporis diuturnitatem, ut notat Mascardus *de probat.* Fallit. 2. si quis dicat, se nescire, quæ scire sui officij est, c. *innotuit, de elect.* Fallit. 3. si quis dicat, se nescire, quæ publicè gesta sunt, *c.* 1. *de postulat. Prælat.* & *cit. c. ult* ibi: *cùm rationabiliter præsumatur, quòd denuntiationem, publicè factam, idem existens in diœcesi, minimè ignoraverit*; quod tamen intellige pro foro externo.

904. Ratio hujus est, quia, quòd in dictis casibus præsumatur *scientia*, non *ignorantia*, non est ex natura rei, sed totum fundatur in præsumptione juris, quæ admittit probationem in contrarium, qua posita admitti debet allegatio ignorantiæ. Hæc probatio præstatur. 1. si jus sit valde abstrusum, & non nisi valde doctis cognitum; Molin. *D.* 71. *n.* 10. Nam legis ignorantia est probabilis, si lex sit dubia, vel obscura, ut notat Layman in *c. ult. de constitut. n.* 2. Præstatur. 2. si quis probet, se inter homines non habitâsse, vel carcere conclusum fuisse. 3. si probet se fuisse absentem à diœcesi, provincia, vel loco legis promulgatæ. 4. in muliere, milite, minore 25. annis, simplici agricola, facilior est conjectura ex circumstantia personæ, quòd legem inculpatè ignoraverit. Si autem ignorantia solùm semiplenè probata sit, in supplementum deferri à Judice juramentum potest. Gail. *l.* 2. *observ.* 148. *n.* 23. Molin. *D.* 71. *n.* 3. Layman in *cit. c.* 2. *de constitut. n.* 5. ob regulam communem: quòd ea, quæ occulta sunt, aut in animo consistentia, cùm aliam dilucidam plerumque probationem habere non possint, juramentò confirmari debeant.

## §. XVIII.

### *An legis inobservantiam excuset à culpa periculum gravis nocumenti?*

905. LOquimur de culpa ex inobservantia *legis humanæ.* Unde quæstio in præsens est 1. an quis lege humanâ obstringi possit ad aliquem actum, cui grave nocumentum annexum est, impendens subdito, si debeat illud implere? Et ad hoc respondetur affirmativè, si ejus observantia bono communi graviter necessaria sit: sic Covaruvias in *c. Alma, p.* 1. §. 3. *n.* 9. Suarez *l.* 3. *de legib. c.* 30. *n.* 4. cum communi. Nam quælibet pars communitatis, secundùm quod graviter periclitatur bonum commune, graviter obligatur etiam posthabito bono suo privato, conservando communitatis bono; quia bonum commune semper præferendum est bono particulari; intellige, secundùm quod (*hoc illi posthabere*) conservatio boni communis indiget, & non ampliùs. 906.

Ex hoc collig. 1. licitè subditos, etiam graviter, obligari ad præstandum actum bono cummuni graviter necessarium, licèt ei annexum sit grave nocumentum particu-

particulare subditi; hoc enim suadet exemplum naturæ, quæ vult membrum resecari à corpore, si hoc necessarium est ad bonum commune totius reliqui corporis cæteroquin non incolume sine tali actu.

Collig. 2. non licere tales leges imponere subditis, ubi hoc non exigit gravis, & urgens necessitas conservandi salutem boni communis. Nam seclusa tali necessitate lex non foret justa, cujus observationi est annexum vitæ periculum, jactura bonorum omnium, infamia valde gravis, &c. Nam, ut lex justa sit, onus, quod imponit, necessarium esse debet conservationi Reipublicæ cæteroquin non incolumi.

907. Dices: ex facta ratione solùm sequi, quòd *aliquis* cum periculo sui nocumenti debeat succurrere bono communi cæteroquin periclitanti; sic tamen, ut *quilibet* in particulari, titulô damni, relatè ad suum individuum, possit se excusare. R. vel actus, cui tale nocumentum, aut periculum est annexum, imponit onus, quod dividi potest in omnes, vel tantùm in aliquos, certum v. g. numerum personarum; in primo casu rectè probat objectio, non posse gravari *unum tantùm*; cùm & reliqui sint membra communitatis, consequenter æquè obnoxij subsidio boni communis; si secundum; determinationem pertinere ad gubernatorem; aliàs enim omnino inefficax foret gubernatio, & jus inutile, providendi periculo Reipublicæ, quolibet se excusante, consequenter nullo succurente.

908. Quæstio est 2. de casu, quo grave illud nocumentum (v. g. periculum vitæ) non est annexum actioni præceptæ, sed aliunde provenit, v. g. à natura, vel extrinseco. Ante resolut. not. 1. esse distinguendum, an inobservantia, seu transgressio legis sit intrinsecè mala; quia scilicet est juris naturalis, ut *mentiri*, *blasphemare*, *idolis sacrificare*, *uti mediis magicis* &c. vel tantùm juris positivi? in primo casu nullum etiam vitæ periculum excusat à culpa ejusmodi inobservantiam, simpliciter liberam, ut tenet communis; nam talis operatio libera, est necessariò mala, consequenter in nulla circumstantia, seclusô errore, licitè eligibilis: si autem inobservantia legis illicita sit solùm ex circumstantia juris positivi sic (ut eâ seclusâ, culpâ vacet) attendendum est, an ejusmodi lex sit specialis, hoc est, singulos respiciens, quoad quasdam actiones, vel omissiones, ut *audire missam die festo*, *jejunare certis diebus*, *communionem sumere in paschate*, *non laborare die festo* &c. an communis, hoc est, respiciens actiones communes, seu pertinentes ad communem ritum Sacramentorum, v. g. *consecrare in utraque specie*, *miscere aquam vino* &c. Si primum: communis tenet, ejusmodi legis inobservantiam excusari à culpa, si ex opposito, seu illius observantia impenderet grave periculum, seu nocumentum, argumentô sumptô ex benignitate materna, quam in suos habet Ecclesia, quæ meritò præsumitur, eas actiones non exigere cum tanto subditorum nocumento.

Si autem secundum, communis tenet, 909.
talis legis inobservantiam non excusari à culpa, etiam propter periculum vitæ; & in hac re Castropalaus *p. 1. tr. 3. D. 1. p. 16. n. 3.* docet, hanc regulam quoad quasdam actiones esse certam. Unde violatio sigilli confessionis, nullo, quantumcunque gravi periculo etiam mortis, & tormentorum honestari potest, & reddi licita; idem dicit de consecratione in una tantùm specie; rationem ait non esse aliam, quàm quia pertinet ad ritum communem, & rectam Sacramentorum administrationem. Subjungit tamen: sed hæc ratio etiam militat, etsi non ita efficaciter, in aliis actionibus; ergo. Sed dici potest, quòd violatio sigilli est illicita etiam jure naturali, & consecratio in una tantùm specie, contra institutionem Christi, de quo *alibi*.

## ARTICULUS XIII.

### *De legis interpretatione.*

910. INterpretatio legis nihil aliud est, quàm declaratio, quòd hic, vel ille casus, de quo dubitatur, sit, vel non sit sub lege; interpretatio alia est *authentica* (sic dicta per antonomasiam) quæ habetur ab ipso Legislatore, vel Successore ejus; alia *doctrinalis*, quæ fit judiciô virorum in tali arte peritorum. Et hæc habet magnum pondus, magnámque inducit probabilitatem teste Suarez *l. 6. de legibus, c. 1.* & sumitur ex verborum significatione, naturali, juridica, vel usuali, & vel maximè ex mente ipsius Legislatoris, ut dicitur *c. huma-*

*c. humanæ aures*, 22. *q.* 5. Nam intentio non debet verbis deservire, sed verba intentioni. Tametsi verò fatendum sit, homines judicare de mente interna loquentis ex signis externis, non tamen intelligendum est de nudis verbis, sed ex verbis, ut conjunctis cum omnibus circumstantiis, in quibus illi, qui legibus subjecti sunt, versari possunt, aut actu versantur, quæ circumstantiæ sæpe efficiunt, ut à propria verborum significatione interpretatio doctrinalis, aut usualis recedat, qui recessus licitus, imò toties necessarius est, quoties eum menti Legislatoris agnoscimus conformem.

911. Hæc porrò conformitas solet ex sequentibus potissimùm colligi. 1. ex injustitia, & aliis absurdis, quæ proprietatem verborum consequuntur. 2. ex comparatione ad alia jura, in quibus interpretatio à proprietate verborum recessit. 3. ex fine motivo legis, aut ejus ratione, quam vel ipsa lex exprimit, vel doctrinalis, aut usualis interpretatio. Ex his enim in praxi deciditur extensio, vel restrictio, exceptio, vel excusatio, aut etiam cessatio legis; quibus Haunoldus tom. 1. *de Jure & Just. tr.* 1. *controv.* 2. *c.* 1. *n.* 276. addit tertium modum interpretationis, nimirum *usualis*, quæ habetur à consuetudine. Nam consuetudo est optima legum interpres, L. *Minimè*, 23. *ff. de legibus*, & *c. dilectus*, *de consuet.* Sed de hoc ex professo agimus *suprà tit.* 4. *de Consuetudine*; quibus præmissis: sit

## §. I.

### *Qui possint legem authenticè interpretari?*

912. INterpretatio legis fieri potest vel *de personali mente, ac intentione* primi Conditoris; vel *de sensu*, in quo verba legis accipienda sint. Cùm autem nemini certò, ac infallibiliter constare possit de primi Conditoris personali mente, ac intentione, ne quidem Successori, aut etiam eo Superiori, nisi fortassis ille his revelaverit, nemo quoque, nisi primus legis Conditor ejus legem *primo modo* interpretari authenticè poterit: in secundo autem modo legem interpretandi (*in quo nimirum sensu verba legis*, in quantum obligantis, aut non obligantis, *accipienda sint, aut à subditis tenenda?*) non est dubium, authenticam interpretationem fieri posse, etiam à successore, vel superiore ejus, qui legem condidit; cùm is pari potestate polleat, quo primus Conditor; & in dubio de sensu verborum legis, authoritatem non minorem habeat, ac antecessor, determinandi sensum verborum, quo propter commune bonum, quod lex, propriè dicta, directè respicere debet, à subditis intelligi debeat, & in observantiam deduci.

Hoc ipsum etiam colligitur ex *c. Sicut* (quod est trigesimum) 11. *q.* 1. ibi: *sicut enim ille solus habet jus interpretandi Canones* (intellige authenticè) *qui habet condendi eos: ita ille solus civilium legum debet esse interpres, qui eis jus, & authoritatem impertit*; & c. *inter alia*, 31. *de sent. excom.* ibi: *Ut igitur, unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* &c. Et ideo etiam L. *fin.* C. *de legibus, dicitur: leges condere soli Imperatori concessum est, & leges interpretari* (nimirum authenticè, seu cum potestate obligandi, ad parendum legi juxta sensum declaratum) *solo dignum imperio esse oportet.* Ad hoc autem, ut interpretatio authentica vim obligandi obtineat, *in sensu verborum* declarato, non minùs requiritur, quòd ea debitè promulgetur, ac ut lex vim obligandi habeat; cujus ratio est, quia tunc lex declarans subit vim legis; & lex declarata in tali sensu solùm obligat, *in quantum declarata pro tali sensu.* Quæ autem promulgatio ad substantiam legis requiratur, & sufficiat? exposuimus *tit.* 2. *n.* 113. & 229. 913.

Quæstio est, an alij (quàm ipse Legislator, vel ejus successor, aut superior) habeant potestatem interpretandi legem *authenticè*? Non est dubium, eos habere, quibus id Legislator commisit specialiter: communiter autem quæstio movetur de Congregatione Cardinalium, designata ad declaranda ea, quæ dubia sunt in decretis Concilij Tridentini: pro resolutione *not.* 1. quòd, postquam Sixtus V. *in Bulla.* 7. *de anno* 1588. sibi reservavit potestatem congregandi Concilium, & definiendi res fidei, subjungat hæc verba: *Cardinalibus verò præfectis, interpretationi, & executioni Concilij Tridentini, si quando in his, quæ de morum reformatione, disciplina,* 914.

*sciplina, ac moderatione, & Ecclesiasticis judiciis, & aliis, quæ humana statuta sunt, dubietas, aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem (nobis tamen consultis) impertimur*, de quibus fusè Fagnanus in *c. quoniam, h. t. à n.* 7. ex quibus verbis colligitur, dictæ Cardinalium Congregationi à summo Pontifice concessam esse facultatem, *interpretandi leges Tridentini*, quæ juris tantùm humani sunt, ea tamen conditione, ut summus Pontifex *consulatur*.

915. Sed hoc non obstante oboritur dubium, *an ejusmodi declarationes*, quæ passim circumferuntur, *vim legis habeant, seu interpretationis authenticæ* (nimirum cogendi, & in conscientia obligandi, ut fideles hanc interpretationem sequantur?) *vel solùm vim declarationis doctrinalis magni ponderis, & authoritatis*? non enim desunt, qui velint eas habendas esse, solùm *ut doctrinales*; prout sentit Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 2. *n.* 10. Vasquez 1. 2. *D.* 177. *c. ult.* Navarrus, & alij apud Castropalaum *p.* 1. *tr.* 3. *D.* 5. *p.* 3. §. 3. *n.* 3. §. *Videtur*. Idem docet Bartholomæus Chassaing *de privil. Regul. tr.* 1. *c.* 1. ut retulimus *suprà*; quòd verum esse vult, licèt ejusmodi declarationes, vivæ docis oraculô, bullis, aut brevibus confirmatæ sint *in forma communi*; pro quo etiam refert Archangelum Romanum in *præambulis ad lib. de privileg.* & in *princip. ad Extravag.* Joannis XXII. cujus volumen, in quo hæc habentur, Romæ prælo datum est cum approbatione Magistri Sacr. Palat. & aliorum gravium Doctorum.

916. Rationem dat; quia confirmatio Papæ (*in forma communi*) novum jus rei, quæ confirmatur, non affert, *c. cùm dilectæ, de confirm. util.* & hoc procedere vult, licèt Pontifex addat clausulam: *se apponere inviolabilis apostolicæ authoritatis robur, & velle ea ab omnibus observari*; quòd hæc verba importent tantùm, ea esse accipienda cum majori reverentia, tanquam res in statu doctrinali remanentes, non autem, ut fiant leges, & Canones; ita ille *l.* 1. *c.* 1. *propos.* V. Diana *p.* 1. *tr.* 10. resol. 29. His accedunt pro eadem sententia rationes satis graves. 1. quia hæc Congregatio rarò, & non nisi in dubiis gravioribus, & difficilioribus Pontificem solet consulere, ut testatur Salas *de legibus D.* 21. *S.* 12. ergo illæ saltem declarationes, quæ sic fiunt ab ea Congregatione, cùm deficiat conditio, sub qua illis data est facultas interpretandi Concilium, non habent vim legis, seu authenticæ interpretationis.

Secundò: si hujus Congregationis declarationes haberent vim legis, seu interpretationis authenticæ, non deberent continere *inter se pugnantia*; aliàs enim nulla foret authentica; *non prior*; nam aliàs non succederet illi alia declarans oppositum, & priori repugnans; *non posterior*, quia sic vel prior, vel ista non foret authentica, cùm non habeant facultatem *abrogandi*, sed solùm *declarandi* legem: sed plures Cardinalium declarationes sæpe inter se pugnant, ut notavit Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. D.* 28. *n.* 6. & passim reperitur in Authoribus, ut notavimus *l.* 4. ergo. Tertiò, declarationes habentes vim legis egent promulgatione, non minùs, ac ipsæ leges, ut diximus *n.* 113. & *seqq.* hæ autem declarationes hoc non habent; nec, esto referanter à nonnullis Authoribus, propter hoc authenticè publicatæ sunt; accedit, quòd hæc responsa innumera sint, quæ reverâ (sicut multitudo legum) ut vim legis teneant, intimatione alia, quàm fiat, opus haberent. 917.

Econtra Fagnanus jam *cit. n.* 8. ait, *manifestum videri*, declarationes dictæ Congregationis vim legis obtinere, & in utroque foro obligare; & hoc ex sequentibus fundamentis. 1. quia, quod dicta Congregatio declarat, facit non suâ, sed summi Pontificis auctoritate, vi Sixtianæ Constitutionis, de qua *n.* 914. & colligitur ex *c. cum aliquibus* 4. *de Rescriptis in* 6. ibi: *nisi quòd eum auctoritate nostrâ reciperent, in nostris litteris caveretur expressè*; & *c. Cùm de præbend. in* 6. Secundò, declaratio, quam quis facit authoritate supremi Legislatoris, habet vim legis. Certum enim est, declarationibus editis immediatè à summo Pontifice ligari omnes *c.* 1. *de Bigamis in* 6. & *c.* 1. *de privilegiis in* 6. ergo etiam iis, quæ fiunt ejus authoritate: at declarationes illius Congregationis sic fiunt; agit enim authoritate delegatâ officio per Sixtum V. Maj. probat fusè Fagnanus *cit.* à. *n.* 8. Tertiò: quia Sixtus, dum Cardinalibus concedit facultatem interpretandi dubias leges Tri- 918.

dentini, quæ spectant ad mores, &c. & sibi reservat facultatem in pertinentibus ad dogmata fidei, loquitur utique *de Authoritate Apostolica*; ergo sicut ea, quam sibi reservat; sic ea, quam dictæ Congregationi concedit, est *Apostolica*; ergo etiam hujus Congregationis declarationes sunt *Apostolicæ*; ergo non merè doctrinales. Plures ibidem ejusmodi probationes congerit Fagnanus; sed omnes in hunc finem tendunt, & unâ resolutâ, resolvi possunt & reliquæ.

919. Ante resolutionem hujus quæstionis, perquàm apud Authores controversæ, notandum in *Trid. sess. 25. de Reform. c. 2.* cautum esse, ut ij, ad quos pertinet, curent, ut in Universitatibus Canones, & decreta Concilij Tridentini integrè recipiantur, ad eorúmque normam Magistri, Doctores, & alij in eisdem Universitatibus ea, quæ Catholicæ fidei sunt, doceant, & *interpretentur*; seque ad hoc institutum initiô cujuslibet anni solemni juramentô obstringant: sub hoc à Pio IV. in *constitut. Benedictus*, septimo Calend. Febr. 1563. prohibitum esse sub pœna excommunicationis, *ne quisquam ullos Commentarios, annotationes, glossas, scholia, ullúmve interpretationis genus*, super Concilii Tridentini decretis, ullo modo sine authoritate Sedis Apostolicæ, edere, aut quicquam quocunque nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, alióve quæsito colore statueret, prout refert Barbosa in *cit. loc.* Trid. *n.* 5. cum pluribus aliis ibidem notans, *hanc prohibitionem non loqui de interpretationibus, quæ in scholis fiunt docendô*: his præmissis:

920. Resp. 1. declarationes Cardinalium, antequam sint debitè promulgatæ, non habere vim legis, nam lex, antequam debitè promulgata sit, non obligat, ex *dict.* à *n.* 103. ita Suarez *l. 6. de legib. c. 1. n.* 3. generaliter loquens de omni declaratione facta à Principe; idem tenet Salas *D. 2. S. 9. D. 10. S. 9. D. 12. S. 1.* & plures alij. Et licèt L. *Ita fidei, ff. de jure Fisci*, dicatur: *publicationem esse requisitam ad legis constitutionem, non ad illius declarationem, quia declaratio cum ipsa lege à principio inest*, intelligitur solùm in his. *ubi lex de se clara est*; non autem in dubiis, ubi variæ sunt Doctorum opiniones. Nec obstat, quòd Rota Romana in suis decisionibus utatur declarationibus Cardinalium, ut refert Salas *cit. D. 21. S. 12.* & alij. Utitur enim etiam declarationibus doctrinalibus; & solùm sequitur, quòd illis tribuat magnam æstimationem ab authoritate tantorum Virorum; non autem infallibilitatem, ac certitudinem, propter rationes sententiæ contrariæ, præsertim eam, quæ habetur *n.* 917.

Si quæras, quæ promulgatio sufficiat? 921.
Ex. ex *dict.* à *n.* 134. esse varias sententias; aliqui enim dicunt, non sufficere, *quòd de illis authenticè constet*; ita Bonacina, Suarez, Lorca, & Salas apud Castropalaum *P. 1. tr. 3. D. 5. p. 3. §. 1. n. 5.* qui *n. 5. in fine* fatetur, *hanc probabilem esse, illiq. stari posse, dum aliud à Pontifice non definitur*, licèt ipse *n. 6.* censeat probabilius, & securius esse, has declarationes vim legis obtinere, in, & extra judicium, si de illis *authenticè* constet per breve Apostolicum, vel monitorium Auditoris Cameræ, vel per epistolam alicujus Cardinalis suô sigillô munitam, vel per transumptum authenticum ex Registro Congregationis parte citata; quòd hujusmodi publicatio videatur sufficere in harum legum declaratione, idque ex usu, & consuetudine.

Cæterùm, etsi valde probabile sit, ad 922.
vim legis obligativam, substantialiter requiri juridicam, seu authenticam ejus promulgationem, ut quidam volunt etiam in provinciis, ut notavimus *n.* 134. quidquid in contrarium dicat Cardenas, horum Authorum sententiam volens nunc antiquatam, ut notavimus à *n.* 134. probabilius tamen est, sufficere unicam Romæ factam publicationem juridicam, cum latitudine temporis, dum morali certitudine etiam alibi innotescat, ut diximus à *n.* 139. Nec enim etiam facta Romæ publicatione ubique statim obligat, sed successivè, cùm successivè tantùm innotescat, ut diximus *n. citato*, & *sequentibus*. Hinc:

Resp. 2. declarationes Cardinalium nec 923.
in, nec extra judicium obtinere vim legis (consequenter interpretationes eorum non esse authenticas) nisi habeant sequentes tres conditiones. 1. ut fiant *consulto Pontifice*; prout exigit Sixtus V. in facultate interpretandi Concilium, Congregationi

tioni Cardinalium concessâ, ibi: *nobis tamen consultis.* 2. ut *solùm declarent*, non verò *dispensent*, vel *ultra verborum proprietatem augeant sine speciali mandato Papæ*, inserendô declarationi, ut mandavit Pius V. & Gregorius XIII. 3. *ut appareant in forma authentica*, nimirum cum solito sigillo, & subscriptione Cardinalis Præfecti, ac Secretarij ejusdem Congregationis; aliàs illis nec in judicio, vel extra fidem dandam, ut mandavit Urbanus VIII. teste Barbosa, *Juris Eccles. Univers. l.* 1. *c.* 4. *n.* 81. &c.

924. Ad rationes Fagnani, relatas à *n.* 918. R. etsi valde probabile sit, declarationes Cardinalium, cum prædictis conditionibus, in, & extra judicium habere magnam authoritatem; *non tamen esse manifestum*, ut ipse vult, habere vim legis, nisi authoritate summi Pontificis confirmatæ sint *specialiter*; generalem enim confirmationem, seu in forma communi, non sufficere, constat ex *n.* 916. Ratio autem est, quia, *ut sit manifestum*, quòd habeant vim legis, seu interpretationis authenticæ, *debet esse manifestum*, hanc potestatem illis esse collatam à summo Pontifice; at licèt sit probabile, *non tamen est manifestum*, sic esse, cùm plurimi sentiant contrarium, nixi rationibus prudenti omnino assensu dignis, ut constat à *n.* 915. ergo. Quod allegatur ex *c. Cùm aliquibus*, nihil facit ad præsentem quæstionem. Ibi enim solùm dicitur, quòd, cùm Pontifex rescribit, ut aliquis in Canonicum talis Ecclesiæ recipiatur, censeatur recipiendus *authoritate Apostolica*, si receptio aliàs non spectet ad recipientes; & *c. Cùm. de præbend. in* 6. nullam facit mentionem de hac materia.

925. Dices: certum est, quòd Sixtus V. illis dederit facultatem interpretandi leges Tridentini pertinentes ad materiam morum; certum quoque est, Sixtum ibi non loqui *de interpretatione doctrinali*; nam ad hoc non indigebant ea concessione, sicut eâ non egent alij Doctores; ergo certum est, Sixtum loqui *de interpretatione authentica.* R. 1. data hac certitudine, quam prætendit objectio, solùm sequi, quòd habeant vim legis, & authenticæ interpretationis, *in quantum valor, & vis legis pendet à potestate*; at de reliquis conditionibus pariter substantialibus ritè observatis nulla est certitudo, ut apertè suadent rationes in *n.* 919. ergo.

926. Resp. 2. data prima parte antecedentis, dist. secundam: certum quoque est, Sixtum ibi non loqui de interpretatione merè doctrinali *simplici*, qualiter fit docendô in scholis, C. de interpretatione merè doctrinali, *vetitâ per Pium* IV. *in sua Constitut. Benedictus*, de qua *n.* 919. N. secundam partem anteced. & conseq. Eam enim facultatem interpretandi Sixtus V. concessit illis, quam Pius IV. in sua Constitutione prohibuit aliis; at Interpretationes, quas prohibuit Pius, erant merè doctrinales, non quidem sitæ in merè docendô, sed per modum Commentariorum, annotationum, glossarum &c. quæ apponi, vel interseri solent legibus Tridentini, ut fieri solet in corpore utriusque juris; ergo. V. dicenda in *seqq.*

927. Reliqua Fagnani argumenta rectè probant, agentem ex authoritate, seu potestate sibi commissa, validè, ac licitè agere, & dispositiones ab eo, in vi commissæ potestatis factas, esse omnino servandas, ubi ritè promulgatæ fuerint, secundùm quod exigit natura actûs; & constiterit, ab eis commissiones, leges interpretandi integrè in substantialibus observatas esse; non autem secùs. Unde declarationes Cardinalium, quæ mandato, vel confirmatione speciali summi Pontificis in authentica forma roboratæ sunt, omnino vim legis, ac interpretationis authenticæ obtinent in, & extra judicium; non autem secùs; ita sentire videntur Authores *cit. n.* 915. nec aliud intendere Castropalaus *suprà cit.*

## §. II.

### *An inferiores Judices habeant facultatem authenticè interpretandi legem Superioris?*

928. REsp. negativè, seclusa speciali concessione, aut jure, alio titulo (præscriptionis v. g.) legitimè acquisito. Nam *authenticè legem interpretari*, est declarare, verba legis habere talem sensum, cum potestate obligandi subditos legem in eo sensu accipiendi, & sequendi; at hanc potestatem quoad legem Superioris inesse Judicibus inferioribus, nullo jure, aut ratione constat; ergo. Excipiunt tamen aliqui occurren-

occurrentem casum, quo res est solùm de rebus minutioribus; ubi agitur de interesse ipsarum partium; & ad decidendam litem necessaria est interpretatio. Tali enim casu volunt, etiam inferiorem Prælatum interpretari posse authenticè legem Superioris; quia secùs nulla legis observantia perfectè induceretur, si passim recurrendum esset ad Principem etiam in levioribus, id, quod nec ipsi Principes volunt, gravioribus distenti, prout habetur L. 1. C. de relationibus, *in Cod. Theodosiano*, ubi Constantinus Imperator rescribens Plotiano, ait: *super paucis, quæ juridicâ sententiâ decidi non possunt, nostram consulere debes Majestatem, ne occupationes nostras interrumpas; cùm litigatoribus legitimum maneat arbitrium à sententia provocandi.*

929. Cæterùm inferioribus Prælatis, ac Judicibus, ubi necessitas est, esse omnino concessum, Superioris legem, occurrente casu dubio inter litigantes in judicio, doctrinaliter interpretari secundùm veriorem Doctorum opinionem, eámque in decidendo sequi, ubi Princeps non facilè consuli potest, tenet Salas *D.* 21. *S.* 2. Sylvester V. *Interpretatio*, *q.* 1. & ratio sumitur ex *numero præced:* pro quo etiam recolenda, quæ diximus à *n.* 474. quo tamen casu condemnato per talem sententiam manet arbitrium à sententia provocandi, ut constat ex *cit. L.* 1. *num. præced.* V. quæ diximus *n.* 314. & 614. *cum seq.* Dixi: *secundùm veriorem Doctorum opinionem.* Nam hæc propositio (*probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minùs probabilem*) est secunda inter eas, quas damnat Innocentius XI. ut scandalosas. Quare post hanc damnationem, non est probabile judicium dicentis, *Judicem posse judicare, juxta opinionem etiam minùs probabilem.* Ubi tamen nota, per hoc Innocentij decretum non intendi, quòd ipse Judex semper debeat invenire probabiliorem; hoc enim persæpe nec fieri potest; sed quòd quæstione diligenter examinata, ubi partem unam invenerit probabiliorem alterâ, non possit salvâ conscientiâ ferre sententiam secundùm minùs probabilem; ita Cardenas in *Crisi Theol. dissertat.* 3. *c.* 1. *n.* 3. sed de hoc alibi.

930. Circa præsenten materiam præterea recoli possunt dicta superiùs à *n.* 612. ubi notavimus ex *c.* 1. *h. t.* nullum Judicem in judiciis Ecclesiasticis, debere *abundare in sensu suo*, hoc est, sua opinione, sed Canonum auctoritate in judicando procedere; & quidem juxta communem, & meliorem opinionem ibidem expositam *n.* 615. An autem, & qualiter se gerere debeat, cùm privatâ notitiâ certus est de falsitate allegatorum, esto ex scientia publica veritatem præseferant? dictum est *n. citato.*

## §. III.

### *An cuilibet liceat leges interpretari doctrinaliter?*

Cùm frequenter contingat, sensum legis ambiguum esse, nec semper recurri possit ad Principem pro authentica illius interpretatione, vel quia hic non vult molestari tot recursibus, vel quia jam usus obtinuit, ut in minoribus inferiores Judices in sensu communi, ac meliori accipiant leges, & juxta eundem in judicando procedant, gravatis arbitriô relictô provocandi ab eorum sententia, necessarium erat, hominibus permitti potestatem, doctrinaliter interpretandi legem, modò id fiat secundùm regulas legitimæ interpretationi præscriptas. Et quia non omnes æqualiter eis se conformant, uno propiùs, altero remotiùs veritatem suæ interpretationis, per rationes à se allatas probante, fit, inæqualem esse authoritatem doctrinaliter interpretantium leges, quibus positis: 931.

Quæstio. 1. est, an, cùm per aliquam legem expresè prohibetur ejus interpretatio, sub hac prohibitione veniat etiam *interpretatio doctrinalis*? R. *regulariter* hanc non prohiberi, sed eam tantùm, quæ frivola est, hoc est, nullo nixa rationabili fundamento, & contraria fini ipsius legis; sic Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 2. *q.* 3. Salas *D.* 21. *sect.* 2. & alij. Aliàs enim homines in multis relinquerentur in dubio, destituti non modò certitudine, quæ in agilibus humanis rara est; sed etiam rationabili doctrina, quam præstat Virorum doctorum interpretatio. Dixi: *regulariter.* Nam quandoque prohibetur etiam *interpretatio doctrinalis, non qualiscunque,* etiam 932.

etiam typis excusa, & publicata (qualiter fit docendô, incidenter declarandô unum tantùm, vel alterum textum secundùm exigentiam materiæ ibi propositæ, aut in libris de quæstionibus moralibus) sed ea tantùm, quæ ex professo assumitur, & foret quasi glossa, scholium, commentaria legum talis Concilij, authenticis scriptis redigenda, prout diximus *n.* 919. Et hoc sensu interpretatio doctrinalis, legum Concilij Tridentini, prohibita est in *Constitut.* Pij IV. de qua *supra n.* 919. sic Bonacina *D. 1. q. 1. p. 8. n. 3.* Suarez *tom. 5. de Censur. D. 27. S. 7. n. 12.* & alij, quos citat, & sequitur Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 5. p. 3. §. 2. n. 7.*

933. Dices: quando prohibetur interpretatio, non alia intelligi debet prohibita, quàm *doctrinalis*; probatur, quia aliàs illa lex nullum haberet effectum; *authentica* enim aliunde omnibus, præter Legislatorem, interdicta est ex natura rei; *frivola* verò, cùm sit inanis, ex se excluſa est. R. ex hoc sequi, nullo humano jure prohiberi posse, quæ jure naturali, vel divino vetita sunt; quod tamen dici non potest. Quare licèt etiam frivola prohibeatur, etiam aliunde inanis, lex eam prohibens adhuc haberet effectum, quòd sic magis coërceatur temeritas Scriptorum. 2. R. in dato casu prohiberi *doctrinalem* non simplicem, sed per modum gloss. Scholij &c. *ut* diximus *num præced.*

934. Quæstio est. 2. an in legum humanarum interpretatione doctrinali *liceat uti epichiâ?* seu æquitate, quæ juxta S. Thomam *2. 2. q. 120. a. 1.* est *virtus, quâ quis, servatâ legis intentione, legis verba non servat.* Nam Legislatores legem ferunt, secundùm id, quod in pluribus accidit, intendentes semper bonum; si verò in particulari eventu malum sit, *verba legis servare*, v. g. sit nocivum, *depositum reddere*, nempe *gladium furioso*, danda est epichia, seu æquitas, quæ postulat, ut prætermissis verbis legis, justitia, ratio, & communis utilitas servetur. Unde ab Aristot. *6. Ethic. c. 11.* vocatur: *Gnomi*, id est, *consentio*, quasi per illam Princeps consentiat, ut indulgeat, & non puniat. Ab eodem *5. Ethic. c. 20.* dicitur *emendatio legis*, quia per illam interpretamur, legem deficere in aliquo particulari casu, in quo esset error practicus, illam servare.

Interpretatio igitur latiùs patet epichiâ, 935.
ad quam comparatur ut superius ad inferius: omnis enim epichia interpretatio est, non econtra. Aristot. *5. Ethic. c. 10.* Regulam Lesbiam vocat æquitatem, quæ se accommodat rebus, quando legis dispositio cessat. Tres modos utendi epichiâ ita distinguit Suarez *l. 6. de leg. c. 7. n. 11.* ut unus sit propter cavendum aliquid iniquum; alius propter vitandam acerbam, & injustam obligationem: tertius propter conjectatam Legislatoris voluntatem, non obstante potestate ad obligandum, etiam in tali casu.

In data quæstione R. licere, non tantùm in casu, quo aliàs observantia legis pro datis circumstantiis foret iniqua, sed etiam perquàm difficilis, & gravis ob impendens grave nocumentùm, ut diximus *supra à n.* 905. Nam in ejusmodi casu meritò præsumitur, Legislatorem non intendisse imponere onus tam severæ obligationis, etiam gravi subditorum detrimentô inexcusabilis. Sic enim à jejunio excusaris, si labores infirmitate; ab audiendo Sacro, si prudenter timeas damnum grave vitæ, bonorum &c., non solùm, quæ acquisita jam sunt, sed etiam acquirenda essent; ita Suarez *l. 6. de legib. c. 7. à n. 9.* 936.

Dices: epichia est emendatio legis, cùm 937.
lex peccat; sed non peccat, nisi cùm iniqua continet; ergo extra hunc casum epichiâ uti non licet. R. *epichiam* dici emendationem legis solùm *quoad verba*, quibus effertur, ut non semper accipiantur, prout de rigore sonant, sed secundùm bonum, & æquum, nimirum conformiter ad mentem Legislatoris, quæ prudenter in talibus circumstantiis præsumitur; si enim aliter tunc sumerentur verba, diceretur *peccare* lex; cùm ergo etiam in valde difficilibus, & damnosis prudenter præsumi possit, verba in rigore tunc non conformari menti Legislatoris; sic ea sumendô peccaret, consequenter per epichiam emendari debet. Ad extremum nota, prohibitâ per statutum interpretatione, prohibitionem illam non intelligi de legis interpretatione (quæ scilicet habetur ex ipsa dispositione, vel instrumento) sed de interpretatione hominis, L. *Non omnes, ff. de Jur. & Just:* & Sichar-

& Sichardus *ad* L. *fin.* C. *de edict. D. Adrian. tollendo*, *n.* 334.

## §. IV.

### *Qualiter interpretatio doctrinalis facienda sit in dubio de intentione Legislatoris?*

938. UT legum interpretatio doctrinaliter, & rectè fiat, complures regulæ observandæ sunt; hæ enim diriguntur ad ritè investigandam mentem, & intentionem Legislatoris. Nam ubi de hac constat, non curanda sunt verba; & licèt contrarium verba legis significent, eâ standum est. Nam *in legem is committit, qui verba legis amplectens, contra legis nititur voluntatem*, ut dicitur L. *Non dubium*, C. *de legib.* L. *Scire*, §. *aliud. ff. de excusat. Tutor.* L. *Non aliter*, *ff. de legat.* 3. L. *Si Pater*, §. *dulcissimis*, *ff. de legat.* 2. c. *Humanæ aures* 22. *q.* 5. c. *Secundo requiris*, *de appellat.* & c. *Ratio nulla*, *de præbend.* ibi: *ratio nulla permittit, ut, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur, propriis cujusquam usibus applicetur.* Ratio etiam est, quia verba solùm assumuntur, ut subditis significent mentem, & intentionem Legislatoris; ergo ubi hoc non præstant, illis standum non est, dum constat, aliam esse illius mentem, quàm verba significent.

939. Difficultas est, quid tenendum, ubi dubitatur, an intentio Legislatoris, vel sensus verborum ex ejus mente sit *hic*, vel *ille*? cùm sæpe, imò communiter sint in hoc diversæ opiniones Doctorum. In hoc casu prima regula est, quòd *ubi haberi potest, interpretationi ejus, in quavis dispositione, standum sit modis omnibus, qui dixit, vel sermonem protulit.* L. *& ideo*, *ff. de legib.* Nam optimus interpres verborum quisque suorum est; ita communiter Doctores *in L. 66. ff. de Judic.* Hinc sequitur, interpretationem authenticam esse maximam, & optimam, quæ scilicet habetur vel ab ipso authore, vel ab ipso jure.

940. Altera regula est, quòd in legum interpretatione maximè attendenda sit *verborum proprietas*; seu, quòd intentio Legislatoris talis præsumenda sit, qualem verba legis in proprio sensu significant, seu habent juxta communem usum; sic Haunold. *tom.* 1. *de Just. tr.* 1. *controv.* 2. *c.* 1. *n.* 278. cum communi; nam hæc Legislator assumit ad significandam subditis mentem suam. Cùm enim Legislator debeat procurare, ut lex clara sit, & distincta, consequenter verbis uti debeat in significatione propria (aliàs nihil firmum stabiliret, sed omnia essent cavillationibus, aut erroribus subjecta) ad mentem Legislatoris investigandam per interpretationem, omnino servanda est proprietas verborum; ita Suarez *l.* 6. *de legib. c.* 1. *n.* 7. cum communi. *V. infra n.* 951.

941. Sed hoc limitatur. 1. ut non procedat, si aliunde constet de mente Legislatoris, illam fuisse aliam. Nam recta interpretatio legis non sumitur ex nudis verbis, nisi cessante verisimilitudine, & conjecturis de mente disponentis, L. *non aliter*, *ff. de legat.* & L. 4. §. *toties ff. de damno infecto*; sed sumitur præcipuè à mente Legislatoris, ut dictum est *n.* 939. Hinc quoties interpretatio doctrinalis conformis est menti Legislatoris, recessus à propria verborum significatione non tantùm licitus, sed etiam necessarius est; ratio est ex *dict. n.* 910. ubi etiam exposui, unde cognosci possit hæc conformitas. Ex quo colliges à verborum propria significatione non esse recedendum, nisi vel ratio, vel necessitas cogat, L. 1. §. *licèt autem*, *ff. de exercitoria actione*, ibi: *in re dubia, melius est, verbis edicti servire.*

942. Cogit autem ratio, vel necessitas. 1. si aliunde conjiceretur, quòd esset alia mens, & intentio legislatoris, per *n.* 939. deinde, si absurdum, vel incommodum inde sequeretur; tertiò, si sequeretur antiquorum jurium correctio. Nam hæc, quantùm fieri potest, vitanda est, & *jura juribus concordanda sunt, si rationabiliter possunt*, c. *Cùm expediat* 29. *de elect. in* 6. ibi: *cùm expediat corcordare jura juribus, & eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari.* Quartò si propria verborum legis significatio esset contra receptam consuetudinem, ex *dictis.*

943. Dixi: *si absurdum sequeretur*, quo intelligitur vel injustitia quædam, de qua dixi *n.* 911. vel indicium argumenti ex falso petiti, ex quo ineptus exitus resultat. Unde Barbosa *in jurisprud. Brocardica*, *l.* 1. *c.* 5. *n.* 2. *absurdum* vult hìc, *idem esse*, ac id,

ac id, quod pro non dicto est habendum, & universaliter pro eo sumi, quod rationi, sensui communi, & prudentiorum scitis, atque opinionibus directè opponitur. Quarè commune axioma est: *absurdum, ut evitetur, largissima interpretatio fieri debet*, ut habent decisiones Rotæ, *decis.* 448. *n.* 2. *p.* 1., &, *absurdum ne sequatur, dispositio, quantumvis generalis, est restringenda*, L. 2. C. *de noxal. action. imo verba impropriantur, & intelliguntur eo modo, quo possunt.* Deprætis *l.* 1. *de interpret. ultim. volunt. interpret.* 1. *dub.* 4. *fol.* 4. & eo casu, ut absurdum evitetur, locus est ejusmodi interpretationi, esto statutum excludat omnem interpretationem; ita Cardinal. Tuschus, *cit. concluf.* 66. *n.* 39.

944. Tertia regula est, quòd *interpretatio fieri debeat, ut non sit elusoria legis; nec reddat eam otiosam, ac inutilem.* Nam leges nihil frustra faciunt; Jason in L. *ait Prætor; ff. de jurejurand. n.* 1. *Lex* enim *non debet habere unam syllabam superfluam, & vacuam.* Gloss. V. *tanquam in c. solitæ, de Majorit. & obed.* Nam *omnia superflua sunt reprobanda*, L. 1. §. *quibus, de novo Cod. faciend.* L. *fin.* C. *qui admitti, & Clementin. Exivi*, §. *quamvis, de Verb. signif. Verba* enim *debent intelligi cum effectu*, L. 1. §. *hæc verba, ff. quod quisque jur. c. relatum, de Clericis non residen.* & *c. Si à Judice, de appellat in* 6. Quia nullum verbum censetur otiosè, & sine virtute operandi positum; *Bald. in rubric.* C. *de contrahend. empt. n.* 9. quod procedit tam in verbis specialibus, quàm generalibus. Tiraquel. *de retract. convent.* §. 1.

945. Ex hoc sequitur, quòd verbum quodcunque, etiam minimum, debeat operari; ita Tuschus *tom.* 8. *practic. concluf. lit.* V. *concluf.* 85. *n.* 5. quod verum est. 1. etiam in *dispositione hominis*, & non tantùm *legis*; quia nullum debet esse otiosum. 2. in odiosis, & pœnalibus. 3. in privilegiis. 4. in rescriptis. 5. in statutis. 6. in legibus interpretandis. 7. in testamentis. 8. in attestationibus. 9. in juramentis &c. & quidem adeò, ut debeant potiùs impropriari, & ad impropriam significationem trahi, quàm ut sint superflua, L. *si tam angusti, ff. de servit. c. si sententia*, 16. *de sent. excom. in* 6. ibi: si sententia interdicti proferatur *in Clerum*, non intelligitur (nisi aliud sit expressum in ea) interdictus *populus*, nec etiam è converso. Vnde uno interdicto ipsorum, alius licitè admittitur ad divina. Cœterùm cùm propter delictum *domini*, vel *rectoris* est civitas interdicta: *cives ejusdem* (qui culpabiles non existunt, dummodo & ipsi propter dominum, vel rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti) possunt extra ipsam licitè interesse divinis. Cùm verò *alicujus terræ populus* interdictô notatur, *singulares* ex eo *personæ*, quas interdictas esse constat (ne sententia effectu careat, cùm divinorum auditio, & Sacramentorum perceptio populo ut universis non competant) non debent alicubi (casibus expressis à jure duntaxat exceptis) adire divina, vel ecclesiastica recipere Sacramenta; sic Bonifacius VIII. *loc. cit.*

Limitari tamen debet regula tradita, ut 946.
non procedat. 1. si quis inde deberet grave damnum pati *indebitè*, vel si quis immoderatè læderetur. Baldus in L. 1. §. *in computatione C. de jure delib.* Eo enim casu potiùs verba relinquenda sunt, quàm ut damnum, vel læsio inde alteri *indebitè* inferatur. Decius L. *in contrahenda, ff. de reg. jur. n.* 17. *limit.* 5. Limitari debet 2. si exinde sequeretur illicitum, vel absurdum, ex *dictis n.* 942. vel aliquid contra mentem disponentis ex *n.* 938. si exinde resultaret intellectus, vel effectus contrarius juri communi, adeóque ejus correctio ex *n.* 942. si deberent accipi contra naturam actûs, sic Barbosa. *cit. in Brocardicis l.* 19. *c.* 8. *axiom.* 23.

Quarta regula est, quòd *in dubio statuti, verba debeant explicari juxta jus commune*, salva tamen proprietate verborum, & communi acceptione: Pirhing *de Constit. n.* 105. vel etiam *juxta consuetudinem loci*, præsertim antiquitùs servatam, *arg. c. Cùm consuetudinis*, 9. *de consuetud.* ibi: *cùm consuetudinis, usúsque longævi non sit legis auctoritas*, & plerumque discordiam pariant novitates: Auctoritate vobis præsentium inhibemus, ne absque Episcopi vestri consensu immutetis Ecclesiæ vestræ constitutiones, & consuetudines approbatas, vel novas etiam inducatis. Si quas fortè fecistis, irritas decernentes. quòd etiam habetur L. 2. C. *quæ sit longa consuetudo.* 947.

948. Quinta regula est, quòd lex *indefinitè*, & *generatim* loquens, *generaliter*, & *universaliter* intelligenda sit, nimirum, ut locum habeat in omnibus, quæ sub tali genere in propria verborum significatione continentur. Nam *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* L. 2. *ff. de vi bonorum rapt.* L. *à procuratore*, C. *Mandat.* Et §. 3. *vers. & hæc, Instit. de legit. agn. tutel.* & ubi generalis est determinatio, ibi non est distinguendum, maximè cùm ex ea re sumitur distinctio, quam Legislator, qui distinctionem omisit, satis novit, L. 15. §. *ult. ff. de testam. milit.* Hinc, *qui in lege non distinguente distinguit, is non tantùm præter jus facit, arg.* L. 8. *ff. de Publiciana in rem act. sed etiam contra jus,* L. 2. §. *initium, ff. de O. J.* Et ideo etiam dicitur, *lex, si voluisset* (intellige, *distinguere*) *expressisset,* L. *unica*, §. *Sin autem ad deficientis*, C. De *caducis tollendis.*

949. Sed hanc doctrinam limita 1. ut non procedat, cùm adest ratio restringendi, ut dictum est. 2. ut non comprehendat illud, de quo disponens non posset in specie disponere; sic Cardin. Tuscus *tom. 2. lit. D. conclus.* 490. *n.* 16. 3. ut non comprehendat casum specialiter definitum, L. *cùm in testamento*, §. *fin. de hæred. instit.* 4. nec ea, de quibus est specialis mentio facienda; Tusch. *cit. n.* 17. 5. ut non extendatur ad incogitata, L. *cùm Aquiliana, 5. ff. de transact.* 6. ut non comprehendat personas exemptas. 7. ut non comprehendat personam loquentis, L. *inquisitio.* 18. C. *de solution.*

950. Ampliari autem debet, ut ea regula etiam procedat in lege pœnali, generaliter loquente: ita Pirhing *de constit. n.* 104. ex L. *cùm lege, ff. qui testam. facere poss.*; sed hoc puto limitandum, ut procedat de naturali significatione verborum generalium; non de juridica: hinc esto *in jure favente* vox *Clerici*, etiam significet *Monachum*, vel *Regularem*; non tamen *in jure odioso.*

951. Circa dictas regulas not. 1. cùm in *n.* 940. diximus, in dubio de mente Legislatoris, non esse recedendum à proprietate verborum, nisi cogat ratio, vel necessitas, id procedere, etiamsi ipse Legislator extra legem dicat, *se verba legis aliter intelligere, quàm sonent*; adeóque verba non esse sumenda in sensu improprio; ratio est, quia si deberent sumi in sensu, quem Legislator *extra*, seu *contra verba legis* intelligit, foret ex eo, quia esset *clara* interpretatio mentis à Legislatore habitæ, dum legem tulit? vel quia est ipsius Legislatoris? neutrum dici potest; ergo. Min. prob. *non enim dici potest primum;* quia sic non foret *clara* interpretatio; cùm recurrat *ad impropriam verborum significationem*, citra fundamentum præsumendi, quòd Legislator impropriè locutus sit, dum legem tulit, nisi talis interpretatio in ipsa lege imbibita sit, quòd reverâ constare non potest alteri à Legislatore de mente ab hoc habita; sed *nec potest dici secundum*; nam, dum ipse Legislator non promulgat suam declarationem, & per eam intendit obligationem inducere, habet se solùm ut Doctor privatus, cujus opinionem sequi non tenemur, rationibus firmis in contrarium militantibus; sic Salas *D. 21. S. 13. n. 16.*

Not. 2. cùm dicitur, *quod ex verbis non venit intelligendum, neque ex mente provenire credendum*, ut dicitur L. *Labeo*, §. *id Tubero, ff. de suppellect. legat.* intelligendum esse juxta *n.* 940. & sequentes illius limitationes. Ex quo sequitur, quòd *interpretatio in lege non imbibita*, immeritò extendat legem ad sensum legis in ipsa non comprehensum, ut rectè docet Antonin. *c. post translationem, de Renuntiat. n.* 34. & Sanchez *l. 2. de matr. D. 37. n. 3.* Et ideo *talis extensio* non tam *foret* interpretatio, quàm *nova lex, & novum præceptum;* quod est extra potestatem eorum, quibus conceditur legis interpretatio doctrinalis. 952.

Not. 3. probabilius esse, non recedendum à proprietate verborum, quando retineri potest proprius eorum sensus, quin correctio juris fiat, alterius interpretatione. Sic in concursu harum legum, quarum una dicit, *valere electionem, quando major pars in unum convenit, licèt paucis dissentientibus*; & altera, *quòd ad electionem* (intellige validam) *requiratur concordia eligentium*, quod videtur contrarium priori (ubi enim est aliquorum eligentium diversus sensus ab aliis, non est concordia, seu consensus concors) verba primæ legis (*de majori parte*) in proprio sensu retenta non cogunt verba secundæ sumi impropriè; nam *consensus majoris partis* in 953.

jure

jure habetur *pro consensu concordi*, ut notat Gloss. & Panormit. in *c. Cùm olim, de re judicat.* ita Suarez *l. 6. de legibus c. 1. n. 18.*

954. Not. 4. in legis interpretatione mentem, ac intentionem Legislatoris valde rationabiliter colligi ex proœmio, & initio legis; quia ibi frequenter exprimitur finis, & ratio, seu causa, propter quam lex fertur. Ex fine enim directè quæsito rationabiliter colligitur intentio; ille enim est hujus meta, in quam prudens Legislator collimat, ut colligitur ex L. *Regula, ff. de juris, & facti ignorant.* L. *fin. ff. de testamentar. tutel.* ita Suarez *cit. n. 11.* Tiraquel. *tract. Cessante causâ, limitat. 1. n. 65.* Emmanuel Rodriquez *tom. 1. regul. quæst. q. 11. a 6. & alij.*

## §. V.

### *Quæ proprietas verborum servanda sit in doctrinali legis interpretatione?*

955. SIgnificatio verborum *est certa demonstratio sensûs, qua quælibet res exprimitur, dictionis attributione*, seu, *est verus verborum, & rerum intellectus, quo quælibet res* (verbis expressa) *tanquam in picta tabella, oculis quasi subjicitur*; sic Pereyra in *Elucidar. n. 1932.* Vnde, cùm inquiritur de verborum proprietate, non consideratur præcisè *verborum cortex*, seu verba secundùm id, quod materialiter sonant; sed secundùm significationem naturalem, juridicam, seu civilem, vel usualem. *Naturalis* verborum significatio hìc accipitur secundùm eam, quam habent ex institutione; *Usualis*, quã ex communi usu hominum; *Juridica*, seu *civilis*, quam ex sola fictione juris, & per quandam quasi translationem; ita Castropal. *p. 1. tr. 3. D. 5. p. 8. §. 3. n. 7.* ex quo vides, aliam esse verborum proprietatem naturaliter, vel usualiter; hæc enim ferè coincidunt; aliam juridicè, seu civiliter.

956. Certum autem est, quòd sæpe vox aliqua, seu verbum *in civili, seu juridica significatione* comprehendat aliquid non comprehensum *sub eadem in significatione naturali, vel usuali*; & econtra. Sic nomen *mortis* ex usuali hominum significatione dicitur *de naturali*, seu physica morte; in civili tamen, & juridica etiam dicitur *de professione religiosa, & exilio*, sed solùm *quoad quosdam juris effectus*; qui aliàs non consequuntur nisi mortem naturalem. *Filius* usualiter dicitur solùm *de naturali*; juridicè etiam, & legaliter, seu civiliter *de adoptivo*. *Nobilis* naturaliter est, *jure sanguinis*; juridicè, etiam *Principis privilegiô* &c. quibus positis:

Resp. quando dicitur in interpretatione legis, servandam esse proprietatem verborum, per se loquendô debere intelligi *de naturali*; hæc enim principalis est; & juridica, seu civilis tali voci solùm tribuiter per analogiam; & ideo, *verbum in significatione civili acceptum sumitur potius analogicè, quàm propriè.* Sic ista vox *ætas perfecta*, in propria significatione, stat *pro naturali*; in civili etiam pro ea, quæ habetur *beneficiô Principis* per veniam ætatis. 957.

Ex hoc oritur quæstio, an, quoties dubitatur, in qua significatione verba legis, præcepti, vel privilegij accipienda sint, declaratio, seu interpretatio fieri debeat solùm juxta verborum proprietatem communem, seu naturalem, an etiam secundùm civilem? deinde, an, si verbum habeat duplicem significationem, vel ex impositione, vel ex usu, sumi debeat secundùm utramque, vel unam tantùm, & quam? R. omnino standum esse dictis in *num. præced.* quòd *per se loquendô* interpretatio doctrinalis fieri debeat, ut verba sumantur in proprietate, ac sensu naturali, qui nimirum communi hominum usu, & acceptione habetur; ratio est ex *num. cit.* Nam, nisi cogat ratio, vel necessitas, præsumi debet, Legislatorem, dum legem tulit, usum esse verbis, in ea significatione, quam habent naturaliter, & ex communi usu hominum; ut diximus *in præmissis.* 958.

Dixi, *per se loquendô.* Nam in lege, vel *dispositione favorabili*, non solùm significatio verborum naturalis, & communis, seu usualis, sed etiam juridica, seu civilis attenditur, & secundùm utramque lex extenditur. Hoc enim petit ratio favoris. Et ideo in interpretatione doctrinali legis favorabilis lex extenditur, *quantum patitur significatio verborum* etiam usualis, & civilis, cujus ratio est ex regula: *Odia, de* 959.

*regul. jur. in 6.* & L. *in testamentis, ff. eod.* ibi: *odia restringi, & favores convenit ampliari.* Et ideo in dispositione favorabili, nomine *filij*, venit etiam *adoptivus*, licèt *filius* naturaliter significet solùm *naturalem*; & nomine *legitimi* venit etiam *legitimatus*, licèt hic in sola proprietate, seu significatione civili sit legitimus; ita Suarez *l. 6. de legibus c. 6. n. 2. Bonacin. D. 1. q. 1. p. 8. à n. 9.* & alij. Hinc, quando dicitur, *favorabilia esse amplianda*, seu habere latam interpretationem, sensus est, *dispositionem favorabilem extendi posse, quantum patitur proprietas verborum, tam naturalis, & usualis, quàm civilis; non tamen ultrà.*

960. Ex hoc fit, quòd, cùm dicitur *odia, seu dispositionem odiosam esse restringendam*, sensus sit, *quòd dispositio odiosa non debeat extendi ultra proprietatem*, seu significationem *verborum naturalem, seu usualem*, atque adeò ad ea tantùm, de quibus verba dispositionis in naturali, & usuali verborum proprietate verificantur, & non ultra; adeóque extendi non posse ad ea, de quibus in sola proprietate civili verba talis dispositionis verificantur. Et ideo dispositio odiosa, loquens *de Monachis*, non extenditur *ad Clericos*. Nam in odiosis *Clericus* non significatur verbô *Monachi*, acceptô in significatione naturali; secùs in dispositione favorabili. Hinc in dispositione *pœnali* (cùm odiosa sit) *mitior interpretatio facienda est*, nimirum non lata, sed quæ Reum minimè gravat, servata tamen naturali verborum proprietate, ultra quam extendi non debet, ut dicitur in *cit. reg. Odia*, & L. *fin. ff. de pœnis.*

961. Si autem contingat, quòd in aliqua dispositione, vel lege verba juxta naturalem proprietatem habeant duplicem significationem, in utraque accipienda est, si lex favorabilis sit, & utraque accommodari possit ei, in cujus favorem dispositio directè tendit; hoc enim exigit favor, & intentio disponentis, qui directè intendit favorem præstare: at ubi dispositio est odiosa (puta, si lex sit *præceptiva, correctoria, pœnalis*) & utrumque sensum retinere non potest, in dubio mitior interpretatio, seu sensus eligendus est spectatâ tamen legis materiâ. Constat ex L. *Benignior, ff. de legibus*, & *reg. 48. ff. de reg. juris*, ibi: *quoties idem sermo duas sententias exprimit; ea potissimùm accipitur, quæ rei gerendæ aptior est.* Nam *odia restringi convenit*, hoc est, in mitiori, & minùs gravante sensu verba accipienda sunt, si materia patiatur; ita communis cum Saa, V. *Interpretatio, n. 1. Bartol. in* L. *omnes populi, ff. de Just. & jure, n. 58.*

Dixi: *spectatâ rei naturâ*, seu legis materiâ. 962
Nam communis Doctorum sensus est, *verba legis esse intelligenda juxta subjectam materiam*, ut dicitur L. *Si uno, ff. locati, c. Intelligentia, de Verbor. significat.* ibi: *intelligentia Doctorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.* Hinc licèt verbum *debet*, præsertim conjunctum particulæ *omnino*, regulariter importet necessitatem, seu præceptum; quando tamen repugnat materiæ subjectæ, non necessitatem præcepti, sed solùm debitum decentiæ, & honestatis importat, ut rectè notat Barbosa *de dictionibus*, V. *debet, n. 6.*

Ex dictis collig. 1. in pœnalibus semper 963.
faciendam esse verborum interpretationem mitiorem, nimirum intra solam latitudinem proprietatis verborum naturalis, seu usualis, quin extendatur ad civilem; imò etiam in ipsa proprietate naturali ex pluribus, quæ sub illa veniunt, ubi omnia verificari juxta naturalem verborum proprietatem non possunt, eligendum, quod mitius est, ut diximus à *n. 960.* & *seq.* Secùs autem dicendum in favorabilibus juxta *n. 959.* quæ autem dispositio censenda propriè sit odiosa, quæ favorabilis, dicemus *infra.*

Collig. 2. ubi tractatur de obligatione 964.
imponenda, vel inducenda, strictam esse interpretationem adhibendam, *c. Contingit, 1. de jurejurando, in 6.* ubi dicitur, cùm quis, antequam assumatur ad certum officium, jurare cogitur generaliter, quòd statuta, & consuetudines talium locorum, scripta, & non scripta inviolabiliter observare velit, *obligatio illa generalis, quantumvis jurata, nullatenus extendi possit, aut debeat ad illicita, impossibilia, & libertati Ecclesiasticæ obvenientia;* sic Nicolaus III. *in cit. c. Contingit*, & habetur etiam L. *quidquid adstringendi, ff. de Verbor. obligat.* Cujus ulterior ratio est; quia non est inducenda nova obligatio (utpote res odiosa, & restringens naturalem hominis libertatem) sine manifesta ratione; ita Salas *D.*

las *D.* 21. *sect.* 3. §. *octava regula*, & Sanchez *l.* 1. *matr. D.* 9. *n.* 11. quos citat, & sequitur Castropalaus *p.* 1. *tr.* 3. *D.* 5. *p.* 3. §. 3. *n.* 12.

965. Præter hæc not. 1. in legum interpretatione doctrinali Doctores uti communiter juris prudentiâ brocardicâ, quæ idem est, ac axiomatica, cujus materia sunt axiomata, vel regulæ juris, secundùm suas ampliationes, seu extensiones; & fallentias, seu limitationes, ac restrictiones. Nam valde frequenter fallunt, si nudè usurpentur. Sic cùm dicitur: *quæ contra leges fiunt, ea ipso jure nulla sunt*, L. *Non dubium*, C. *de legibus*, debet limitari. 1. ut non procedat, si fiat aliquid contra legem prohibentem *præcisè* factum, vel usum, ut ostendi de *Jure, & Just.* aliàs matrimonium contractum cum impedimento solùm impediente, irritum hoc ipso foret. Deinde si lex dicat, *actum debere rescindi*, solùm denotat, actum esse irritabilem, vel annullandô eum, si validus erat; vel si nullus, nullitatem declarandô.

966. Et quamvis regulæ juris sint sententiæ, seu propositiones quædam generales, continentes multarum causarum decisiones, & principia, ex quibus quæstiones in jure non decisæ, seu dubiæ resolvi possunt; & ideo, qui talem regulam habet pro se, jus certum habere dicatur, ut notat Andreas Gail. *in novo opere*, *Consil.* 1. *n.* 13. ex L. *ab ea parte*, *ff. de probat.* & Bartol. *in L. quoties*, *ff. si quis cautionibus*, ubi dicitur, *ejus conditionem potiorem esse, qui regulam habet pro se*; procedunt tamen solùm cum debita regulæ limitatione.

967. Not. 2. etsi verum sit, prædictas regulas in decisionibus causarum rectè allegari, & in causis non decisis, ac eandem æquitatem habentibus, jus facere, per L. *non possunt*, *ff. de legibus*, ut propterea dicatur, *sententia contra regulas juris lata, perinde, atque illa, quæ contra leges, aut Canones lata est, ipso jure nulla esse*, ut colligitur ex *c. Contingit*, *de appellat.* hoc tamen debere intelligi de illis in sensu, quo immunes sunt à fallentiis, quibus plurimùm expositæ sunt, ut passim liquet apud Authores, qui commentarios ediderunt in regulas juris. Qui tamen allegatam regulam negaret in casu, pro quo assumitur, fallentiam ejus probare teneretur, ut notat *glossf. in* L. *Non aliter*, 69. *ff. de legat.* 3. V. *Testatorem.*

Not. 3. inter alias interpretationis doctri- 968.
nalis regulas etiam hanc observari, quòd taliter facienda sit, *ut in dubio potiùs valeat res, quàm ut pereat*, adeóque facienda sit potiùs pro valore, quàm nullitate actûs. Quia *nemo præsumendus est inutiliter operari per l.* 3. *ff. de militar. testam.* L. *quoties* 2. *ff. de reb. dubiis.* L. *quoties*, *de V. O.* ita *Menoch. de præsumpt. l.* 6. *præsumt.* 5. Sanchez *l.* 1. *matr. D.* 38. *n.* 4. & *l.* 3. *D.* 35. *n.* 19.

Not. 4. quando lex procedit solùm *ex* 969.
*suppositione* (v. g. imponens obligationem confitendi peccatum commissum; vel solvendi debitum contractum) obligationem non esse certam, quando incerta est suppositio; consequenter in dubio non esse pronunciandum pro obligatione, ubi par est causa, seu ratio pro non existentia, & existentia suppositionis. Ratio est ex *n.* 964. & dictis ex professo *l.* 4. *à n.* 2439. & quia fieri potest, quòd is, contra quem in favorem legis quis pronunciat, propter majorem apparentiam veri pro existentia conditionis, seu suppositionis, habeat pro se etiam rationabilem apparentiam veri, contra existentiam suppositionis, licèt non tantam, prudenter ab obligatione adhuc liberari poterit, si rationabiliter simul allegare possit titulum possessionis ab immunitate talis obligationis ante subortum dubium, ut colligi potest ex *dict. à n.* 852. Nam in eo casu etiam stante tali apparentiâ veri alteram excedente, sed adhuc incertâ, potior erit conditio possidentis.

Not. 5. cùm dantur diversæ opiniones 970.
Doctorum plerumque contrariæ, ac inter se oppositæ (quæ in re aliud non sunt, quàm doctrinalis interpretatio legis, de cujus sensu, vel intentione quæstio ventilatur) quarum quælibet secundùm se habet *rationabilem*, *incertam* tamen apparentiam veri (consequenter dignitatem, & meritum prudentis, & rationabilis assensûs) neutrâ alterum in momentis rationum notabiliter excedente, cæteris paribus standum pro ea, quæ pronuntiat in favorem ejus, pro quo militat ratio *possessionis*; nam hæc eo casu potiorem reddit ejus conditionem etiam extra materiam justitiæ, ex *n.* 854.

Dixi, *neutra alteram notabiliter ex-* 971.
*cedente;*

*cedente*; nam ubi utrinque est rationabilis apparentia veri, seu meritum ad prudentem assensum, licèt in uno cum aliquo excessu; non propterea hujus opinio, nixa fundamento habente majorem apparentiam veri, seu meritum prudentis assensûs elidit dignitatem & *meritum*, & *vim alterius in actu primo* ad prudentem assensum. Nam licèt motum bilancis *in actu secundo* ex incumbente aliquo corpore seorsim sumpto secuturum, corpus paris ponderis impositum alteri lanci impediat; certum tamen est, quòd neutrum alteri tollat vim motivam in actu primo. Ab his autem, quatenus mutuò se impediunt ab actu secundo, non bene fit argumentum ad potentiam rationalem, qualis est intellectiva, quæ in incertis subest imperio voluntatis, quæ propositis rationibus ad hoc potiùs, quàm illud, etiam ex æqualibus eligendum, vel imperandum, licèt in objecto sit æqualitas, rationabiliter prodire potest in imperium unius æqualium præ alio, quin his accedat pondus prævalendi; modò pondus in voluntate sit potiùs pro hoc, quàm pro illo.

972. Sit res in exemplo: proponitur homini, *Deum dixisse, Verbum esse incarnatum; se esse unam numerô substantiam, & hanc ipsam numerô substantiam, esse tres personas inter se verè, ac realiter distinctas*; consequenter, *utrumque credendum esse, quia Deus dixit, sic esse.* Oboritur illi dubium, *an sit credibile, Deum hoc dixisse*; Afferuntur pro utraque parte, affirmante scilicet, & negante, pro, & contra rationes. Pro affirmando, *motiva credibilitatis*, quæ apparent moraliter evidentia; pro negando, *motiva luminis & rationis naturalis*, quæ apparent physicè, si non evidentia, saltem certa, eò quòd Deus falsum dicere non posset; falsum autem diceret, si prædictas propositiones dixisset, cùm ratio naturalis omnino reprobet *idem numerô*, manere idem numerô, & tamen identificari tribus realiter distinctis, quorum quodlibet sit idem omnino in substantia, quod alterum; sic enim idem esset, & non esset, quod metaphysicè implicat.

973. In hoc casu dubij, cùm intellectus ex nulla parte necessitetur ad assensum, vel dissensum *de credibilitate, quòd Deus hoc dixerit*, nihilominus, licèt motiva suadentia *credibilitatem* appareant solùm moraliter evidentia; & negantia appareant physicè evidentia, vel saltem certa, voluntas prudenter imperat assensum pro credibilitate ex motivis, quorum apparentia veri, minor est, apparentiâ veri contra credibilitatem (nam quod solùm moraliter est certum, potest physicè falsum esse; & certitudo physica naturaliter falli non potest) ergo dici non potest, quòd, si motiva contra credibilitatem, etiam apparenter fortiora, vim motivam pro credibilitate sic elidant, ut propter eorum excessum eis tollant vim inclinandi ad assensum credibilitatis, & voluntati vim, prudenter imperandi assensum; aliàs nec judicium credulitatis, nec pia affectio, seu imperium voluntatis subsequens esset prudens. Unde magnum discrimen est inter *mobile & movens corporale* motu locali; & inter *mobile*, ac *movens rationale* motu intellectuali; mobile enim corporale, non potest moveri ex imperio voluntatis non imprimente novum impetum extrinsecùs *impressum mobili*, prævalentem contra grave, obnitens motui causandô ab alio æqualiter gravi, ut patet experientiâ; mobile autem rationale moveri potest imperiô voluntatis, quin mobili rationali imprimat novum pondus rationale: si enim voluntati appareat rationabiliter *melius*, eligere hìc & nunc assensum præ dissensu, potest ex parte intellectûs vis motiva rationum assentiendi, vel dissentiendi manere æqualis, modò ex parte voluntatis *ratio, volendi hoc*, sit major *ratione volendi alterum*, paris de se bonitatis.

## §. VI.

### *De legis interpretatione per extensionem casûs ad casum.*

974. POtissima quæstio hìc est, an, quod lege decisum est in uno casu, etiam intelligi aut possit, & debeat de alio sub verbis legis non comprehenso, & hoc propter similitudinem, vel identitatem rationis etiam in casu non expresso? Hæc quæstio frequentissima est; præsentim apud imperitos Judices (de quibus meritò conquestus est Gregorius XIV. summus Pontifex, in sua constitutione: *Cùm aliàs nonnulli*, de qua dicemus infra *n.* 982.) ob quamvis similitudi-

militudinem casûs non expressi cum expresso, legem extendentes etiam ad non expressum. Pro hujus quæst. resolut.

975. Not. juxta Pirhing *de Constit n.* 3. ex Sylvestro, V. *Lex*, *n.* 18. duplicem esse *extensionem legis*, vel statuti, *unam comprehensivam*, sive inclusivam, quæ est *extensio* impropriè dicta; quod fit, cùm dispositio, seu decisiô legis transfertur ad alium casum, vel personam per verba legis non expressam, comprehensam tamen in mente Legislatoris; *aliam merè extensivam*, quæ propriè extensio est, & fit, cùm dispositio, vel decisio legis propter paritatem rationis transfertur ad alium casum, vel personam, nec sub verbis, nec sub mente Legislatoris comprehensam.

976. Not. 2. ab eodem Authore *n.* 112. doceri, extensionem legis comprehensivam (propter adæquatæ rationis omnimodam similitudinem, seu identitatem) fieri posse, ac debere non tantùm in lege favorabili, sed etiam odiosa, aut pœnali. In re aliud non vult, quàm, ubi est omnimoda similitudo, seu identitas adæquata in casu per verba non expresso, propter quam aliquid dispositum est in casu expresso, meritò præsumi, quòd Legislator casum non expressum intenderit comprehendere sub lege, & casum, quem exprimunt verba, non poni exclusivè, legem restringendô ad eum duntaxat; sed potiùs solùm exempli causâ illum exprimere; secùs enim dicendum censet *n.* 114. de extensione legis propriè dicta.

977. Sed, licèt hæ regulæ passim tradantur ab Authoribus; quia tamen innumeris limitationibus circumscribuntur, & *omnimoda* identitas rationis adæquatæ ratò solidè deprehendi potest; & reverâ Legislatorem non cogit (cùm legem pro casu expresso liberè condat) ut dispositionem suam liberam extendat indefinitè, non videtur ea regula sic admittenda, nisi ex aliis indiciis deprehendi possit mens ejus, etiam ad non expressum porrecta; adeóque videtur probabilius, rectiùs dici: *ob solam similitudinem, vel identitatem rationis nunquam legem extendendam esse ad alium casum, qui sub lata verborum forma non fuerit comprehensus*; nisi aliunde colligatur, Legislatorem, eum etiam non expressum, voluisse comprehendi; sic Castropalaus *P.* 1. *tr.* 3. *D.* 5. *p.* 3. §. 4. *n.* 2. qui pro sua sententia citat Suarium *l.* 6. *de legib. c.* 3. *à n.* 4.

Probatur; quia ratio legis, etiam adæquata, *non est lex*; lex enim est voluntas Legislatoris sufficienter manifestata; ergo etiamsi in alio casu non expresso sit eadem omnino ratio, non rectè sequitur: ergo etiam in illo est eadem lex; prob. conseq. nam, etsi identitas rationis sit in utroque, consequenter utrumque secundùm se *dignum sit prohiberi*; ex hoc tamen non sequitur, utrumque *esse prohibitum*, cùm Legislator non obstante merito prohibitionis in utroque, possit de uno disponere, & non de alio, vel quia non vult, vel quia non expedit omnia simul prohibere, vel omnia omittere. Deinde, nisi Legislator voluntatem obligandi ad utrumque manifestet, obligatio induci ad utrumque non debet, nisi exigat manifesta ratio, propter quam recedi debeat à proprietate verborum, *arg. c. Contingit*, 1. *de jure jurando in* 6. sed ubi sub lata verborum forma casus non continetur, circa illum Legislator voluntatem suam non manifestat; ergo circa hunc obligatio non est inducenda, nisi hoc exigat manifesta ratio, propter quam recedi debeat à proprietate verborum. Major est ex *cit. cap.* Minor probatur: 978.

Quia, si Legislator voluntatem suam circa casum, sub lata verborum forma non comprehensum, sufficienter manifestaret, foret ex eo, quòd illam manifestet, *exprimendô causam finalem legis*; ex qua procedit; sed hoc non rectè dicitur. Nam estò voluntas ejus esse debeat rationabilis, & in ratione fundata; adhuc tamen hoc totum stare potest, quòd illam assumpserit pro decidendo uno casu, & non pro altero; quo posito voluntas disponens de uno adhuc rationabilis, & fundata in ratione foret, estò illam non amplectatur universaliter. Sic rationabiliter potest quis detestari mortale propter divinam bonitatem, ut convenientem Deo, quin ex eodem detestetur venialia. 979.

Aliud exemplum adduci potest ex Clement. 1. *de Elect.* ubi cavetur, ne eligatur in Abbatem, vel Prælatum Conventûs, Religiosus alterius religionis, vel habitûs; quòd rationi non congruat, ut homines disparis professionis, vel habitûs, simul in eisdem Monasteriis socientur; & tamen, licèt eadem omnino ratio militet, si Religiosus 980.

in Episco-

in Episcopum sæcularis, vel Regularis Ecclesiæ eligatur (nam & in hoc casu homines disparis professionis in eadem Ecclesia sociantur) lex illius Clementinæ loquens de primo casu nullatenus extenditur ad hunc secundum; hoc enim permittitur, non illud.

981. Similiter dispositio in *c. Quia in insulis, de Regularibus*, prohibet *in insulis* admitti Monachum ad professionem infra annum ætatis 18. data ibidem ratione: *quia ibidem est dura Congregatio*; at hæc ratio, aut saltem similis, vel etiam major militat in aliis Congregationibus Regularium alibi existentium, quin dispositio loquens de illis propterea ullatenus extendatur ad Congregationes Regulares alibi existentes, etiam duriores; ergo.

982. Confirmari potest doctrina tradita ex Constitut. Gregorij XIV. quæ incipit: *Cùm aliàs nonnulli*, ubi expressè ait, magnô juris Ecclesiastici detrimentô per experientiam constare, ex dicta interpretandi legem ratione, à casu expresso *desumpta ex identitate, vel majoritate rationis* ad casum non expressum, non mediocrem in aliquibus locis subortam perturbationem, & confusionem; *imò illud etiam absurdum sæpe numero secutum sit, ut infimæ interdum conditionis Laici, non modò juris, sed etiam litterarum penitùs ignari, dum quasi potestates, aut Ministri Curiæ sæcularis, in aliquo castro, aut oppidulo jurisdictionem exercebant, facultatem, & indultorum limites longè excesserint, eaq; suo arbitratu in sensus minùs rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorserint* &c. Hinc in eadem constitutione disertis verbis declarat, irritam, ac inanem esse, nulliusque roboris, ac momenti extensionem casûs expressi ad non expressum in criminibus asylô Ecclesiasticô privantibus (quæ ibidem §. 3. enumerat) etiamsi desumatur, & fundetur in paritate, identitate, aut etiam majoritate rationis, militante pro casu non expresso, etiam *urgentissimis de causis* &c. ut constat ex *eadem Constit.* §. 2. & 10. ubi notandum, quòd expressè *declaret* Pontifex, nullius momenti fuisse illas interpretationum extensiones à casu expresso ad non expressum *desumptas ex paritate, identitate, vel etiam majoritate rationis repertæ in non expresso.*

## §. VII.

### *An in pœnalibus, & odiosis valeat extensio casûs ad casum?*

LEx *pœnalis* considerari potest, vel præcisè in quantum punitiva, vel in quantum præcisè directiva, seu obligativa ad actum directè positum sub lege; quòd contingit, si verba legis sint præceptiva, & immediatè directa ad actum, sub pœna præstandum, secus autem; si verba vel non sint præceptiva, vel si, esto talia sint, non dirigantur immediatè ad actum, ut diximus jam *in superioribus*; quo posito: 983.

Resp. 1. in doctrinali legis interpretatione dispositiones pœnales, & odiosas, quà tales (in quantum scilicet imponunt directè pœnam, vel gravamen, cujusmodi sunt leges irritantes) de casu ad casum in lege non comprehensum non extendi propter paritatem, identitatem, vel etiam majoritatem rationis. Ratio est ex *dict. à n. 977.* Nam etiam stante paritate, vel identitate, aut majoritate rationis Legislatori *fuit liberum*, casum in lege non expressum sub eadem, vel alia pœna *prohibere* (hoc enim ostendit paritas, vel identitas rationis in expresso, & non expresso) illum autem etiam casum non expressum *prohibuisse* sub eadem pœna, nec habetur ex verbis legis, nec ex alio capite, ut ostendi *n. 978.* Identitas enim rationis in casu non expresso solùm probat, hunc etiam *prohiberi posse, sed non, actu prohibitum esse*, ut liquet ex dictis. 984.

Resp. 2. in doctrinali legis interpretatione dispositiones pœnales, odiosas, irritantes, nec in quantum directivas, seu obligativas extendi de casu ad casum in lege non comprehensum, etiam propter paritatem, identitatem, vel majoritatem rationis. Ratio est eadem. Nam Legislator non minùs liberè imponit gravamen, & obligationem circa actum in casu expresso, quàm liberè imponat pœnam; sed in hoc casu paritas, identitas, vel majoritas rationis in doctrinali legis interpretatione non admittit extensionem pœnæ ad casum non expressum; ergo nec extensionem gravaminis, vel obligationis; ita Suarez *l. 6. de Legibus c. 3. n. 5.* Sanchez *l. 10. de matr. D. 4. n. 3.* Salas *D. 21. S. 5. n. 11.* Navarr. *1. n. c. Pœnæ, de pœnit. dist. 1. à n. 1.* 985.

§. VIII.

## §. VIII.

### *An in correctoriis valeat extensio casûs ad casum?*

986. QUæstio procedit, an ex eo, quòd in altero casu non expresso, sit eadem, aut major ratio, propter quam in expresso admittitur correctio, valeat extensio ad casum non expressum propter identitatem rationis? cùm autem identitas, paritas, aut majoritas rationis in hoc, & illo solùm probet, casum non expressum secundùm se æquè, aut etiam magis dignum esse, consequenter etiam prohiberi potuisse; non autem æquè prohibitum esse, ut constat ex præmissis (nam Legislator *liberè* rationem corrigendi assumpsit *pro casu expresso*) non rectè sequitur, ex paritate, identitate, vel majoritate rationis, inferri legitimè, *actu idem dispositum esse* in non expresso, quod in altero expresso, præsertim cùm correctio legum odiosa sit, & vitanda, quantùm fieri potest, ut dicitur in L. *Præcipimus*, C. *de appellat. sic gloss. in authent. Quas actiones*, C. *de sacrosanct. Eccles.* Suarez, *cit. n.* 4. Salas *cit. S.* 6.

987. Aliud dicendum esse volunt aliqui, si lex corrigit unum casum ex his, qui jure antiquo *æquiparantur*; nam tunc volunt legem correctoriam extendi etiam ad alterum æquiparatum. Exemplum hujus æquiparationis habetur *in* L. *fin.* C. *de Sacrosanct. Eccles.* ubi Ecclesia, & civitas æquiparantur *in præscriptione*, ut contra civitatem, sicut nec contra Ecclesiam, præscribi possit minori tempore, quàm centenario. Unde volunt, quòd, cùm privilegium Ecclesiis concessum *per authent. Quas actiones*, C. *eod.* est correctum, ut procedat solùm *pro Ecclesia Romana*; sic etiam correctum sit privilegium in altero æquiparato, nempe concessum civitati.

988. Sed hæc regula limitanda est, ut procedat solùm quoad necessitatem tunc in æquiparatis, vel connexis, quando continentur sub eadem ratione; non, si sub diversa. Et ideo lex corrigens privilegium concessum Ecclesiis, & restringens illud ad solam Ecclesiam Romanam, non extenditur ad privilegium concessum civitatibus, quia non continetur sub eadem ratione. Nam illud privilegium fuit Ecclesiæ concessum *ob favorem Religionis*; civitatibus autem *propter jus publicum*. Ratio autem est, quia si ambo sint sub eadem ratione, constituens correctionem unius etiam constituit correctionem alterius ex æquiparatis, vel connexis, propter connexionem, vel æquiparationem; sic Bartolus *in* L. 2. *de legat.* 1. & alij, quos refert, & sequitur Castropalaus *P.* 1. *tr.* 3. *D.* 5. *p.* 3. §. 4. *n.* 5.

Dices: dispositum in uno ex æquiparatis, censetur etiam dispositum in altero, ut ait glossa, & Bartolus *in* L. *quod verò, ff. de legib.* & L. *Si quis servo*, C. *de furtis*, Suarez *l.* 6. *de legib. c.* 4. *n.* 9. & alij; ergo dispositum pro correctione privilegij Ecclesiis dati, de quo *n.* 987. censeri etiam debet dispositum pro correctione privilegij dati civitatibus; cùm, ut dictum, in hoc æquiparentur. Deinde, si verum est, in correctoriis, valere extensionem casûs ad casum, quando æquiparantur sub eadem ratione, idem procedet, ubicunque est eadem, vel etiam major ratio in casu non expresso; ergo sicut in æquiparatis valet extensio casûs ad casum, si sunt sub eadem ratione, valebit etiam in aliis, quæ sunt sub eadem ratione. 989.

Ante resolut. not. 1. in legibus *exorbitantibus* (hoc est, quæ deviant à jure communi propter favorem aliquem specialem uni, vel aliquibus factum) non valere extensionem legis, vel dispositionis de casu ad casum etiam propter identitatem, vel majoritatem rationis, nisi materia sit favorabilis, & pia, ut dicemus *à n.* 994. Nam leges, & dispositiones exorbitantes, sunt dispensationes, quæ, cùm vulnerent jus commune, sunt odiosæ, consequenter interpretationis arctæ, ut colligitur ex *c.* 1. *de fil. presbyt. in* 6. *c. Non potest, de præbend. in* 6. ita Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 1. *n.* 3. & alij. 990.

Et ideo in materia dispensationis non valet argumentum de majori ad minus, licèt aliàs procedat in jure per *regul. Cui licet, de reg. juris in* 6. Ratio est ex *c. fin. de translat. Episcop.* ubi Episcopo dispensato, ut possit transire *ad majorem Ecclesiam*, ex hac dispensatione negatur, licuisse *transire ad parem*; *c. Cui de non Sacerdotal, de præbend. in* 6. ubi habetur, mandatum, ut alicui conferatur præbenda *non sacerdotalis*, extendi non posse ad præbendam *sacerdotalem*, etiam minoris valoris, ne quidem de consensu ejus, cui ex mandato providendum 991.

videndum est. Hinc etiam Monachus dispensatus ad beneficium *curatum*, non propterea potest *simplex* obtinere, juxta dispositionem *c. Quod Dei timorem, de statu Monathorum.* Nam generalis regula est, quòd in quibuscunque dispensationibus, seu mandatis ad dispensandum, illud jus tantùm tribuatur, quantum exprimitur; & hoc propter naturam dispensationis, quæ propter recessum à jure communi, venit restringenda; sic Pyrrhus Corradus in *Praxi dispens. Apostolic. l. 1. c. 6. n.* 14. quibus positis:

992. Resp. ad object. in *n.* 989. antecedens negandum esse, si æquiparata, quoad id, in ordine ad quod æquiparantur, sint sub diversa ratione; nam à diversis non fit illatio; at in dato casu, esto Ecclesiæ, & civitates, quoad tempus, extra quod contra eas præscribi non potest, æquiparentut, id tamen contingit ex diversa ratione, ut dictum est; ergo.

993. Ad id, quod ponitur in *num. cit.* Bz. aliud esse, quòd non fiat extensio, ubi non est eadem, sed diversa ratio in æquiparatis; aliud, quòd fiat, ubi est eadem ratio. Primum concedimus, non autem secundum nisi juxta dicenda in *seqq.* Paritas, seu identitas rationis requiritur, quantum est *ad necessitatem; non* autem quantum est *ad sufficientiam* extensionis, nisi ubi jure, vel consuetudine legitima recepta est extensio ex identitate rationis in certis materiis, vel casibus, ut dicemus *à n.* 997.

Responderi etiam potest, extensioni casûs ad casum non esse locum etiam in æquiparatis propter identitatem rationis, quando dispositio de casu expresso est exorbitans, nec continet favorem boni publici, aut pietatis.

994. Cæterùm dispositiones, etiam odiosæ, ac exorbitantes extendi possunt intra latitudinem propriæ significationis verborum, quando directè continent favorem Religionis, animarum, aut boni publici, ut notat Corradus *loc. cit. à n.* 16. Unde regula in *n.* 977. tradita, sine dubio limitari debet, si ex stricta interpretatione dispositionis exorbitantis sequeretur absurdum, aut quid simile, ut exposuimus *à n.* 942. Et ideo *n.* 990. diximus, nisi materia sit *favorabilis*, & *pia*; hæc enim *ex regula juris*, non autem *ex mera rationis identitate* recipit extensionem casûs ad casum, si hic saltem sub lata verborum significatione comprehendi possit; ita Salas *D.* 21. *Sect.* 5. *circa finem.* Sic privilegium concessum *filio familias*, L. *Patria*, 20. *ff. ad Leg. Jul. de adult.* (ne creditoribus obligetur ex mutuo) extenditur *ad nepotes*; quia *nepos* sub appellatione *filij* comprehendi potest, ut diximus *suprà.*

Dixi: *si sub lata verborum significatione comprehendi posset;* nam secùs nec in favorabilihus valet extensio casûs ad casum etiam sub identitate rationis, ut docet Suarez *l. 6. de legib. c. 3. n. 9.* Nam si lex verbis expressa in nulla proprietate significationis casum comprehendit, extensio non erit *à lege*, sed *ab homine*, qui caret potestate pro tali casu constituendi legem; sic Antoninus in *c. fin. de consuetud. n.* 58. & alij. 995.

Dices: ergo nec licebit talis extensio contra proprietatem verborum, quando in interpretatione legis servata sine extensione, sequeretur absurdum, vel iniquitas; patet conseq. quia tali casu æquè extensio non esset à lege (cùm ponatur sub significatione verborum legis non comprehendi) sed ab homine. Bz. N. illatum. Nam si aliquid eorum sequeretur omissa tali extensione, *juris dispositione* lex dicitur casum à principio comprehendere, cùm jus velit, tali casu verba esse improprianda, ut diximus *n.* 942. ergo multò magis extendenda. 996.

## §. IX.

### *In quibus casibus locum habeat extensio legis de casu ad casum propter identitatem rationis?*

Cùm passim apud Authores non tantùm in favorabilibus, sed etiam odiosis usurpetur illud brocardicum, *ubi est eadem ratio, ibi debere esse eandem juris dispositionem*, juxta L. *illud, ff. de leg. Aquil* L. *Postulaverit*, §. 2. *ff. ad leg. Jul. de adult. c. 1. de temporibus ordinat. in* 6. &c. & *ubi est eadem ratio non extensivè, sed comprehensivè, idem judicium esse*, per L. *His solis, vers. Satis etiam, C. de revocand. donation.* L. *Illud*, C. *de Sacrosanct. Eccles.* L. *item veniunt*, §. *ait Senatus, ff. de petit. hæredit.* tum quia ratio potiùs, quàm verba spectanda sunt, L. *Scire*, §. *aliud, ff. de excusat.* 997.

*cusat. Tutor.* & *ratio magis attenditur, quàm dictum.* ut dicitur L. *Cùm Pater*, §. *dulcissimus*, *ff. de legat.* 2. quia tamen hoc ipsum in multis casibus fallit, uti ostensum est ratione, & exemplis *à n.* 977. & ab ipsismet Doctoribus valde limitatur, ut cuilibet manifestum est, ideo disquirendum, quo sensu illud brocardicum, tam usitatum, jure procedat?

998. In hac quæstione præ cæteris placet, quod tradit Castropalaus *P.* 1. *tr.* 3. *D.* 5. *p.* 3. §. 4. *n.* 8. *in fine*, ubi docet, ac deinde per exempla probat, dictum brocardicum, seu axioma (quòd nimirum, *ubi est eadem ratio, etiamsit eadem dispositio*) verum esse non solùm in lege favorabili, sed etiam pœnali, odiosa, & correctoria, *si negatâ extensione Legislator arguatur injustitiæ, vel imprudentiæ; vel aliàs sequitur iniquitas, vel absurdum*, ut jam notavimus *supra n.* 942. Nam, ut hæc vitentur, verba legis etiam improprianda sunt; ergo multò magis extendenda; ubi tamen nota, hanc extensionem potiùs esse comprehensivam, quàm propriè extensivam; quia in dato casu, casus non expressus censetur statim in principio comprehensus sub lege, vel ex ratione expressa in lege, vel ex verbis in lata significatione sumptis; vel ex alia circumstantia; sic ille.

999. Hinc inferes. 1. datam regulam rectè procedere *in correlativis*, quà talia sunt; quare dispositum in uno ex correlativis, censetur esse dispositum in altero, ut dicitur L. *fin. C. de indicta viduitate*; L. *fin. ff. de accept.* id, quod tenet Suarez *l.* 6. *de legibus c.* 4. *n.* 7. Sanchez *l.* 1. *matr. D.* 54. *n.* 1. *& l.* 9. *D.* 14. *n.* 6. Salas *D.* 21. *S.* 5. *n.* 12. cum Everardo loco *à Correlativis*, *n.* 8. *Barbos. eod. à n.* 1. id fusè probans ex diversis legibus, dicens *n.* 2. id procedere, ubi est eadem ratio in utroque, quia si diversa ratio detur, non valet argumentum, L. *Curatorem, C. de interd. matrim.* ut notat Everardus in *topicis legalibus, lobo* 76.

1000. Cæterùm ratio melius, non tam in identitatem rationis, quàm in unam ex prædictis causis refunditur, ut ostendunt exempla. Nam divortium thori propter adulterium unius è conjungibus utrique conceditur; & viro innocenti contra adulteram; & innocenti uxori contra virum adulterum. Similiter ex communiori Doctorum sensu, impedimentum criminis non tantùm contrahitur propter uxoricidium à Viro, sed etiam ab uxore adultera propter viricidium; propter fornicationem sponsæ non tantùm sponsus; sed etiam sponsa propter fornicationem sponsi licitè recedit à sponsalibus. &c. in his enim casibus extensionem causat in quolibet correlativorum non tam identitas rationis, quàm æqualitas, & justitia, quam lex disponens de uno ex correlativis attendere debet, ne injustè procedat. V. quæ dicam *n.* 2815.

Inferes. 2. idem dicendum esse de con- 1001.
nexis, ut dispositum in uno censeatur etiam dispositum in *necessariò* consecutivis, & accessoriis, vel inclusis, ob dictas causas; sic Corradus *cit. l.* 1. *c.* 6. *n.* 18. & alij communiter. Nam dispensatus ad aliquid, censetur dispensatus ad omnia accessoria, ut docet glossa communiter recepta, *c. Quia in tantùm, de præbend.* V. *plures Ecclesias*, Sanchez *de matr. l.* 8. *D.* 1. *n.* 19. & alij, sed intellige *de connexis inseparabilibus*; quia si stare non potest dispensatio super A, nisi etiam porrigatur ad B, eoipso dispositum de A, censetur dispositum de B, nam aliàs elusoria, & inanis redderetur dispensatio in A. Et ideo dispensatus ad presbyteratum, eo ipso etiam censetur dispensatus ad minores ordines, ut docet Archidiacon. *in* 6. *c. Cùm ex eo, de elect. in* 6. presbyteratus enim supponit minores ordines; sive connexio sit ex natura rei, sive juris scripti, aut non scripti dispositione, ut bene notat Castropalaus *cit. n.* 11. Similiter dispensatus, ut obtinere possit duo beneficia cæteroquin incompatibilia, quòd eorum quodlibet petat residentiam, eo ipso censetur dispensatus in residentia personali quoad unum, ut in eo deserviat per Vicarium; gloss. *Si quis in Clero*, 7. *q.* 1. V. *solemnibus*; Hostiensis *c. Cùm in cunctis, de elect.* Sic constitutio loquens de *Vicario Episcopi* extenditur *ad Vicarium Capituli sede vacante*; quia hic est aliquid contentum sub illo.

Not. autem, datam regulam in *n.* 1001. 1002.
non intelligi de his, quæ separabilia sunt, ut si dispositum super uno verificari possit, quin porrigatur ad alterum. Tunc enim non militat ratio, propter quam in his admittitur extensio; ut si significatum dispositionis pro uno non reddatur inefficax, injusta dispositio, vel imprudens, vel ul-

lum trahens absurdum, licèt non trahatur ad alterum, ut bene observat Abbas *c. Cùm in cunctis, de Elect.* §. *cùm verò*. Sic dispensatus ut obtineat præbendam canonicalem, non propterea dispensatus est ad habendam vocem in Capitulo, quæ non datur non constituto in Sacris. Nam *esse præbendarium* stat sine ordinibus Sacris. Similiter habens facultatem dispensandi cum adulterino, *vel* incestuoso, non propterea dispensare potest cum laborante *utroque*; nam disiunctiva stat, quin necessariò requiratur veritas copulativæ, seu utriusque, & colligitur ex *c. per Venerabilem, qui filij sint legitimi.* Nam in dispositione odiosa super simplici non venit mixtum, ut notat Butrio *c. at, si Clericis*, §. *de adulter. circa finem, de Judic. apud Corradum cit. n.* 27.

1003. Hinc; quod dicitur in *c. per Venerabilem, qui filij sint legitimi*, & in textibus *n.* 997. relatis, ut dispositum in uno censeatur dispositum in altero, quando id judicari potest per similes casus, non aliter intelligendum venit, quàm ut procedat in *necessariò* connexis, vel inclusis sub majori; non autem in separatis; nam in his non militat ratio, quæ pro illis, ut constat ex *dict. n.* 1001. ficCorradus *cit. à n.* 23. Censet tamen Castropalaus *cit.* §. 4. *n.* 14. Judicem, *in judicando*, legem, quæ loquitur de aliquo casu, debere extendere ad alterum similem, cùm pro isto decidendo non est certa lex; quia prudentia,& recta ratio postulat, ut hujus decisio petatur à decisione casus similis juxta L. *Nam, ff. de legibus*, ibi: *quando lex in uno disponit, bonam esse occasionem, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certâ jurisdictione suppleri*, de quo plura Felinus in *c. Translato, de Constitut. n.* 10.

1004. Not. 2. quando, lex *causâ frequentioris usus*, aliquid decernit, de casu, vel persona v. g. speciali, non propterea excludi casum minus frequentem; nec ejus dispositionem procedere de illo, in quantum *frequentior* est, sed eum duntaxat exprimi *exempli causâ*. Et in ejusmodi lege ipsius dispositio se porrigit ad omnes personas, vel casus similes; nam exempla declarant, non limitant dispositionem, etiamsi correctoria sit; ita P. Ferdinandus Rebellus *l.* 1. *de oblig. just. q.* 6. S. 4. Suarez *l.* 6. *c.* 4. *n.* 10. & alij. Tunc enim procedit lex ex ratione, *in quantum universalis est*, ut colligitur ex L. *His solis*, C. *de revocat. donat.* L. *Regula*, §. *fin. ff. de juris & facti ignorantia.*

## ARTICULUS XIV.

### *An, & qualiter lex extendatur ad præterita?*

INter leges alia est *dispositiva*, seu inductiva novi; alia *declarativa* antiqui juris. Illa est, quæ legem propriè constituit; ista, quæ quà talis non constituit, sed jam constitutum declarat, seu manifestat, quod priùs latebat, ut observat Fagnanus, *c. quoniam, de Constitut. n.* 15. Nam *declarare* nihil aliud est, quàm aperire, seu manifestare legis, aut constitutionis intellectum, seu sensum, quem habuit Princeps tempore editionis legis. Hæc autem declaratio contingit, quando lex est obscura; vel cùm erratur in ejus intellectu, quibus positis: 1005.

### §. I.

### *An lex dispositiva extendatur ad præterita?*

QUando lex, vel constitutio expressè dicit, quòd non ad præterita, sed ad futura referatur, non est dubium, eam ad præterita non extendi posse, *c. fin. de Constitut.* & L. *leges Sacratissimæ*, C. *de legibus.* Cæterùm *lex, quæ novum jus condit, ad præterita non extenditur, sed futuris tantùm negotiis formam præscribit, nisi in lege nominatim expressum sit, ut etiam ad præterita extendatur.* Idem habetur *c. fin. eod.* consentit L. *leges*, 7. C. *de legibus*, nam aliàs detrimentum paterentur legis dispositionem ignorantes. 1006.

Not. autem. 1. quando lex nominatim exprimit dispositionem de præteritis, debere intelligi de negotiis præteritis priùs *non decisis*, vel *finitis transactione, solutione* &c. L. *causas*, C. *de transaction.* & L. *Contractus*, C. *de fide instrument.* Natura etiam constitutionis est, *respicere futura, non præterita*, nisi id expressè caveatur, prout etiam colligitur ex gloss. in *c. 2. de Constit. in* 6. V. *Commiserunt*; & in *c. unic. de Cleric. non resident. in* 6. 1007.

Not. 2.

1008. Not. 2. legem dispositivam non extendi ad præterita, si negotium, vel lis pendeat à Judice, vel in prima, vel in secunda instantia, nisi legislator exprimat, se velle, ut lex extendatur etiam ad causas pendentes; Pirhing *de Constitut. n.* 118.

1009. Not. 3. idem procedere, licèt lex loquatur per verba præteriti temporis. Hinc si Judex per legem rescindit venditiones *factas* à minoribus, nisi expresè dicat, se idem velle etiam *de factis ante hanc legem*, solùm de factis post legem intelligi debet; sic Felinus in *c. fin. de Constitut. n.* 2. §. *amplia tertiò*. Ratio hujus est, quia legis præcipuus effectus est dirigere actiones humanas; sed præteritum dirigi non potest, in quantum præteritum, & factum est.

1010. Ex hoc sequitur, nullam omninò legem, in quantum præceptiva, vel prohibitiva est, extendi ad præterita; quod enim jam præteriit, & factum est, præcipi, aut prohiberi non potest, cùm præceptū petat positionem; prohibitio omissionem actûs; ita Suarez *cit. l.* 3. *de legibus c.* 14. *n.* 8. *& seq.* alijque communiter.

1011. Not. 4. quando dicimus, quòd lex extendi possit ad præterita, quando *expressam facit mentionem*, ut etiam *ad ea* extendatur, hoc non posse intelligi de lege, *in quantum præceptiva*, vel *prohibitiva est*. Nam quà talis, semper tendit ad futura ex *præced. num.* Secùs est, ut dicemus, in quantum est punitiva, irritans, &c.

1012. Not. 5. quando diximus, legem, quæ facit expresè mentionem etiam præteritorum, extendi ad ea, si *nondum* sit perfecta, seu decisa per sententiam, transactionem, &c. non intelligi, si jam priùs sint decisa, nisi etiam expresè faciat mentionem de his quoque, quæ decisa sunt. Nam legislator nullâ lege, vel rescripto intendit derogare juri jam quæsito alteri, nisi hoc exprimat; sic gloss. in L. *causas*, C. *de transact.* Abbas in *c. fin. de constit. n.* 9. Sed tunc non extenderetur in quantum præceptiva, vel prohibitiva; sed sub alia ratione, ut constat ex *n.* 1010. Idem est de præteritis jam *conclusis*, esto necdum executioni datis. Nam *conclusione in causa, negotium finitum est, c. Auditis de Procurat. c. Pastoralis, de causa possess. c. cùm dilectus, de fide instrum.*

1013. Not. 6. legem, quæ expresè disponit etiam *de præteritis*, probabiliùs non extendi *ad causas jam cæptas*, *sed adhuc pendentes*, nisi simul mentionem faciat præteritorum, *etiam pendentium*, ut diximus *n.* 1008. Nam negotio semel cæpto in foro competente, quilibet litigantium acquisivit jus, ut secundùm leges tunc vigentes sibi jus dicatur; huic autem juri quæsito nullus Legislator censetur velle præjudicare, nisi hoc exprimat.

## §. II.

### *An lex, imponens pœnam delicto, extendatur ad delicta præterita?*

1014. REsp. legem, quà punitivam, posse extendi ad præterita delicta contra legem aliam commissa. Cùm enim hoc ipso pœnâ digna sint, non est, unde repugnet, quòd Legislator per sententiam illis condignam pœnam constituat; sed si potest per sententiam, potest etiam per legem, nominatim plectendo actus præteritos, & simul novis in futurum decernendo pœnam. Cæterùm id dicendum non est, nisi lex id ipsum exprimat, quòd pœna extendi debeat ad delicta etiam ante legem, vel statutum conditum commissa; quod tamen etiam in hoc limitari debet, ut non procedat. 1. si jam antè competenter punita sint; non enim decet bis punire in id ipsum. 2. si nova lex decernat pœnam delicto incurrendam ipso jure, tunc enim pœna deberet esse statuta, ut hoc ipso, quòd factum sit delictum, faciens sit reus pœnæ, quod esse non potest, cùm posito delicto non extat lex eam imponens; accedit, quòd ignorantia juris excusat à culpa contra jus ignoratum; lex autem statuens delicto non tantùm culpam, sed etiam pœnam, facit jus ultra obligationem ad actum, quod ponitur ignoratum, utpote primò conditum post delictum; ergo. V. Felin. in *c. quoniam, de constitut. n.* 14.

1015. Quæstio adhuc est: an lex punitiva, loquens etiam de delictis præteritis, iisque pœnam statuens, intelligenda sit de pœna, quam imponit hæc nova lex; an de illa, quam delinquens transgressus est ante hanc novam legem conditam? Felinus in *cit. c. quoniam, n.* 14. censet, si pœna legis antiquæ delicto conveniens erat, punien-

niendum secundùm illam juxta L. 1. *ff. de pœnis*; & *c. fin. de sent. excom.* ubi dicitur, quòd pueris, qui inciderunt in canonem sententiæ promulgatæ, sive ante, sive post pubertatem petant absolvi, Episcopus id possit, *quia rigor est mansuetudine temperandus, cùm tunc, quando delictum fuit commissum, fuerit defectus ætatis.* Censet tamen Castropalaus *cit. p.* 3. §. 4. *n.* 11. dicendum potiùs pro pœna per novam legem imposita, si hæc convenientior sit, eò, quòd ad imponendam pœnam regulariter inspiciatur tempus sententiæ ex L. *penult. ff. si ex noxali causa agatur.*

## §. III.

### *An lex, in quantum irritans, extendatur ad præterita?*

1016. QUæstio est, an lex irritans aliquem actum, & expressè loquens etiam de præteritis, eo ipso etiam irritet actum, ante talem legem, validè celebratum? non agimus hìc de illis actibus, qui semel validi, nullo deinceps humano jure irritabiles sunt, quales sunt complures actus Sacramentales; sed de illis, qui, licèt principio validi, adhuc tamen jure humano irritabiles sunt, cujusmodi casus esse potest in multis contractibus, qui vel jure naturæ, vel etiam positivo, cùm celebrarentur, validè celebrati sunt; ex causa tamen boni communis hoc exigentis rescindi possunt, & annullari. Et hoc sensu verum est, posse legem irritantem ad præterita extendi, *quando id exigit bonum commune*; secùs enim hæc nova lex non foret justa. Id tamen nunquam dicendum est, nisi lex id ipsum exprimat, nec aliter, nisi quantum exprimit. Quare si statuat irritationem etiam in actus præteritos, non exprimens, *licèt jam deducti sint ad judicium*, vel etiam *decisi, aut per sententiam concluſi*, non extenditur ad actus *pendentes, vel decisos*. Sic constitutio Tridentini *sess.* 25. *de Regularibus*, *c.* 15. prohibens, ne quis *infra annum probationis* emittat professionem, afficiebat quidem non tantùm futuros, sed etiam actuales Novitios, sed non professos ante illud decretum.

## §. IV.

### *An lex, in quantum declarativa, extendatur ad præterita?*

LEx, in quantum declarativa, nihil 1017.
novi constituit, sed id solùm, quod antè constitutum, sed latebat, vel ambiguum erat, aperit, & manifestat; sic cum communi Fagnanus in *c. Quoniam, de Constitut. n.* 15. Circa præsentem quæstionem not. *condere leges declarantes*, quid sit justum in foro animæ, pertinere ad potestatem collatam Petro, & Successoribus ejus; sic P. Mathæus de Moya *in quæst. select. Theol. mor. tr.* 1. *q.* 4. §. 1. *n.* 4. ex *c. in novo, dist.* 21. *c. Ita Dominus, dist.* 19. *c. omnes, dist.* 22. Extravag. *unam Sanctam, de majorit. & obed. c. Solitæ, eod. c. Cùm advenient, c. quodcunque*, 14. *q.* 1. *c. Ad Apostolicæ, de re judicat. in* 6. *c. Novit, de Judic. c. Venerabilem, qui filij sint legitimi.* Hoc intellige *de summi Pontificis authentica declaratione* legis Ecclesiasticæ à se, vel Prædecessoribus latæ; doctrinalis enim (quæ solùm faciat probabilitatem) etiam aliis concessa est, de quo ex professo jam egimus *à n.* 931. ubi etiam exposuimus, an, & quando declarationes Cardinalium pro dubiis Tridentini habeant vim legis, seu authenticæ declarationis; necessariam autem esse declarationis promulgationem æquè, ac ipsius legis conditæ constat ex dictis *à n.* 113. etiamsi esset revocatoria prioris ex *n.* 115. vel etiam irritans, ex *n.* 116.

Ad quæstionem autem propositam com- 1018.
munis tenet, quòd lex, seu constitutio absolutè lata, & solùm declarativa juris antiqui, extendat se non tantùm ad futura, sed etiam ad præterita; sumitur ex *c. cùm tu, de usuris.* Et tali casu non tam obligat lex declarans, quàm declarata. Si autem non est *tantùm* declarativa juris antiqui, sed etiam constitutiva novi, illam referri ad præterita, in quantum est declarativa; & in futura, in quantum est constitutiva juris novi, nisi contrarium exprimatur. Abbas *c. fin. de constitut. n.* 8. & 11. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 16. *q.* 13. Legem irritantem merè declarativam juris antiqui extendi etiam

etiam ad præterita docet Layman in *cit. c. fin. n.* 7. Si autem de novo irritum reddat aliquem actum, priùs validum, extendi etiam potest ad actus præteritos, eos irritandô, seu rescindendô; Suarez *l.* 3. *de legib. c.* 14. *n.* 11. secus est, si irritet solùm impediendô, ne actus validè fiat; Gail. *l.* 2. *observ.* 9. *n.* 3.

1019. Ex hoc vides, de lege hac *declarativa juris antiqui discurrendum*, sicut de lege declarata; si enim declarat hanc, in quantum est merè præcipiens, vel prohibens, porrigitur solùm ad futura; si in quantum aliquid novi constituens, vel puniens, aut irritans, de lege declarante dicendum venit, quod de declarata, si clara foret. Aliàs enim non esset merè declarativa legis, contra suppositum.

## ARTICULUS XV.

### *De confirmatione legis.*

1020. *Confirmare* idem hìc significat, ac *approbare*, & validius, atque perfectius reddere, dicitúrque *juris priùs habiti corroboratio*; ut cùm Superior confirmat actum inferioris. Duplex communiter distinguitur confirmatio; una, quæ appellatur *in forma communi*, quando scilicet non præcedente informatione in particulari de actu, qui confirmatur, & de circumstantiis necessariò exprimendis illius, adhibitur confirmatio illius à supremo Principe, aut ab alio, ad quem spectat confirmatio. Altera, quæ appellatur *in forma speciali*, atque *ex certa scientia*, quando scilicet præcessit informatio in particulari de actu, & de circumstantiis illius necessariò exprimendis, aut totum insertum est in instrumento Confirmationis *c.* 1. *c. quod nostram*, *c. porrecta*, *de confirm.*

1021. Confirmatio *in forma communi* actui confirmato nihil novi juris tribuit, sed ei, si subsistit, & quatenus subsistit, majus robur, & authoritatem addit; ut ait gloss. in *c. Quia*, *de conces. præbend.* V. *in forma*; & Bartolus in L. *privilegia*, C. *de Sacrosanct. Eccles.* quia non innovat actum; Layman in *c. inter*, *de fide instrum. n.* 10. Robur autem, quod actui subsistenti addit, est in eo, quòd actus ab inferiore factus legitimè, & à Superiore in forma communi confirmatus, ab inferiore retractari, vel rescindi non possit; esto partes, in quarũ favorem ejusmodi confirmatio facta est, ab ea recedere possint de mutuo consensu; quia nemo invitus beneficiô sibi concessô uti cogitur. Omnis autem confirmatio censetur esse in forma communi, nisi ex aliquo signo ostendatur, quòd sit in forma speciali; ita Suarez *de legibus l.* 8. *c.* 18. *n.* 7.

Censetur autem sufficiens signum, si confirmatio fiat cum clausula: *ex certa scientia.* Tunc enim Principi testanti credendum est, *Clement.* 1. *de probat.* 2. si fiat verbis æquipollentibus 3. si confirmationi inseratur tenor dispositionis confirmatæ, *c. penult. de confirmat. util. vel inutili.* 1022.

Effectum confirmationis specialis communiter dicunt esse, quòd novum jus tribuat actui confirmato, eùmque validet, si antè invalidus erat, juxta *c. Si quis*, *de confirm. utili.* Sed hoc sic indefinitè prolatum in multis fallit quoad effectum dictæ clausulæ, ex certa scientia, ut constat ex *dictis* in *tit. de Rescript.* & communiter limitatur, ut non procedat. 1. quoad voluntatem supplendi defectum, si Princeps in tali defectu nunquam dispensare soleat, esto possit. 2. si defectus sit contra jus naturale. 3. si per confirmationem derogaretur alterius juri acquisito; ita Layman in *c.* 1. *de confirm. n.* 7. 1023.

Præter hæc not. confirmationem tam in forma communi, quàm speciali posse dividi in essentialem, & accidentalem. *Essentialis* est, quæ requiritur ad ejus formam, & substantiam, eò quòd in statuentibus non sit potestas ferendi per se ipsos legem, aut condendi statutum obligans, nisi confirmatum à Superiore; ex quo colligitur, quid sit confirmatio *accidentalis*; his positis: 1024.

Quæstio est. 1. an statutum confirmatum à Superiore, confirmatione solùm accidentali, à statuentibus possit tolli, & revocari? R. affirm. ex Bartolo in L. *omnes populi*, *ff. de Jure & Just. n.* 33. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 26. *q.* 15. quia sic pendet à sola libertate statuentium. Limitari tamen debet. 1. ut non procedat, si habeat confirmationem Principis in forma speciali. Constat ex *dict. à n.* 1023. Sic enim habet majorem firmitatem, quàm habeat ex natura sa. Cùm illud Princeps faciat suum. 1025.

Gail.

Gail. *l. 2. observ. 1. n. 17.* Limitari debet 2. si confirmationi accidentali adjecta sit *clausula irritans*, decernendô irritum, & inane, si aliquod contra factum fuerit, *c. dilecto, de præbend. junct. gloss.* V. *hujusmodi præbenda.*

1026. Quæstio est. 2. an statutum inferiorum à Superiore confirmatum confirmatione essentiali, à statuentibus possit tolli, & revocari sine consensu Superioris? R. negativè; sic enim habet authoritatem Confirmantis Superioris, in cujus legum mutatione sine ipsius consensu nihil potest inferior ex *dict. alibi:* Sed hoc limitari debet. 1. ut procedat, si confirmatio essentials principaliter respiciat bonum publicum, non autem, si favorem statuentium. Limitari debet 2. ut non procedat, si per statutum taliter confirmatum redeatur ad jus commune pristinum. Nam hoc favorabile est, & ad illud redire facilè permittitur, quia sic eo ipso non revocatur sine authoritate Superioris; Pirhing *de Constitut. n.* 130.

1027. Quæstio est. 3. an hæ limitationes locum habeant, etiam in casu, quo statuentes statutum suum confirmârunt juramentô? R. si jurârunt, quôd nolint illud tollere, non habere locum; quia tollendô agerent contra juramentum; secus, si tantùm jurârunt, quòd velint illud observare; quia sic tollendo non agunt contra juramentum. Sed de hac materia ex professo agimus *lib. 2. tit. 30. de Confirmat. utili vel inutili*, quò me remittto.

## ARTICULUS XVI.

### *De cessatione legis.*

1028. LEx cessare potest vel in totum, vel in partem; *in totum* cessat, cùm abrogatur, aut cessat ex toto ratio, propter quam condita est; *in partem*, cùm ei in aliquo sub lege cæteroquin comprehenso derogatur. Nam, quando quis in certis circumstantijs, quas prudenter judicari potest, Legislatorem vel noluisse, vel justè non potuisse velle, ut etiam in ijs circumstantijs legi locus esset, liberatur ab obligatione legis, non cessat propriè lex; cùm ponatur nunquam comprehendisse casum pro talibus circumstantijs; his præmissis:

### §. I.

### *De cessatione legis per ejus abrogationem.*

*ABrogare legem*, est eam, postquam vim habuit, in totum tollere, vel *præcisè*, seu purè, nimirum sine lege contraria, retractandô voluntatem, qua priùs condita fuit; vel per legem illi contrariam. Ut autem hæc legum abrogatio rectè fiat, plura in considerationem venire possunt. Hinc quæstio est. 1. quis possit abrogare legem? R. quòd is, qui legem tulit, eandem possit mutare, vel irritandô, vel abrogandô, quando noxia, vel minùs utilis videtur. Idem dicendum venit de illius superiore, vel successore, c. *cùm innotuit, de electione*, L. *qui injus*, L. *aliud*, §. *fin.* & L. *nemo plus, ff. de regul. juris.* 1029.

Quoad alios autem Resp. quòd Prælati, Papâ inferiores, non possint mutare Canones Conciliorum generalium, vel leges à summo Pontifice conditas, ex num. 512. & 525. & constat ex c. *cùm inferior, de majorit. & obed.* & Clement. *Ne Romani, de elect.* Excipe, nisi ex urgenti causa præsumi possit, in casu particulari eis non esse locum; sed tunc intercedit potiùs exceptio, quàm abrogatio. Nec possunt abrogare leges à se conditas, si saltem in forma communi sint confirmatæ à Pontifice ex *n.* 1026. Et quamvis aliqui velint, quòd inferior habens potestatem condendi legem in suo territorio, possit in suo territorio *purè* abrogare legem Superioris, vel ei legem contrariam statuere; probabilius tamen est, nullum inferiorem id posse, nisi ab ipsomet Superiore ad id habeat potestatem; ita Suarez *l. 6. de legib. c. 26. à n. 9.* Nam, si id independenter à Superiore posset, jam non esset inferior eo, contra suppositum. V. dicta *à n. 512. & 525. & seq.* 1030.

Dices: Episcopus habet potestatem pro suo territorio dispensandi in lege Superioris; ergo etiam condendi legem contrariam, vel purè abrogandi. Ant. pat. quia talis potestas pertinet ad rectam, & suavem gubernationem suæ diœcesis; patet etiam conseq. Nam eadem potestas necessaria est, quoad vim abrogandi; cùm sæpè lex universalis pro ditione particu- 1031.

lari

lari quandoque minùs utilis, interdum etiam noxia esse possit.

1032. Resp. negandô ant. quòd eam potestatem habeat *independenter à summo Pontifice.* Licèt enim concedam tanquam probabilius, quòd Episcopi suam jurisdictionem habeant immediatè à Christo; id tamen habent solùm dependenter à consensu summi Pontificis, secundùm quod illis oves sibi à Christo immediatè commissas, & per ordinem, ad quæ, eas subjicit, ut diximus *loco suprà citato n.* 512.

1033. Deinde, non rectè ducitur paritas *à potestate dispensandi ad potestatem abrogandi legẽ;* tum quia hoc est plus, quàm illud; tum quia longè frequentiùs occurrunt circumstantiæ, quæ petunt dispensationem, quàm legis abrogationem; illa enim contingit communiter solùm in uno, vel paucis, qui pro aliquo casu solvuntur à lege communi; ista verò tolleret jus & legem cõmunem in totum, & pro omnibus; & ideò in c. *quod super his, de majorit. & obed.* expressè dicitur: *nihil statuat, quod canonicis obsit institutis.*

1034. Et ideò propter hunc textum communiter tenent Doctores, quòd inferior non possit abrogare *leges canonicas* sine consensu Papæ; licèt oppositum velint *quoad leges civiles*, tum propter rationem in *n.* 1031. ad quam respondimus; tum quia Princeps Sæcularis potestatem politicam ex plurium aliorum opinione accepit à republica, non autem immediatè à Deo, sicut Pontifex à Christo; præsertim, cùm de facto dentur plura statuta municipalia, juri civili contraria.

1035. Sed in utroque casu negandum est, propter dicta *n.* 1030. si enim inferior mutare, vel omninò tollere posset voluntatem, & legem Superioris, eo ipso non esset inferior. Nec obstat, quod pro lege civili per inferiorem abroganda dicitur; dato enim, quòd Princeps Sæcularis à republica potestatem, seu jurisdictionem politicam acceperit (de quo V. dicta suprà) non accepit tamen illam *populo subordinatam.* Sic enim populus maneret superior, & cogi à Principe non posset ad legis conditæ, quamtumvis justæ, observantiam, quod est contra debitam Principi subordinationem.

1036. Quod adducitur de quibusdam statutis juri civili contrarijs, si procedat de his, quæ non in mera consuetudine, sed statuto propriè dicto consistunt, & jus civile abrogant, hanc vim non habent, ex nuda voluntate inferioris, sed consensu, & approbatione superioris; cæteroquin enim irrita sunt ex *n.* 1030. nimirum ex defectu potestatis. Dixi, si sint statuta *contra* jus civile. Nam si sint juxta, vel præter jus, nihil probant in præsenti casu.

Unde statutum, quo cavetur, dominum teneri satisfacere damna *famulorum,* aut etiam *filiorum* commissa, etiam ipso nesciente, non est *contra*, sed *præter* jus commune. Hoc enim nullibi expressè cavet, ne innocens puniatur in bonis suis propter factum alterius, quando id bono communi expediens videbitur. In quantum autem tale statutum expressè disponit de *his personis* (famulis, aut filijs) potiùs adjuvat jus commune; cùm faciat, ut majori cura talium personarum delicta evitentur. 1037.

Quæstio est 2. an Episcopus abrogare possit leges conditas in Synodo diœcesana, si hoc judicaverit bono cõmuni expedire? Resp. probabiliùs affirmari, secluſa superioris confirmatione, quod verum est, etiam Synodo non consentiente; sic Barbosa *p.* 2. *de potest. Episcop. allegat.* 34. *n.* 3. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 15. *q.* 3. & alij. Nam Episcopus in condendo leges synodales non pendet à voluntate Clericorum, & Parochorum ad Synodum congregatorum, tanquam tribuente etiam partialiter vim, & authoritatem dispositioni synodali; sed solùm tanquam consilium, idque non ex necessitate, sed utilitate, & convenientia. 1038.

Hinc negandum est, omnes, *in synodo diœcesana*, habere suffragium *decisivum*, id, quod maximè colligitur ex eo, quia solus Episcopus factis constitutionibus subscribit nulla Clericorum mentione; nec à Decano Capituli rectè sumitur paritas ad Episcopum in Synodo diœcesana. Ille enim in Capitulo solùm habet potestatem convocandi Capitulares, proponendi consultanda, & resolvendi decisa majori parte Capitularium; Episcopus autem Synodo præest cum potestate legislativa, & coërcitiva, V. quæ diximus *à num.* 501. quid verò dicendum circa Archiepiscopos quoad leges in Concilio provinciali conditas, colligi potest ex dict. *à num.* 527. 1039.

Qualiter Episcopus ligetur legibus synodali- 1040.

nodalibus à se, vel antecessoribus conditis, deduci potest ex dictis *à n.* 551. ubi diximus, qua ratione legibus canonicis ligetur summus Pontifex. Ad id autem, quod dicitur, *statutum de consensu aliquorum transire in contractum*, respondetur, id verum esse, quando consensus exigitur tanquam aliquid necessarium, & vim saltem partialiter, seu authoritatem actui tribuens; non verò secùs. Consensus autem Clericorum in Synodo diœcesana non sic requiritur, ut præmissum est.

1041. Dixi: *secluſa ſuperioris confirmatione*; nam sub quæstione est, an Episcopus abrogare possit statuta synodalia, postquam confirmata sunt à Superiore? Communis enim tenet, quòd non; quia sic jam sunt affecta, & confirmantis authoritate roborata. Nam illa nostra facimus, quibus authoritatem nostram impertimur, ait Pontifex, c. *si Apostolicæ, de præbend. in 6. & ubi Princeps confirmat, idem est, ac si ferat sententiam.* L. 1. §. *Sed neque*, C. *de veteri jure enucleand.* Et ita tenet Azor *p. 1. l. 5. c. 15. q. 7.* Sanchez *l. 8. matr. D. 17. n. 30.* Barbosa *p. 2. de potest. Episcopi, allegat. 34. n. 7.*

1042. Castropalaus *P. 1. tr. 1. D. 5. p. 2. §. 2. n. 8.* censet, hanc communem sententiam esse verissimam in eo casu, quo Princeps confirmationi addit clausulam, *ut, si quidquam contra fieret, non valeret.* Rationem sumit ex c. *dilecto, 25. de præbend.* ubi dicitur, quòd in Ecclesia, ubi est determinatus numerus præbendarum, uno individuo jure vacante, duo simul eligi non possint ad illud, *nisi fortè statutum aliquod obviaret, quod esset juramentô firmatum, vel cui sedis Apostolicæ confirmatio accessisset, hujusmodi clausulâ prohibitionis adjectâ, ut, si quicquam contra fieret, non valeret.*

1043. Ex hoc enim infert, quòd *simplex* confirmatio alicujus statuti à Superiore facta (nimirum sine tali clausula irritante) non reddat statutum inabrogabile per statuentes, licèt habeat confirmationem simplicem, seu in forma communi etiam à Papa, si statutum illud principaliter sit in favorem statuentium. Cùm enim talis confirmatio sit *beneficium*, & præsumi non debeat Superior, *invito* velle beneficium conferre, ac ad illud recipiendum obligare *nolentem* (sic enim habet rationem privilegij) non est censendus Princeps confirmatione simplici voluisse reddere tale statutum inabrogabile à statuentibus; sic Barbos. *in cit. c. dilecto, n. 10.* Suarez *cit. l. 6. c. 26. n. 24.* & alij.

Si autem statutum ab eo, qui, etiam se- 1044.
cluſa confirmatione Superioris, obligare potest lege à se lata, similiter abrogari potest à statuente, licèt à Principe confirmatum non tam sit in favorem statuentium quàm aliorum, pro quibus statuitur. Nam in ejusmodi casu communiter adhibetur confirmatio Principis, non tam, ut inde vim obligandi majorem obtineat, quàm ut authoritatem, & honorem, quem statuto præstat Principis consensus, esto non necessarius ad obligationis impositionem; secùs est, si statuens secluso Principis consensu, seu confirmatione non habet potestatem obligandi condita à se lege (tunc enim in hoc casu confirmatio est essentialis, & in priori accidentalis, ut diximus *à n. 1024.*) quia in ejusmodi casu confirmatio Principis non ob majorem honorem præcisè, sed verè ad vim obligandi statuto tribuendam expetitur, saltem communiter; ita Suarez *cit. n. 25.* Salas *d. 18. s. 5.* quos refert, & sequitur Castropalaus *cit. p. 2. §. 2. à n. 8.*

## §. II.

## *Quid requiratur, ut lex abrogetur?*

1045. LEges etiam validas, & quæ reipublicæ utiles fuerunt, vel etiam actu sunt abrogari posse propter majorem utilitatem, cujus causâ magis expedit eas tollere; quàm in vigore permittere, non est dubium; & constat ex plurimis antiquis canonibus, præsertim circa impedimenta matrimonij, tam dirimentia, quàm purè impedientia, per novos abrogatis; si enim positivè noxiæ fierent, aut saltem negativè, nimirum nullatenus utiles, quod utrumque fieri potest, mutatis circumstantijs, ex quibus pendent leges (quæ sunt media relatè ad finem rectæ gubernationis, quæ ut justa sit, spectare debet commune bonum cujuslibet reipublicæ, tanquam finem) non est dubium, fieri posse, quòd nunc non prosit, quod olim proderat; & econtra, id, quod pluribus locis explicat Tridentinum in *reformatione impedimentorum matrimonij.*

Quia

1046. Quia tamen abrogatio legis multipliciter fieri potest. 1. purè; 2. lege contraria ex toto priorem tollente. 3. consuetudine, vel desuetudine. 4. interpretatione. 5. cessante finali ratione legis: de singulis breviter dicendum erit, ubi ea expediverimus, quæ ad legis abrogationem necessaria sunt, utcunque fiat. Pro quo not. 1. puram legis abrogationem *validè* fieri, etiam sine justa causa; sed *non honestè*, seu *licitè*; per puram abrogationem eam intelligo, quæ sic aufert legem in totum, ut non constituat oppositum; sed tantùm, ut liceat, quod ante licitum non erat, stante illa, quo casu talis lex cessat, seu tollitur privativè.

1047. Ratio primæ partis est; quia sublatâ voluntate Legislatoris cessat lex, consequenter abrogatur privativè; at Legislator voluntatem suam tollere potest etiam sine justa causa, cùm eam liberè concipiat, & conservet; sic Pyrrhus Corradus *in Praxi dispensat. Apostol. l. 1. c. 1. n. 8.* loquens de legis dispensatione, quæ legem non tollit universim. Ratio secundæ partis est, quia talis actus, qui sine justa causa, pertinente ad bonum commune reipublicæ, auferret medium necessarium ad finem suum, non ageret ex fine debito, & in ædificationem, sed potiùs in dissipationem; ergo ut pura legis abrogatio honestè fiat, requiritur eam fieri ex justa causa.

1048. Dixi 1. ut *pura* abrogatio legis honestè fiat. Nam ut fiat *positivè*, seu *contrariè*, nimirum novæ legis constitutione priori contrariæ, probabilius videtur, non fieri eam etiam validè sine justa causa. Nam voluntas, constitutiva legis, debet esse rationabilis, & justa, ut diximus *n. 89.* at ubi deficit omnis justa causa, voluntas rationabilis, & justa esse non potest, ut constat ex *num. cit.* sic enim non exigitur à bono communi, sed potiùs rationabiliter recusatur; ergo.

1049. Dixi 2. *pertinente ad bonum commune.* Hoc enim Legislator in omni actu, quem exercet ex potestate legislativa, præ oculis habere debet, ex *n. 91. cum seq.* Unde cùm ratio boni communis deficit, nec validè quidem lex conditur ex *præced. num.* cùm autem etiam irrationabiliter retractare possit voluntatem suam, fieri quidem potest, quòd possit legem *abrogare purè*, etiam validè sine rationabili causa pertinente ad bonum commune, non tamen novam *validè constituere.*

1050. Ex dictis colliges, legem quantumvis reipublicæ utilem, licitè & validè abrogari posse, non tantùm privativè, seu purè, sed etiam contrariè, seu constituendô novam legem priori contrariam, si adsit justa causa illam tollendi; ut si foret magis expediens, illam tolli, ne populus v. g. multitudine legum nimiùm gravetur; aut præsentes circumstantiæ suadeant, utilius esse, eam tolli, aut etiam contrarium statui; ita communis, quibus positis:

1051. Quæris 1. an, ut abrogatio legitima sit, indigeat promulgatione? R. 1. si fiat abrogatio per interpretationem authenticam, vel contrariè, condendô legem priori contrariam, requiri talis abrogationis publicationem. Ratio prima partis est ex *n. 113.* secundæ partis ex dict. *à num. 103.* nam omnis lex, ut essentialiter constituta sit, aliqua publicatione indiget; quæ autem sufficiat, constat *à num. 139. & seq.* & abrogatio legis per legem contrariam importat legem; ergo.

1052. Resp. 2. ut lex sit abrogata *purè*, quoad *esse physicum*, probabiliùs non requiri ejus publicationem. Nam sicut lex externa quoad esse physicum non constituitur, ubi in Legislatore non est animus, & interna voluntas obligandi; ita nec legitimè constituta perseverat, tali animo deficiente; sed ille animus, seu interna voluntas obligandi potest deficere, sine ullo externo signo, ut per se patet; ergo.

1053. Dixi, *quoad esse physicum*; nam *quoad effectus juris*, quos parit legitima legis abrogatio, probabilius videtur, requiri abrogationis publicationem. Effectus enim præcipuus ejus est, quòd abrogata lege populus, etiam secluso errore (quo putat legem vigere) licitè agat, quod lege nondum abrogata non licebat; at hoc præstare non potest, nisi constet de legitima abrogatione. Sufficiet autem ea publicatio, qua posita successivè saltem possit ejusmodi abrogatio venire in notitiam eorum, qui priùs lege nunc sublata tenebantur.

1054. Quæstio est 2. an, & quando lex prior censeatur abrogata per posteriorem, priori contrariam? R. non censeri *abrogatam* per posteriorem, nisi hæc illi in totum contraria sit. Ratio est, quia si eam tol-

lat solùm secundùm aliquid, & non in totum *derogatio* est, non *abrogatio*. Sed esto etiam in totum priori contraria sit, non operabitur effectum abrogationis, prioris legis non contentæ in jure communi, sine clausula abrogatoria, nisi mentionem faciat prioris. Ratio est, quia voluntas legislatoris non censetur ferri in incognitum, vel ignoratum; sed de illis solùm disponere, quæ sibi nota sunt; leges autem privatæ, nec insertæ juri communi, ubi nullam eorum, etiam in genere mentionem facit, præsumuntur ei incognitæ, ac ignoratæ; sicut insertæ juri communi, cognitæ, *c. 1. de constitut. in 6.* ergo.

1055. Ex dictis collig. 1. quòd Princeps condens novam legem priori ex toto contrariam, si hæc inserta sit juri communi, posteriorem abroget. Sic enim ponitur, scienter statuere contrariam priori; secùs est, si non sit inserta juri communi; quia tunc voluntas, qua condit posteriorem legem, non porrigitur ad revocandam priorem, utpote incognitam, nisi addat clausulam, qua velit sublatum, quidquid efficaciter posteriori voluntati obstaret. Tunc enim, saltem in genere illorum, quæ contrariantur, aut contrariari possunt, notitiam se habere manifestat.

1056. Sed hoc limitandum est, ut non procedat, quando prior lex vestita est juramentô promissoriô de ipsa non revocanda, vel abroganda. Tunc enim stare potest, quòd lex prior inserta juri communi per posteriorem non abrogetur, nisi simul liberetur à vinculo juramenti. Fieri enim potest, quòd Princeps sciens legem priorem, ignoret vinculum juramenti; tali autem casu præsumi non potest, contra juramentum adhuc stans velle tollere legem priorem; sic Azor *p. 1. l. 5. c. 16. q. 6.*

1057. Collig. 2. ut lex prior per posteriorem ex toto contrariam abrogetur, non requiri mentionem prioris, si sit inserta juri communi, nec alio vinculo roborata, quod specialem ejus mentionem exigat. Nam in tali casu voluntas constitutiva novæ legis priori contrariæ, præsumitur fieri cum scientia prioris ex *cit. c. 1. de constitut. in 6.* cùm ergo voluntas legis posterioris ponatur efficax, eo ipso tollit voluntatem prioris constitutivam, ne dicatur velle simul contraria.

Dixi 1. *priorem abrogari per posteriorem illi contrariam.* Nam si utraque conciliari potest, & in verborum proprietate salvari voluntas legislatoris, non censenda est abrogata prior; tunc enim vitatur contrarietas, & oppositio voluntatum prioris, & posterioris, præsertim, cùm legum correctio, & mutatio, utpote communi bono damnosa, vitari debeat, quantùm potest, ubi id non exigit aperta boni communis major utilitas, aut necessitas. 1058.

Dixi 2. *Si in utráque salvari potest proprietas verborum.* Nam etsi velint aliqui ab ea recedi posse, & verba etiam impropriari, ut vitetur legis correctio, ut vult Sanchez *l. 1. matr. D. 17. n. 6.* rectiùs tamen dicitur, hoc non admitti; quia sic vix aliquid esset firmum in lege; & à verborum proprietate recedi non debet, nisi cogat necessitas, nimirum, ut evitetur aliqua iniquitas, vel injustitia, aut ne dispositio reddatur inutilis, & illusoria, ut diximus *à n. 942.* ita Panormitanus *in c. 1. de constit.* Bartolus in L. *omnes populi, ff. de just. & jure n. 57.* Suarez *l. 6. de legib. c. 27. n. 11.* & alij. 1059.

Dixi 3. *nisi sit roborata alio vinculo, specialem prioris mentionem exigente.* Multi enim volunt, quòd leges revocatoriæ privilegiorum, facultatum, &c. non habeant vim obligandi, quousque promulgatæ non sunt non solùm in provincia, sed etiam in civitate, ac Parochia; sic Escobar. *theol. moral.* §. 2. *l.* 5. Becanus *in 1. 2. tr. 3. c. 6. p. 6. n. 7.* & communis doctrina est, debere intimari illi, cui aufertur privilegium, vel potestas. Hinc addit Azor *instit. moral. p. 1. l. 5. c. 3. q. 6.* indulgentias non finiri, donec de earum revocatione certiores facti sint, quibus fuerint Pontificum beneficiô concessæ. 1060.

Similiter complures tenent, privilegia, & consuetudines particulares personarum, Ordinum, & locorum non censeri abrogatas per leges communes, & clausulas generales, nisi illorum fiat mentio specialis, *c. quoniam, dist. 18.* quia supremus Magistratus, uti leges communes, & jura præsumitur habere in scrutinio pectoris sui; ita ignorare creditur particularia, & nihil velle de illis disponere per terminos generales, ut constat ex *c. 1. de constitut. in 6.* quod retulimus in præced. 1061.

Hoc

1062. Hoc quidam extendunt etiam ad eas leges abrogantes, quibus annexa est clausula: *non obstante quocunque privilegio, etiam exigente; ut de verbo ad verbum fieri debeat de illo mentio, cujus tenorem pro inserto hic volumus.* Dicunt enim privilegium, exigens *specialem sui mentionem*, eâ clausulâ non abrogari; ita quidam apud Streinium *in proleg. juris Canonici*, §. 5. *n.* 5. sed hic in praxi tutiorem judicat opinionem oppositam, id quod verum puto, si privilegium priùs in corpore juris contineatur. V. *n.* 524.

1063. Dixi: *Si priùs privilegium in corpore juris continetur.* Tunc enim præsumitur notum, atque cognitum disponenti sub clausula generaliter abrogante; secùs dicendum videtur, si exigat mentionem specialem; vel dispositio, de cujus abrogatione quæritur, sit specialis; tunc enim non censetur abrogata per aliam constitutionem posteriorem, generalem, etiam cum clausula generali, nisi hæc specificè illius faciat mentionem.

## §. III.

### *De cessatione legis per exceptionem, vel excusationem.*

1064. CErtum est 1. quòd lex aliquando in casu particulari cesset, etsi verba legis istum casum comprehendere videantur, & ille nulla lege positiva exceptus sit, nec à Principe vel Legislatore in illo expresè dispensatum. Cujus ratio est, quia possunt quandoque concurrere tales circumstantiæ, propter quas lex universaliter loquens, nullámque vel exceptionem, vel dispensationem explicans, observari non potest spectata hominum conditione, licèt aliàs sub lege contineretur, spectata verborum universalitate, ut mox dicemus.

1065. Certum est 2. quoties, præter legis universalitatem, non adest aliud argumentum, hunc vel illum casum particularem comprehendi, posse interdum non comprehendi; ita Suarez *de legib. l. 6. c. 9. n. 4.* quia fieri non potest, ut lex humana, universaliter lata, in omnibus particularibus eventibus ita sit recta, quin aliquando à rectitudine deficiat, propter constantem, & frequentissimam rerum humanarum vicissitudinem, cujus omnes particulares eventus legislator humanus prævidere non potuit; nec, esto prævideret, sine gravissimo boni communis incommodo, hoc est, sine maxima legum multitudine, confusione, & prolixitate illas in particulari excipere posset.

Ex hoc duo sequuntur; *unum*, quòd 1066.
nulla lex humana, generaliter lata, possit cum illa generalitate, quam verba exprimunt, *in omni occurrente casu*, obligare; *alterum*, quòd, licèt per verba legis nulla exprimatur exceptio, semper tamen sic exigente rerum humanarum natura, quam emendare legislator non potest, vel subintelligatur, vel ut lex justa, & rationabilis, evadat actu obligans, debeat sub intelligi. Cùm autem hujus explicationis fundamentum desumatur ex cessatione finis motivi, vel (ut alij loquuntur) rationis ipsius legis, controvertitur inter antiquos, & recentiores, utrum sufficiat cessatio ejus negativa, an prærequiratur (ut docet communior sententia) cessatio ejus contraria?

Suarez cit. cum alijs judicat, cessationem negativam non sufficere; quia licèt 1067.
ratio legis in particulari cesset negativè; semper tamen manet aliqua ratio universalior, ob quam expedit, etiam tunc legem observari. 1. quia valde contrarium foret bono communi, si propter illam solam causam obligatio legum cessaret in casibus particularibus. 2. quia partium conformitas cum toto per se est sufficiens ratio servandi legem, ubi & quoties sine gravi incommodo potest observari. Hanc Doctores communiter reputant veriorem, licèt altera, quòd cessatio negativa sufficiat, propter Doctores illam sustinentes, non videatur carere sua probabilitate.

Ex hoc complures inferunt, quòd, li- 1068.
cèt legislator advertat, vel prævideat, finem motivum, aut rationem legis in aliquibus casibus defuturum, possit nihilominus justè omnes indistinctè obligare; quia ratio legis ultimata nunquam videtur adæquatè cessare. Hinc not. juxta primam sententiam, ab universali lege non posse in casu particulari ullam exceptionem fieri, quamdiu in ejus universali observatione non reperitur impedimentum æquitati contrarium.

Contingit autem duobus modis, quòd 1069.
legis universalis in casibus particularibus

obſervatio habeat contrarietatem cum æquitate naturali. 1. Si concurrat cum alia ſtrictiùs obligante ad actum contrarium. 2. Si res præcepta foret nimis gravis, ſeu difficilis. Nam in neutro horum caſu Legislator humanus habet poteſtatem obligandi; *non in primo*; quia contra jus ſtrictius juris minus ſtricti obſervantia eſt iniqua; *non in ſecundo*, quia Legilator humanus non habet jus, præcipiendi nimis gravia, & difficilia, cùm non in omnibus ſit dominus ſuorum ſubditorum. Deus enim, per quem legislatores humani jus dicunt, non dedit illis ampliorem poteſtatem legislativam ſuper homines, ac ſit illa, qua ipſe, in præceptis poſitivis divinis prudentiſſimus Legislator, in hoc rerum ordine, utitur, in quo, cùm ipſe in ſuis poſitivis legibus nimis gravia excipiat, id à fortiori exiſtimandum erit de Legislatore humano.

1070. His addi poteſt tertius modus excipiendi caſum particularem ab univerſali lege; quando ſcilicet, licet non deſit poteſtas præcipiendi, cenſetur tamen ex circumſtantijs ipſe Legislator non præcepiſſe totum, quod potuit, ſed ex benignitate caſus aliquos particulares excepiſſe, ut notavimus *n.* 905. his præmiſſis:

1071. Sequitur 1. quando *certò* conſtat, materiam legis ab eventu accidentali, vel circumſtantia, in aliquo caſu factam eſſe iniquam, ſeu contrariam alteri præcepto ſtrictiùs obliganti, tunc absque recurſu ad Legislatorem, eſto is facilis foret, ceſſare legis obligationem; ratio ſumitur ex *num.* 1069.

1072. Sequitur 2. quando certum eſt, legem non obligare in aliquo caſu particulari, eſto poſſit ſine peccato ſervari, poſſe quemlibet illam propriâ authoritate non ſervare. Nam certitudo talis præſtat firmam conſcientiam de abſentia obligationis. Hinc etiam juxta multos, probabiliter judicans, hunc vel illum caſum particularem ſub lege non comprehendi defectu poteſtatis legislativæ, excuſatur ab ejus obligatione, formidine, quam quævis opinio ſibi conjunctam habet, non obſtante; quod verum eſt, ubi operans judiciô ſubjectivè, ſeu apud ſe probabili, poſt debitam diligentiam, ſic ſe habere, ſibi perſuadet.

1073. Nec in iſto caſu recurſus ad Superiorem, licèt facilis, eſt neceſſarius; cùm non agatur de ipſius voluntate, ſed poteſtate legislativa, quam non tenemur accipere ab ejus judicio, ſed poſſumus uti principijs Theologiæ, & Juris, in ea cognoſcenda; quod conſtat ex eo, quia hæc praxis ſolet in legibus Pontificijs obſervari. Nam licèt Pontifex, à nobis conſultus, poſſit nobis ſuam mentem declarare; tamen quamdiu hæc non facit, nos non tenemur de ejus poteſtate in hoc, vel illo caſu particulari illum conſulere, ſed poſſumus, & quotidie utimur in ea cognoſcenda regulis doctrinalibus.

Si autem dubitetur, an caſus particularis occurrens ſub lege comprehendatur? recurrendum aliqui cenſent ad Superiorem, ſi poſſint, pro diſpenſatione; ſi autem recurſus ſit impeditus, obligabitur ſubditus juxta probabilem ſententiam ad obſervantiam legis, quia pro lege promulgata, & legitimè acceptata, atque ex materia præcepta extra caſus quosdam particulares, pro ſubditorum ſtatu univerſaliter juſta, in ſenſu compoſito dubij, videtur ſtare poſſeſſio. Sed contraria multorum opinio non caret probabilitate, tam intrinſeca, quàm extrinſeca, eò quòd in dubio poteſtatis videatur poſſeſſio ſtare pro libertate; ita P. Herdinck *in M. S. de legibus.* 1074.

Sequitur 3. in caſu, quo exceptio fundatur in mera Legislatoris benignitate, ſi de illa probabiliter conſtet, & vel propter periculum in mora, diſtantiam loci, aut ſumptûs ſine gravi incommodo ad eum non patet recurſus, poſſe quem exceptione uti, non conſulto Legislatore; quia judicium probabile in rebus moralibus, etiam in hoc caſu, quando voluntas Superioris moraliter cognoſci non poteſt, ſufficit ad prudenter operandum. 1075.

Secùs autem, ubi nullum eſſet periculum in mora, & recurſus ad Superiorem pateret, judicat Suarez, judicium illud probabile non ſufficere. Quia quando certum eſt, legem poſſe ad caſum occurrentem obligare, & ſolùm probabile eſt, quòd benignitas Legislatoris illum exceperit, ſtandum eſt pro actuali obligatione, quam verba ſufficienter exprimunt, quousque de alia Superioris mente non conſtiterit. 1076.

Sed his non Obſtantibus Sebaſtianus Saccus *l. 1. ſuæ Theol. moral. c. 8. de legib.* docet, 1077.

docet, etiam in dato casu sufficere judicium probabile de mente Legislatoris. Et ideo pro hac sententia citat Sanctarellum *p. 1. variar. resolut. q. 59. n. 4.* Lorcam *tom. 1. D. 39. membro 2.* Alvarez *D. 80.* Idem tenet Pasqualigus *D. 58. de stat. hominum*, §. *Tertia* citans pro se Navarrum *in Manuali.*

## §. IV.

### *De cessatione legis per cessationem causæ finalis.*

1078. ANte resolutionem not. duplicem finem in lege attendi posse. Unum intrinsecum, alterum extrinsecum. *Finis legis intrinsecus* est ipsa res præcepta. Sic finis intrinsecus legis præcipientis dilectionem Dei, est dilectio Dei; finis intrinsecus legis prohibentis mendacium, est omissio mendacij. Nam posita dilectione Dei, primæ legi; posita omissione mendacij, secundæ adæquatè satisfit. *Finis extrinsecus* legis est ille, propter quem talem actionem, quæ est finis intrinsecus legis, Legislator præcipit, vel prohibet. Sic cùm lex præcipit eleëmosynam, legislatore intendente, ut satisfacias pro peccatis, finis legis *intrinsecus*, est largitio eleëmosynæ; *extrinsecus*, satisfactio pro peccatis.

1079. Not. 2. quòd Legislatores quandoque, præter finem intrinsecum legis, quærant alium; quandoque solùm finem intrinsecum legis; adeóque finem intrinsecum legis interdum conjungi cum alio fine extrinseco, aliquando non. Ut autem cognosci possit, quando id contingat, hæc regula traditur à Castropalao *P. 1. tr. 3. D. 5. p. 1. n. 2.* quòd, ubi materia legis est de se honesta, & expetibilis, finis intrinsecus legis non habeat conjunctum alium extrinsecum à Legislatore intentum, nisi hoc expresè constet; secùs, si id constet, aut materia legis de se non sit honesta. Nam in dubio, vel incerto, legis obligatio extendi non debet; quia *lex id noluisse præsumitur, saltem non voluisse, cùm facilè id exprimere potuisset, & non expressit*, ut ait Menochius *consil. 30. n. 8.* quia *quod lex non dicit, non est ab homine præsumendum.* L. *dissentientis*, C. *de repud. c. Illa, Ne sede vacante;* &, *lex si voluisset, expressisset*, ut dicitur c. *ad audientiam, 2. de decimis, c. 2. de transact.* L. *unis ca* §. *sin autem*, C. *de caduc. tollend.* quibuspositis:

1080. Communis doctrina est, quoad legis perseverantiam, vel cessationem semper attendi finem intrinsecum legis, sic, ut eo stante, stet; eo cessante, cesset lex; ita Suarez *de legib. l. 6. c. 9. n. 9.* Azor *p. 1. l. 5. c. 16. q. 15.* Salas *D. 11. de legib. S. 3. n. 34.* Bonacina *D. 1. q. 1. p. ult.* §. *2. n. 1.* & alij. Aliàs enim homines, qui carnem suam habent debitè subjectam spiritui, non tenerentur ad jejunium; nam si lex cessaret, cessante fine solùm extrinseco, etiam stante intrinseco, cùm is est honestus, non foret, unde illi obligarentur; tali autem casu eos non obligari lege jejunij, nemo dicit; ergo. Et ratio est, quia legis existentia essentialiter pendet à fine intrinseco legis, ut tenet communis.

1081. Quæstio nunc est 1. an cessante *adæquato fine legis*, propter quem aliquid præcipitur, vel prohibetur, eo ipso etiam cesset lex, ac ejus obligatio? Commune juris axioma est, quòd *cessante legis ratione cessat quoque ejus dispositio.* L. *in omni, ff. de adoptionibus*, L. *quod dictum, ff. de pact. c. Etsi Christus, de jurejurando*, & passim alibi, prout videri potest apud Barbosam *de axiom. juris usu frequentat. axiom. 36. n. 9. & seq.* Verùm hoc ipsum non eodem modo recipitur. Nam aliqui volunt id procedere, si cesset *contrariè*; non autem si merè *negativè*, ut constat ex *n.* 1067. aliqui, sive cesset hoc, sive illo modo: alij, quòd non procedat, quando agitur de lucro captando, &c. de quo videatur Barbosa *cit.*

1082. Et quamvis Castropalaus *cit. n. 4.* doceat, sententiam affirmativam (quòd cessante tota causa finali, ob quam res præcipitur, cesset lex, & ejus obligatio) esse communem; dubitari tamen potest, an loquatur *de causa finali legis intrinseca? an extrinseca?* pro resolut. not. quando dicimus finem intrinsecum legis esse materiam præceptam, ipsam nimirum actionem, vel omissionem, de qua lex directè loquitur, debere considerari non secundùm se, sed secundùm *convenientiam, quam habet ad bonum commune.* Hinc materia legis (consequenter finis ejus intrinsecus) non est utcunque actio, vel omissio

missio, aut res præcepta, vel prohibita; sed *secundùm quod est conveniens, vel necessaria ad finem boni communis*, quem omnis lex propriè dicta respicere debet, ut constat ex dictis *à n. 91. & seqq.* Ex hoc colliges, *tunc negativè cessare* totam causam finalem legis, quando id, quod præceptum, vel prohibitum est (consequenter quando finis intrinsecus legis perdit convenientiam, seu conducentiam, & necessitatem ad finem boni comunis, adeóque si nec utilis, nec necessaria foret) si autem evaderet etiam noxia, vel damnosa (quod facilè fieri potest, mutatis rerum circumstantijs, ut est manifestum ex pluribus legibus propterea nunc abrogatis) *cessare contrariè;* quibus positis:

1083. Resp. sive negativè, sive contrariè cesset adæquatus finis intrinsecus legis, eo ipso etiam cessare legem, ac ejus obligationem. Nam lex naturâ suâ debet directè ordinari in bonum commune; ergo ubi res sub lege directè posita, vel negativè, vel contrariè perdit conducentiam, & necessitatem relatè ad bonum commune, nequit esse directè ordinata (ordinatione rationabili) in bonum commune, consequenter nequit esse justa, juxta *n.* 88. consequenter nec lex. Et hoc ad minimum evincunt jura *n.* 1081. relata.

1084. Quia tamen res præcepta, vel prohibita, potest habere multiplicem convenientiam ad bonum commune, quin propterea ex qualibet lex constituatur à Legislatore, ideo, cùm dicimus legem cessare, cessante convenientia ad bonum commune, *de illa convenientia intelligendum est*, quæ consideratur *ad finem boni communis intentum à Legislatore, non autem ea, quæ intenta non fuit.* Sic, cùm quis vovit non adire talem domum, in quantum hujus evitatio conducit ad declinandum periculum, quod intranti eam vel semper, vel ferè semper impendebat; si desinat ex toto tale periculum, desinit quoque materia voti secundùm convenientiam intentam per votum, atque adeò ipsum votum. Nam cessante causa cessat effectus, ut dicitur c. *cùm cessante, de appellat.*

1085. Not. autem, debere intelligi, quando tota finalis ratio legis *absolutè* cessat; cùm enim tota ratio, propter quam cessante tota ratione legis dicitur cessare lex, sumatur ex eo, quòd tali casu lex foret inutilis, nimirum negativè, seu non utilis, aut non necessaria; vel contrariè, nimirum plùs noxia, quàm proficua, nisi talis sit absolutè, non cessàbit absolutè; sed solùm pro ea circumstantia, pro qua talis est, quo casu potiùs erit suspensa, quàm sublata. Censeri autem potest cessare absolutè, quando sic evadit inutilis, vel minùs utilis, ut sub ijsdem circumstantijs, sub quibus est, de novo constitui non posset.

Altera quæstio est, an cessante finali causa legis in particulari casu circa aliquam personam particularem eo ipso etiam cesset lex in tali casu, & quoad talem personam? v.g. prohibetur gestatio armorum ad vitandas rixas; Titius est homo planè pacificus, in quo nec sit umbra periculi rixarum; quæstio est, an quoad Titium lex illa prohibens armorum gestationem cesset, nec illum afficiat? in hac quæstione duplex est sententia. Prima est affirmantium, sed hoc discrimine, quòd aliqui sine distinctione affirment generaliter, cessante legis ratione in particulari, cessare legem; sic Panormitanus, c. *quoniam, de probat. n. 6.* maximè c. *quia in Insulis, de Regularibus*, cui favet Sylvester V. *Lex, q. 8. & 9.* Angelus *ibid. casu 7. n. 4.* potissima ratio est, quia ratio legis est anima legis; ergo sicut cessante ratione legis generaliter, cessat lex generaliter; sic cessabit in particulari, ubi legis ratio cessat in particulari. Alij affirmant, quoties aliqua lex condita est ad evitanda inconvenientia, quæ illâ seclusâ sequerentur; secùs verò, si propter bonum aliquod Reipublicæ. Nam in hoc casu volunt non cessare legem in particulari, etiamsi cesset in casu particulari finis per eam legem quæsitus, modò stet alius, ex quo honestetur; sic expressè Cajetanus, Navarrus, Henriquez, Lopez, Saa, & alij apud Castropalaum *P. 1. tr. 3. D. 5. p. 1. n. 9.* 1086.

In hac quæstione videtur distinguendum. 1. an quæstio procedat de cessatione finis negativa, vel contraria? 2. an lex fundetur in præsumptione facti, an communis periculi? Et quidem, si loquamur de cessatione contraria (quàm exposuimus *n.* 1082.) etiam solùm in casu, & persona particulari, videtur omninò dicendum, etiam cessare legem in tali casu, & persona particulari; cujus ratio constat ex *n.* 1083. Deinde, si lex fundatur in præsum- 1087.

ptione

ptione facti, hoc deficiente, sive negativè, sive contrariè in casu & persona particulari, cessat quoque lex in tali casu, & persona particulari, cujus ratio est ex *n.* 247. Si autem fundetur in probabili seu communi periculo, esto in aliqua persona particulari cesset tale periculum; quia tamen non cessat commune periculum, quod evitare intendit lex; non propterea cessabit lex in persona particulari, ex hoc præcisè; quòd in ea negativè cesset tale periculum, ut constat ex *n. cit.* & ita tenet Castropalaus *cit. n.* 10. ac apud eum Suarez *l. 6. de legib. c. 7. à n. 5. & toto c.* 8. Sanchez *l.* 3. *D.* 3. *n.* 39. Bonacina, Salas, & alij. Contraria sententia videtur supponere rationem legis esse periculum talium inconvenientium *in hac, vel illa persona*, adeóque periculum *particulare*; sed hoc suppositum non subsistit.

1088. Prob. nam contraria sententia vult cessare legem in persona & casu particulari; *quia in tali persona, & casu particulari cessat ratio legis, seu periculum eorum inconvenientium, propter quæ cavenda condita est lex*; vel ergo volunt in persona particulari cessare periculum *particulare*, vel *commune*? sed neutrum dici potest; si enim dicunt primum, falluntur in supposito, quòd particulare periculum sit ratio talis legis; si secundum, falluntur, quòd cessante periculo alicujus mali in persona particulari, cesset esse periculum *commune*; ut per se patet; ergo. Sic ex eo, quòd Titius ante decimum sextum ætatis annum habeat maturitatem etiam majorem, quàm multi etiam post annum 18. &c. non sequitur quoad eum cessare legem irritativam professionis factæ ante legales annos; quia per hoc non cessat commune periculum, quod jus præsumit de insufficientia maturitatis judicij ad se perpetuò obligandum in tali statu; & sic in multis alijs.

## §. V.

### *De cessatione legis per desuetudinem.*

1089. ANte resolutionem not. inter *desuetudinem*, & *consuetudinem* legi contrariam, esse differentiam, prout constabit ex *n.* 1648. quòd hæc sit, quando per frequentiam actuum fit contra legem; illa verò, quando lege non utimur. Est tamen non usus alius merè privativus, & contingens urgente, vel non urgente lege; alius necessarius. Per *non usum necessarium* non cessare legem, constat ex dict. *à n.* 187. idem est de non usu merè privativo non urgente lege. Loquimur ergo de desuetudine sumpta, non pro mera non acceptatione legis (hæc enim differt à desuetudine, secundùm dicta *n. cit.*) sed sumpta pro non usu, urgente lege.

Desuetudine porro legitimè completa, 1090.
seu perfecta, posse cessare legem, constat ex *n.* 189. quid autem requiratur ad hoc, ut perfecta sit, & legitimè completa, dictum est *à n. jam cit.* Et ideo, cùm quæritur, an ad legem substantialiter pertineat, quòd acceptetur, vel in usum deducatur à populo? respondetur, non requiri, *ut constituatur*, & obligationem inducat; secùs, *ut cæptam obligationem continuet*, prout exposuimus *à n.* 185. & ineptè tunc, cùm urget lex, allegari, legem non esse acceptatam, vel in usum deductam, nisi priùs desuetudo perfecta sit, & ut talis allegari possit, de quo V. *n.* 223. *& seq.* Qualiter autem cesset, vel abrogetur lex per consuetudinem, dicemus *tit. de Consuet.*

## §. VI.

### *De cessatione legis per interpretationem.*

*INterpretatio* legis propriè non tollit, 1091.
sed solùm explicat legem in eo, quo ambigua, vel obscura erat. Si enim loquimur de interpretatione authentica; hæc solùm statuit, sub quo sensu verba legis accipienda sint, & lex observanda, quo lex non tollitur, aut cessat, nisi quoad sensum, authenticæ declarationi oppositum, vel ambiguum, quem quoad subditos ante habebat; si autem loquimur de merè doctrinali; hæc vim legis tollendæ, propriè loquendô, non habet; sed (si requisitis nitatur fundamentis (solùm fundandi apud alios judicium subjectivè probabile, quo scilicet apud se prudenter judicent, lege non comprehendi hunc, vel illum casum, hanc vel illam personam in talibus determinatè circumstantijs; consequenter se hìc & nunc licitè id agere, quantum est vi talis legis, quin culpam

imputabilem contrahant; cùm ponantur operari ex conscientia nixa prudenti, ac rationabili fundamentô, inculpatè per judicium intellectûs sui approbato. Interpretatio igitur non tollit obligationem legis, sed declarat solùm legem in hac circumstantia obligare, vel non obligare; & de hac materia V. *dicta à n. 910.*

## §. VII.

## *De cessatione legis per derogationem.*

1092. *Derogatio* legis est ablatio legis in perpetuum, quoad partem, non in totum. Communis regula est, quòd *posterior lex Principis deroget priori, in quantum ei contraria est, licèt id non exprimat*, ut habetur *c. 1. de Constitut. in 6.* ibi: *Licèt Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendô posteriorem (quamvis de ipsa mentionem non faciat) revocare noscatur*: quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & statuta, cùm sint facti, & in facto consistant, potest probabiliter ignorare, ipsis (dum tamen sint rationabilia, per constitutionem noviter à se editam, nisi expressè caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare, Not. autem si posterior priori in totum est contraria, priorem *abrogari*; si solùm in aliquo, ei quoad illud *derogari* per posteriorem. Hinc derogatio non fit, nisi ad contraria, ut ex cit. c. colligit Fagnanus c. *Tuarum, de privileg. n. 48.*

1093. Ex hoc deducitur, quòd in Principe censeatur esse notitia omnium jurium, sive legum communium. Hinc eum non excusat error, sive ignorantia juris, ut dicitur *c. 1. cit.* & habetur etiam L. *omnium*, C. *de testamentis.* Quare hoc ipso, quòd condat novam legem priori contrariam, hæc vel abrogatur, vel derogatur, si prior sit ex jure communi. Hæc regula ampliari debet, ut procedat in statutis novis, quæ contrariantur prioribus à Magistratu conditis, ut notat Layman *in cit. c. 1. n. 5.* Deinde etiam, ut rescriptum posterius deroget priori, secundùm quod ei contrariatur. Tertiò in consuetudine generali, cui derogat specialis, ex eadem ratione, teste Layman *cit. n. 6.* Quartò in statutis conditis secundùm jus commune, cui constitutione posteriori derogatur; sic Azor *p. 1. l. 5. c. 26. q. 17.*

Econtra rursum limitatur, ut non procedat quoad decreta Concilij generalis, ubi 1094. requiritur eorum expressa mentio, de quo V. *dicta à n. 521.* Limitatur 2. quoad statuta particularia locorum, & personarum. Idem dic de similibus consuetudinibus ex *n. priori*; excipe, nisi conditæ sint secundùm jus commune, cui per legem posteriorem derogetur, ut notatum *in num. præced.* vel suæ legi generaliter latæ Princeps adjiciat clausulam: *non obstante quocunque statuto, aut consuetudine in contrarium*; ita Gail *l. 2. observ. 18. n. 1.* Limitatur 3. ut non procedat in legibus anterioribus, quæ ad sui ab-vel derogationem exigunt specificam, & expressam sui mentionem. Hinc illis non derogat lex posterior, vel nullam eorum mentionem, vel tantùm generalem faciens, sub clausula scilicet communi, *non obstante quacunque constitutione contraria.* Quia, cùm Princeps censeatur habere notitiam legis anterioris, non censetur ei velle derogare per subsequentem dispositionem nisi cum clausula, quam lex anterior ad ejusmodi effectum requirit.

Præter assignatam regulam de lege, seu 1095. constitutione derogante, afferri solet etiam alia, de qua Barbosa in jurisprudentia brocardica, seu axiomatica fusè agit *l. 5. c. 5. axiom. 4.* & est hæc: *generi per speciem derogatur*; & habetur in utroque jure, L. *in toto Jure, ff. de reg. juris* L. *Sanctio, ff. de pœnis, c. 1.* & c. *pastoralis, de reg. juris in 6.* Sensus est, quòd *constitutio specialis deroget constitutioni generali.* Sic mandatum speciale derogat generali, non econtra. Circa hanc regulam not. eam primò procedere in omni materia; sic Cardinalis Tuschus *practic. conclus. tom. 4. lit. G. conclus. 16. n. 1.* Deinde ut etiam procedat in legatis; sic Barbosa *loc. cit.* quod etiam verum est in fidei commissis, institutionibus, substitutionibus, & in omni ultima voluntate, item in legibus, statutis, consuetudinibus, compromissis, judicijs, rescriptis, mandatis, & in omni actu, materia, & dispositione. Tertiò, sive genus præcedat, sive sequatur, L. *Servo, 15. ff. de pecul. leg.* & Bald. in L. *toto jure, ff. de reg. juris n. 7. & 14.* hinc in probationibus, *probatio in specie delicti prævalet proba-*

*probationi in genere*, v. g. quòd accusatus sit bonæ famæ, &c.

1096. Not. 2. eandem regulam limitati, ut non procedat. 1. Quando genus, & species se invicem compatiuntur; Bartolus L. *Servo, ff. de peculio leg.* Ratio est ex *num.* 1092. 2. Quando genus, & species apponuntur favore ejusdem personæ; Tuschus *cit. conclus.* 36. *n.* 79. 3. Quando species præcisè accedit generi. Nam prorogato genere prorogatur species; Tuschus *cit. n.* 80. 4. In jurisdictionibus, quia si datur in genere, & in specie, potiùs concessa censentur cumulativè, quàm derogativè; ita Tuschus *cit. n.* 102. 5. In generalibus literis gratiæ ad beneficia. Nam his non derogatur per speciales posteriores, quando per generales est jus quæsitum; secùs si effectus penderet ab eventu incerto; ita Tuschus *cit. n.* 101. 6. In diversis dispositionibus diverso tempore factis; vel quando specialis provisio ad diversum tendit finem, Barbosa *cit. limitat* 8. 7. In privilegijs; quia per privilegium speciale non derogatur generali; intellige in totum, & nulla facta mentione privilegij generalis; ita Sylvest. *in Summa* V. *privilegium q.* 10. ex c. *dudum*, §. *nos igitur*, & c. *quamvis tibi*, *de præbend. in* 6.

## ARTICULUS XVII.

### *De activa dispensatione legis.*

1097. POtiorem hujus materiæ partem dedimus *l.* 4. *decret. q. ult. p.* 2. ubi actum est de dispensationibus in impedimentis canonicis conjugiorum. Unde in præsenti ea duntaxat insinuabimus, quæ inibi jam tradita sunt, exposituri reliqua ibidem prætermissa; est autem hìc quæstio, penes quem sit potestas dispensandi in lege, vel jure, proprio, vel alieno?

### §. I.

### *Quid sit dispensatio legis, & quis ejus effectus?*

1098. *Dispensatio*, prout hìc accipitur, *est juris alicujus relaxatio*, seu alicujus exemptio à legis obligatione, ut colligitur ex c. *de multa*, c. *Si qui*, 1. *q.* 7. & ideo vocatur *moderatio canonum*, c. *Ipsa pietas*, §. *si inquirat*, 23. *q.* 4. Ex quo sequitur, *dispensare* hìc idem esse, ac *aliquem solvere ab obligatione legis, seu juris.* Et quia fieri potest, quòd quis solvatur ab obligatione juris etiam municipalis, dispensatio non bene restringitur, ut sit solùm relaxatio *juris communis*, de quo plura *l.* 4. *decretal. à n.* 2010.

Effectus autem dispensationis est, ut, 1099.
quod de jure est illicitum, dispensatione fiat licitum. Hinc dispensatus in aliqua juris inhabilitate, fit habilis, æquè ac habilis naturaliter, seu habilis de jure communi. Nam fictio juris tantùm operatur in casu ficto, quantùm veritas in casu vero, L. *Filio, ff. de lib. & Posthum.* & factum *civiliter* eundem habet effectum, quem factum *naturaliter*, L. *fin. ff. mandat.* L. *Si mater*, C. *de justit.* Qualiter autem dispensatio differat à privilegio, legis interpretatione, irritatione, abrogatione, ac derogatione, diximus *l.* 4. *à n.* 2012.

Præter hæc not. 1. aliud esse dispensare 1100.
*in lege propria*; aliud, *in voto, & juramento.* Nam dispensatio in votis aut juramentis nec validè fieri potest sine justa causa; secùs dispensatio in lege propria, ut dicemus *n.* 1127. deinde in lege propria dispensat Pontifex nomine suo; in votis nomine Christi, cujus vices agit, ut sentiunt complures; esto aliàs non sit dispensatio, saltem directa in jure divino, sed directa tantùm interpretatione, vel subtractione materiæ, ut alibi diximus. 3. votum etiam voventis authoritate commutari potest, si priori materiæ substituat aliam meliorem in ordine ad Dei cultum, & animæ suæ salutem; subditus autem legem commutare nequit.

### §. II.

### *An in jus naturale, & divinum cadere possit dispensatio?*

QUæstio 1. est, *an dispensari possit in* 1101.
*jure naturali divino?* Resp. nullam dispensationē, propriè dictam, posse cadere in jus naturale divinum præceptivum, vel prohibitivum; ita Suarez *l.* 2. *de legib. c.* 14. *n.* 5. Nam ea, quæ naturali jure præcepta sunt, habent conformitatem; & quæ prohibita, difformitatem *necessariam cum recta ratione*; ergo sub ijs circumstantijs,

stantijs, sub quibus sunt sub jure naturali, id quod præceptum est, nequit fieri non præceptum; & quod prohibitum, fieri non prohibitum; quod tamen evenire deberet, si cadere posset sub dispensationem. Et ideo, cùm dicitur: *quilibet Legislator in lege sua dispensare potest vel per se, vel per alium*, ad summum obtinet in lege *positiva*, sed non *necessaria*, seu *naturali*, de quo plura V. *l. 4. decret. à n. 2015.*

1102. Quæstio est 2. *an in jus positivum divinum cadere possit dispensatio?* de dispensatione, quam facit ipse Deus, vel alius ejus nomine, non est dubium; sed difficultas est, an alicui hominum Deus communicaverit potestatem, suo (nimirum Dei) nomine, dispensandi in jure divino positivo? plures tenere affirmativam diximus *l. 4. n. 2020.* probabiliorem tamen ibidem *n. 2021.* diximus negativam, nisi in casu pro quo habetur Dei revelatio, vel Ecclesiæ authoritas, pro tali concessione summo Pontifici facta. Cujus probationem, & contrariorum solutionem dedimus *loc. cit. à n. n. jam citato.*

## §. III.

### *An, & qualiter Legislator dispensare possit in legibus à se conditis? aut inferior in lege Superioris?*

1103. DE hac quæstione plura dedimus *lib. 4. decret.* ubi ad 1. quæstionem respondimus, posse, nisi affectæ sint majori vinculô, ut ibidem exposuimus *à n. 2030.* ubi etiam retulimus casus, pro quibus ea potestas limitatur. Ad 2. quæstionem respondent aliqui, posse inferiorem dispensare in lege Superioris *non reservata, quoties ei non est interdictum*; sed *l. 4. à n. 2034.* tanquam probabilius amplexi sumus, id inferiorem non posse, nisi expresè, vel tacitè illi concessum sit à Superiore; ubi pariter hujus opinionis attulimus probationes, & contrariorum solutionem. Quando autem censeatur inferiori tacitè concessum, ut dispensare valeat in lege Superioris, ibidem attulimus *à n. 2038.* quid verò possit inferior in lege Superioris in dubio, vel casu urgentis necessitatis? constat ex *dict. ibid. à n. 2043.*

# ARTICULUS XVIII.

## *De passiva dispensatione legis.*

QUæstio est, circa quos potestas dispensandi exerceri possit? communis responsio est, eam exerceri circa subditum. Nam actus dispensationis, seu exemptionis ab obligatione legis, non minùs est actus jurisdictionis, quàm condere legem, & obligationem, lege inducta, imponere; eo ipso autem importat inferente legem, vel dispensante superioritatem, & ih obligando, vel dispensando subjectionem. Difficultas est, an quilibet possit se subjicere, seu inducere in se subjectionem, ut vi ejus ab illo, cui se subjicit, relaxari, aut dispensari possit in lege? 1104.

## §. I.

### *An quilibet Superior secum dispensare possit?*

QUæstio est 1. an secum dispensare possit in lege propria? hæc quæstio pendet ab ista, *an Legislator ligetur legibus à se conditis?* Ad hanc quæstionem respondimus superiùs *à n. 551.* ubi diximus Legislatorem non ligari suis legibus quoad vim coactivam, sed solùm directivam, non in vi talis legis, sed in vi circumstantiæ, qua posita subintret jus naturæ, adstringens illum gubernare subditos etiam exemplô. Ex hoc respondetur, posse Superiorem dispensare secum solùm indirectè in lege propria, tollendô scilicet illi comprehensionem suæ personæ (hoc enim pendet ab ejus voluntate) consequenter faciendô, ne sublatâ circumstantiâ, à qua pendet, lex naturæ subintret. 1105.

Quæstio est 2. an Superior secum dispensare possit in lege Superioris, super his, in quibus potest cum subditis, ex potestate sibi, & officio suo à Superiore commissa? R. posse, nisi expresè prohibeatur. Hanc potestatem Superior subordinato non tantùm quoad suos subditos, sed etiam quoad suam personã concedere potuit; & sic factum esse, ubi non est expressa prohibitio, rationabiliter suadetur ex eo, ne Superiores deterioris conditionis dicantur, quàm subditi; ita Sanchez *l. 8. matr. D. 3. n. 9.* Suarez *l. 6. de legib. c. 12. n. 12.* 1106.

*n.* 12. & alij. Hanc doctrinam cum citatis Authoribus Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 6. p. 7. §. 1. n. 3.* extendit ad Prælatos Regulares, cujusmodi sunt Generales, Provinciales, Priores, Rectores, Vice-Rectores, & qui illorum vices in absentia gerunt; eò quòd hi omnes, in suos subditos jurisdictionem habeant quasi Episcopalem, subjungens, hanc esse expressam sententiam D. Thomæ 2. 2. *q.* 185. *a.* 8. Et ratio est, quia nullo jure cautum est, ne Superior secum dispenset in his, in quibus potest cum subditis, quando id expresè illi non est prohibitum.

1107. Dices: nemo in se ipsum potest jurisdictionem exercere, & sibi ipsi subjici; at dispensatio est actus jurisdictionis; ergo. maj. prob. 1. ex c. *Per nostras, de jure patronat.* ibi: *nullus se ingerere debet Ecclesiasticæ prælationis officiis.* 2. ex c. *fin. de Institutionibus*, ubi dicitur, quòd, qui beneficiũ conferre potest, *non possit se ipsum instituere, cùm inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personarum.* 3. ex Clement. II. *de reb. Eccles. non alienand.* ubi valet unio facta *alteri Ecclesiæ* de consensu Episcopi, & Capituli; non autem facta *ipsi Capitulo*, eò quòd in propria causa nemo sibi jus dicere possit. 4. denique quia *nec tutor in rem suam author fieri potest*, ut dicitur L. 1. *ff. de authorit. & consensu tutor.* 5. denique, quia aliàs secum dispensare posset in censuris à se contractis.

1108. Ante responsionem not. nos non dicere *indefinitè*, Superiorem posse omnia circa se, quæ potest circa subditos suos, sed solùm, ipsum posse dispensare secum *in lege Superioris*, in qua potest cum suis subditis; quod etiam extenditur ad vota, & juramenta, propter eandem rationem, quam attulimus *n.* 1106. Not. 2. jurisdictionem esse multiplicem; unam contentiosam, de qua *n.* 98. & hæc porrigitur ad diversos actus, à quibus denominatur, qualis est *legislativa, coactiva, judicialis* inter partes, decidendô causas, ferendô sententiam condemnatoriam, vel absolutoriam &c. quibus positis: Resp. ad object. cum dist. maj. nemo in se ipsum potest jurisdictionem *contentiosam* exercere, C. maj. *voluntariam*, N. maj. universaliter; dist. min. sed dispensatio in lege, voto, vel juramento, est actus jurisdictionis *voluntariæ*, C. min. *contentiosæ*, N. min. & conseq. dixi *N. maj. universaliter*; quia concedo, quòd nemo in se ipsum exercere possit jurisdictionẽ *etiam voluntariam*, quando materia est ambitiosa, & fraudibus subjecta, cujusmodi sunt casus, de quibus procedunt jura pro majoris probatione allata, ut mox dicemus. Quare

Ad c. *Per nostras, de jure patronatûs.* 1109.
Bz. verum esse, quòd actus *præsentationis*, qui competit Patrono, sit actus jurisdictionis voluntariæ; & tamen nullus se præsentare possit ad personatum alicujus Ecclesiæ, quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studijs, & meritis adjuvetur, ut expresè dicitur in texu *c. cit.* sed hoc nihil est contra id, quod asserimus. Nam 1. actus hìc prohibitus non est *dispensatio in lege*, de qua procedit conclusio nostra. 2. quia casus hujus capituli est *in materia ambitiosa*, ut expresè notat gloss. *in cit. c.* V. *Ingerere*, quæ intervenit in immodico appetitu honoris, potestatis, vel dignitatis, non attendendô ad alios; cui sæpe miscetur cupiditas, quæ est in lucris terrenis, ut notat Pereyra *in Elucid. n.* 1524.

Ex hoc sequitur, cùm in ejusmodi ma- 1110.
teria, ad exercitium jurisdictionis voluntariæ Ecclesia petit *realem distinctionem personarum dantis, & accipientis*; id non esse ex natura rei, cùm in multis sufficiat distinctio juridica, qualis fuit in Christo satisfaciente pro peccatis nostris Deo; idem enim Christus erat, qui satisfecit, quatenus voluntariè in se suscepit onus solvendi debitum ex offensa Dei contractum ab hominibus; & simul fuit is, cui satisfactio dari debuit, nempe Deus: sed solùm esse constitutione Ecclesiæ, cavere volentis ambitionem, & terrenorum cupiditatem, prout colligitur ex *c. in scripturis*, 8. *q.* 1. & *c. Si is, qui*, 1. *q.* 6.

Ad c. *fin. de Institut.* Bz. C, quod ibi 1111.
dicitur, *Custodem*, postquam electus fuit ad Abbatiam tunc vacantem, non potuisse de jure retinere *custodiam*; causam reddit in textu Pontifex; *quia donare custodiam*, seu officium custodis *in ea Ecclesia pertinebat ad ipsum Abbatem*, quo casu si Custos, factus Abbas, adhuc retinuisset custodiam, idem sibi ipsi donâsset, quod fieri non potest; unde factum, quòd in tali casu requiratur inter donantem, & accipientem distinctio personalis.

1112. Resp̃onderi etiam potest cum Abbate in cit. c. *Ad nostras*, *n.* 5. & c. *Ex literis*, *de probat. à n.* 11. assignatam à Pontifice rationem in hoc textu, *quòd debeat esse personalis distinctio inter dantem, & accipientem*, non esse generaliter accipiendam; sed tantùm *in ea materia beneficiorum*; cùm non sit conveniens, ut Prælatus, beneficiorum distributor, sibi ipsi conferat, tum ad cavendam terreni lucri cupiditatem; tum beneficiorum in una persona pluralitatem; cùm per hoc divinus cultus diminuatur. Eandem solutionem habet id, quod adducitur ex cit. Clem. II. & L. 1. loquitur enim solùm *in certa*, *non autem ea materia*, de qua in præsens quæstio est. Ad hoc autem, quod in fine object. *n.* 1107. dicitur, sequi, quòd Superior valens subditos suos liberare à censuris, etiam posset se ipsum. R. N. seq. nam censuræ tolli non possunt nisi *absolutione*; absolutio autem est quædam *sententia*, *& actus jurisdictionis contentiosæ*, quæ non exercetur in se ipsum, sed in alium; nemo enim à se ipso cogi, sententiari, absolvi, aut condemnari potest.

1113. Instabis: ergo saltem se absolvere poterit ab irregularitate, depositione, & alijs inhabilitatibus, à quibus potest suos subditos. R. cum distinctione, & concedo illatum, quando ea, de quibus loquitur, sunt ab ipso jure non præcisè ad Prælatos restricta; non autem, quando sunt per sententiam ab homine, vel à jure tantùm pro Prælatis. Ratio primi est, quia altior Superior potuit subordinato committere vices suas, ut cum suis subditis, & secum ipso dispenset in omnibus pœnis, & irregularitatibus, quæ sunt à jure communiter, hoc est, non præcisè ad Prælatos restrictæ; & ne deterior sit subditis, sic concessisse meritò præsumitur. Ratio secundi est, quia præsumi non potest potestas Prælatis ab altiori Superiore commissa, quòd Prælatus immediatè, aut mediatè per alium à se electum, possit se liberare à pœnis præcisè restrictis ad Prælatos; ex hoc enim ei negato non evaderet deterior subditis quoad communem favorem; imò probabilius est, nec commissam illis potestatem dispensandi cum subditis in his, quæ per sententiam specialiter latam ab homine incurruntur; cùm hoc obstet virtuti coactivæ, quam habet imponens ejusmodi pœnas, quin communiter eam alijs committant.

Ad id, quod dicitur, neminem sibi subjici, quod tamen fieri deberet, si Superior secum ipso dispensare posset in aliquo. R. id fallere quoad actus jurisdictionis voluntariæ, ut præmissum est; nec universim procedere spectatâ naturâ rei; sed solùm in certis casibus; in alijs autem solùm dispositione juris. 1114. Deinde ad summum sequitur, quòd Superior, & subditus, dans, & accipiens, in casu præsentis controversiæ non possit esse idem realiter, & juridicè; secùs, idem realiter, sed non juridicè. Nam Superior liberans communitatem aliquam, seu dispensans in aliqua lege, potest eo ipso etiam gaudere tali dispensatione, tanquam pars communitatis dispensatæ; & tamen in quantum dispensans, & dispensatus, est idem realiter, sed non juridicè. Sic, cùm Episcopus in sua diœcesi dispensat cum communitate, ut non teneatur jejunare in pervigilio S. Mathiæ, incidente in feriam tertiam dierum antecineralium, & satisfaciat Sabbatho antecedente Dominicam Quinquagesimæ, licitè non jejunet cum dicta communitate illâ feriâ tertiâ; quia in quantum pars communitatis dispensatæ non consideratur ut Superior communitatis.

## §. II.

### *An, & qualiter Superior loci dispensare possit cum vagis, & forensibus?*

1115. DE vagis communis tenet, eos posse dispensari ab eo loci Superiore, ubi actu sunt; quia, cùm non habeant certum domicilium, seu habitationem permanentem, vi cujus certo Superiori permanenter subditi sint, ratione transitûs per locum aliquem, subjiciuntur Superiori loci, in quo transeunter sunt; ergo in quibus dispensare potest cum suis subditis, in ijs etiam dispensare poterit cum vagabundis; ita Sanchez *l.* 3. *de matrim. D.* 25. *n.* 5. Lessius *l.* 2. *de Just. c.* 40. *D.* 18. *n.* 121. Et ideo *n.* 582. tanquam probabilius tenuimus, vagos teneri etiam legibus municipalibus locorum, per quæ transeunt.

1116. Difficultas est de forensibus, & peregrinis. Nam aliqui tenent, peregrinos, & forenses,

forenses, etiamsi brevi tempore morentur in aliquo loco, posse à diœcesano illius loci dispensari in legibus, votis, & juramentis, sicut possunt reliqui ejus subditi; sic Basilius *de Leon. l.* 8. *c.* 5. *n.* 7. Alij requirunt, quòd illuc veniant, animô ibi habitandi tempore diuturno; quia sic habent quasi domicilium; ita Sanchez *l.* 3. *matr. D.* 23. *à n.* 12. alij requirunt, ut in tali loco sit domiciliaris; quia secùs non est ejus Parochianus, nec verè subditus; sic Barbosa *p.* 2. *de potest. Episcopi, allegat.* 36. *n.* 18. quamlibet harum opinionum satis probabilem censet Castropalaus *P.* 1. *tr.* 3. *D.* 6. *p.* 7. §. 2. *n.* 5.

1117. Cæterùm conformiter ed ea, quæ *à n.* 581. respondimus ad quæstionem, *qua ratione lege, seu statuto teneantur forenses, & peregrini*? probabilius videtur 1. eos ab Ordinario loci dispensari posse in legibus, *quibus peregrini ligantur*, municipalibus, & statutis locorum, per quæ peregrinantur; sicut enim ad rectam gubernationem pertinet curare posse, ut omnes in eo loco commorantes, legem observent; ita etiam pertinet, posse cognoscere, an obligatus lege, petens dispensari, justam exemptionis causam afferat? & si talem esse deprehendat, ab onere talis legis secundùm exigentiam causarum eximat; aliàs enim peregrinus ratione brevis inibi moræ plùs gravaretur, quàm cives ratione incolatûs perpetui; nam hi cum onere obligationis à suo Superiore solvi possent ab onere imposito; non isti.

1118. Dixi: *quibus ligantur.* Nam etsi communiter Authores doceant, in sex casibus, de quibus agimus *à n.* 570. forenses teneri statutis localibus; sub lite tamen inter Doctores est, ut notavimus *à num. cit.* an extra illos sex casus teneantur statutis, & municipali lege locorum, per quæ transeunt? & quamvis probabiliter affirmativam sequatur Castropalaus *ibid.* relatus; æquè tamen probabilis est negativa, quando statuta localia respiciunt commune bonum duntaxat *generale*, de quo V. *dicta à n.* 571. *& seq.*

1119. Videtur 2. valde probabile, cum peregrinis Ordinarium loci posse dispensare *in legibus communibus*, in quibus potest cum suis subditis; ita Castropalaus *cit. D.* 6. *p.* 7. §. 2. *n.* 5. Cùm enim obvenire possit casus, quod peregrinus in loco, per quẽ transit, ex causa sufficienti pro dispensatione, indigeat ejus auxiliô; & puniri possit ab Ordinario loci propter transgressionem legis communis etiam in ejus territorio factam, non est, unde non subjiciatur eidem in ordine ad dispensationem in communi lege; cùm sic sufficienter sit subditus ad hunc effectum.

Dices: Congregatio Concilij, prout refert Farinacius, *sess.* 24. *c.* 6. declaravit, forenses, & peregrinos *posse absolvi* ab Ordinario loci, quà transeunt; *non tamen dispensari.* R. 1. juxta doctrinam traditã de declarationibus dictæ Congregationis *n.* 917. Resp. 2. Castropalaus *cit. n.* 2. id non esse, quia deficit jurisdictio, & potestas ad concedendam dispensationem, sed quia regulariter deficit causa requisita. R. 3. ly, *non posse dispensari*, in ea declaratione sufficienter salvari, negata talibus Ordinarijs dispensandi facultate, quæ illis tribuitur *indefinitè*, etiam in votis, &c. 1120.

Videtur 3. probabilius, peregrinos, & forenses in votis, juramentis, aut alijs impedimentis *singularibus* non posse dispensari ab Ordinario loci, quà transeunt; ita Suarez *l.* 6. *de voto c.* 11. *n.* 11. & complures alij relati à Sanchez *cit. l.* 3. *D.* 23. *n.* 11. Rationem reddit Castropalaus *cit. n.* 6. quia hæc potestas & jurisdictio multùm pendet *ex consuetudine*; si ergo per consuetudinem, ex qua pendet ea jurisdictio dispensandi in votis, juramentis, & alijs impedimentis particularibus, non sufficiat subjectio *habitualis transeuntis*, aut *solùm longioris commorationis*; quæ tamen non faciat *domiciliarem*, in non domiciliarem ea jurisdictio exerceri non poterit; at non sufficere subjectionem, nisi *domiciliarem* pro ejusmodi dispensatione, probabilius reddunt plures Cardinalium declarationes, quas refert Garcia *de benefic. p.* 11. *c.* 10. *n.* 139. requirentes in ordine ad hoc, *subjectionem titulo domicilij*, quod non contingit sine animo ibi perpetuò manendi, ut constat ex L. *nihil interest*, 25. *ff. de captiv. & postlimin. reversi.* ibi: *neque enim satis est, corpore domum quem redijsse, si mente alienus est.* 1121.

Neque paritas à Sacramentis pœnitentiæ, ac Eucharistiæ, quæ Ordinarius loci ministrare potest peregrinis eò transeuntibus, sumi potest ad votorum & similium relaxationem; nam quoad illa propter 1122.

pter ipsorum necessitatem adest Ordinariorum concessio, ut ex communi usu constat; secùs quoad vota, juramenta, vel impedimenta specialia; nisi meritò præsumi possit ob urgentem hìc & nunc necessitatem, quæ non patitur recursum ad Ordinarium domiciliarem. Sed tali casu Ordinarius loci ageret cum ejusmodi peregrino solùm ex præsumpta voluntate Ordinariorum, ad quos hic pertinet ratione domicilij.

1123. Dices: c. *cùm nullus, de temporib. ordinat. in 6.* dicitur, quòd nullus Clericum alienæ Parochiæ debeat, *præter Superioris licentiam, ordinare*; cùm ergo textus singulariter de Sacramento Ordinis requirat licentiam *Superioris* (quo nomine intelligitur is, in cujus diœcesi promovendus domicilium habet) ad reliqua Sacramenta recipienda, & dispensationes obtinendas tacitè insinuare videtur Superiorem habitationis saltem diuturnæ sufficere. R. C. ant. N. conseq. quia in dato c. non erat quæstio universalis circa jurisdictionem Ordinariorum in homines alienæ diœcesis; sed solùm particularis, an, ut quis licitè recipiat, & alter conferat *Sacramentum Ordinis*, sufficiat qualiscunque subjectio ordinandi ad ordinantem? & responsum est, quòd non, sed requiri, quòd vel sit ejus diœcesanus habitatione, ac domicilio; vel legitima licentia, & dimissione Superioris diœcesani ad alium.

## §. III.

### *An Metropolitanus dispensare possit cum subditis suorum Suffraganeorum?*

1124. SUppon. 1. quòd Metropolitanus nullam habeat jurisdictionem in subditos suorum Suffraganeorum extra casus in jure concessos, ut dicitur in c. *Pastoralis* 11. *de offic. Ordinar.* ubi habetur, quòd Archiepiscopus causam, ad se per appellationem delatam, committere possit subditis sui Suffraganei; non tamen possit invitum compellere ad eam suscipiendam; *cùm, exceptis quibusdam casibus, nullam habeat potestatem.* Idem expresè dicitur in c. 1. *de foro compet. in 6. per complures* §. §. *& alibi.*

1125. Suppono 2. casus, in quibus Metropolitanus in subditos suorum Suffraganeorum jurisdictionem exercere possit, esse sequentes. 1. si causa per appellationem ad ipsum devolvatur, ut dicitur *c. 1. de offic. Legat.* ibi: licèt Archiepiscopus metropolitico jure audire non debeat causas de Episcopatibus vestris, *nisi per appellationem deferantur ad eum*; quod etiam habetur *c. duo, 9. de offic. Jud. Ord.* nisi per consuetudinem, vel privilegium habeat, ut etiam extra casus in jure concessos in eos jus dicere possit. Secundus casus est, quando res ad ipsum devolvitur propter negligentiam Suffraganeorum; sic gloss. *in cit. c. Pastoralis*, V. *Exceptis.* Hujus porrò negligentiæ casus complures refert Barbosa in c. *Pastoralis, à n.* 8. cum primis autem Quaranta in Summa Bullarij, V. *Archiepiscopi authoritas.* Tertius est, cùm ipse Archiepiscopus visitat diœceses suorum Suffraganeorum. Nam tali casu procedit ut Superior; sed hoc limitat Castropalaus cit. *P. 1. tract. 3. D. 6. p. 7. §. 3. n. 2.* ut censeatur *Superior ad absolvendum, non dispensandum.* Nam in c. *fin. de censibus in 6.* expresè habetur, Archiepiscopum in visitatione suæ Provinciæ (quam liberè suscipere potest, etiamsi sui Suffraganei non sint negligentes) *posse audire confessiones omnium, absolvere, & pœnitentias imponere*; quin fiat mentio facultatis *dispensandi.*

Ex dictis colliges 1. Archiepiscopum 1126.
cum subditis suorum Suffraganeorum posse dispensare in casu ad se per appellationem devoluto, si in eodem dispensare possit cum suis. Nam in ejusmodi casu est eorum Ordinarius Superior, & Judex, *per n.* 1125. Collig. 2. Archiepiscopum non posse dispensare cum subditis sui Suffraganei, dum visitat provinciam *ex num.* 1125. nisi hoc exigeret urgens necessitas, quæ sufficit, ut jure extraordinario tunc procedat juxta dicta in præmissis; & *l. 4. à n.* 2043. nec etiam ex hoc, quòd remittatur ad illum extra casum appellationis legitimæ, vel devolutionis ob injustitiam, aut negligentiam sui Ordinarij. Nam sola remissio ad illum non est justus titulus prorogandi jurisdictionem.

ARTI-

## ARTICULUS XIX.

### *De causa requisita ad dispensationem.*

1127. DUplex quæstio esse potest in hac materia. 1. an ad valorem dispensationis necessarium sit, quòd fiat *ex justa causa*? 2. An saltem, ut fiat *licitè*, ac citra peccatum? Ut Legislator dispenset *validè in lege sua*, nullam requiri causam, secùs, *ut licitè*, resolvimus *l.* 4. *n.* 2063. Dixi: *in sua lege*. Nam ut inferior dispenset *validè in lege Superioris*, juxta communem necessaria est rationabilis causa, ut ibidem dictum est, *à n.* 2065. ubi etiam de utente dispensatione illicitè concessa; de causa, propter quam dispensatio conceditur, in rescripto exprimenda; & pluribus ejusmodi quæstionibus.

1128. Difficultas est, an habenti facultatem cum aliquo dispensandi, liceat imponere mulctam à dispensando persolvendam? R. vel sine eo, quòd dispensandus det aliquid temporale, adest causa dispensandi sufficiens, & completa? vel non? deinde, vel in casu, quo sine mulcta sufficiens causa dispensandi habetur, est dispensatio ex officio præstanda debita, vel non? si sine tali mulcta temporali causa dispensandi non est completa, & sufficiens, licitè mulctam illam requisitam imponit dispensans, ut liquet in dispensationibus matrimonialibus, quæ fiunt cum clausula: *ex certis, & rationabilibus causis*, de qua V. Pyrrhus Corradus *in praxi dispens. Apostol. l.* 7. *c.* 2. *n.* 111. nam in his exigitur copiosior compositio ad usus publicos, de quo egimus *l.* 4. *à n.* 1105. Si autem existente causa dispensandi independenter ab eo, quòd in esse sufficientis compleri egeat, collatione alicujus rei temporalis per dispensandum facta, distinguendum est. Nam si ea causa talis est, ut dispensatio *debita* sit pro illo casu, illicitum erit, dispensando renuenti, & invito, imponere onus aliquod; secùs, si debita non sit, & negari possit citra injuriam. Nam in hoc casu probabiliùs licitum erit *Legislatori*; non autem *inferiori*, dispensare sub certa mulcta, vel onere, à dispensationem recipiente, præstando.

1129. Ratio primæ partis (quam tenet Filliucius *tom.* 2. *tr.* 27. *c.* 7. *n.* 129. est, quia pro actione aliunde debita, nequit onus imponi; ne idem bis vendatur. Unde generaliter, qui actionem aliquam alteri ex officio præstare tenetur (cùm pro eadem solutionem habeat ab eo, cujus potestate munus illud gerit) pro eadem ab eo, cui talem actionem debet, injustè dationem ulteriorem exigit; nimirum duplex stipendium pro debito ex justitia. Ratio secundæ partis (quam sequitur P. Suarez *l.* 6. *de legib. c.* 16. & alij) colligitur ex c. *Licèt*, 3. *de Feriis*, ibi: *indulgemus, ut liceat parochianis vestris diebus Dominicis, & aliis Festis (præterquam in majoribus anni solennitatibus) si alecia terræ si inclinaverint, eorum captioni, ingruente necessitate, incumbere; ita, quòd, post factam capturam, Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem.* Ratio tertiæ partis, quam sequitur Thomas Sanchez *l.* 3. *D.* 10. *n.* 9. & *l.* 8. *D.* 14. *à n.* 2. est, quia non est, unde *inferior* habeat talem potestatem, imponendi dispensando mulctam pecuniariam; nam illam non potest habere *ex* pacto, vel *contractu* cum dispensando; sic enim esset formalissima simonia, dandi dispensationem pro temporali, & econtra. Non *ex lege præcedente*; quia talis nulla est; non etiam *ex lege*, *quam ipse statuat*, cùm careat potestate condendi talem legem: non denique ex potestate dispensandi commissa; hæc enim explicat solam facultatem relaxandi legem intercedente justa causa.

1130. Hinc universaliter not. ex Suarez *l.* 6. *de legib. c.* 16. *n.* 9. quando Prælato inferiori committitur *potestas ex justa causa dispensandi* in lege, vel obligatione legis, per hoc ei non committi potestatem *subrogandi aliam*; consequenter nec facultatem imponendi mulctam pecuniariam, ubi leges, in quibus dispensat, non imponunt onera subditis, sed solùm feruntur ad vitanda inconvenientia, vel servandi debitum ordinem. Hinc si nihilominus Prælatus inferior dispensans imponit aliquod tale onus dispensando, non propterea illorum factum, reddit, vel arguit, esse certò licitum; sed (ut bene notat Sanchez *cit. D.* 14. *n.* 2.) ad summum dici potest, eum sequi opinionem contrariam sibi faventem. Et quamvis verum sit, *potentem dispensare*, etiam *posse commutare*; hæc enim potestas censetur sub illa inclusa, consequenter

ter meritò comprehensa sub illa: at *tollere priorem legem, & aliam denuo imponere*, non est quid inclusum sub potestate tollendi legem; sed hoc solùm explicat potestas dispensandi; ergo licèt hæc comprehendat potestatem commutandi; non propterea comprehendit potestatem ad mulctam pecuniariam obligandi; hæc enim foret nova lex.

## ARTICULUS ULTIMUS.

### *De reliquis ad dispensationem spectantibus.*

1131. PRo debita horum expeditione not. 1. rescripta, quibus committitur facultas dispensandi, sæpè vitiari, ac irrita esse, intercedente obreptione, vel subreptione; quæ autem obreptio, vel subreptio inducat hoc vitium nullitatis, colligi potest *ex tit. de rescriptis infrà à n.* 1351. & *l.* 4. *decretal. à tit. ultimo.* Et quamvis Corradus *cit. l.* 1. *c.* 1. *n.* 10. dicat, *etiam ex falsitate causæ impulsivæ* vitiari rescriptum dispensandi; contrarium tamen multò probabilius est, ut dicemus *in tit.* 3. *de Rescriptis.*

1132. Not. 2. cùm Pontifex *sciens* aliquod impedimentum, vel inhabilitatem, nihilominus aliquid concedit aliàs non concedi solitum, nisi habili, eum in hoc tacitè dispensare cum illo; colligitur ex gloss. in L. *Universis*, C. *de precib. Imperat. offer.* Dixi: *sciens*; nam Princeps nunquam censetur remittere vitium ignoratum, c. *Si eo tempore, de rescript. in* 6.

1133. Not. 3. controversum esse, an idem etiam procedat in Episcopo, vel inferiore Prælato? In hoc puncto videtur probabile, idem dicendum de tacita dispensatione Episcopi in lege propria; non autem in lege Superioris. Ratio primi est *ex dict. sup.* nam tali casu censetur ipse tacitè cedere juri suo, & quoad ejusmodi personam, & casum, legem suam revocare. Ratio secundæ partis (quam tenet Navarrus *in Manual. c.* 25. *n.* 74.) est, quia ut inferior dispenset in jure communi, vel lege Superioris, necessarium est præmitti causæ cognitionem; at talis dissimulatio stat sine causæ cognitione præmissa; ergo non habet vim tacitæ dispensationis in jure communi, vel lege Superioris.

1134. Not. 4. pro expressa dispensatione (quæ scilicet fit expressis verbis) nullam esse præscriptam verborum formam, vel ex natura rei, vel ex jure; sed sufficere illa verba, quæ satis exprimunt & voluntatem dispensantis, & effectum dispensationis, qui conceditur vel *generaliter* (v. g. dispenso tecum in omnibus irregularitatibus) vel *specialiter*, ut dispenso tecum in hac irregularitate; sic Tiraquel *de legib. connub. gloss.* 7. *n.* 86.

1135. Not. 5. in materia dispensationis non valere argumentum à majori ad minus, nisi in inseparabiliter connexis, vel inclusis, juxta dicta *n.* 1001. Et quamvis ipsa dispensatio sit odiosa (utpote contraria juri communi, prout jam alibi dictum est) facultas tamen dispensandi commissa, favorabilis est, & latæ interpretationis, ut tenet Corradus *cit. c.* 5. *n.* 27. ac apud eum Felinus in c. *fin. de simon.* & alij.

1136. Not. 6. cùm dispensatio sit exemptio *alicujus* à lege, requiri, quòd exprimatur vel formaliter, vel saltem æquivalenter dispensati persona; non requiritur tamen, ut fiat in scriptis, cùm sola voce Princeps possit quem à legis obligatione eximere, nisi in illis casibus, ubi dispositione juris scriptura exigitur, de quibus gloss. *c.* 1. §. *postquam, de censibus, in* 6. V. *in scriptis*, & Trid. *de reform. sess.* 25. *c.* 5.

1137. Not. 7. inter rescripta gratiæ, & justitiæ hoc discrimen esse, quòd gratia fieri possit absenti etiam sine suo mandato; rescriptum verò justitiæ requirat mandatum speciale per c. *Nonnulli*, §. *fin. de rescript. junct. gloss.* tum ibi, tum in c. *qui ad agendum, de Procuratoribus in* 6. Effectum tamen non habet etiam gratia, nisi innotescat, & acceptetur ab eo, cui fit, c. *si tibi absenti, de præbend. in* 6. cùm fit donatio; & colligitur ex c. *Ad mediam*, vers. *Ex parte, de conces. præbend.*

1138. Dices: in c. *innotuit de elect.* annullatur rescriptum *sine mandato* impetratum, ibi: *cùm non ad postulandam dispensationem; sed petendam confirmationem ipsius fuerint nuntij destinati.* R. Non esse annullatum, quia fuit concessum *sine mandato*; sed quia fuit concessum pro confirmatione electionis, quæ invalida, & nulla erat.

1139. Not. 8. probabilius esse, nullam esse dispensationem, in lege Superioris ab inferiore

riore factam *absque causæ cognitione*; sic Navarrus in c. *fin. h. t. n.* 4. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 15. *q.* 9. Quia dispensatio sine causæ cognitione est dispensatio sine causa; causa enim non movet nisi cognita; sed dispensatio in lege Superioris ab inferiore facta sine causa non valet ex *n.* 1127. Quia Superior committens alteri suam jurisdictionem vult, ut procedat servato juris ordine; ordo autem juris petit, ut præcedat causæ cognitio, c. *Necessa*, c. *dispensationis* 1. *q.* 7. & Trid. *de reform. sess.* 14. *c.* 7. *& sess.* 25. *c.* 18. probabilius autem est, sufficere cognitionem causæ etiam extrajudicialem. 1. quando ea notoria est, & manifesta, per c. *manifesta*, 2. *q.* 1. c. *Si quis sine, dist.* 81. c. *fin. dist.* 51. ita Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 4. *n.* 22. Deinde licèt notoria non sit, modò aliunde nota; nam causæ cognitio requiritur, ne temerè agat solvendô subditum à lege Superioris; hoc autem sufficienter cavetur, esto cognitio causæ non fiat judicialiter.

1140. Not. 9. quamvis aliàs, etiam de jure communi, solo verbo Papæ, gratia perficiatur per c. *Inquisitionis*, 25. *q.* 1. *Clem. dudum*, §. *ult. de sepultur.* dispensationem tamen factam, literis Apostolicis super ea non expeditis, non valere, juxta Corradum *cit. l.* 1. *c.* 6. *n.* 1. probantem id ex regula Cancellariæ, ibi: *nulla talis dispensatio cuiquam in judicio, vel extra suffragetur, antequam super ea literæ Apostolicæ sint confectæ.* Sed hoc intellige, non, quòd eo ipso gratia perdatur, sed solùm quoad effectum suspendatur, seu retardetur, donec literæ confectæ sint.

1141. Deinde verba illius regulæ: *non suffragetur in judicio, vel extra*, salvantur sufficienter in eo, quòd non prosint *in foro externo*, ubi gratiæ concessio probanda est, & ly *confectæ*, minùs videtur requirere, quàm *expeditæ*. Si enim conscriptæ, ac signatæ sint, rectè dici *confectæ* possunt; quod maximè procedit, si supplicationi adscribitur clausula, quòd sola præsentis supplicationis signatura sufficiat, & ubique, in judicio, & extra fidem faciat, regula in contrarium non obstante.

1142. Not. 10. in dispensationibus, quæ fiunt in commissione, seu in forma commissoria, plures apponi, vel etiam tacitè inesse clausulas; de his autem egimus *suprà.* copiosiùs autem *in l.* 4. *decretal. q. ult.* præsertim quoad eas, quæ apponuntur in dispensationibus matrimonialibus, sive rescriptum immediatè emanet ab ipsa Sede Pontificia; sive à Sacro Pœnitentiario, de quibus V. *loco cit.*

# PARS II.

## De quibusdam legibus in particulari.

POstquam exposuimus ea, quæ generaliter respiciunt materiam legis tum quoad vim obligandi, tum quoad reliqua, promulgationem, acceptationem, extensionem, ab- vel derogationem, & interpretationem, dispensationem, cessationem, aliáque similia; de nonnullis in particulari agendum venit, præsertim propter frequentiorem eorum usum, cujusmodi est lex irritans, lex revocans, lex pœnalis, &c. 1143.

## ARTICULUS I.

### *De lege irritante.*

SUpponendum, quòd *irritare legem* subinde idem sit, ac *irritum declarare*; subinde verò idem, *ac irritum facere*, vel rescindendô actum, qui validus erat; vel impediendô, ne actus validus sit, v. g. præscribendô novam formam, secundùm quam, nisi actus fiat, invalidè fit. Ex quo vides, legem irritantem esse illam, quæ aliquem actum irritum, vel irritandum reddit; si enim priori modo, per se ipsam irritat? si posteriori modo, irritat dependenter à sententia Judicis. Irritans per se ipsam, seu antecedenter est triplex: alia purè *moralis*, & directiva, quæ irritat actum præcisè propter bonum commune, qualis est irritans matrimonium Religiosorum, vel inter consanguineos: alia *pœnalis*, quæ irritat in pœnam, qualis est irritans electionem in pœnam præsumptionis, c. *Si Religiosus, de elect. in* 6. alia *favorabilis*, quæ irritat in favorem, qualis irritans professionem minoris sexdecim annorum. 1144.

Supponendum 2. quòd Legislator humanus habeat potestatem, exigente bono communi, annullandi subditorum actus, nimirum sic, ut perinde se habeant, ac si 1145.

facti non essent. Hæc enim potestas Reipublicæ tam Ecclesiasticæ, quàm sæculari æquè necessaria est, ac potestas obligandi. Et ratio est, quia sic irritare nihil aliud est, quàm statuere certam conditionem, qua servata actus valeat; qua non servata nullus sit; & cùm hoc possit in suis actibus quilibet privatus, non est, unde id negetur propter commune bonum Legislatori.

1146. Supponendum 3. quòd lex dupliciter contractum aliquem irritare possit, nimirum *ipso jure*, cùm illum reddit nullum, ut non indigeat Judicis irritatione; seu ut diximus *n.* 1144. cùm eum irritat *per se ipsam;* vel *exspectatâ sententiâ Judicis.* Fit autem irritatio vel *explicitè*, cùm verbis exprimitur, ut si lex prohibeat actum, & simul addat, quòd, si fiat, nullus sit; vel *implicitè*, cùm lex prohibet actum, & per verba æquivalentia illum annullat, quod fit præscribendô certam formam in tali contractu, vel dispositione servandam, tanquam conditionem, sine qua non.

1147. Supponendum 4. *importare formam*, idem esse, ac importare conditionem, vel substantialem, vel accidentalem; hinc quando dicitur, contractum esse irritum *non servatâ formâ*, intelligi debet de substantiali, non accidentali; illa est, qua deficiente deficit actus; ista, qua non deficit actus, etiam non servatâ formâ. Sic, quando à Tridentino præscribitur, ut ante matrimonium denuntientur sponsi, & matrimonia celebrentur in præsentia Parochi, & testium, secùs non valitura; *præsentia Parochi, & testium* est forma substantialis; *denuntiationes* accidentalis. Totum autem in eo positum est, ut detur regula cognoscendi, quæ forma sit substantialis, quæ accidentalis? communiter traduntur sequentes.

1148. Prima est, quòd, quando lex ipsa dicit, id, quod præscribit, servandum esse *tanquam formam*, denotetur, esse substantialem. Nam hic terminus *forma* simpliciter prolatus supponit pro principali significato; hoc autem est forma *substantialis*; ergo. 2. quando lex ipsa exprimit, actum secus factum, esse irritum. 3. quando lex loquitur conditionaliter, requirendô nimirum id, quod præscribit celebrando actui, vel alicui dispositioni, exigendô tanquam conditionem implendam. 4. quando lex concedit aliquam facultatem ad aliquem actum, præscribendô simul modum, quo usurpari debeat; quia tunc censetur commissa potestas limitatè, nimirum, si modus præscriptus observetur. Plura de his Farinacius *p. 2. fragm. ubi de lege, à n.* 203. Sanchez *l.* 5. *decal. c.* 4. *n.* 26. Suarez *l.* 5. *de legibus c.* 31. *& seq.*

Præter hæc not. 1. probabilius esse, 1149.
quòd, *generaliter* loquendô, quando statutum mandat aliquid fieri *certo loco, & tempore*, actus contra factus non sit irritus, & nullus, nisi ulteriùs procedat explicitè, vel implicitè annullandô actum taliter factum. Nam in tali casu circumstantia temporis, aut loci non intelligitur apposita, ut forma substantialis, ita Suarez *cit. c.* 25. *n.* 10. *& c.* 28. *à n.* 17.

Not. 2. Si habenti aliunde potestatem 1150.
faciendi aliquem actum, vel dispositionem, præscribitur aliqua forma, seu ratio, aut modus illum faciendi, non censeri hanc formam exigi ut substantialem, nisi aliter à lege expressè irritetur. Ratio est; quia cùm aliunde actus ponatur sub ejus potestate priùs habita, ejusmodi præscriptio censeri nequit restricta quoad substantiam, nisi expressè de tali restrictione constet; ad quod non sufficit præcisè mandatum, ut talis forma servetur.

Not. 3. Similiter non censeri formam 1151.
præscriptam esse substantialem, quando illa de jure communi accidentaliter solùm inest ejusmodi actui. Sic, si procuratori constituto ad contrahendum nomine tuo matrimonium simul mandes, ut contrahat *præmissis denuntiationibus*, matrimonium ex mandato tuo contractum valebit, licèt omiserit denuntiationes. Nam hæc forma tali contractui solùm accidentaliter inest jure communi, ut diximus *l.* 4. cum communi; his præmissis:

## §. I.

### *Quando lex irritans censeatur pœnalis?*

RESP. quòd, quando irritatio actûs im- 1152.
ponitur in odium alicujus delicti. Talem esse irritationem matrimonij ob uxoricidium, vel adulterium cum promissione futuri matrimonij, expressè docet Castropalaus *P. 1. tr.* 3. *D.* 2. *p.* 7. *n.* 4. probans

bans ex *toto titulo de eo, qui duxit &c.* Idem tenet de irritatione electionis ad beneficium ob commissam simoniam; imò *generaliter*, inquit, *quoties lex irritationem assignat in odium delicti, & ob solam legis prohibitionem, lex pœnalis est*, citans pro se Patrem Sanchez *l. 3. de matr. D. 4. n. 9.* Suarez *l. 5. c. 9. n. 7.* Si autem irritatio fiat non ob delictum, sed ob comune bonum Religionis, Reipublicæ, vel aliquorum privatorum, non debet censeri pœnalis, sed potiùs forma actûs. Quia tamen sæpè in lege irritante aliquem actum in odium delicti, plures fines interveniunt, ob quos irritatio talis fieri potest (ut cùm irritatur matrimonium inter complices ob impedimentum criminis, quæ irritatio ob plures fines fieri potest, nimirum ut puniatur delictum, ut alij absterreantur à tali delicto, ut conjugibus stet vitæ securitas, &c.) & inde non rarò lis nascitur, quem finem lex irritans *directè* respiciat (nam ab hoc sortitur suam denominationem) consequenter, an talis dispositio regulanda sit juxta naturam *legis pœnalis*, an *merè irritantis?* ideò communiter in diversas, & contrarias opiniones abeunt Doctores, ut constabit ex dicendis in seqq.

1153. Cæterùm communis tenet irritationem non esse pœnalem, si non est ob commissum delictum. Ex hoc sequitur 1. irritationem matrimonij contracti sine præsentia Parochi, & testium, non esse pœnalem; quia non supponit commissum delictum; sed antecedenter ad contractum simpliciter clandestinum, nullo contrahentium delicto præsuppositio, contrahentes reddit simpliciter inhabiles ad clandestinè contrahendum. Sequitur 2. legem, quæ actum aliquem irritat *directè* propter bonum commune, Religionis, vel Reipublicæ, aut etiam in favorem, quin hoc ordinet in finem puniendi delictum commissum, non esse irritationem pœnalem. Nam sic ejusmodi irritatio non est ex suppositione delicti, sed antecedenter ad illam, ut notavimus *n.* 1152. Talis irritatio est testamenti carentis testibus requisitis, alienationis rerum Ecclesiæ sine solennitate præscripta in Clement. I. *de rebus Ecclesiæ non alienand.* professionis ante completum decimum sextum ætatis annum, &c. Dixi: *si directè* intendat *bonum commune*, vel Religionis, vel Reipublicæ, quin id fiat in odium delicti commissi. Nam omnis lex sive pœnalis, sive non pœnalis, directè fieri debet in commune bonum Reipublicæ, pro qua conditur; ex hoc tamen non sequitur, eam non esse pœnalem, si hoc fiat in odium delicti commissi; aliàs enim nulla lex foret pœnalis, quod est contra communem; intelligendum proinde venit de bono communi *speciali*, non *generali*.

Dices: lex, quæ gravamen imponit, odiosa est; ergo etiam irritatio, seu lex irritans; cùm & illa ferè semper gravet eos, quorum actus & dispositiones irritat. R. qualitatem legis desumi à fine legis per se ac directè quæsito; cùm ergo leges irritantes possint imponere gravamen, quin per se, ac directè intendant gravare, sed procurare, vel conservare commune bonum, aut alteri favorem, seu commodum præstare, licèt videantur imponere gravamen aliquod (qualiter fit, cùm irritantur contractus pupillorum initi sine Tutoris authoritate, si illis præjudicios sint) in re tamen non odiosæ sunt. Jam verò cùm tota difficultas sit in eo, ut decernatur, quando lex principaliter, seu primariò intendat pœnam, quam infligit; quando solùm secundariò? not. non semper materiam legis etiam gravem, & molestam subditis (cujusmodi sunt inhabilitates ad contrahendum, ad bona quædam obtinenda, &c.) esse pœnam, ut constat inductione. Ut igitur dicatur *pœna*, necessarium est, quòd supponat commissum delictum, cæteroquin non imponenda. 1154.

Not. 2. an, cùm gravamen aliquod imponitur in odium delicti commissi, hoc ex principali, & primaria intentione legis imponatur, vel solùm secundaria? planè dubium esse inter Authores. Nam ex hoc plures pendent quæstiones, quæ ab ipsis sub hac distinctione resolvuntur, alijs negantibus, alijs affirmantibus. Et reverâ difficile est assignare regulam universalem. Cæterùm præ alijs ea videtur regulariter in re opportunior, quæ dicit, quòd *lex, in quantum imponit gravamen in odium delicti commissi, cæteroquin non impositura tale gravamen ex ejusmodi facto, nisi culpam transgressoribus imputabilem explicaret, sit pœnalis principaliter, & primariò*, cæterósque fines legis esse in- 1155.

tentos, dependenter à punitione delicti. Sed de hoc V. dicenda *à n.* 1239.

## §. II.

### *An lex hoc ipso sit irritans, quòd sit prohibens?*

1156. QUæstio est, an ex hoc præcisè actus reddatur nullus, ac invalidus, quòd fiat contra legem simpliciter prohibentem? de jure saltem Canonico certum videtur, quòd non. Nam matrimonium initum cum impedimento solùm impediente, validè celebratur; *multa* enim *prohibentur, quæ tamen facta tenent*, c. *Unic. de voto, in 6.* & c. *Ad audientiam, de Regularibus.* Alij tamen, & complures ex Jurisconsultis, etiam hodie tenent, ut notat Haunoldus *tom. 1. de Justit. tr. 1. n. 117.* omnem contractum à jure prohibitum, hoc ipso esse etiam irritum, ac nullum. Sed dicendum, ex hoc præcisè, quòd lex aliquem actum fieri prohibeat (nisi exprimat; quòd eo ipso velit, etiam irritò, ac nulliter fieri) actum non debere censeri nullum in conscientia. Est communis Theologorum. Ratio est, quia *fieri actum illicitè*, & simul *validè*, simul stare possunt ex natura rei; *& actum præcisè prohiberi, non annullari, componi possunt*; ergo præcisa *ratio illiciti*, aut prohibitio non infert legitimè *nullitatem*, & annullationem ex natura rei; sed nec infert juris dispositione, cùm, ut dictum est, multa, licèt prohibeantur, facta teneant; & leges in contrarium id, quod intenditur, nullatenus doceant; ergo.

1157. Hinc not. 1. quando L. *non dubium*, C. *de legib.* dicitur: *nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum, inter eos valere volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente*; & additur extensio: *quod ad omnes legum interpretationes, tam veteres, quàm novellas trahi generaliter imperamus, ut Legislator, quod fieri non vult, tantùm prohibuisse sufficiat, cætera quasi expressa ex legis liceat voluntate colligere*: non esse sermonem de nullitate actûs *ipso jure*, sed solùm *de nullitate per exceptionis oppositionem inducenda à Judice*, si expedire visum fuerit; nec etiam de lege præcisè prohibente; sed simul annullante. Ad hoc probandum, certum videtur, ex hoc præcisè, quòd dicatur: nullum pactum subsecutum *valere volumus* inter eos, qui contrahunt lege contrahere prohibente, non inferri determinatè nullitatem pacti; nam etiam donationes factæ constante matrimonio inter virum, & uxorem prohibitæ sunt, & dicuntur *non valere*, quin per hoc reverà nullæ, seu *non validæ sint*; sed tantùm *non firmæ*, ut sint irrevocabiles, dum confirmentur morte donantis; ergo etiam cùm ejusmodi pactis, licèt fiant contra legem præcisè prohibentem, & dicantur non valere, ly *non valere* non est accipiendum, ut determinatè inferatur eorum *nullitas*, sed tantùm *infirmitas*, quatenùs non sunt inelidibilia per exceptionem legis resistentis.

Deinde ex communi doctrina, qui Ti- 1158.
tio vendit domum inito contractu, ab Emptore solutione pretij perfecto, nondum tamen secutâ traditione, eandem vendit Cajo, & simul tradit, pariter accepto ab hoc pretio, illicitè celebrat secundum contractum, & tamen validè, etiam de jure civili, propterea primo Emptori concedente actionem contra Titium Deinde, ut rectè notat Haunold. *tom. 1. de jure & just. tr. 1. n. 117.* sententia conditionaliter lata valet, nisi taliter ferri prohibitum sit, ut habetur L. 11. §. *Biduum, ff. quando appell.* ergo etiam cùm jure dicitur, *pactum non valere*, si fiat lege prohibente, ly *non valere* non infertur legitimè, ex pura prohibitione legis; ergo L. *Non dubium*, non loquitur de facto contra legem *purè*, seu *præcisè prohibentem*; certum autem est multas leges esse *purè prohibentes*; cùm plurimæ sint, quæ nullum prorsus judicium habent *legis annullantis*; ergo.

Not. 2. cùm in c. *Imperiali*, 25. *q.* 2. 1159.
dicitur: imperiali constitutione apertè sancitum est, *ut ea, quæ contra leges fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint*; eodem modo ex dictis rationibus intelligenda esse, non de lege *præcisè prohibente*, sed *simul annullante*; vel certè solùm de non validitate, in quantum explicat defectum *firmitatis*, non autem vim nullitatis, ut exposuimus in præmissis. Similiter dicendum venit *ad reg. 64. in 6.* ubi habetur, *quæ contra jus fiunt* (nimirum *annullans*, non autem præcisè prohiben-

hibentur) *pro infectis habenda esse*; quamvis etiam cum Streinio *ad cit. reg.* 64. rectè dicatur ibi Ly, *contra jus*, idem esse, ac *contra formam juris*.

1160. Not. 3. quando dicitur, quòd adversùs voluntatem Superioris voluntas inferioris nihil efficere possit, respondendum, id procedere *in eo, in quo voluntas Superioris resistit actui*; at quando lex est *merè* prohibens actum, voluntas Superioris non resistit actui *quoad valorem*, sed tantùm *quoad honestatem*; ergo solùm sequitur, quòd voluntas inferioris tali casu nihil *honestè* possit efficere; non autem, quòd nihil *validè*, ut constat ex dictis.

## §. III.

### *An lex irritans obstringat etiam ignorantes?*

1161. Quæstio est, an lex irritans vim suam exercere possit (nimirum inducendô nullitatem in actum, contra quem procedit) etiam in casu, quo lex (*in quantum irritans*) invincibiliter ignoratur? Dixi, *si in quantum irritans ignoretur*. Hìc enim non quærimus de irritatione, quæ vim suam exercet, ubi solùm intervenit ignorantia *facti*, qualiter in c. *Ex insinuatione*, & c. *Nobis*, *de simonia*, simoniaca collatio beneficij declaratur, non obstante ignorantia Collatarij de commissa per suos amicos simonia; sed de ignorantia *juris*, quæ contingit, ubi quis ignorat jus ad valorem actûs exigere aliquid, quo omisso velit actum esse irritum, ac nullum.

1162. Pro resolut. not. ex *n.* 1152. irritationem quandoque posse esse pœnalem, quandoque favorabilem; deinde, à lege, actum irritante, *quà tali præcisè*, non semper prohiberi *formaliter* executionem actûs, sic, ut eo ipso, quòd detur executioni, inducat culpam. Nam qui gravi metu, injustè ac directè incusso ad extorquendum consensum contrahit matrimonium, aut profitetur Religionem, excusatur à culpa imputabili, non à nullitate. Similiter faciens actum, in sui favorem irritatum à lege, non propterea peccat formaliter, in quantum actus opponitur legi quà præcisè irritanti.

1163. Ut igitur noscatur, quando legi actum irritanti etiam adjuncta sit ejusdem prohibitio, not. 2. attendenda esse tum verba, tum materiam legis. Quandoque enim materia legis adeò est adversa legi, ut in ipsius odium fiat irritatio actûs circa talem materiam, & tali casu censendum est omnino simul adesse præceptum de illa vitanda. Sic turpia legata simul prohibentur in odium legantis, vel saltem prohibita censentur per L. *Turpia*, *ff. de legat.* 1. si adsint verba præceptiva, directè ad personam, similiter præceptum adest; si autem neutrum contingat, purè irritans erit; quibus positis:

Bz. 1. probabilius esse, leges *præcisè in pœnam* irritantes aliquem actum non habere vim inducendi nullitatem stante ignorantia invincibili legis, in quantum inhibentis actum sub pœna nullitatis. Nam sic abest culpa contra legem, in quantum prohibitivam actûs sub pœna nullitatis; at ubi abest culpa, non est locus pœnæ tali culpæ per legem decretæ; ergo. Quid autem dicendum, quando ignorantia non versatur circa culpam, seu prohibitionem; sed solùm circa pœnam, seu annullationem actûs, constabit infrà. 1164.

Ex hoc colliges, si irritatio sit ipso jure imposita in pœnam delicti commissi, quacunque via excusetur delictum, eadem excusandam irritationem; ita Suarez *l.* 5. *de legibus c.* 22. *n.* 3. quem citat, & sequitur Castropalaus *P.* 1. *tr.* 3. *D.* 2. *p.* 12. *n.* 7. rationem dans, quia cessante causa adæquata legis, debet cessare lex; ergo cùm causa adæquata sit *culpa*, & hæc cesset, cessabit irritatio. Quæ ratio rectè procedit, ubi irritatio unicè pendet à culpa formaliter commissa, & casus ponit operantem excusari à culpa propter legis ignorantiam. 1165.

Bz. 2. probabilius esse, leges irritantes actum ob commune bonum, non in pœnam, sed in speciale commodum Reipublicæ (quales sunt, quæ *testamentis*, *electionibus*, *certisque contractibus*, ut matrimonio, præscribunt formam, intellige substantialem juxta *n.* 1147.) nullatenus impediri ab effectu irritationis ob ignorantiam etiam invincibilem in operante actum sine tali forma, saltem secluſa necessitate taliter faciendi actum; sic Castropalaus *cit. n.* 8. Ratio est, quia, cùm actus valorem suum habeat dependenter à lege constituente potestatem juridicam faciendi 1166.

faciendi actum (v.g. contractum *validum*) ubi aberit talis lex, aberit etiam valor actûs; sed quando leges irritant actum ob commune bonum Reipublicæ independenter à delicto, etiam stante in operante invincibili talis legis ignorantia, abest lex constituens dictam potestatem juridicam; hæc enim pendet à voluntate Legislatoris tribuente valorem actui non obstante oppositione cum lege præcisè prohibente actum; ergo stante in operante etiam invincibili talis legis ignorantia, aberit valor actûs, consequenter aderit ejus nullitas; ergo leges irritantes in ejusmodi casu nullatenus impediri possunt ab effectu irritationis ob ignorantiam etiam invincibilem in operante actum sine tali forma, saltem secluſa necessitate taliter faciendi actum. Min. probatur: quia si stante lege irritante cum dicta ignorantia nihilominus valeret actus, lex vellet valere actum, ut ponit casus, & non vellet eum valere, quia stat lex irritans, quæ est voluntas efficax, ne valeat actus non servatâ formâ præscriptâ.

1167. Dixi: *secluſa necessitate taliter faciendi actum*, nimirùm prætermissâ formâ per legem præscriptâ, ut si quis gravi necessitate constrictus cogitur matrimonium contrahere, vel testari, quin habeat, vel habere possit ullam notitiam, requiri præsentiam eorum, qui de jure cæteroquin ad valorem actûs intervenire debent. Nam etsi Castropalaus *cit. n.* 8. doceat, etiam in hoc casu propter dictam ignorantiam non impediri ab irritationis effectu leges irritantes, quæ ob speciale bonum Reipublicæ actum irritant omissâ tali forma; contrarium tamen apud eundem tenent Tiraquel. Alderan. Mascard. & Farinacius, volentes, *necessitate compulsos, non implere formam præscriptam, non vitiare obinde actum; sed firmum esse ex præsumpta voluntate Legislatoris, nolentis eo casu obligare.*

1168. Et quamvis Castropalaus *loc. cit.* velit esse discrimen ex eo, quòd lex *non obliget ad irritationem, sed illam solùm imponat*; mihi tamen semper visum est, rectè argui, quòd, sicut justè præsumimus, Legislatorem humanum non velle subditis *imponere obligationem* cum gravi detrimento, quando id secum trahit observantia legis, in quantum talis nullitas pendet ab ipsius voluntate; sic etiam justè idem præsumi de præscripta forma, in casu urgentis necessitatis; utrumque enim pendet ab ejus voluntate, ut ponit casus.

Ad extremum nota, irritationem etiam 1169.
impediri posse renuntiatione favoris, quando ea non absolutè per legem imponitur actui, sed specialiter in favorem certæ personæ v. g. pupilli, Religionis. Sic enim alienatio, quam facit pupillus etiam sine Tutoris authoritate, valida est, quando ea cedit in speciale illius commodum; quia lex non intendit causare irritationem, nisi in quantum alteri commodum fuerit, ne, quod in favorem constitutum est, in ejus dispendium retorqueatur, ut dicitur *reg. 61. in 6.* & colligitur ex c. *ad Apostolicam, de Regularibus*, & c. *Tuis, de Testibus.*

## §. IV.

### *A quo tempore lex irritans incipiat habere effectum?*

QUæstio procedit, non de effectu *obligationis* (hic enim non semper est à lege irritante, quà tali formaliter ex *n.* 1162.) sed *irritationis.* Multi censent, quòd statim à puncto suæ constitutionis producat nullitatem in actu, si fiat omissâ formâ per legem præscriptâ. Tum quia in producendo effectu non pendet à sui intimatione subditis facta; cùm non inducat obligationem; sed teneat etiam ignorantes; tum quia talis effectus emanat à sola lege, seu Principis voluntate; ita Menochius *de arbitr. l. 2. cent. 2. casu* 185. *n.* 2. Sylvester V. *lex, q. 6. dict.* 3. & plures alij. Sed rectiùs universaliter tenetur, nullam legem sive canonicam, sive civilem (nisi expressis verbis caveatur, boni communis necessitate sic exigente) exercere posse vim irritationis, ante lapsum temporis, quo possit obligationem inducere; quia secùs non esset sufficienter intimata subditis; imò nec justa, propter gravissima mala, quæ redundarent in Rempublicam, si priùs, quàm innotesceret subditis præscripta forma, & in hujus neglectu actuum nullitas, haberet vim annullandi actum. 1170.

Hinc negandum est intimationem le- 1171.
gis requiri tantùm, *ut obtineat vim obligandi*, prout existimat sententia contraria; sed

sed etiam, ut obtineat *vim efficaciter irritandi*, revocandi, suspendendi &c. tum quia intimatio fieri debet etiam *ut præscripto legum manifestiùs intellecto, subditi præscripta faciant*, ut diximus *num.* 104. ex L. *Leges sacratissimæ;* tum quia prudenter præsumi non potest, esse de mente Legislatoris, contractus ex natura rei licitos priùs irritare comparatione eos ignoranter celebrantium, quàm id debitè intimatum sit, ut diximus *n.* 116. tum quia hìc locum omninò habet ratio, & argumentum gravium Doctorum, hanc intimationem requirentium non tantùm ad hoc, ut vim obtineat legis obligatio, sed etiam facultatum revocatio, contractuum, & aliarum dispositionum irritatio, ad cavenda Reipublicæ mala gravissima, de quibus egimus *à n.* 137.

1172. Ad rationem in contrarium R. negandô, quòd lex irritans teneat, vel afficiat ignorantes etiam quoad vim inducendi nullitatem in actus eorum, quando ea lex legitimè intimata non est, cùm sufficienti latitudine temporis, ut ejus notitia, etiam in quantum irritantis, moraliter diffundi possit per communitatem, cui secùs agenti nullitas imponitur. Ratio est ex *n.* 104. Negandum pariter est, quòd effectus irritationis emanet à sola lege, seu voluntate Principis *utcunque*, sed solùm *legitimè intimata*; secùs magis obfutura, quàm profutura.

1173. Dices: ergo ante talem intimationem nec producet effectum irritationis, licèt Princeps expressis verbis caveat, ac declaret, se velle, ut lex hunc effectum statim operetur à die legis constitutæ, vel in sua residentia promulgatæ. R. vel hanc Principis voluntatem exigit urgens necessitas Reipublicæ, vel non? si primum; C. illatum; quia tunc privati, quorum actibus, citra pœnam, nullitas imponitur, boni communis necessitati posthabendi forent; si secundum, N. illatum propter rationes *à n.* 1170.

## §. V.

### *An lex irritans actum ipso jure, ut effectum sortiatur, indigeat sententiâ?*

1174. TRipliciter se habere potest ad actum aliquem lex illum irritans. 1. si actum jam ritè factum (*venditionem* v. g. vel *donationem*) subsequatur, ac annullet ob defectum alicujus conditionis non substantialis, sed accidentalis; 2. si actum vel comitetur, vel antecedat, quod fit, si ob solam legis prohibitionem, & in odium transgredientis, irritatio actui imponatur, vel quoad se; vel solùm quoad probationem, seu fidem faciendam; demũ 3. si actum annullet præcisè propter non servatam formam, etiam impeccanter, seu citra culpam; quibus positis:

Resp. 1. quòd lex irritans, quæ subsequitur, & rescindendô, seu annullandô in pœnam irritat actum, aut dispositionem aliquam cæteroquin validam, non producat effectum irritationis ante sententiam, saltẽ declaratoriam delicti, cujus causâ irritationis pœna infligitur; ita Sanchez *l.* 3. *matr. D.* 4. *n.* 9. & alij. Nam hoc requiritur, ut lex pœnalis effectum suum operetur, ut dicemus *n.* 1243. sed talis irritatio est pœnalis ex *n.* 1152. ergo. Loquimur autem de casu, quo actus semel validus jure invalidari potest. 1175.

Resp. 2. idem dicendum esse in casu legis irritantis, sive antecedat, sive comitetur actum, quoties irritatio supponit culpam, & infligitur in odium transgredientis. Nam in tali casu eodem modo pœnalis est. Et constat ex c. *Si Religiosus*, 27. *de elect. in* 6. ubi præcipitur, ut, si Religiosus non obtentâ licentiâ sui Superioris consentit electioni de se factæ extra suum monasterium, *consensus sic præstitus non teneat, & in pœnam præsumptionis illius electio eadem, ipso facto, viribus vacuetur omninò*; id quod etiam habetur in c. *Novit.* 4. *de his, quæ fiunt à Prælato*, ubi Alexander III. Patriarchæ Hierosolymitano scribens decernit, institutiones, & destitutiones Abbatum, & Abbatissarum, aliarúmque personarum Ecclesiasticarum ab ipso factas *sine consilio Fratrum suorum*, Canonicorum S. Sepulchri, *carere robore firmitatis.* 1176.

Resp. 3. quando lex irritat actum aliquem ipso jure (v. g. *testamentum sine debita juris solennitate conditum*) non censeri actum invalidum, vel invalidari quoad naturalem obligationem, ante Judicis sententiam; sed tantùm quoad probationem externam, & fidem faciendam; adcóque solùm quoad forum externum; 1177.

ita Suarez *l. 5. de legib. c. 32. à n. 6.* & Molina *tom. 1. de just. D.* 81. qui docent, hæredem eo testamento scriptum, posse retinere hæreditatem. Nam licèt lex irritans ejusmodi dispositionem minùs solennem invalidet ipsum, quoad civilem obligationem; secùs tamen est quoad naturalem, cùm jure naturæ talis solennitas ad ejus valorem non exigatur, si voluntas ultima disponentis sit sufficienter expressa.

1178. Si autem alius foret hæres ab intestato, & is ab hærede tali testamentô scriptô exigeret hæreditatem, Judice illius petitioni eandem applicante per sententiam, jus illud retinendi omninò extingueretur in hærede scripto. Judex enim humanus, exigente bono communi, propter legis id volentis efficaciam, potest uni adimere dominium rei, ac in alium transferre, ut patet in præscriptione; nam justa lege constitutum est, ut hæreditas deferatur ei, qui est defuncti hæres; ubi defunctus de rebus suis nihil validè disposuit.

1179. Dixi superiùs, *nos loqui de casu, quo actus invalidari potest, non obstante, quòd in principio validus sit.* Si enim actus, semel validus, non ampliùs invalidari potest, lex actum irritans, etiam in pœnam commissi delicti, statim operabitur nullitatem, non exspectatâ ullâ sententiâ. Secùs enim nunquam producere posset effectum suum. Nam, postquam semel validè celebratus est, nec ante, nec post sententiam irritari potest; quia semel validus invalidari ampliùs non valet, ut ponit casus; ergo.

1180. Dices: ergo quoties actus semel validus, invalidari rursum potest, statim invalidus erit, etiam non exspectatâ sententiâ, quoties imponitur ei irritatio ipso jure, si omittatur aliqua solennitas, vel conditio à lege sub irritatione actûs requisita, saltem si non sit in pœnam, ut contingit, ubi testamentum conditur minùs solenne; hoc enim infirmatur c. *Cùm esses, de Testam.* & L. *Hac consultissima*, C. *qui testam. facere poss.* vel res Ecclesiæ alienentur non servata solennitate præscripta, vel electio celebretur sine consensu Capituli, &c.

1181. Ante resolut. not. à nonnullis doceri, neque tunc actum reddi *naturaliter*, sed tantùm *civiliter* nullum ante sententiam, quando nihil continet, aut deficit, quo minùs jure naturali, vel gentium cæteroquin valeret. Hanc sententiam tenent Navarrus, Antoninus, Panormitanus, Covarruvias, Medina, & alij apud Castropalaum *P. 1. tr. 3. D. 2. p. 10. n. 4.* volentes, quòd lex irritans actum (v. g. testamentum, vel electionem) ob non servatam solennitatem, ante sententiam non operetur nullitatem *naturaliter*, seu in conscientia, & quoad forum internum, nisi contineat aliquid adversum justitiæ naturali. Contrarium docet Suarez, Salas, & alij apud eundem *n. 5.* quam etiam amplectitur ipse Castropalaus *n. 7.* licèt alij distinguant, & idem teneant, quando irritantur actus facti virtute publicæ potestatis, cujusmodi sunt electio Prælati, vel alienatio rerum Ecclesiæ; non privatæ, quales sunt hæredis institutio, venditio, vel alienatio rei propriæ, &c.

Ratio Castropalai est, quia non videtur dubium, Principem efficaciter, mediante sua lege, posse subditos inhabilitare ad faciendos certos actus, v. g. ad alienandam rem etiam propriam, vel ad contrahendum &c. aliâ formâ, quàm ipse præscribat; ergo si hanc intentionem sufficienter manifestet, etiamsi actus non contineat aliquid justitiæ naturali contrarium, lex irritans ejusmodi actus ipso jure adhuc operabitur effectum nullitatis etiam naturaliter, & in conscientia, non requisita altiori sententia. Sed hoc habent leges irritantes ejusmodi actus, de quibus *n.* 1180. ergo. 1182.

In hoc argumento totum enthymema videtur omninò concedendum; sed ipse Author rectè animadvertit, verba legis esse rigorosè pensanda, priusquàm statuatur de tali mente, ac intentione Legislatoris. Nam 1. si verba ostendant, quòd fiat irritatio talis actûs in favorem alicujus partis, vel privati, etiam juxta ipsum lex irritans non inducit ipso facto nullitatem, nisi ex suppositione, quòd ipse velit, ut notavimus *n.* 1177. 2. Si verba cum omnibus circumstantijs ritè pensata ostendant, irritationem fieri solùm ad confirmandam probationem, aut faciendam fidem (ne scilicet vim legitimæ probationis obtineat) non inducet nullitatem naturalem, sed tantùm civilem, & pro externo foro, ut dictum est *n. cit.* Si autem irritatio fiat in favorem utriusque partis v. g. contrahen- 1183.

tis,

tis, certum censet Castropalaus, induci nullitatem, seu irritationem, nullâ exspectatâ sententiâ.

1184. Hæc doctrina videtur omninò procedere *quoad forum externum, & obligationem civilem*, sic, ut contractus contra talem legem irritantem celebratus nullam pariat actionem, justè id exigente bono communi, ut caveantur tot lites; in foro tamen conscientiæ, & quoad obligationem naturalem probabilior videtur opinio prima, de qua *n.* 1181. Nam cum verba legis irritantis rectè exponi, ac intelligi possint quoad solam nullitatem *civilem*, ubi actus non laborat ullo vitio justitiæ naturali contrario, bono communi directè quærendo à Legislatore satisfit, esto ante sententiam stet *naturalis* valor actui, solùm civiliter irrito.

## §. VI.

### *Quæ verba legis arguant ipsam esse irritantem?*

1185. UBi expressis verbis lex indicat, se actum irritare *ipso facto* (ut si dicat, *irritus sit ipso facto, ipso jure, eo ipso, ex tunc*) non est dubium, legem esse irritantem. Plura tamen sunt verba, de quibus dubitatur, an, cùm inserta sunt legi, vel alteri dispositioni, significent nullitatem ipso facto? Hinc quæstio est 1. an, si de aliquo actu dicatur, *nullius sit efficaciæ, valoris, vel momenti*, significet actum ipso jure nullum? de his agit Barbosa *in dictionibus usufrequentat. dict.* 226. *& seq.* ubi ex pluribus alijs refert, quòd dictiones: *nullatenus, nullius sit roboris, & efficaciæ, nullius sit momenti*, importent vim latæ sententiæ, & nullitatem actûs ipso jure.

1186. Sed rectiùs distinguitur cum Castropalao *cit. p.* 17. *n.* 2. Farinacio *p.* 2. *fragment. à n.* 100. & alijs. Nam vel nullitas, quam important ea verba, præcedit actum? vel subsequitur illum, & solùm propter omissionem postea factam irritatur? In primo casu volunt procedere opinionem Barbosæ; non in secundo. Exemplum dant in casu, quo alicui de beneficio proviso simul imponitur residentia; *aliàs gratia sit nullius momenti.* In tali enim casu provisio non est ipso jure nulla etiam omissâ residentiâ; sed tantùm annullanda.

Possetfortassis etiam res explicari juxta 1187.
dicta *lib.* 4. *in Tit. de conditionibus appositis*, ubi diximus, irritam esse dispositionem *conditionalem* sub conditione non subsistente; irritandam autem duntaxat *modalem*, si modus dispositioni adjectus non impleatur. Hinc si irritatio per ea verba imponatur actui in contrarium gesto, propter conditionem non impletam, omninò irritus erit ipso jure; si autem solùm propter non impletum modum, seu gravamen impositum, esse duntaxat irritandum.

Quæstio altera est, quid dicendum, si 1188.
lex irritans actum in contrarium gestum dicat: *careat omni robore, omni jure, firmitatem non habeat?* Barbosa *cit. dictione* 53. docet, quòd importet *latam sententiam, & ipso jure*, non autem ferendam, juxta gloss. in L. *providendum*, C. *de postul.* V. *foro*; & in L. 1. *ff. ad leg. Juliam, de vi publica*; id, quod etiam tenet Tiraquel. in L. *Si unquam*, C. *de revocand. donat.* V. *revertatur*, *n.* 161. Sayrus, Cardin. Tuschus, & alij ibid.

In hac quæstione (id, quod in omni 1189.
verborum legis ambiguitate observandum est) considerandum est, an verba directè cadant super actum faciendum, aut super rem, qua quis privari debet? si actus aliter fiat, quàm lex velit. Si primum; satis probabile est, non significari nullitatem ipso jure, sed solùm, actum esse irritandum. Nam hoc ipso, quòd irritabilis est, non habet *omnem firmitatem*, sed solùm aliquam, auferibilem tamen; ergo ly *careat omni valore, omni jure, omni firmitate*, in materia odiosa plus non importat, quàm ei tollere *firmitatem, non rescindibilem.* Probabile tamen etiam est oppositum. Nam si significaret solùm firmitatis inauferibilis carentiam, *cum eo, quòd careret omni firmitate*, staret *aliqua firmitas*, sed irritabilis. Carere autem *omni firmitate*, & *habere aliquam firmitatem* non consistunt; nisi negativa universalis loquatur solùm *de firmitate non irritabili*; & affirmativa, *de irritabili*; quæ distinctio saltem in odiosis & pœnalibus bene usurpatur pro præsenti casu, nisi ex subjecta materia aliud colligatur.

Si autem irritatio sub prædictis verbis 1190.
cadat in rem ipsam, qua quis propter actum, in contrarium gestum, privandus

est, ut si dicat, *careat omni commodô, privetur omni jure, omne jus amittat, &c.* cùm hæc verba referri possint æquè ad Judicem, ac ipsum Reum, censet Castropalaus *cit. n.* 3. ea esse accipienda in sensu mitiore (cùm in re odiosa, vel pœnali simus) pro irritatione per sententiam, non ipso facto.

1191. Quæstio est, an verba legis irritantis, quæ resistunt *potentiæ actûs*, significent nullitatem ipso jure? ut cùm dicit: *non possit taliter facere, donare, eligere, confirmare, &c.* Certum videtur, quòd, si potestas juridica tollitur ad talem actum, eum, si fiat in contrarium potentiâ solùm physicâ, invalidè fieri ipso jure, nimirum ex defectu legitimæ potestatis. Certum quoque est, quòd sæpè dicamur, *non posse facere*, quod facere non possumus *de jure*, seu *licitè*; quo casu actus, esto dicatur, *fieri non posse*, nimirum *licitè*; tamen *fit validè*, & de jure, tribuente illi valorem, ut constat ex *n.* 1156. & pluribus ostensum est *l.* 4. *in tit. de condit. appos.*

1192. Tota igitur quæstio resolvitur in id, ut declaretur, quando ea verba, in lege posita, ex mente Legislatoris censeri debeant ablativa legitimæ potestatis, qua secluſa ipso facto actus in contrarium gestus irritus sit, & nullus? Et quamvis communiter dicatur, ut videri potest apud Barbos. *cit. dictione* 268. *n.* 3. quòd verbum *possum*, negativè prolatum (*non possit* v. g. vel *non potest*) importet necessitatem, & actum contra gestum omninò reddat nullum, privétque omni potentia (quæ scilicet à jurisdictione Legislatoris dependens est) quia tamen, ut rectè notatur in pluribus Rotæ decisionibus, *ibid. n.* 3. relatis, *ratione materiæ subjectæ* quandoque importat necessitatem, & nullitatem; quandoque solùm *non aliter faciendi* obligationem, seu solam prohibitionem, imò & impotentiam solius indecentiæ, ut notavimus alibi: ideo ex subjecta materia, & circumstantijs, prudenti arbitrio, in dubijs, quæstio resolvenda erit, attenta in similibus juris dispositione, ut notat Barbosa *cit. n.* 8. ex Seraphin. *de privil. juramenti, privileg.* 73. *n.* 72. dicente, quòd interdum inducat *solam prohibitionem, & clausulam prohibitivam.*

## ARTICULUS II.

### *De lege pœnali.*

*Pœna* est id, quod pro culpa infertur; seu quo quis ob delictum afficitur. 1193.
Est enim, quæ punit, & vindicat, quod quisque commisit, c. *Pœnitentia, dist.* 3. *de pœnit.* definitur, *delictorum debita coërcitio, vel satisfactio, quæ à lege, vel ministris legis, vel legis ministeriô imponitur.* Differt à *supplicio*, quòd hoc aliquando sine culpa inferatur, ut cùm torquetur brutum, vel homo justus; *pœna* verò nunquam inferatur sine culpa, quamvis inferatur *sine culpa puniti*, licèt non sine causa, ut notat Salas *D.* 10. *de legib. sect.* 5. *n.* 26. quia scilicet propter culpam alterius. Unde *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*

Pœna generaliter accepta juxta Molinam *tom.* 2. *de Just. D.* 317. dividitur in 1194.
*legalem, judicialem*, & *conventionalem*. Legalis est, quæ lege, aut statuto imponitur, ut si lege cautum sit, ne quis noctu incedat armatus, sub pœna ducentorum aureorum. Judicialis dicitur, quam Judex imponit, si intra certum tempus aliquid non fiat, aut non solvatur. Conventionalis est, quæ pactô, conventionéve de partium consensu ponitur, si quis contractui non stet, aut intra certum tempus non solvat. Ex pœnis istis aliæ sunt *positivæ*, aliæ *privativæ*; istæ, quæ nullam, illæ, quæ aliquam actionem requirunt; *privativæ* consistunt in privatione, cujusmodi sunt censuræ, irregularitates, inhabilitates, & irritationes actuum: *positivæ* in actione, quam exigunt ad sui executionem, vel faciendam ab ipso delinquente, vel alio tertio, ut carceratio, exilium, solutio pecuniæ, mutilatio, vitæ privatio, &c. Quædam verò tales sunt, quæ statim ad positionem delicti consequuntur, & dicuntur *latæ sententiæ*, incurruntùrque ipso jure, seu facto, id est, hoc ipso, quòd factum, vel opus, aut culpa commissa sit, propter quam imponuntur: aliæ verò sunt *ferendæ*, quæ, non obstante delicto jam commisso, non incurruntur priùs, quàm ferantur, seu decernantur à Judice. Ex pœnis privativis aliæ sunt, quæ impediunt dominij translationem, seu jus acquirendum; aliæ, quæ privant jure acquisito,

quisito, seu possideri cæpto, quæ postremæ *propriè* dicuntur *pœnæ*, ut docet Thomas Sanchez *l.* 3. *de matrim. D.* 53. *n.* 8. quibus positis, loquendô generatim: *Lex pœnalis* est, quæ transgressoribus statuit pœnam in odium delicti contra legem commissi, ut notavimus *n.* 256. ex communi. Nam & actus puniendi, seu punitio delicti, est actus legis propriè dictæ, secundùm dicta *n.* 1152. Dupliciter autem fieri potest, quòd lex imponat pœnam. 1. simul obligandô naturaliter ad actum sub lege positum; 2. solùm obligandô naturaliter ad sustinendam pœnam. In hoc secundo *lex* erit *merè pœnalis*; in primo, *pœnalis mixta*, nimirum constituens & actum, & pœnam sub obligatione naturali, seu conscientiæ, ut diximus *n.* 256. *Leges* autem *merè pœnales*, *esse propriè* leges, constat ex *n. cit. & seqq.* tum etiam *n.* 313.

1195. Præter hæc not. 1. quòd lex, quæ transgressoribus statuit pœnam *spiritualem*, sit *mixta*, nimirum obligans naturaliter non tantùm ad pœnam, sed etiam actum immediatè positum sub lege, ut dictum est *n.* 256. Not. 2. quosdam velle, legem, quæ transgressoribus statuit pœnam gravem *solùm temporalem*, adhuc esse legem *pœnalem mixtam*, nimirum naturaliter obligantem non tantùm ad pœnam, sed etiam ad actum immediatè positum sub lege, ut constat ex *n.* 258. alios tunc esse *legem purè pœnalem*, ex *n.* 257. *& seqq.*

1196. Not. 3. ex hoc præcisè, quòd transgressioni statuatur pœna temporalis etiam gravis, non rectè argui, quòd Legislator intendat graviter obligare ad actum immediatè positum sub lege, per *n.* 259. Similiter dicendum est, licèt utatur in tali casu verbis immediatè directis ad actum, sed indifferentibus, non præceptivis, per *n.* 270. *& seq.* Secùs, si simul utatur verbis præceptivis immediatè directis ad actum *per dicta à n.* 264.

1197. Not. 4. legem, quæ transgressioni statuit pœnam merè temporalem, quin utatur verbis præceptivis immediatè directis ad actum sub lege directè positum, esse *merè pœnalem.* Tunc enim naturaliter non obligat nisi ad solam pœnam tolerandam, ut constat ex *præced. num.* Secùs est, si materia sit gravis, & pœna statuta per verba præceptiva, immediatè directa ad actum, juxta dicta *n.* 297. his præmissis:

## §. I.

### *An & qualiter ignorantia legis excuset à pœna legis?*

Cùm res, quæ culpâ caret, in damnum 1198.
verti non debeat, c. *Cognoscentes*, *de constitut.* 1. ignorantia, quæ excusat à culpa, etiam excusat à pœna ipso facto cæteroquin per legem imposita. Pœna enim est *propter delictum*, non merè materiale, sed *imputabile operanti.* Ex hoc collig. 1. eum, qui legem violat ex invincibili, ac inculpabili legis ignorantia, non incurrere pœnam lege statutam transgredientibus illam; quia talis transgressio non est formaliter imputabilis ad culpam, ut constat ex dictis *à n.* 667.

Collig. 2. universaliter, ignorantiam, 1199.
quæ excusat à culpa formaliter imputabili contra legem, etiam excusare à pœna legis; sic enim abest ratio culpæ, quam pœna supponit juxta *n. cit.* ubi etiam in sequentibus exposuimus, an, & qualiter ignorantia etiam vincibilis excuset à culpa; quo supposito resolvi potest altera etiam quæstio, an, & qualiter eadem excuset à pœna? Hinc fit, quòd etiam ignorantia facti excuset à pœna, ubi excusat à culpa. Unde Petrus *Clericum*, quem ignorat *esse talem*, percutiens, excommunicationem non incurrit, eò quòd *Clerici* percussio illi non sit imputabilis. Hæc responsio pariter est universalis, ut docet Covarruvias c. *alma mater* 1. *p.* 1. §. 10. *n.* 15. *v.* 11.

Pro ulteriori ejusdem materiæ notitia 1200.
observandum. 1. opus extra statum libertatis secutum ex causa voluntariè data (v. g. ex ignorantia culpabiliter inducta) non imputari ad novam malitiam, ultra malitiam causæ, id quod latè probavimus *à n.* 703. ita etiam P. Thomas Sanchez *in Decal. l.* 1. *c.* 16. *n.* 45. citans pro se D. Thomam *in* 4. *dist.* 17. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 4. *ad* 2. Suarez, & Vasquez, dicentem, *esse hoc extra controversiam.*

Observandum 2. non tantùm habitu- 1201.
alem ignorantiam, sed etiam actualem excusare à culpa, si nulla cogitatio operanti in mentem venerit eo tempore, quo

præceptum implere debet, *Si enim ea non veniente in mentem* (ait Sanchez *cit. c. 16. n. 5.*) *immemor juris, vel facti, præceptum transgrediatur, est oblivio invincibilis, & excusat*, prout etiam tenet Azor *p. 1. l. 1. c. 16. q. 3.*

1202. Observandum 3. quòd ignorantia solùm *venialiter* culpabilis, opus ex ea secutum ita minuat *quoad malitiam*, ut reddat illud solùm venialiter malum, licèt, eâ ignorantiâ seclusâ, foret mortaliter malum; ita Sanchez *cit. c. 17.* quia tale opus, dum fit, non est voluntarium *in se*, sed *tantùm in causa*, nimirum in negligentia culpabiliter admissa, unde nata est ignorantia; ergo non potest habere aliam malitiam formaliter imputabilem, nisi negligentiæ; quia, ut ponitur, non habet ullum aliud voluntarium; sed malitia negligentiæ est solùm venialis.

1203. Observandum 4. ex communi plurimorum sententia, quos refert, & sequitur Sanchez *cit. n. 19.* peccatum ex ignorantia commissum contra præceptum juris humani, non esse mortale, *si ignorantia non sit crassa, vel affectata.* Ratio illorum est, quia non est intentio piæ matris Ecclesiæ bonas hujusmodi animas illaqueare tam hostili vinculô, & circumstantiâ ignorantiæ, etiam culpabilis, modò non sit crassa, vel supina, aut affectata; & qualiscunque bona fides, attenta simul conditione juris positivi, quod non habet esse tam strictum, ac jus naturale, & divinum, minuit gravitatem culpæ usque ad non mortale. V. Sanchez *cit. n. 20.*

1204. Observandum 5. non esse admittendam hanc regulam, quòd, *quoties quis rei illicitæ dat operam, effectus subsecutus imputetur ad culpam, nec ignorantia facti censeatur tunc inculpabilis, quantacunque diligentia adhibita fuerit*; ita Sanchez *cit. c. 16. n. 38.* quia talis res illicita potest *in ratione causæ, inducentis ejusmodi effectum* esse omninò ignorata, ita, ut nulla circa effectum occurrat cogitatio, aut dubitandi ratio; aut si occurrit, ad eum evitandum potest moralis diligentia impendi, quo casu nec in se, nec in causa erit voluntarius.

1205. Observandum 6. quando Canon, aut lex imponit pœnam cum sequenti addito: *qui scienter hoc, vel illud fecerit*, ignorantiam, quantumcunque crassa sit, & lata, excusare à pœna; rationem dat Thom. Sanchez *cit. à n. 30.* quia *dolus*, inquit, non probatur ex culpa lata, & ignorantia crassa. Leges autem tunc tacitè petunt *dolum* in transgressione, quoties actum puniunt tertio inferentem injuriam; quam mentem suam leges per hanc particulam *scienter* solent indicare; quia, cùm nihil additur, desideratur crassa ignorantia secundùm omnes; ergo quando addunt particulam *scienter*, amplius aliquid requirunt. Idem dicendum est, quando Canon dicit: *Si quis ausus fuerit.* Nam *audacia* importat temeritatem; vel cùm Canon *præsumenti* aliquid facere, vel *ausu temerario* facienti, pœnam imponit, & sic de omnibus alijs clausulis, quæ vel dolum, vel temeritatem insinuant.

Hinc colligunt aliqui Authores, percus- 1206.
sorem ex lata culpa, & crassa ignorantia, hunc, quem percutit, ignorantem, *esse Clericum*, non incurrere excommunicationem, eò quòd existiment has Canonis particulas: *Si quis suadente diabolo*, importare *dolum*, non minùs, quàm illas: *si quis scienter*; Sic apud cit. Sanchez: Abbas, Tuschus, Alex: de Nævo, D. Antoninus, & alij: ipse tamen cum Decio, aliisque sentit oppositum, dicens: illa verba propterea esse apposita, ut declarent eam percussionem, quæ fit correctionis causâ, esse licitam. Hanc tamen explicationem non subsistere judicat Herdinck *in M. S. de legib. D. 3. §. 8. circa fin.* nam ejusmodi percussio, quæ fit *correctionis causâ*, se ipsam excipit à lege; cùm non sit materia peccati mortalis. Hinc priorem sententiam judicat esse probabiliorem.

Ex hoc confirmari potest, quod dixi- 1207.
mus *n. 1199.* quoties aliqua ignorantia excusat operantem à culpa, quam supponit pœna, per eandem ignorantiam eundem excusari ab ipsa pœna. Quare ubi ignorantia per culpam solùm levem inducta, est venialiter tantùm mala, eo ipso excusabit à pœna, quæ supponit actum mortaliter malum; & ubi pœna requirit culpam *temerè*, vel *cum præsumptione* admissam, non incurri pœnam, ubi per ignorantiam à culpa tollitur temeritas, vel præsumptio, & sic de alijs.

§. II.

## §. II.

### *An, & qualiter ignorantia pœnæ excuset ab incursu pœnæ?*

1208. QUamvis verum sit, quòd *ignorantia legis* excuset à pœna; ignorantia tamen pœnæ non excusat directè, & formaliter à culpa, lege cognita. Nam ignorantia non aliter excusat à culpa, nisi quatenus aufert, vel minuit voluntarium; at ignoratis pœnis non propterea culpa, lege cognita, est minùs voluntaria directè, & formaliter; ergo nec erit minùs imputabilis directè & formaliter. Indirectè tamen, & quasi per accidens minuitur nonnihil culpa, ignoratis pœnis; cùm culpa scientis legem; sed ignorantis pœnam non adeò gravis sit, quam culpa scientis utrumque, & nihilominus controvenientis.

1209. Difficultas est, an, si scias actum lege prohiberi, ignores autem, illa lege, facientibus nihilominus actum, constitutam esse pœnam, excuseris ab incursu pœnæ? Haunoldus *tom. 1. de jure, & just. tr. 1. n.* 103. censet distinguendum *inter pœnam proportionatam delicto secundùm se spectato*, præscindendô à circumstantijs aggravantibus, ac exigentibus, ut in tali Republica specialiùs, & graviùs, quàm alibi puniantur; & *inter pœnam, quæ imponitur delicto cum illis circumstantiis considerato.* In primo casu censet, Reum delicti non excusari à pœna, quantumvis ignorata; secùs in secundo, quia in hoc pœna respondet delicto non utcunque sumpto, sed ut *graviori*, quod delinquens ponitur ignorâsse. Sanchez *l. 9. matr. D. 32. n. 1.* hanc quæstionem vocat difficillimam, quòd confusè satis discutiatur à Doctoribus non distinguentibus inter pœnas, ignorantias juris, facti, pœnæ, &c. his præmissis:

1210. Resp. 1. excusari à pœna, qui committit actum aliquem sciens, illum alio jure prohibitum (v. g. naturali, vel divino) ignorans tamen jus novum, quod ei statuit pœnam, priori jure non statutam. Hanc responsionem in materia censurarum, tanquam probabiliorem tenet Sanchez *cit. n. 9.* Sed rationes ejus universaliter videntur probare etiam de alijs pœnis legalibus ipso facto incurrendis. Nam inter alias rationes ejus est, 1. quòd *quantitas pœnæ commensuranda sit quantitati delicti*, juxta c. *Felicis, de pœnis in 6.* ibi: *Judex pœnam metiatur ex culpa;* & *c. 2. de his, quæ fiunt à major. part. Capit.* ibi: *nec pœna sit ulterius protrahenda, quàm delictum fuerit;* cujus tamen contrarium fieret, si pœna eadem responderet transgredienti *scienter solùm jus antiquũ non pœnale, sed ignoranter novum pœnale*, quæ respondet *scienter violanti utrumque;* at hoc etiam locum habet in alijs pœnis alio jure statutis; ergo.

Confirmat hoc ex c. *Proposuisti, dist.* 1211. 82. ubi Innocentius I. Exuperio Episcopo Tolet. rescribens decidit, Clericos incontinentes non deponendos esse juxta Constitutionem Siricij Papæ; causámque reddit, *quia illam ignorabant*, ibi: *his ignorantibus venia non negabitur*, ubi glossa V. *negabitur*, rationem subdit: *quia decretum non ligat ignorantes;* ubi vides, eos Clericos fuisse excusatos à pœna *depositionis* pœnaliter statuta per Siricium in Clericos incontinentes, quia novum illud jus pœnale ignorabant, licèt sciverint incontinentiam juri divino, & naturali esse contrariam; at hæc ratio locum habet etiam in alijs pœnis; ergo.

3. Jus indicens novam pœnam rei, an- 1212. tea prohibitæ, est prorsus novum quoad eam pœnam; ergo de illo, sicut de alio novo jure discurrendum erit; sed invincibiliter ignorantes transgressionem suam (quam sciunt oppositam alteri antiquo juri *divino* v. g.) esse contrariam novo juri, excusantur à culpa contra illud, ergo etiam à pœna novi juris.

Dices 1. per hæc solùm probari, quòd 1213. ignorantia culpæ contra novum jus excusat ab ejus pœna. Unde Sanchez *cit. l. 9. D. 32. n. 6. constat*, inquit, *apud omnes, quamvis lex sufficienter promulgata sit, si actum, nullo alio jure interdictum, puniat, ignorantes invincibiliter dispositionem illius legis, à culpa, & illius pœnis eximi;* licèt concedat idem etiam in casu, quo actui, novo jure prohibito, ab eodem statuitur pœna, si hoc novum jus ignoretur, licèt sciatur prohibitus alio jure antiquiori, ut expresè habet *n. 9.*

Sed cùm ipsa impositio pœnæ, quæ fit 1214. nova lege, sit etiam *novum jus*, si ignorantia novi juris excusat à culpa, & illius pœna,

na, eo ipso non liberatur ignorans à pœna solo titulo ignoratæ culpæ, seu legis, *in quantum præcipientis, vel prohibentis præcisè*, sed etiam *in quantum punientis*, seu in quantum pœnalis; nam etiam *in quantum puniens*, seu imponens pœnam, est *novum jus*; cùm etiam actus puniendi sit actus juris, seu legis propriè dictæ, ut constat ex dictis: at sic ad incursum pœnæ, requiritur cognitio pœnæ (quæ tamen non habetur ignoratâ pœnâ) cùm aliàs haberi non possit cognitio *novi juris*, in quantum punientis; ergo

1215. Et ideo circa ignorantiam pœnæ quidam sic discurrendum censent. Cùm delinquentis obligatio ad pœnam sit *naturalis*, hoc est, *non consurgens ex delinquentis consensu* in ipsam pœnam, *& scientiâ*, sed ex authoritate legis, & voluntaria positione delicti, bene sequitur, scientiam pœnæ non prærequiri eo titulo, ut incurratur, vel possit ipsa incurri: Secùs tamen est, ut detur, & possit dari *consensus in causam pœnæ* non solùm materialiter, sed etiam formaliter, *ut causa est*; ac proinde, *cùm scientia pœnæ ad plenam juris scientiam acquirendam spectet*, de ignorantia pœnæ idem dicendum est, quod de ignorantia juris dictum est; ita Navarrus *in Summa* apud P. Sanchez *l. 9. matr. D. 32. n. 20.*

1216. Ex hoc colliges juxta Navarrũ cit. non incurri pœnam legalem (loquendô non tantùm de censuris, sed etiam quavis alia) sine notitia etiam ipsius pœnæ, *non ut delinquens consentiat in pœnam, sed in causam pœnæ*, nimirum in transgressionem prout illativam pœnæ; quod utique fieri non potest sine notitia pœnæ, seu legis in quantum punitivæ. Nam esto jus, quod imponit *obligationem ad culpam*, quin statuat actui in contrarium gesto pœnam, scienter violetur, si tamen ignoretur aliud jus eidem actui statuens etiam pœnam, hæc non incurritur, ut tenet etiam Sanchez, relatus *n.* 1213. ergo idem dicendum erit, licèt utrumque præstet idem jus, & scienter violetur, *in quantum prohibitivum*, si ignoretur, *in quantum punitivum*. Nam ut tale, relatè ad prohibitivum quà tale, explicat *novum jus*, cujus transgressio quà talis non stat sine cognitione pœnæ per ipsum statutæ. Et ideo sententiam Navarri amplectuntur Philiarch. Manuel, Hostiensis, & complures alij apud Sanchez *cit. n.* 20. qui *num. seq.* eandem concedit esse probabilem.

Sed quia suprà *n.* 1209. notavimus ex Haunoldo, etiam ab ipso concedi, non incurri pœnam legis non prœcognitam, quando ea imponitur delicto non nudè sumpto; sed solùm quando aucta est ultra delicti nudè considerati naturam; secùs, quando est proportionata delicto nudè, ac secundùm se sumpto; id, quod etiam docet Sanchez *cit. num.* 20. *sub finem*, rationem dans: quia pœna delicto secundùm se considerato imposita, *aut scita est*, *aut sciri debuit*; quando autem aucta est propter aliquas circumstantias, justè ignoratur: quæstio est, an saltem tunc, ubi pœna respondet soli delicto nudè considerato sine alijs circumstantijs v. g. majoris gravitatis, reiterationis, &c. pœna ignorata incurratur? 1217.

Mihi semper visa est probabilior negativa cum Navarro, & alijs suprà cit. 1. quia etiam talis pœna potest quandoque justè ignorari, licèt, cùm ordinaria sit, præsumatur scita, & ut talis habeatur in foro externo; ergo cùm pœna justè ignorata excuset ab incursu talis pœnæ, quantumvis ordinaria sit, & proportionata delicto, non incurretur ignorata. 2. pœna, secundùm quod correspondet delicto, *ut aucto* ex aliqua circumstantia, secundùm eum excessum non incurritur, si sit ignorata quoad jus novum disponens pœnam tali augmento delicti, ut fatetur Haunoldus, & alij; ergo etiam secundùm quod correspondet delicto nudè sumpto, si ignoretur statuta delicto nudè sumpto; pat. conseq. à fortiori; si enim ignorantia, quòd jus ob aliquam circumstantiam augeat, vel statuat pœnam majorem, quàm mereatur delictum secundùm se, excusat à pœna, secundùm quod commensuratur delicto, ut subest illi circumstantiæ, seu ut aucto; à fortiori excusabit ignorantia, quòd jus ob substantiam talis delicti, imponat, & statuat talem pœnam, qua cæteroquin dignum est delictum secundùm se consideratum; nam & delictum, ut subest tali circumstantiæ, dignum est eâ pœnâ *auctâ*. 1218.

Nec juvat, quod communiter affertur, *censuras habere hoc speciale*, non commune alijs pœnis, nempe quòd illæ non infligantur, *nisi contumacibus*; quæ circumstantia requirit notitiam pœnæ. 1. quia 1219.

*contu-*

*contumacia, contra repetitas monitiones de obligatione legis ad culpam*, stare potest *sine cognitione pœnæ tali contumaciæ ipso facto annexæ*; & tamen censura non incurritur *sine cognitione pœnæ*, quia scilicet ex natura legis pœnalis incursus pœnæ, jure statutæ, requirit violationem juris non utcunque prohibentis, *sed pœnaliter*; ut diximus *n.* 1210. sed hoc est commune omni pœnæ legali.

1220. Deinde gratis dicitur, quòd censuræ *titulò contumaciæ* specialiter exigant *præviam cognitionem talis pœnæ*. Nam id nullo jure probatur. Primò enim *ratio contumaciæ* salvatur, si quis etiam post intimationem de sua obligatione in contrarium operatur; sic, qui sciens se errare in materia fidei, nihilominus in errore suo perseverat, *cum pertinacia* dicitur *tueri errorem*; ergo ratio contumaciæ stat sine cognitione pœnæ.

1221. Denique *contumacia* idem valet, atque inobedientia voluntaria, qua quis monitionem Judicis implere contemnit, ut notat Pereyra *in Elucidar. n.* 1727. *ex c.* 2. *de dolo & contumacia*. Unde propriè accipitur in ordine ad Superiorem, quà Judex est; & consistit *in non faciendo voluntariè, quod quis scit se facere debere*; sic ille; sed hoc non requirit ex natura rei scientiam pœnæ, ut liquet ex data contumaciæ definitione; ergo censuræ non prærequirunt cognitionem pœnæ, ex hoc, quòd supponant *contumaciam*; ergo si eam prærequirunt, id contingit *ex natura legis pœnalis*; at sic non habent hoc specialiter præ alijs pœnalibus legibus; ergo.

## §. III.

### *Resolvuntur argumenta contraria.*

1222. ANtequam proponam objectiones, notandum 1. tanquam probabilius à nobis sustineri, quòd non incurrat pœnam novo jure statutam, qui hoc *novum jus* ignorat, in quantum est prohibitivũ, licèt sciat actum alio jure prohibitum, ut diximus *n.* 1210. Not. 2. quamvis ignorantia pœnæ non minuat culpã, in quantum est contra legem prohibentem cognitam; quia non minuit voluntarium in actu, in quantum opponitur legi quà prohibenti actum, ut diximus *n.* 1208. per accidens tamen ex ignorantia pœnæ minui culpam, quatenus hæc foret major, si actus factus esset non tantùm cum scientia prohibitionis, sed etiam punitionis, quàm si factus esset cum sola notitia prohibitionis.

Not. 3. à nobis sustineri ut omninò probabile, nullam incurri pœnam, à lege decretam ipso facto in transgressores, nisi actus fiat non tantùm cum scientia prohibitionis, sed etiam ipsius pœnæ. 1. quia cognitio pœnæ pertinet ad notitiam juris imponentis pœnam, ut exposuimus *à n.* 1214. 2. quia aliàs delicta inæqualia punirentur æquali pœna, de quo V. *n.* 1210. 3. quia incursus pœnæ, peccato solùm accessoriæ extrinsecùs, requirit consensum *in causam pœnæ*, quà talem, ut docet ipse Sanchez (aliàs nobis contrarius) qui *loc. cit. n.* 14. sic loquitur: *cùm pœna in se ipsa nobis involuntaria sit* (ut diximus *n.* 1215.) *in causa debet esse voluntaria, quo enim incurratur, debet amari delictum, ut est causa pœnæ, saltem in excommunicatione; unde oportet illius notitiam præmitti*; sed hoc non stat cum ignorantia pœnæ; ergo. 1223.

Not. 4. quosdam universaliter tenere, nec ad censuras ipso facto incurrendas prærequiri notitiam *pœnæ*, sed sufficere notitiam de prohibitione actûs; alios, *in censuris requiri* non tantùm notitiam culpæ, si fiat contra legem, sed etiam pœnæ; *in aliis autem pœnis*, quæ proportionatæ sunt delicto secundùm se, sufficere *notitiam culpæ*, etiam cum ignorantia pœnæ, ut diximus *n.* 1209. Proponemus igitur utriúsque partis argumenta contra nostrum assertum in *n.* 1223. Igitur: 1224.

Dices 1. ad incurrendam pœnam ipso facto statutam à lege, non requiritur consensus delinquentis in pœnam; ergo ignorans pœnam, modò sciat actum sub culpa vetitum, incurrit pœnam. Ant. prob. primò, quia obligatio ad pœnam est naturalis, & non nascitur ex nostro consensu, sed ex authoritate legis eam imponentis, & libero consensu in delictum. Nam *omnes* (intellige obligationes ex delicto) *ex re nascuntur, id est, ex ipso maleficio*, ut dicitur *in Instit. de obligat. quæ ex delicto*, & L. *Imperatores, ff. de jure Fisci*, ibi: *tu te huic pœnæ subdidisti*. Patet etiam consequam 1225.

nam ideo deberet adesse notitia pœnæ, ut daretur consensus in pœnam.

1226. Secundò. Principium culpæ est intra nos (nam omne peccatum est voluntarium) principium autem pœnæ extra nos, nec ad illam desideratur voluntas, cùm hæc illi communiter repugnet; ergo non desideratur præcognitio pœnæ, quò incurratur; aliàs infideles ignorantes pœnam inferni ab ea excusarentur. Tertiò, quia plurimi non docti nihil sciunt de pœna excommunicationis suo delicto annexa; ergo eam soli docti, scientes talem pœnam, incurrerent. Deinde delinquens, qui nec in delicto, nec in ejus qualitate erravit, sed in genere pœnæ, ab ipsa non eximitur; ita Baldus *c. 2. de Constit. n. 1.*

1227. R. cum dist. anteced. ad incurrendam pœnam, ipso facto statutam à lege, non requiritur delinquentis consensus in pœnam, sed *in causam pœnæ*, C. ant. non requiritur delinquentis consensus in pœnã, *nec in causam pœnæ*, N. ant. *ex n. 1210. & seqq.* N. conseq. quia notitia juris imponentis *obligationem ad pœnam* non minùs pertinet ad plenam scientiam juris in operante; quàm notitia juris imponentis obligationem ad culpam; ergo pœna juris non incurritur, ubi non præcedit plena scientia juris obligantis ad culpam, & pœnam; ergo requiritur consensus *in causam pœnæ*, quà talem, nimirum supponens notitiam, quòd si actus fiat contra legem, ipso facto trahat pœnam; nam sine hoc non habetur plena scientia juris, cujus violatio punitur.

1228. Ad 1. prob. ant. R. concedi, obligationem ad pœnam esse *naturalem*, nec pendentem à nostro libero consensu, nisi in delictum præcisè secundùm se; sed *in quantum est causa pœnæ*; non autem aliàs; idem R. ad alterum textum in L. *Imperatores*, dicentem: *tu te huic pœnæ subdidisti*, nimirum, consentiendò in delictum non secundùm se, sed secundùm quod est causa pœnæ.

1229. Ad 2. prob. R. principium tam culpæ, quàm pœnæ esse partim intra, partim extra nos. Nam obligatio naturalis ad pœnam consurgit ex lege, & consensu nostro libero in delictum, ut causam pœnæ; sed horum principium est voluntas delinquentis, & legem statuentis, ubi primum est intra; secundum extra nos; ergo. Sed ex hoc non sequitur ad incurrendam pœnam non ex natura rei annexam delicto, non requiri cognitionem pœnæ, ut vult objectio. Infernus autem non est pœna, quam secum trahit mortale ex mera lege positiva; sed ex natura rei.

Et quamvis P. Sanchez *cit. n. 14.* dicat: infernũ incurri etiam citra cognitionẽ præviam de tali pœna, quia est pœna *ordinaria, & delicto proportionata*; hoc tamen non videtur dici posse. Nam si infernus est pœna ordinaria, & delicto gravi proportionata, comissso etiam seclusâ scientiâ pœnæ peccato mortali annexæ, quomodo delicto gravi commisso sine notitia excommunicationis impositæ, hæc pœna non erit propotionata, cùm multò sit inferior pœnâ æternâ; ergo & hæc æquè, ac illa incurretur sine notitia pœnæ; at hoc de censuris non admittit Sanchez; ergo infernus non ex hoc, quòd sit pœna ordinaria, & proportionata delicto, non incurritur seclusâ notitiâ pœnæ; sed quòd sit pœna delicto scienter commisso annexa ex natura rei. Cæterùm concedo, solos eos incurrere censuram, & irregularitatem ex delicto, qui sciunt eam dispositione juris annexam delicto; non autem ignorantes. Quod adducitur ex Baldo, procedit solùm in foro externo; quia præsumitur scientia; unde nec in foro externo illi pœnæ locus esset, si legitimè probaretur ignorantia juris, ut punitivi. 1230.

Dices 2. licèt censuræ, & irregularitas ex delicto non incurrantur sine scientia juris positivi eas pœnas imponentis; in alijs tamen pœnis multò probabilius est, non requiri, ut docet Sanchez *l. 9. matr. D. 32. n. 22.* ergo. ant. prob. nam illud est proprium, & speciale in illis pœnis. 1. quia prærequirunt *contumaciam*, quam non exigunt aliæ pœnæ. 2. quia illæ fundantur in *contemptu*. 3. quia prærequirunt competenter præmitti *monitionem* ex c. *Sacro, de sent. excom.* at hæc non stant, nisi delinquens noverit censuram rebellibus inflictam; ergo. Confirmatur 1. quia excommunicatio est medicinalis ex una parte, ex altera est ultima pœna, qua Ecclesia punit; ergo quà est ultima pœna, petit summam contumaciam, qualis est, quæ perdurat etiam cognita comminatione excommunicationis; hoc non militat in alijs pœnis. Deinde, quòd censuræ petant 1231.

consen-

consensum in causam pœnæ, in illis est speciale propter rationes jam allatas; ergo ab illis ad alias pœnas nullum est argumentum.

1232. Resp. N. ant. cum sua probatione, quæ vult *esse speciale in censuris*, quòd, ut incurrantur, requirant prævium notitiam pœnæ. Nam tituli, in quibus volunt fundari hanc *specialitatem in censuris*, id non suadent tanquam probabilius. *Contumacia* stat sine cognitione pœnæ, cum sola cognitione prohibitionis sufficienter intimatæ, *per dicta n.* 1220. ergo titulô *contumaciæ* non prærequiritur delictum fieri cum cognitione pœnæ. Scio responderi communiter, ad censuras prærequiri non qualemcunque contumaciam *generalem*, communem omni peccato gravi; sed eam, quæ consistat in inobedientia etiam post notitiam pœnæ; sed hoc foret probandum aliquo textu juris, aut ratione cæteris graviore.

1233. Verum est, prærequiri *contumaciam contra monitionem, & nihilominus actum in contrarium fieri.* sed cùm monitio fieri possit per legem, vel hominem, & vel de gravi actûs *prohibitione*, aut debito; vel si contra fiat, etiam *de pœna imposita*, probandum foret ex speciali natura censuræ esse, quòd exigat *contumaciam contra monitionem de pœna secùs agenti impositam*, nec sufficere contumaciam contra monitionem *de gravi actûs prohibitione*; at hoc non probatur; imò, cùm idem tribuatur *irregularitati ex delicto*, quæ non est *censura*, eo ipso id non est *ex speciali natura censuræ.*

1234. Neque etiam intentum evincunt ex eo, quòd censuræ prærequirant *contemptum.* Nam si per *contemptum* nil aliud velint, quàm *quòd fiat opus prohibitum cum scientia pœnæ*, illi decretæ à jure positivo, & hunc dicant prærequiri ex speciali natura censuræ, desideratur hujus probatio, quæ tamen non affertur. Deinde not. 1. ex Suarez *l.* 3. *de legib. c.* 28. *contemptum materialem* dari, cùm aliquid fit, quo aliqua persona alijs postponitur, sine directa intentione: *formalem*, quando id directè intenditur: nam intentio dat formalitatem actibus.

1235. Not. 2. contemptum partim esse *in intellectu*, partim *in affectu*, partim *in opere.* In *intellectu* datur, quando res aliqua, vel persona habetur in minori æstimatione, quàm ejus dignitati debeatur. In *affectu*, est velle habere, vel verbis, & factis ostendere, aut in alijs generare illam vilem æstimationem de alio. In *opere* est, quidquid exteriùs fit intentione despiciendi alium, ut ab alijs parvi æstimetur.

1236. Not. 3. non semper violare legem *ex contemptu*, qui ex certa scientia, sine passione, & causa, etiamsi ex consuetudine, legem violat; quia potest abesse pravus ille affectus: tunc igitur violatur lex ex contemptu, quando transgressio exterior nascitur ex imperio contemptus interioris, ita ut fiat contemptus exterior; sic Pereyra *in Elucidar. n.* 214.

1237. Not. 4. transgredi legem humanam ex contemptu rei, *præcepti gravis*, vel ex contemptu *humani Legislatoris*, *quà Prælatus est*, semper censeri mortale: secùs, si ex contemptu rei præceptæ *minimæ*, vel ex contemptu *Legislatoris quà homo quidam est defectuosus.* Sed hæc omnia stant sine cognitione pœnæ, tali contemptui jure positivo decretæ; ergo censuræ nec titulô *contemptûs*, quo legem violant, prærequirunt notitiam pœnæ.

1238. Denique licèt demus, quòd excommunicatio major sit *ultima pœna*, qua utitur Ecclesia; hinc tamen determinatè non sequitur ad ejus incursum *ex natura censuræ* prærequiri contumaciam, *quæ simul importet transgressionem cum scientia talis pœnæ.* 1. quia sic excluderentur aliæ censuræ, & irregularitas ex delicto, quæ non habent rationem *ultimæ pœnæ*; & tamen Sanchez vult non incurri sine cognitione pœnæ. Sufficit ergo ad excommunicationem requiri delictum *gravius*, quàm ad alias censuras. Unde ratio, propter quam censuræ non incurruntur sine cognitione pœnæ, probabiliùs est, quòd sic fierent *sine plena notitia juris*, ut suprà diximus.

1239. Dices 3. esto daretur, non incurri pœnas legales sine illarum præcognitione, quando lex est *principaliter* pœnalis; ubi tamen est pœnalis solùm *minùs principaliter*, & secundariò, id admitti non potest; ergo ignorantia pœnæ, quæ solùm secundariò infligitur à lege, non excusat ab incursu pœnæ. Ant. pat. 1. quia cadente minùs principali, & stante principaliori, stat dispositio legis. 2. ubi dispositio procedit ex duplici fine totali æquè principaliter,

liter, idem manet dispositum, etiam uno deficiente; ergo à fortiori, ubi procedit ex duplici fine totali, uno principaliter, altero secundariò, si manet finis principalis. 3. licèt matrimonium sine Parocho, & testibus contractum in loco, ubi dispositioni Concilij Tridentini locus est, in pœnam matrimonij sic contracti sit irritum; quia tamen inhabilitas *ad sic contrahendum* inducta non est principaliter in odium delicti, sed ad cavenda alia mala, quæ sequebantur ex clandestinis matrimonijs, & illa nullitas in odium delicti solùm respicitur secundariò; etiam stante ignorantia hujus irritationis, manet idem dispositum circa inhabilitatem, & contractûs nullitatem.

1240. Resp. transf. ant. si loquatur de fine legis *intrinseco*, non *extrinseco*, ut diximus alibi. Hoc ipso autem, quòd legis (quæ gravamen imponit in odium delicti, non imposituræ id aliàs tali actui, nisi contineret culpam formaliter imputabilem) finis intrinsecus sit gravamen supponens delictum, hoc principaliter imponitur in odium delicti, consequenter principaliter est pœna. Ad 1. prob. concedo, quòd cadente minùs principali fine legis *extrinseco*, adhuc stet, quod est dispositum à lege, si stet finis principalis legis *intrinsecus*; non autē si cadat finis legis *intrinsecus*, & stet finis legis *extrinsecus*; ubi not. esto finis legis *intrinsecus*, collatus cum fine legis extrinseco (relatè ad hunc) sit minùs principalis (qualiter finis intrinsecus artis, seu actuum regulantium relatè ad finem artis extrinsecum, nempe quæsitum ab artifice habet rationem medij, consequenter intenditur ab artifice minùs principaliter) relatè tamen ad ipsam legem esse finem principalem legis.

1241. Ad 2. prob. & transf. ant. si sermo sit de de duplici fine totali *intrinseco* ipsius legis; non autem si unus sit finis *legis intrinsecus*, alter extrinsecus. Unde si finis legis intrinsecus sit imponere gravamen in odium delicti; & per hoc Legislator intendat ulteriùs alium finem v. g. cavere alia mala, &c. in quæstione *an gravamen illud primariò, & principaliter, an solùm secundariò pœna sit?* non est judicandum de illo gravamine spectato fine extrinseco, sed intrinseco. Cùm autem certum sit, id, quod comparatione legis est finis intrinsecus, esse principalius intentum *à lege*, quàm, quod est finis legis solùm extrinsecus (aliàs omnes leges essent favorabiles, cùm omnes ex fine Legislatoris respicere debeant commune bonum Reipublicæ, pro qua constituuntur) quando gravamen impositum ex odio delicti, seu pœna, est *finis intrinsecus legis*, illa semper censenda est principaliter intenta.

Ad 3. prob. Resp. ea verba Tridentini, 1242.
quibus declarat, matrimonium clandestinè contractum, *esse irritum ac nullum*, postquam omnes Christi fideles reddidit inhabiles ad contrahendum matrimonium sine præsentia Parochi, & testium, non continere novam dispositionem, sed tantùm declarationem prioris dispositionis de inhabilitate ad contrahendum sine præsentia Parochi & testium; nimirum, quòd nulliter agant, si nihilominus sic contrahant. Unde sicut dispositio declarata non est ullo modo pœnalis, cùm non statuatur ea inhabilitas in odium delicti; sic nec dispositio declarans est pœnalis; ergo dicta probatio errat in suppositio.

## §. IV.

### *An, & quæ pœnæ incurrantur, vel non incurrantur ante sententiam Judicis?*

SUpponendum 1. posse nos validè ob- 1243.
ligari per leges humanas ad pœnam tam privativam, quàm positivam, ante Judicis sententiam, modò sit moderata, & humanæ conditioni non admodum difficilis. Hoc enim exigere potest bonum commune. Per pœnam privativam intelligo, cujus effectus est privatio, cujusmodi sunt omnes censuræ, inhabilitates, irritationes, & annullationes actuum; positiva verò dicitur ab actione, quæ necessaria est in executione, ut fiat vel à delinquente, vel alio, ut vitæ privatio, mutilatio, mulctæ, exilium, &c. Dixi: *modò sit moderata*. Nam valde difficilis, & acerba non expedit, cùm pauci eam sint peracturi, & potiùs foveat rancores etiam justos; quidquid autem Reipublicæ non est expediens, Legislator præcipere non potest; ergo. Hinc Legislator non potest delinquentem obligare, ut ipso facto teneatur ad aliquam actionem exercendam, ex

qua

qua valde graviter ejus vita, fama, vel honor periclitetur; ita Castropalaus tom. 1. *D. 2. tr. 3. p. 1. n. 5.*

1244. Suppono 2. censuras, & pœnam irregularitatis provenientem ex delicto, non exspectatâ Judicis sententiâ, statim incurri, nisi aliud in sententia clarè exprimeretur. Ratio sumitur ex consuetudine jam recepta, & communi omnium consensu. Not. autem sæpè à jure Tridentini, & alijs, non in pœnam, vel *ut pœnam*, sed *ut formam* Reipublicæ bono necessariam, & utilem, induci, fierique annullationes contractuum, personarum inhabilitates, &c. sic annullatur contractus matrimonij clandestinus, alienatio bonorum Ecclesiasticorum præscriptis solennitatibus non adhibitis, &c. quæ licèt defactò ex mente legis non habeant rationem pœnæ, imponi tamen possunt in punitionem, & detestationem delicti; quibus positis:

1245. Resp. 1. defactò nullam pœnam *positivam* (quæ nimirum ad sui executionem postulat actionem) ita annexam esse delicto, ut contrahatur ante sententiam, saltem declaratoriam criminis; ita D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *a.* 2. *in corp. & ad* 3. Sanchez *l.* 7. *matr. D.* 91. *à n.* 2. dicens esse omnium Theologorum, & utriusque juris Professorum; Suarez *l.* 5. *c.* 7. *n.* 6. &c. Ratio est, quia defactò nec in jure civili, nec in Canonico ulla reperitur pœna positiva imposita ipso facto sic incurrenda, ut etiam ante sententiam criminis declaratoriam incurratur; tum quia id non est necessarium ad rectam Reipubl. gubernationem; tum quia Reus aliàs exequendô pœnam obligaretur ad manifestandum proprium delictum.

1246. Resp. 2. ex pœnis privantibus *jure quæsito* ferè nullam esse, quæ ad plenam sui executionem non prærequirat sententiam Judicis, declaratoriam criminis, quod verum est, licèt in lege additum sit: *ipso facto, ante declarationem*, vel *nulla facta declaratione*. Rationem Doctores desumunt. 1. ex trita regula juris in 6. quòd *in pœnis benignior interpretatio sit facienda*. 2. ab exemplis in jure expressis. Sic in c. *cùm secundùm leges, de hæreticis in* 6. dicitur, quòd hæreticorum bona *ipso jure, & facto*, cedant fisco, & cadant; & tamen in eod. c. dicitur, quòd illa ante Judicis sententiam relinquere non teneantur. Capitulum autem allegatum loquitur de hæreticis non toleratis: sicuti hæretici ipso facto spoliantur omnibus bonis, ita simoniaci beneficijs obtentis, & obtinendis, ita ut ad hæc, & ad illa fiant inhabiles; ita Trident. *sess.* 24. *de reform. c.* 18. Idem habetur in constitutione Pij V. & tamen simoniaci non obligantur ijs renuntiare patratô delictô; aliàs sæpè obligarentur ad se ipsos manifestandos, vel ad sufferendam gravem necessitatem.

Præmissam sententiam tenent Lessius 1247.
*l.* 2. *de Jure & Just. c.* 29. *d.* 8. *c.* 34. *&* c. 25. *d.* 26. *&* 27. Sanchez *l.* 3. *de matrim. D.* 53. *à n.* 5. Vasquez *de legibus D.* 178. *à n.* 25. Dixi autem, *ferè nullam*, ut excipererem pœnam, quâ conjuges incestuosi privantur petitione debiti, quæ incurritur non prærequisitâ sententiâ Judicis. Ratio est eadem, quæ adfertur pro censuris, & irregularitatibus nascentibus ex delicto, nimirum usus, & recepta ab omnibus consuetudo, quæ dictis legibus videtur hanc virtutem indidisse.

Resp. 3. ex pœnis privantibus *jure ac-* 1248.
*quirendo* complures esse, quæ non exspectatâ Judicis sententiâ declaratoriâ in utroque jure incurruntur. Sic recipiens beneficium curatum, sine Sacerdotio, si intra annum culpâ suâ non ordinetur, obligatur illud dimittere, & est ipso facto ejus titulô privatus, c. *licèt, de elect. in* 6. Sic beneficati non recitantes horas canonicas, ipso facto fructus ejus non faciunt suos, proinde pro rata omissæ recitationis obnoxij sunt restitutioni; ita Pius V. *ex motu proprio, in bulla incip. Ex proximo Lateranensis Concilio.*

Dices: dantur plures leges pœnales 1249.
cum clausulis: *ipso facto, absque ulla declaratione*, &c. quæ falsæ forent, si Judicis sententiam prætiquirerent; vel saltem frustra apponerentur: 2. sic nulla foret distinctio legis pœnalis in eam, quæ est *latæ*, ac illam, quæ est *ferendæ sententiæ*. R. 1. negandô ea verba fore frustranea, & nullum habitura effectum distinctum à sententia ferenda. 1. quia operantur sententiam actu condemnatoriam ad pœnam; & pœnæ declaratoriam. 2. operantur, quòd transgressor etiam ante declarationem criminis sit obnoxius privationi. 3. quòd ejus acta fiant obnoxia rescindibilitati, quorum nullum operatur

sententia solùm ferenda. Deinde in casu, quo à lege ipso facto privaris beneficiô, officiô, vel alijs bonis, teneris primò post sententiam criminis declaratoriam restituere fructus fisco petenti, & si bona alienaveris in damnum fisci, potest rescindi contractus. Secundò mortuo delinquente possunt hæredes conveniri ad persolvendam pœnam realem, quam defunctus debebat; qui effectus non contingunt in casu, quo lex pœnalis est ferendæ sententiæ; ergo illa verba, de quibus in objectione, non sunt frustranea.

1250. Ex hoc collig. leges, quæ imponunt pœnam ipso facto incurrendam, ferri sub conditione declarationis delicti, hinc habent se, sicut omnes aliæ leges conditionatæ, quarum obligatio conditione impleta integrè consurgit; ita maximè Castropalaus *tom. 1. tr. 3. D. 2. p. 2.* Unde mirum non est, quòd non statim obligent *integrè*, patratô delictô; cùm necdum omnis conditio, ad integram obligationem necessaria, sit posita. Hinc quando dicitur: *ipso facto, absque alia declaratione*, intelligitur *absque alia declaratione pœnæ*; non autem, *absque alia declaratione delicti*. Cùm enim ipsa lex declaret, & imponat *pœnam*, suppositâ declaratione *criminis*, frustra ad incursum pœnæ exspectaretur alia ejus declaratio; sic Castropalaus *cit. p. 2.*

1251. Pro solut. contrariorum not. 1. in textu c. *Pro humani, de homicid. in 6.* quo privantur, ipso facto, officiô, & beneficiô, ut liberè alijs conferri possint, qui occidunt alios per assassinos, addi hæc verba: *postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem tam execrabile scelus admisisse*; quibus significari notitiam in judicio, vult Felinus *in c. 2. de fide instrument. n. 9.* Suarez *l. 5. de legib. c. 8. n. 15.* adeóque non sine sententia, *sed postquam constiterit*; ergo non ipso jure.

1252. Not. 2. cùm in Extravag. *Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* dicitur, quòd Prælati inferiores, & Rectores Ecclesiarum alienantes bona suorum heneficiorum contra præscriptum illius legis, beneficijs privati existant *ipso facto, & absque alia declaratione*, intelligi absque alia declaratione *pœnæ*, non *criminis*, juxta *n. 1250.* Addit P. Suarez *cit. n. 4.* hanc constitutionem pœnalem non esse usu receptam.

Not. 3. constitutiones Papales, quibus ipso facto, & absque alia declaratione, beneficijs obtentis simoniaci confidentiales, vel recipientes in Curia aliquid pro gratia, & justitia, aut Examinatores simoniam in examine committentes, sufficienter salvari, quòd non requirant ulteriorem declarationem *pœnæ*, sed *criminis*, juxta dicta *n. 1250.* Satisfit enim intentioni eorum, si delinquens à die commissi criminis maneat obnoxius privationi, ut nihil desideretur ampliùs ad ejus effectum, quàm declaratio delicti; sic Castropalaus *cit. P. 1. tr. 3. D. 2. p. 2. n. 10.* 1253.

Not. 4. in illis casibus, quibus diximus ad incurrendam pœnam *cum effectu*, quæ ipso facto est annexa delicto, requiri sententiam *criminis* declaratoriam; hoc ita esse accipiendum, ut talis pœna nullo modo possit executioni mandari, nisi ea declaratio interveniat. Ratio est, quia secùs pœna non est integrè incursa, ut patet in allatis exemplis *n. 1250.* sic Farinacius *p. 2. fragment. crimin. à n. 157.* ad quam declarationem esse necessariam citationem tenet idem *à n. 167.* Julius Clarus *in pract. §. fin. q. 31. n. 3.* & alij. 1254.

## §. V.

### *An pœna conventionalis debeatur ante Judicis sententiam?*

Dupliciter conveniri potest inter partes de pœna alteri persolvenda ab eo, qui recesserit à contractu inito. 1. si exprimant, quòd, qui non steterit contractui, *absque ulteriori Judicis functione teneatur tantum solvere*; 2. si id non exprimant, sed solùm se obligent ad standum contractui, & solvendam tantam pœnam, si resiliêrint. In primo casu, si talis pœna aliàs licitè, ac validè deducatur in pactum, eam deberi etiam ante Judicis sententiam, communis tenet cum Suarez *l. 5. de legibus c. 6. à n. 9.* Nam id totum in ejusmodi casu pendet ab intentione contrahentium. 1255.

In secundo autem casu probabilior videtur ea opinio, quæ tenet, pœnam illam non deberi ante Judicis declarationem. Ratio, quæ id probabiliùs suadet, est, quòd in dubio de intentione contrahentium, ubi aliud non exprimunt, censendi sint 1256.

legem

legem pœnæ sibi imponere juxta regulam pœnarum juris communis; hæc autem non obligat ante sententiam Judicis saltem declaratoriam, ubi aliud non exprimitur, ut in præcedentibus dictum est; ergo; ita Sanchez *l.* 1. *de sponsal. D.* 37. *n.* 4. Lessius *l.* 2. *de Just. c.* 20. *D.* 15. Navarrus *c.* 23. *n.* 67. & alij.

1257. Dices 1. obligatio ad pœnam in hoc casu est ex contractu; quod autem debetur ex contractu, in conscientia debetur non requisitâ Judicis sententiâ, id quod colligitur ex L. *rescriptum*, §. *si pacto*, *ff. de pactis*, ibi: *si quis in pacto pœnam stipulatus, posse postea agere vel ex pacto, vel ex stipulatione, suô arbitriô*; quo satis indicatur, debitorem pœnæ, obligatum esse in conscientia, consequenter non egere, ut solvat, Judicis sententiâ. Et ita tenet Felinus, *c.* 1. *de constit. n.* 46. & alij. R. majorem procedere, quando intentio contrahentium constat, quòd non requirant Judicis functionem; secùs est in dubio propter rationem *n. priori* allatam. Textus legis *rescriptum* solùm probat, admitti actionem contra debitorem ex stipulatione, & hunc ad solutionem teneri secuta condemnatione. Nec obstat, quòd quis statim teneatur ad persolvendam pœnam, quam sibi ipsi quis imposuit votô pœnali subeundam, si non stet permisso principali; nam promissio pœnæ homini facta inducit debitum, quod potest habere aliam sententiam, postquam executioni datur, ac eam, quam quis sibi ipsi imponit; secùs promissio Deo facta.

1258. Dices 2. qui conveniunt super pœna persolvenda à resiliente, non exprimentes, quòd persolvenda sit etiam non exspectatâ sententiâ Judicis, saltem tacitè intendunt inducere obligationẽ persolvendi eam, cùm alter petierit; tum quia sententiam Judicis obtinere, sæpè habet magnas difficultates; tum quia hoc importat novum gravamen, quod ipsos sibi voluisse imponere, nisi expresserint, præsumi non debet; ita Suarez *l.* 5. *de legib. c.* 6. *n.* 8. & complures alij. Hanc & priorem sententiam esse probabilem, meritò censet Castropalaus *cit. p.* 3. *n.* 4. esto oppositum judicet probabilius. Resp. N. ant. propter rationem *in n.* 1256. Ad 1 prob. R. eas difficultates non obstare, cùm imputare sibi debeat, quòd non expresserit in conventione, ne exspectetur Judicis sententia; ad 2. prob. R. illud gravamen esse utriusque, & utrique commune, in quod ipsi consensisse præsumi debent, quando, cùm facilè potuissent, exprimere neglexerunt, ne intervenire Judicis functionem requiratur. His accedit, quòd communiter justæ rationes interveniant, ob quas debitor, secluso Judicis mandato, solutionem differre possit.

## §. VI.

### *Reliqua de lege pœnali.*

QUæstio 1. est, an quis possit ob alterius delictum puniri? Videtur enim affirmandum; quia sæpè liberi planè innocentes puniuntur ob delicta parentum; Uxores ob delicta maritorum; integræ interdum urbes, propter rebellionem multorum, ubi plures innocentes ijsdem malis, quibus Rei subjiciuntur. Accedit, quòd quis etiam innocens, debitum pœnæ ab alio propter delicta contractum, possit in se recipere. Econtra generalis regula est, *nullum pro alterius delicto puniri debere, quia pœnæ suos tenent Authores, nec ulterius contra eos progrediuntur, qui procul sunt à delicto*, ut dicitur L. *Sancimus*, C. *de pœnis*. 1259.

Resp. si loquamur de *pœna*, prout *correlativè* dicitur *ad culpam*, nullum innocentem, saltem directè, puniri posse. Nam innocentia est immunitas à culpa, quæ correlativam habeat pœnam; ergo impossibile est innocentem posse puniri; sic enim infligeretur homini pœna, quin possit esse pœna. Ad rationes *in num. præced.* allatas R. in illis casibus, ubi etiam innocentes patiuntur propter alterius delictum, ipsis nullatenus voluntarium, gravamen, quod imponitur propter commissum delictum, non imponi, nec imponi posse *directè* innocentibus, propter rationem jam factam; nec relatè ad illos habere rationem *pœnæ*; quamvis per accidens, & indirectè, etiam in innocentem redundare possint mala, quibus punitur Reus delicti commissi, in cujus odium directè imponuntur; qualiter Princeps urbem sibi rebellem justè obsidet, & directè armis cogit ad obedientiam, esto per accidens, & indirectè pereant etiam multi innocentes; 1260.

centes; cùm directè non quærat, nisi quod sibi jure debitum est.

1261. Deinde in multis casibus, quibus liberi ob delicta parentum dicuntur puniri, nullatenus puniuntur isti. Sic quando privantur legitimâ, non privantur *re sua*, sed Pater privatur bonis *suis*, quæ alioquin, si Pater ea retinuisset usque ad mortem, liberis in legitimam obvenissent; hæc autem privatio, in quantum est malum quoddam, directè in odium delicti à Patre commissi, infligitur Patri, ex quo per accidens solùm contingit, liberos privari, & pati. Et ideo, quando propter delicta mariti etiam uxor subjicitur servituti, vel exilio; vel liberi ob delicta parentũ inhabilitantur ad certa officia, vel beneficia, aut exuuntur nobilitate paterna; hæc nullatenus habent rationem *pœnæ*, respectu uxoris, aut liberorum innocentum (cùm non supponant delictum commissum ab eis, consequenter infligi nequeant illis in odium delicti ab ipsis commissi) sed solùm respectu Maritorum, aut Parentum, qui supponuntur Rei criminis, in cujus odium infliguntur. Et hoc sensu intelligenda est glossa in c. *Cùm homo*, 23. *q.* 5. Vers. *Supple*, cùm dicit, valere statutum, quo uxor servitute, vel aliâ pœnâ puniatur pro culpa mariti, nimirum ut non sit directè pœna uxoris, sed potiùs mariti, qui deliquit, etiam uxorem prægravari, quando sic bonum commune exigit.

1262. Nec obstat, quòd quis pœnam subire debeat, quando alterius culpam in se suscepit; tum quia talis liberè cedit juri suo; tum quia suscipiendo liberè in se debitum, quod alter culpâ suâ contraxit, *repræsentativè* est delinquens; qualiter Christus peccata nostra in se suscepit, & pœnam pro illis debitam, ex magna charitate, quâ dilexit nos, pro nobis offenso Deo persolvit. Potest enim idem realiter, & *physicè* esse immunis à culpa, vel debito; & non idem *juridicè* obnoxius fieri alterutri, vel utrique, aut econtra.

1263. Quæstio 2. est, an leges *merè* pœnales obligent sub peccato? R. quòd non obligent sub culpa, nisi ad pœnam duntaxat; ita Layman in c. 4. *de Constit. n.* 1. Nam aliàs non essent *merè* pœnales. Unde lex, *merè* pœnalis, actum immediatè præscriptum à lege non ponit sub obligatione naturali, seu conscientiæ; bene tamen pœnæ tolerantiam, quæ lege definita est. Quando autem censenda sit lex merè pœnalis, constat ex dictis *à n.* 256.

Quæstio 3. est, an leges pœnales ad incursum pœnæ intelligendæ sint *cum effectu*? R. ita; sic Layman c. *Ex tenore*, *de rescript. n.* 3. Sic pœna annullans utrumque rescriptum ab aliquo impetratum super eodem negotio ad diversos Judices, nulla in posteriore facta mentione prioris, non incurritur, nisi impetrans utroque rescripto usus fuerit. Nam propter hunc effectum annullatur utrumque. Constitutio enim lata in *facientem*, non comprehendit eum, *qui paratus est facere*, Layman c. *avaritiæ de elect. n.* 3. 1264.

Quæstio 4. est, an si lex pœnalis habeat casus, vel personas solùm *exempli causâ* expressas, extendatur ad similes? Affirmativam sequitur Layman *in c.* 7. §. *Clerici sanè*, *de elect. n.* 1. & c. *Si postquam*, §. *cùm autem*, *eod. in* 6. *n.* 6. in dubio autem, an casus, vel persona in specie adducta in lege pœnali sit solùm exempli causâ, recurrendum ad Legislatorem, ut unde jus prodit, etiam interpretatio procedat, L. 9. & seq. C. *de legib.* c. *inter alia*, *de sent. excom.* 1265.

Quæstio est 5. an in lege pœnali extensio fieri debeat ad alios casus ob identitatem, vel majoritatem rationis, si aliàs sequeretur absurdum, vel lex careret effectu? R. ad 1. affirmativè, ex *n.* 942. ad 2. R. affirmativè, quia verba legis debent esse operativa, *n.* 944. Idem dicendum est, si duo, spectato eodem fine, & effectu, æquiparentur in jure, aut subordinentur tanquam perfectum ad imperfectum, Layman *in c.* 43. *de elect. n.* 7. & *in theol. moral. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 18. *n.* 10. Not. tamen ex dictis *n.* 941. etiam in lege pœnali mentem Legislatoris præcipuè attendendam esse, & non præcisè verba. Hæc tamen intéllige juxta traditam superiùs regulam *à n.* 983. 1266.

Quæstio 6. est, an lex pœnalis propter similitudinem rationis in ea expressæ extendi debeat ad similia? R. negativè, nisi cùm id exigit necessitas; quia est strictæ interpretationis, Layman *cit. in c.* 41. *de elect.* Unde nec ad casum non expressum extendi debet, seclusa ratione, etiam ob identitatem rationis; Layman. *c. fin. de temp. ordinat. num.* 2. nisi casus in lege 1267.

posi-

positus sit solius exempli causâ ex *num.* 1265.

1268. Quæstio est 7. an lege pænali, sub nomine *filiorum* veniant etiam *nepotes*? Et negativè cum Layman *c. 2. de fil. presbyterorum.* Nam casus pænales sunt stricti juris; sic licèt nomine *venditionis*, etiam contractus intelligantur; in materia tamen pænali stricta fit interpretatio, ut tantùm pro *venditione* accipiatur; Barbosa *axiom. l. 14. axiom. 43.* V. *Pæna.* Similiter licèt appellatione *hæredis* veniat etiam *hæredis hæres*, L. *fin.* C. *de hæred. instit.* in materia tamen pænali non procedit, teste Baldo ad L. *fin. q. 22.* per L. *qui liberis*, 8. §. *hæc verba*, *ff. de vulg. & pupill. substitut.* Hinc commune juris axioma est, *in pænis benignior fit interpretatio*, c. *in pænis, de reg. juris in 6.* c. *Ex literis, de constit.* L. *penult. ff. de pœnis*; & constat *ex c. 5. tit. 23. de delictis puerorum.* Nam circumstantiæ mutant quandoque quantitatem delicti, sic, ut earum consideratione quandóque minuatur. Ideo

1269. Pro ulteriori notitia not. 1. quòd *pœnæ modus* sit statuendus juxta conditionem personarum, L. 2. *ff. de termino moto*; ita in delictis senibus parcitur; Julius Clarus §. *fin. pract. crim. q. 1. n. 2.*

1270. Not. 2. quòd Judex pœnam lege, vel statuto definitam, pro suo arbitrio mutare non possit, c. *de causis*, §. *illic etiam, de offic. delegat.* hinc quando pœna statuta relinquitur arbitrio Judicis, relinquitur ejus arbitrio solùm *qualitas*, non autem substantia. Vide tamen, quæ diximus *à n. 314. & seq.* ubi diximus Judicem inferiorem, ante latam sententiam, quandoque mutare posse pœnam legalem ex justa causa, & quando censeatur adesse talis causa? item quando, & qualiter id possit Judex supremus?

1271. Not. 3. cùm dicitur: *ex eodem crimine* neminem sæpius puniendum esse, c. *at si Clericus, de judic.* & L. 14. *de accusationibus*; vel *unius delicti* non posse esse duas pœnas, intelligi, quando tantùm est unus titulus. Cæterùm non procedit jure Ecclesiastico, c. *quorundam de Judæis*, 2. quoties pœnæ respiciunt diversum effectum; Barbosa cit. V. *pœna, axiom. 8.*

1272. Not. 4. ubi agitur de pœna imponenda ex speciali constitutione, *omnes qualitates debere verificari*, de quibus in ipsa constitutione mentio fit; Joan. Andreas *in c. 1. de homicid. in 6.* Cùm enim leges pœnales odiosæ sint, & odia restringi oporteat, necesse omninò est, quòd lex non cadat in actum, nisi affectum qualitatibus, tali lege pœnali expressis; aliàs fieret extensio legis ad casum non comprehensum sub naturali, seu consueta significatione verborum legis, contra naturam strictæ interpretationis.

Not. 5. commune axioma, *qui non habet in ære, luat in pelle*, locum habere 1. in delictis, ex quorum causa quis criminaliter conveniri potest; 2. in ratione malificij, & doli; non autem ex debito simplici, aut in mulctis; nec procedit in Judicibus inferioribus. 2. rebus adhuc integris; non autem secùs; Barbos. *cit. axiom. 19.* 1273.

Not. 6. pœnam privationis non esse imponendam, nisi jure expresso de illa cautum sit, Novell. 12. *c.* 3. §. *ne sede vacante.* Verius enim est, quòd lex pœnalis extendenda non sit ad pœnam in ea non contentam, & casum non expressum; esto in hoc eadem sit ratio; Antoninus *c. fin. n. 58. de consuetud.* Sanchez *l. 10. matr. D. 4. n. 3.* Nam argumentum à simili, vel identitate rationis non valet in lege pœnali; Castro *de lege pœn. c. 7. documento 3.* Glossa *reg. in pœnis*, 49. V. *in pœnis, de reg. juris in 6.* Hinc etiam Molina *tom. 1. de just. tr. 2. D. 177.* §. *quarto f. 1051. pœnæ*, inquit, *comprehendunt tantùm delicta, ob quæ statuta sunt; non autem alia, quamvis graviora, aut æquè gravia.* V. dicta *n. 983.* 1274.

Not. 7. cùm dicitur, quòd *par pœna constringat facientem, & consentientem*, c. *notum*, 2. *q. 1.* c. *Clericorum, de vita, & honest. Clericorum*; idem est in volentibus de opem dante, per c. *presbyterum, de homicid.* intelligi, quando lex exprimit utrumque; aliàs enim *constitutio lata in facientem, non comprehendit eum, qui paratus est facere*, Layman c. *avaritiæ, de elect. n. 3.* 1275.

Not. 8. omninò concedi secundùm dicta superiùs, quòd pœnæ debeant tenere suos authores per L. *Sancimus*, C. *de pœnis*, c. *quæsivit, de his, quæ fiunt à majori*, & c. *Si compromissarius, de elect. in 6.* Farinacius *in praxi crim. l. 1. tit. 3. q. 24. n. 1.* & *nunquam transire ad hæredes*, L. 20. 1276.

*de pœnis* (Hinc nec Dominus pro delicto famul sui; *c. cùm ad sedem, de restit. spoliat. c. cùm quis, de sent. excom. in 6.* L. 1. *ff. de vi armat. nec filius pro delictis Patris; nec parentes ex delictis liberorum pœnam incurrunt*; Farinacius *cit. l. 1. q. 24. n. 1.* & Julius Clarus *in praxi*, §. *fin. q. 86.*) Hoc tamen postremum sic limitandum primò, nisi delinquens mortuus sit post sententiam, quæ vices rei consecuta est. Tunc enim pœna transit ad hæredes ex quasi contractu, L. 3. §. 11. *de peculio*, Farinacius *cit. q. 10. n. 45.* Secundò, si res ex delicto ad hæredes pervenerit, L. *Sicuti pœna, ff. de Rom. Imp.* & L. 26. *ff. de dolo.* Tertiò, si delicti atrocitas confiscationem requirat, L. 5. C. *ad Leg. Jul. Majest.*

## ARTICULUS III.

### *De lege favorabili, & odiosa.*

1277. LIcèt in communi hominum usu passim jactetur regula, quòd *odia restringi, favorabilia deceat ampliari*; certum tamen est, plurimos nasci abusus, ac errores ex indebita illius regulæ applicatione, communiter existimantibus nonnullis, rectè dici *favorabile*, quod sibi placet, aut gratum est; & *odiosum*, quod displicet, vel molestat; præsertim cùm sæpè contingat, eandem dispositionem esse de materia, quæ uni favet, alteri nocet, aut molesta est. Hinc not. 1. legem ex vi vocis non dici *odiosam*, ut idem valeat, ac *odiô digna*; cùm hoc ipso, quòd justa sit, talis esse non possit: sed ex hoc, quòd imponat gravamen, vel pœnam, quàm meritò recusat subire natura humana; *favorabilem*, quæ favorem continet, sic Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 1. p. 2. n. 6.*

1278. Dixi: *vi vocis.* Nam in re difficultas est, quæ lex dicatur gravamen; quæ favorem continere? Cùm enim, ut *præced. num.* diximus, plures sint dispositiones, quæ uni favent, & alios gravant (sic dispositio imponens tributum, gravat solventes; favet ei, cui solvitur; lex imponens pœnam raptoribus rei alienæ, gravat raptores, favet ijs, quorum bonis consulitur, &c.) meritò dubitari potest, an ejusmodi dispositiones, & leges dicendæ sint odiosæ, an favorabiles; consequenter strictæ, an latæ interpretationi subjici possint?

Tiraquellus apud Castropalaum cit. 1279.
vers. *propter hæc*, illam legem censet *absolutè* dicendam *odiosam*, quæ gravamen imponit, licèt alijs favorabilis sit; nam, ut favorabilis sit, carere debet gravamine; cùm bonum non sit, nisi ex integra causa; rectè tamen dici malum, seu gravans ex quolibet defectu, vel onere, quod affert; ad hanc enim denominationem (quòd *absolutè odiosa sit*) sufficere vult, quòd ex parte odium, seu gravamen contineat. Sed sic omnes omninò leges erunt absolutè odiosæ; cùm nulla sit, quæ non ex aliqua saltem parte odium, seu gravamen, contineat, nimirum obligationem, quæ nativam hominum libertatem restringat.

Pereyra *in Elucidar. n. 105.* ait: quid 1280.
sit *odium*, & *favor in legibus*, & quomodo insit, latè exponi à Suarez *l. 5. de legib. c. 5.* volente *favorem* idem esse, atque *lenitatem*, & *benignitatem*; *odium* verò nihil aliud, quàm *rigorem*, *asperitatem*, vel *pœnam*; & sic intelligendam regulam: *odia restringi, favores convenit ampliari; regul. odia, 15. de reg. jur. in 6.* Eandem regulam 15. exponens Barbosa *n. 2.* ait: *odium* in hac materia non accipi formaliter, prout importat appetitum dissonantem à charitate, de quo S. Thomas *2. 2. q. 34. & c. 1.* ubi glossa *de re judic. hoc lib.* sed accipi latiùs, prout significat *tædium*, & *molestiam*, in quo sensu reperitur passim apud bonos Auctores; & ita comprehendit ea, quæ præstant materiam odij, id est, fastidij, cujusmodi omnia illa sunt, quæ pœnam, vel dispendium alicujus continent, & primo aspectu videntur acerba, & injusta. Per contrarium verò, *favorem* in hac materia dici, quicquid favorem, & benevolentiam provocat, & ita gratiam; utrumque bene deducitur ex L. *qui exceptionem, in princ. ff. de condict. indeb.* & L. *quod favorem*, C. *de legibus*, juncta reg. *quod ob gratiam, infr. h. t.* sic ille.

Alij censent, in quæstione, *an lex ali-* 1281.
*qua sit favorabilis, an odiosa?* non esse attendendam materiam legis, sed finem. Hinc Fagnanus *c. nullus de Regular. n. 41.* docet, legem *correctoriam* dici *favorabilem*, & latè interpretandam, quando per eam

eam sit reditus ad jus antiquum, &c. *quantò, de privileg. legem etiam pœnalem latè interpretandam esse*, quatenus patitur verborum proprietas.

1282. Cæterùm ea opinio videtur probabiliùs explicare radicem, ex qua lex dici debeat favorabilis, vel odiosa *per se loquendò*, quæ docet, hoc desumendum *ex ipso fine intrinseco ipsius legis directè intento*, nimirum ex materia præcepta, sic, ut si conveniens sit his, quibus præcipit, censeatur favorabilis; si autem onerosa, reputetur odiosa relatè ad finem generalem, qui est commune bonum Reipublicæ; sic Castropalaus *cit. n. 6. V. Verùm hæc*: quod etiam dicere videtur P. Jacobus Illsung in *Arbore scientiæ boni, & mali, seu Theol. practica tr. 1. D. 2. a. 1. n. 8.* resolvens ex P. Sanchez *l. 1. matr. D. 1. n. 4.* legem dici odiosam, & favorabilem, non quòd odiosa bonum lege obstrictorum excludat; neque quòd favorabilis nulli onus, aut molestiam imponat (quia utrumque foret contra naturam legis) sed quòd odiosa versetur circa objectum primariò intentum in pœnam, vel odium alterius; favorabilis verò versetur circa objectum primariò intentum in alicujus favorem.

1283. Not. autem, cùm quæstio agitur, *an lex intendat favere*? nomine favoris non venire hìc *finem generalem*, quem naturâ suâ respicere debet quælibet lex propriè dicta, nempe bonum Reipublicæ. Nam sic omnis lex esset favorabilis; sed spectandum esse *finem* magis *particularem, & immediatum, qui tanquam medium adhibetur ad finem generalem*; quo supposito rectè probatur responsio data in *num. priori.* Cùm enim certum sit, ad bonum Reipublicæ (quod habet rationem finis generalis respectu omnium legum) non minùs convenienter adhiberi tanquam medium ad illum finem procurandum per leges, *largiri favores & gratias*, quàm *gravare pœnis*, & *aliis oneribus*, communi bono exigente, ea lex rectè dicetur favorabilis, cujus materia, seu finis intrinsecus, ac immediatus à Legislatore adhibetur tanquam medium ad finem generalem *largitione beneficiorum* promovendum, vel conservandum; & odiosa, cujus materia, seu finis intrinsecus, ac immediatus à Legislatore adhibetur tanquam medium ad finem generalem *punitione delictorum, & impositione justorum gravaminum.*

Ex dictis colliges, quòd, quando materia legis continet commodum, & incommodum, ut unum separari possit ab altero, sic, ut ejus dispositio, continens commodum, salva stare possit, etiam sejunctô alterius incommodô, legem, in quantum continet commodum nulli tertio præjudiciosum, censeri *favorabilem*, & interpretationis latæ; *odiosam*, in quantum continet incommodum, & interpretationis strictæ, consuetudine jam recepta sic interpretante. Ubi autem separari non possunt, simpliciter favorabilem dicendum, licèt alium, vel alios gravet, si Legislator per talem legem, seu materiam legis *ex intentione sua speciali* (ad quam exequendam assumit ejusmodi dispositionem) intendat favere, boni communis causâ. 1284.

Colliges 2. quoties lex est favorabilis, eam recipere latam interpretationem, *nisi etiam stante speciali intentione favendi, aliunde colligatur, quòd Legislator noluerit fieri latam suæ dispositionis interpretationem*; id, quòd rectè observavit Haunoldus *tom. 1. de jure & just. tr. 1. n. 7.* propter innumeras limitationes, & instantias, quæ communiter afferuntur à Peckio *ad reg. Odia, 15. de reg. juris in 6.* & alijs, ad probandum, leges plurimas esse strictæ interpretationis, quibus tamen favor potiùs, quàm odium intenditur; tales sunt, quæ concedunt privilegia, & dispensationes *contra jus commune*, quæ licèt reverâ, etiam ex speciali intentione Principis directè contineant favorem, nihilominus ex communi Doctorum sensu (quia vulnerant jus commune) sunt strictæ interpretationis, ut constat ex dict. *à n. 983.* Huc etiam reduci possunt exceptiones, de quibus *n. 1281.* 1285.

## ARTICULUS IV.

### *De lege Episcopali.*

LEx Episcopalis alia est *jurisdictionis*, alia *diœcesana.* Lex jurisdictionis est illa, quæ consistit in agendo, gubernando, & ministrando; ad quam proinde spectant omnia, quæ circa judicia aguntur, ut sunt citatio, causæ examinatio, decisio, punitio, 1286.

punitio, & absolutio; item omnia, quæ spectant ad gubernationem diœcesis, ut statuta condere, &c, sic Pereyra *in Elucidario, n.* 196. Idem habet glossa in casu c. *Si ex Laicis*, 10. *q.* 1. ibi: *lex jurisdictionis est, qua Episcopus potest Clericos ordinare, altaria, Ecclesias, & Virgines consecrare, corrigere, suspendere, cognoscere de causis civilibus, & criminalibus; & generaliter ad suam jurisdictionem pertinet, omnia Sacramenta conferre.* Lex autem diœcesana, secundùm Pereyram cit. est ea, quæ consistit in recipiendo, id est, quæ statuit de his, quæ sunt conferenda Episcopo, & ab ipso sunt recipienda v. g. Cathedraticum, quarta funeralis, visitatio annua, &c. Et juxta gloss. cit. ibid. lex diœcesana est, qua Episcopus recipit Cathedraticum (tertiam scilicet, vel quartam partem decimationum, secundùm diversas consuetudines) & qua vocat Clericos ad Synodum, & exequias, &c. his præmissis:

## §. I.

### *An Regulares subsint legi diœcesanæ, vel jurisdictioni Ordinariorum?*

1287. REsp. Regulares, *jure communi* exemptos esse *à lege diœcesana Episcopi*; non *verò à lege jurisdictionis, nisi speciali privilegiô sint muniti*; sic Thomas Sanchez *l.* 6. *consil. c.* 9. *d.* 1. *n.* 8. & complures alij. Prima pars quoad exemptionem à lege diœcesana habetur *in* 10. *q.* 1. c. *Si ex Laicis.* 1. ubi dicitur, omnes Ecclesias, *præter Monasteria*, subesse Episcopo *quoad legem diœcesanam, & quoad legem jurisdictionis*; Monasteria tamen *exempta esse à lege diœcesana*, & hoc in favorem Religionis; *non tamen à lege jurisdictionis*, ut habetur in c. *Interdicimus*, 16. *q.* 1. sic gloss. *ibid. in casu*, simul addens, eandem exemptionem competere capellis Monasteriorum. Idem habetur c. *Inter cætera*, 10. *q.* 3. ibi: *Monasteriorum tamen basilicis ab hac solutionis pensione sejunctis*; ubi gloss. V. *Solutionis*, ipsa enim monasteria, inquit, *à lege diœcesana sunt exempta*, tum vi cit. textûs; tum vi c. *Cùm pro utilitate*, 16. *q.* 1. c. *quàm sit*, 18. *q.* 2. Secunda pars (quòd Regulares subsint Episcopo, quoad legem jurisdictionis (nisi sint exempti) constat tum ex primò dictis, tum ex c. *Cùm venerabilis*, 7. *de Relig. domibus*, ubi habetur, Episcopum, petentem Ecclesiam *quoad spiritualia, & temporalia, obtinere in spiritualibus, eo ipso, quòd probet, esse in sua diœcesi, si non appareat exempta*; *sed in temporalibus succumbere, nisi aliter doceat de jure suo*, & c. *Cùm dilectus*, 8. *eod.* ubi dicitur: monasterium subjectum esse Episcopo, in cujus diœcesi situm est, *nisi probetur exemptum.*

Advertendum autem, hoc (quoad subjectionem, Episcopo, ac Ecclesiæ *Cathedrali* debitum (*procedere solùm de Monasteriis, vel Ecclesiis sitis in diœcesi, & non exemptis.* Unde, si aliqua Ecclesia, *non Cathedralis* vendicat sibi jus in alia Ecclesia, obtinebit solùm quoad ea, quæ probabit sibi deberi præscriptione, vel alio legitimo modo, ut expressè definitum est in c. *dilectus*, 2. *de capellis monachor.* Hinc Parochus, *ex hoc præcisè, quòd aliqua Ecclesia sita sit intra fines Parochiæ, nullo fundamento juris, illius subjectionem prætendere potest*; cùm textus, concedens Episcopo, & Ecclesijs Cathedralibus, jus in Ecclesias *in diœcesi sitas*, expressè id neget ex hoc titulo Ecclesijs *non Cathedralibus.* 1288.

## §. II.

### *An Regulares subsint legi jurisdictionis Legatorum Papæ?*

PRo resolut. not. 1. Legatos Papæ alios esse, qui dicuntur *Legati à latere*, & hi spectato usu, & stylo Romanæ Curiæ, sunt soli Cardinales, quando mittuntur à Papa cum officio legationis; dicti *à latere*, quòd semper assistant Papæ, eique sint à consilijs, habentes, cùm eos Papa mittit, cæteris Legatis majorem potestatem, c. *Si Abbatem, de elect. in* 6. alios, qui vocantur *Legati nati*, propterea, quòd nascantur cum officio legationis, hoc est, quòd habeant dignitatem Ecclesiasticam, cui officium legationis annexum est, cujusmodi est Archiepiscopus Cantuariensis, Salisburgensis, &c. alios demum, qui nec sunt à latere, nec nati, qui dicuntur *Legati missi*, & Nuntij Apostolici. Si tamen alicui, non Cardinali, sed Nuntio tantùm, daretur facultas Legatorum de 1289.

latere

latere in sua commissione, eo casu posset omnia, quæ Legatus de latere, ut dicemus alibi.

1290. Not. 2. Legatos Papæ, esse *Judices Ordinarios* in provincia suæ legationis; & jurisdictionem eorum esse ordinariam, ut dicitur *c. 2. de offic. Legati in 6. junct gloss. ibid.* (cùm eorum jurisdictio sit potestas publica, quæ alicui ex proprio munere, vel officio competit; hoc enim sonat jurisdictio *ordinaria*, ut notat Pereyra *in Elucidario n.* 1185.) *sed extraordinariè competentem*; cùm non sit *à jure* deputatus certus locus pro Legato, ut observat Panormit. *c. 1. de offic. Legati, n. 3.* his positis:

1291. Ad quæstionem factam respondet Henriquez *l. 7. de indulg. c. 25. n. 3.* Regulares exemptos à jurisdictione Ordinarij, etiam exemptos esse à jurisdictione Nuntij Apostolici: alij volunt, eos nullatenus exemptos à jurisdictione Legati Papæ; sic Romanus, & alij apud Sanchez *l. 6. consil. c. 9. D. 1. n. 17.* alij docent exemptos à jurisdictione *omnium* Legatorum, etiam de latere; sic Tabiena V. *Exemptus*, & Rosella apud eundem *n. 6.* Ancharanus *c. 2. de V. S. in 6. not. 3.* Horum sententia suadetur ex eo, saltem quoad illos, quibus exemptio data est à jurisdictione *omnium*, vel *quorumcunque Ordinariorum*, aut sub verbis: *omninò exempti.* Si enim sunt exempti à jurisdictione *quorumcunque* Ordinariorum, eo ipso etiam exempti sunt à jurisdictione omnium Legatorum, etiam de latere; nam & hi sunt *Ordinarij*, ut dictum est *n.* 1290. & si illis subessent, exempti non forent *omninò*; qualiter id habet Societas nostra.

1292. Sanchez tamen *cit. n.* 19. censet, non obstante privilegio exemptionis etiam sub illis terminis dato, Regulares esse quidem exemptos à jurisdictione Legatorum, qui sunt *nati tantùm*, vel *missi*; non tamen ab horum, qui sunt *de latere*, cujus resolutio sumitur, 1. ex c. *Si Abbatem, de elect. in 6.* ubi dicitur: *quòd, si Abbas, Papæ immediatè subjectus, eligatur in Episcopum, nemo possit ei dare licentiam, deserendi monasterium, nisi Papa, vel Legatus de latere*, ratione statim annexa, *quia hic potest prædictas exemptorum electiones confirmare.* 2. ex *c. 1. de V. S. in 6.* ubi dicitur, quòd, quando Papa recipit aliquos in proprios filios, non videatur per hoc concedere exemptionem; sed, quòd non possint ab alio, quàm à se, *& à Legato de latere* excommunicari; quo, ut ait Sanchez cit. Papa in privilegijs exemptionis ab Ordinarijs, videtur purificare sibi Legatum de latere, ut scilicet in illis non excludatur jurisdictio ejus, nec sua.

Hæc sententia P. Sanchez est valdè pro- 1293.
babilis ex cit. c. *Si Abbatem*, ubi etiam additur, *hujusmodi Legatum majus omnibus, post Romanam Pontificem, in Provincia sibi decreta, imperium habere, & Archiepiscoporum, Episcoporum, & exemptorum electiones posse ex officio confirmare; secùs Legatos alios sine speciali commissione:* licèt contrarij dicant, textum procedere solùm de casu expresso.

## §. III.

### *An Regulares exempti subjiciantur legi jurisdictionis Ordinariorum quoad punitionem?*

QUæstio procedit pro casu, quo tales 1294.
delinquunt in loco non exempto, pro quo videtur indefinitè affirmandum. 1. *ex Trid. sess. 6. de reform. c. 3.* ubi dicitur, nullum Regularem, extra monasterium degentem, *etiam sui Ordinis privilegij prætextu*, tutum censeri, quò minùs, si deliquerit, ab Ordinario loci, *tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundùm canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.* 2. ex c. *Volentes, de privileg. in 6.* ubi habetur: *exemptos, ratione delicti, contractûs, aut rei, si hæc sint inita, vel sita in loco non exempto, conveniendos coram Ordinario*; quod c. in Trident. *sess. 7. de reform. c. 14.* non modò confirmatur, & innovatur, sed etiam extenditur, ut procedat etiam *in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum.* 3. ex eod. Trid. *sess. 25. de Regularib. c. 14.* ubi dicitur, quòd *Regularis exemptus, delinquens extra claustrum, si à Superiore, instante Episcopo, non puniatur, possit ab Episcopo puniri.* Loquitur autem de delicto *ita notorio, ut populo scandalo sit.*

Nec juvat, si cum Cajetano, Navarro, 1295.
D. Antonino, Sylvestro, & alijs apud Sanchez relatis, *l. 6. consil. moral. c. 9. D. 1.*

*n.* 24. dicas, dicto c. *Volentes*, per privilegia Mendicantium derogatum esse; nam ut rectè notat cit. Sanchez, huic responsioni clarè obstat Tridentinum relatum *num. præced.* innovans dictum c. & in fine addens: *privilegiis, & exemptionibus, adversùs præmissa, non valituris.* Neque dici potest cum Henriquez *l. 7. de indulgent. c. 25. n. 5. lit. O.* quòd derogato c. *Volentes*, censeatur etiam derogatum illud decretum Trid. *sess. 7. c. 14.* de quo suprà. Nam hoc dici non potest, nisi concedatur derogatio c. *Volentes*, concessa *post* Tridentinum; hoc autem dici non potest; quia illa est multò antiquior isto. 2. Tridentinum expressè illud innovat; & post hanc innovationem nihil invenitur, quo ea derogetur, his non obstantibus:

1296. Resp. per cit. c. *Volentes* (quod concedo manere in suo robore) nihil concludi contra Regulares *exemptos exemptione personali quoad in ipso contenta*; ita Sanchez cit. *n.* 25. & alij, de quibus infrà. Probatur; quia in cit. c. *Volentes*, §. 6. *in eos autem*, expressè dicitur, *quòd in eos* (*qui, ne interdici, suspendi, vel excommunicari à quoquam valeant, privilegiô Sedis Apostolicæ habent*) *Ordinarij* (de quibus ibi) *jurisdictionem suam, quantum ad ista, ubicunque illi fuerint, penitus exercere non possint*; cùm ergo *quoad ea*, in quibus privilegium habent *exempti*, contra personas *exemptas personaliter*, ubicunque delinquunt, Ordinarij jurisdictionem suam exercere non possint; necessariò prior pars dicti capituli, *exemptos subjiciens Ordinariis* quoad visitationem, correctionem, vel punitionem, &c. si contrahant, vel delinquant extra locum exemptum, *intelligi debet de exemptis exemptione solùm locali.* Et ita tenet expressè Covarruvias *quæst. practic. c. 11. n. 5.* quem citat, & sequitur Barbosa in cit. c. *Volentes*, *n.* 3. quod maximè verum vult, ubi *exemptio* ita ampla, & absoluta est, ut *in omnibus*, & *per omnia* concessa dicatur non obstante quocunque Ordinariorum præjudicio, ita, ut nulla detur conjectura, quæ restrictionem aliquam concludat.

1297. Confirmari potest ex ijs, quæ habentur cit. §. *In eos autem*, ubi dicitur, *Ordinariorum jurisdictionem* quoad illos cessare in ordine ad censuras, quando monasterium privilegiatum est, ut ejus Monachi censuris à quocunque affici non possint, nisi illi Monachi mitterentur ad Prioratus subditos Ordinarijs; quia tunc etiam, licèt utrobique sint Monachi, Ordinarij etiam quoad prædicta (nimirum censuras) eos judicant, quamdiu ibi manent. Uti manifestum est, dictum capitulum, subjiciens exemptos Ordinarijs, quoad contractûs, delicta, vel res in loco non exempto; loqui de casu, quo gaudent exemptione tantùm *locali.*

Deinde, quando privilegium exemptionis ab Ordinario non definitur *loco*, sed inhæret *personæ*, non debet exemptio restringi solùm *ad locum*; sed ubi privilegium est *personale*, non definitur *loco*, sed inhæret *personæ*; ergo non debet exemptio talis personæ restringi solùm ad locum, sed vim suam habet ubique; ergo etiamsi contrahat, vel delinquat in loco non exempto; at tale privilegium personale habent Mendicantes, ut notat Sanchez *cit. num.* 25. ergo. Major probatur. Nam in c. *capella*, *de privileg.* ubi, cùm Capellani capellæ, quæ habebat privilegium, ut ejus Capellani non possent excommunicari, prætendissent etiam in alijs, non concernentibus dictam Capellam, exemptionem ab Ordinario, respondit Papa: *servandum esse privilegium, in quantum exempti sunt ratione capellæ*, seu ratione illius loci; *non tamen in aliis*; ergo quando quis non ratione *loci*, sed simpliciter, & ratione *sui* est exemptus, exemptio non debet restringi ad solum locum. 1298.

Ex dictis collig. 1. Regulares Ordinum *Mendicantium* eximi ab omni specie jurisdictionis, & causatum, & jurium, tam in rebus, aut personis; quàm in causa mixta, ex re, & persona; adeóque ab omni jurisdictione Ordinariorum, mediata, aut immediata; principali vel accessoria; quia gaudent exemptione universali; ut constat ex *num. priori*; ita Sanchez *cit. n.* 22. & apud eum Henriquez *cit. c. 25. n. 4.* 1299.

Collig. 2. Regulares Ordinum Mendicantium, quoad contractus initos, delicta commissa, vel res sitas in loco non exempto, non subjici locorum Ordinarijs, quà talibus, quoad jurisdictionem, & forum. Nam, ut constabit ex sequentibus, rationes in contrarium loquuntur solùm de exemptis *localiter*, seu ratione loci. V. *n.* 1297. 1300.

Collig.

1301. Collig. 3. esto Prælatus Regularis sit negligens in correctione personarum exemptarum; non propterea devolvi potestatem corrigendi ad Ordinarium, seu Episcopum loci. Nam Episcopus in exemptos *personaliter* nullam habet jurisdictionem ordinariam; hoc enim importat exemptio; de jurisdictione autem delegata dicemus in sequentibus. Et ideo potestas corrigendi eo casu devolvitur ad Superiorem Regularem, cui subest Prælatus negligens; sic gloss. in c. *gravi, de offic. Ordin.* V. *corrigere;* Decius in c. *Ad hæc, de privilegiis, n.* 8. & alij.

1302. Collig. 4. processum Episcopi contra Regulares, *personaliter* exemptos, sive intra, sive extra judicium, sive contra personas, sive contra res earum, ipsámque sententiam, & inde secuta (qualiscunque sit causa, civilis, criminalis, vel spiritualis) ipso jure esse nulla. Nam ab eo gesta censentur gesta, tanquam à privata persona; cùm nullam prorsus habeat jurisdictionem in illos; sic Henriquez *cit. c.* 25. *n.* 5. quem citat, & sequitur Sanchez *num.* 27.

1303. Collig. 5. censuras contra *personaliter* exemptos ab Episcopo, etiam ignorante privilegium exemptionis *personalis* latas ipso jure, nullas esse. Ratio est; nam avocatio causæ cum decreto irritanti facit, ut acta à Judice prohibito, quantumvis ignorante, sint ipso jure nulla; cùm sic pro tali causa destituatur omni potestate, & jurisdictione; id, quod multis probat Covarruvias *qq. practic. c.* 9. *n.* 7. sed privilegium exemptionis ab Ordinario, ne in taliter exemptos censuram ferre possit, est avocatio causæ; ergo quando simul affert clausulam irritantẽ, ipso jure nullæ sunt ejusmodi censuræ in *personaliter* exemptos ab Episcopo, etiam ignorante privilegium exemptionis latæ, quando privilegium habet talem clausulam irritantem.

1304. Talem porrò clausulam habet privilegiũ nostræ Societatis, concessũ à Paulo III. anno 1549. ibi: *nec ullis Prælatis contra aliquem de Societate, vel contra alios, eorum causâ, aliquam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiã ferre liceat; & si tulerint, eo ipso irrita, & nullius roboris sit.* Idem habet Compendium Minorum, V. *Exemptio n.* 23. Et in tali casu, censuram ab Episcopo latam in neutro foro servandam esse, docet expresè Sanchez *cit. n.* 28. quia ubi sententia est nulla defectu jurisdictionis in ferente censuram, in neutro foro servanda est censura. Sic enim idem est, ac si ferretur à privato; at in præsenti casu est nulla defectu jurisdictionis in ferente censuram, ut liquet ex *num. præced.* ergo. Et hæc *de potestate Ordinariorum, quà talium, respectu exemptorum in his, in quibus exempti sunt.* Cæterùm, si Ordinarij locorum considerentur, in quantum illorum jurisdictioni, *non ut Ordinariis*, sed *ut delegatis Apostolicæ Sedis Tridentinum subjicit exemptos*, dicemus suô locô.

Præterea not. 1. Regulares solùm *localiter* exemptos à jurisdictione Ordinariorum, in his, in quibus exempti sunt, vi Tridentini non subjici jurisdictioni Ordinariorum localium, *etiam ut delegatis Papæ, dum sunt in loco illo exempto*, quantum est vi c. *Volentes*, de quo suprà, ut constabit ex *n. seq.* secùs est, dum sunt extra locum exemptum, sed juxta *n.* 1296. Not. 2. Regulares exemptos *personaliter*, vi c. *Volentes*, non subjici jurisdictioni Ordinariorum localium, *etiam ut Delegatis Papæ*, quoad contractus initos, delicta commissa, vel res sitas in loco non exempto; patet ex *n.* 1298. Dixi vi c. *Volentes.* Nam, an non saltem *vi Tridentini sess.* 7. *c.* 14. de quo suprà *n.* 1294. dubitari potest? 1305.

Rx. etiam in hoc negativè, *in quantum Concilium citatô locô innovat dictam constitutionem capituli Volentes.* Sic enim quoad contenta in illo plus non petit, quàm ipsum constituat; at ipsum in prædictis per contenta in illo nihil constituit quoad exemptos *personaliter*, ut probatum est *à n.* 1296.; ergo nec vi Tridentini locorum Ordinarij, quoad contenta in c. *Volentes*, ut *Delegati Papæ* plus possunt, quàm in eo contineatur; at ibi nihil continetur quoad exemptos *personaliter*, ut dictum est; ergo; ita Sanchez *cit. l.* 6. *c.* 9. *D.* 1. *n.* 25. Ex quo patet responsio ad contrarium fundamentum *in n.* 1294. Nam ad illud decretum, quod retulimus *num. cit.* Rx. cum Sanchez cit. quando jubet observari cit. c. *Volentes*, plus non velle, quàm Regulares solùm *localiter* exemptos, quando delinquunt in loco non exempto, posse puniri à loci Ordinario; non autem exemptos *personaliter.* Et quoniam Concilium, innovans c. *Volentes* quoad in illo contenta, illud extendit ad civiles 1306.

civiles causas mercedum, & miserabilium personarum; in his quoque non aliter gravare videtur exemptos, quàm in illis, quæ continentur in c. *Volentes*; sed quoad contenta in c. *Volentes* non gravantur nisi exempti solùm *localiter*, non autem *personaliter*, ut constat *à n.* 1296. ergo nec in dicta extensione; sic expressè docet Barbosa *in cit. c.* 14. *sess.* 7. *n.* 9. citans pro se Aldrete *pro omnimoda Regularium exemptione p.* 1. *c.* 8. *n.* 17. & complures alios.

1307. Nec obstat decretum Tridentini *sess.* 6. *c.* 3. de quo *n.* 1294. *exemptos*, qui (cùm degunt *extra claustrum*) delinquunt, non obstantibus privilegijs sui Ordinis, subjiciens punitioni, & correctioni Ordinariorum localium; nam hoc non ita indefinitè procedit, ut vult prima ratio in *n. cit.* Primò enim non intelligitur, si delinquant *extra claustrum, ibi degentes de licentia sui Prælati.* Nam Monachus dicitur habitare *intra Monasterium, quando ex licentia sui Prælati degit extra monasterium*, ut docet Abbas antiquus c. *Cùm illorum, de sent. excom. Panormit.* c. *Ex rescripto, de Jurejur. n.* 5. Angelus, Sylvester, Navarrus, & Henriquez, quos citat, & sequitur Sanchez *n.* 4. ergo procedit solùm in casu, quo exemptus *sine licentia* sui Prælati degit extra locum exemptum, ibidémque delinquit.

1308. Deinde idem decretum *in n. cit.* non videtur aliud velle, quàm decretum *sess.* 25. *de Regular. c.* 14. quod jubet, ut Religiosus *publicè*, ac *notoriè* ita delinquens extra Monasterium, *ut populo scandalo sit*, punitatur à suo Abbate ad instantiam Ordinarij; & si ab eo non castigetur, sic requisito, possit Ordinarius punire: Barbosa quoque *in cit. loc. Trid. sess.* 6. *de reform. c.* 3. *n.* 1082. refert ex Aldano *in compend. canon. resolut.* 8. *Febr.* 1601. decisum esse, quòd Canonicus Regularis, jussu sui Superioris degens in ædibus Parochialis Ecclesiæ suæ, Congregationi unitæ, in qua curam animarum exercet, & Sacramenta administrat, non possit ab Episcopo puniri vigore hujus decreti (de quo *n.* 1294.) *quasi extra monasterium degat*, si delictum ibi commissum, non concernat curam animarum, vel Sacramentorum administrationem. Imò textum illum *in c.* 3. de quo *n. citato*, ubi dicitur, *exemptos in loco non exempto delinquentes*, puniri posse ab Ordinario loci, expressè limitant Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 33. *à n.* 22. Miranda, Portel, Villalobos, & alij apud Barbosam *cit. n.* 7. volentes, eam punitionem, & correctionem, fieri non posse per censuras. Et ex his patet solutio ad rationem in *n.* 1294. Ad illud verò, quod retulimus *n. cit. ex c.* 14. *sess.* 25. *de Regularibus*, notandum, textum non loqui *de qualicunque* delicto notorio, sed ita notorio, *ut populo sit scandalo*; & quidem commisso *extra claustrum*, seu *locum exemptum*; Superiorem autem, ab Episcopo monitum de puniendo delinquente, satisfacere, si intra tempus præscriptum de punitione ipsa, & sententiæ executione, Episcopum certiorem faciat, ut notat Barbosa *in cit. loc. Trid. n.* 10. ubi nota, nullam in decreto Conciliari mentionem fieri, quòd talis Superior debeat Episcopum certiorem facere *de qualitate pœnæ.*

Ad extremum dubitari meritò potest, 1309.
an hæc Tridentini decreta vim suam adhuc obtineant respectu eorum, qui *post Tridentinum* per *specialia privilegia* exempti sunt ab omnimoda jurisdictione Ordinariorum, Delegatorum, & aliorum Judicum, maximè cum clausulis efficacissimis, ac de plenitudine potestatis, *motu proprio*, & *ex certa scientia*, omnibus omninò contrarijs expressè derogantibus, esto ad sui derogationem specificam mentionem exigerent, aut derogationi aliàs non subjacerent, nisi de verbo ad verbum literis contrarium statuentibus inserantur. Sed hoc aliorum considerationi relinquo.

## ARTICULUS V.

### *De Rubricis.*

1310. *Rubricæ* hìc supponunt vel pro quibusdam regulis, quæ præscriptæ sunt ad ritè, decentérque celebranda divina, vel pro summa quadam, & synopsi legum, & sacrorum Canonum ante ipsum eorum textum præfixa, ut notavimus *n.* 70. & 126. sic dictæ sunt, quòd colore quodam expressæ rubeo ipsi textui legum, & Canonum præfigerentur, ut quasi in compendio totus textus (qui explicatur per *nigrum*, ut diximus *n.* 126.) seu tota legis, aut Canonis dispositio prænosceretur. Hinc *rubricæ* legum, & Canonum à Barbosa *in tit.*

*tit.* 1. C. *n.* 2. dicuntur *rerum tractandarum index*, seu *summa quædam, & capita eorum, quæ tractantur in nigro.*

1311. Not. autem 1. *ex dict. cit. n.* 70. rubricas canonum *in decretalibus, Clementinis, & Extravagantibus* habere vim legis; & in decidendis causis etiam in judicio adhiberi posse; secùs *rubricas Canonum in decreto Gratiani*; id, quod etiam tenet Barbosa *cit. n.* 4. si scilicet orationem perfectam habeant; & ab illis valere argumentum (per Barthol. L. 1. *ff. si certum petat*) si claræ sint, & non indigeant aliqua suppletione.

1312. Not. 2. ex *n.* 125. quòd textus infra rubricam legum, vel Canonū scriptus, *specificè loquens*, non limitet rubricam loquentē *generaliter*, quando hæc habet sensū perfectum, aut illud *specificè* expressum ponitur solùm *exempli causâ*, seu tanquam regula reliquorum. Hinc sæpe fit, quòd *nigrum* (seu textus rubricæ subscriptus) decidens *unum* casum, non limitet *rubrum* seu rubricam decidentem *plures*, ut notavimus ex Rodriq. Fermosino, supra *n.* 126. licèt in contrarium sit Menochius contra communem, ibidem *à n.* 125. *& seq.* Et quamvis etiam Barbosa *cit. n.* 7. dicat, illarum generalitatem esse restringendam à congestis *in nigro*, seu textu subscripto; ipse tamen hoc limitat cum Aldano, Mascardo, & alijs, expresè addens hæc verba: *si sequeretur absurdum, vel iniquitas.*

1313. Circa *Rubricas* tam *Missalis*, quàm *Breviarij*, aliásque cæremonias, ac ritus Ecclesiasticos præscriptos ab Ecclesia vel universali, vel particulari, frequens disceptatio est; an omnes sint *præceptivæ*, hoc est, obligantes ad observantiam sub culpa, & in conscientia? vel solùm *directivæ*, nimirum solùm præscriptæ cum obligatione solius decentiæ, ac honestatis? Pro resolut. not. 1. P. Joannem de Cardenas *in Crisi Theolog.* ubi exponit opiniones damnatas ab Innocent. XI. *dissertat.* 32. *c.* 1. *n.* 5. expresè tenere, negari non posse, leges Ecclesiasticas alias esse *præceptivas*, & alias *duntaxat directivas.* Sic enim, inquit, multæ, quæ leguntur in Rubricis Missalis Romani, solùm sunt directivæ, *non obligantes sub peccato*, ut passim notat Zacharias Pasqualigus *in tract. de sacrif. novæ leg.*

Not. 2. ex dissertationibus Francisci Mariæ, Episcopi Portuensis, Cardinal. Brancatij, Romæ impressis 1672. *de Sacro Viatico, pag.* 158. §. *Hoc tamen*, illam rubricam dici *tantùm præceptivam*, quæ respicit actum, ejúsque substantiam, cùm operamur circa illum; si autem sit de ijs, quæ sunt circa modum accidentalem, & non tangentem actûs substantiam, dici *directivam.* Hanc explicationem *Rubricæ præceptivæ*, ac *directivæ* Brancatius dicit esse ex communi sententia *in quæst. de Rubricis Missal.* & pro ea allegat Patrem Suarez *tom.* 3. *de Sacram. D.* 82. *in proœm.* Card. de Lugo *D.* 2. *sect.* 4. *n.* 106. *Quartum de Rubric. Miss. q. proœm. f.* 2. *part.* 1. qui postremus, constituens ex communi sententia differentiam inter utrasque Rubricas, *generaliter*, ait, *præceptivas esse, quæ præscribunt ritus servandos intra missam: directivas, quæ præscribunt ritus ante, vel post missam*; quia hi non tangunt substantiam actûs. 1314.

Ex his ad eam quæstionem (*an æger, sumptô viaticô, volens, durante eadem infirmitate, vel periculo, non jejunus communicare, die statim proximo, & sic sequentibus, si manent eadem periculi circumstantiæ, licitè communionem recipiat, eíque detur?*) respondit affirmativè, ut patet ex loc. cit. & cùm opponeretur argumentum Dianæ *p.* 9. *tr.* 9. *resol.* 27. ex Rubrica in Rituali Romano, in qua habetur: quòd *si æger sumptô viaticô, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, & communicare voluerit, ejus pio desiderio Parochus non deerit*; ex qua arguitur: dispositionem hanc (*dies aliquot*) non verificari, cùm, si *secundâ die* præbeatur, non elapsi sint *dies aliqui* (nam saltem ex legali Doctorum interpretatione *duo requiruntur dies*, ut vere ly, *per aliquos dies*, locum habere valeat) respondet, *illam rubricam non esse præceptivam, sed directivam, & consilium tantùm*; adeóque posse illi contraveniri ex causa, nimirum, cùm devotio infirmi, vel usus anteactæ vitæ frequenter communicandi, id exigunt; sic Cardinalis Brancatius *loc. cit.* Hanc doctrinam suam confirmat à consensu plurium (quos *ibid. pag.* 159. §. *hisce rationem fundamentis*, refert in margine) Doctorum, etiam relatorum à Diana *loc. suprà cit.* quorum au- 1315.

thoritate opinioni, cæteroquin inter Authores non certæ, robur addi rectè probat ex S. Ambrosio *lib. 2. de vocat. gent. c. 1.* dicente: *magna est fortitudo consensionis, cui ad sequendam veritatem auctoritas sufficit, etiam latente ratione.*

1316. Ex his collig. 1. probabilius, imò certum esse, non omnes Rubricas, de quibus hìc agimus, esse præceptivas, seu obligantes sub peccato, sed plures solùm directivas, seu consiliativas. Ratio est, quia certum est, dari Rubricas aliquas Breviarij præscribentes, quibus diebus *Officium B. M. semper Virginis*, & *Defunctorum*; item *septem Psalmos pœnitentiales*, ac *graduales*, dici, ac psalli oporteat, ut manifestum est ex ipso Breviario; sed certum est, eas non esse præceptivas, seu obligantes sub peccato, ut manifestum fiet legenti constitutionem Pij V. incip. *quod à nobis*, initio Breviarij præfixam, ubi, loquens apertè de his ipsis Rubricis, expressè habet, quòd non obligent sub peccato, ibi: *Nos propter varia hujus vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione removendum duximus*, &c.

1317. Not. præterea ex Constitut. Clem. VIII. incip. *Cùm in Ecclesia* (& habetur pariter ad initium Breviarij) post emendationem Breviarij factam à Pio V. *etiam Rubricis ejus, sine Romanorum Pontificum authoritate, pro cujúsque arbitrio, pleráque addita, & immutata fuisse*, ita, ut tunc (nimirum tempore Clementis VIII. anno 1602. quo dicta constitutio emanavit) nulla reperirentur Breviaria, quæ à prima editione ejusdem Pij V. non discreparent, atque dissentirent. Quod idem etiam fatetur de suo tempore Urbanus VIII. in constitut. sua ibidem, incipiente: *Divinam psalmodiam*, editâ 25. Jan. 1631. Ex hoc enim non leve dubium nascitur, an omnes ejusmodi Rubricæ conditæ sint ab eo, qui leges condere potest pro universali Ecclesia? consequenter, an omnes sint præceptivæ, seu obligantes in conscientia? quia tamen meritò præsumi potest, omnes ad Dei cultum, decenter, etiam in cæremonijs Ecclesiasticis peragendum ordinari; ideo, quæ non sunt circa substantiam actûs præscripti, saltem directivæ, seu consiliativæ meritò habendæ sunt, non præceptivæ. Hinc patet ad rationem in contrarium *n.* 126. & 407. allatam, in quantum tangit quæstionem *de Rubricis*; R. enim, transeat primum enthymema; dist. subsumptam: sed ea, quæ præscribunt Rubricæ *merè directivæ, ac consiliativæ*, non sunt sub obligatione C. *præceptivæ*, N. subsumpt. hinc etiam concedo *Rubricas merè directivas* non esse leges strictè, ac propriè, nimirum obligantes in conscientia; bene tamen cum addito diminuente, *consiliativas*, quæ quidem non imponant debitum necessitatis, seu præcepti, sed decentiæ, ac honestatis. Dixi hìc, & alibi, transf. 1. enthym. quoad eam propositionem, *quòd omnis actus legis, propriè dictæ, sit sub obligatione.* Nam ea propositio intelligi potest de obligatione legis inhabilitantis personam, vel irritantis actum, quæ vel afficiat ipsum inhabilitatum, vel alios: si enim indefinitè intelligatur de ipso inhabilitato, falsa est, ut patet ex dictis.

Neque ex hoc, quòd Rubricæ quædam sint solùm directivæ, licèt inferre: 1318.
*ergo pro arbitrio omitti possunt.* Facilè enim respondetur, istam illationem, prout proponitur, nullam esse. Nam etiam consilium, & directionem, ad actum aliquem, quoad substantiam præceptum, decenter, ac decorè præstandum (præsertim ubi agitur de Dei cultu, ac exemplo devotionis non tantùm in se, sed etiam alijs excitandæ) pro libitu sæpius, & ut plurimùm, aut semper, prætermittere, vel rejicere, sonat quendam contemptum vel personæ, quæ dirigit, vel rei per directionem intentæ, quod vix unquam caret peccato, si fiat, præsertim ex socordia, quæ apud Juristas est contemptus juris per eum, qui scit, L. 1. *ff. de Feriis*; sic Pereyra *cit.* Gavantus *p. 3. in thesauro sacr. Rit. tit. 11. n. 13.* id, quod magis urgeret, si accederet contemptus legis, de quo *à n. 1236.*

Ex hoc confirmari potest, quod dixi- 1319.
*n. 1316.* non omnes Rubricas esse præceptivas, sed dari quasdam merè directivas. Nam postquam Gavantus *cit. eod. tit. à n. 1.* enumerâsset aliquot casus, in quibus vult Rubricas esse graviter præceptivas (ut sunt illæ. 1. in quibus habetur hæc vox *gravissimè*, vel *graviter peccat*, quæ

quæ verba haberi septies ait, cùm de defectibus Missæ agitur. 2. quando materia Rubricæ pertinet *ad integritatem Sacramenti, vel Sacrificij*, 3. in quibus concordant Doctores esse de re gravi. 4. in quibus agitur de Missis conventualibus, seu Principalibus Ecclesiarum Cathedralium. 5. de quibus est disceptatio inter Doctores. 6. quæ sunt de duplici Missa in ferijs quadrag. &c.) subjungit *n.* 13. *reliquas esse directivas tantùm*, non tamen sæpiùs, aut perpetuò negligendas; quia saperet contemptum; ergo & Gavantus agnoscit aliquas esse directivas tantùm, atque adeò non omnes præceptivas. Et quamvis eas etiam (*de quibus est disceptatio inter Doctores, an sint præceptivæ, vel directivæ?*) *n.* 5. numeret inter præceptivas, quia Pius V. & Clemens VIII. præcipiunt in Bulla, *ut juxta formam in novo Missali traditam celebretur Missa*: subjungit tamen: dictos summos Pontifices (licèt controversa sint inter Doctores, ejusmodi sunt de matutino, & laudibus ante missam; de 3. mappis, de luminaribus cereis) prædicta potiùs in suis Rubricis approbâsse, *tanquam tutiora*; quod non sonat *præceptum*. Unde etiam Suarez *cit. tom.* 3. *in* 3. *p.* D. Thomæ, *D.* 82. *sect.* 1. docet, nullam esse obligationem vel ex lege scripta, vel etiam non scripta, recitanda matutinum priùs, quàm quis privatim, aut solenniter celebret, saltem loquendô de officij divini recitatione privata.

1320. Accedit, quòd multæ Rubricæ in diversis Regionibus non sint usu receptæ, ut expresè notat Franc. Zypæus *in Respons. de jure Canonico, l.* 3. *de vita, & honest. Cler. à n.* 11. multæ usu contrario abrogatæ, ut constat de Rubrica, quoad purificationem post sumptionem calicis, quam multi faciunt in vino, & aqua; alij in solo vino; alij in sola aqua &c. multæ in Breviarijs, & Missalibus, propter constantem Ecclesiæ stylum permittantur etiamnum, licèt causa, propter quam, jam venerit in desuetudinem. Tales sunt Rubricæ, quæ conditæ sunt ex suppositione legis, quæ olim erat, diebus, ubi urget præceptum audiendi missam, hanc audiendi in Parochia. Nam huic legi jam derogat constans, totóque propemodum orbe Christiano recepta contraria consuetudo, ut notat Cabasutius *de notitia Conciliorum S. Ecclesiæ*, ubi de Concilio Nannetensi in fine. Talis pariter Rubrica est de Vesperis in quadragesima dicendis ante cænam. Nam, ut notat Cabasutius *cit. in Concilio Turonico.* 2. *pag.* 401. *olim in quadragesima sumebatur cæna post solis occasum.* Unde ne vesperæ differentur in noctem, ordinatum erat, ut essent ante cænam; sic Cardinalis de Lugo. Similiter illam Rubricam in Missali, de præparatione Sacerdotis celebraturi, qua dicitur: *matutinô cum laudibus absolutô, orationi aliquantulum vacet: & orationes inferiùs positas pro temporis opportunitate dicat*, ne quidem obligationem sub veniali continere, sed tantùm decentiam indicari, docet P. Ilsung *in Theol. pract. tr.* 5. *D.* 1. *n.* 36. §. *nihilominus.* Multæ denique sunt, quæ non utuntur ullis verbis *præceptivis*, sed mera directione, ad securè, ac decenter agendum ministerium.

Præter hæc not. 1. ex eo, quòd plures 1321.
Authores dicant, esse sub obligatione in functionibus Ecclesiasticis hunc, vel illum ordinem servandi ex consuetudine jam inducta, v. g. à Sacerdote priùs orandi matutinum officij divini, quàm celebretur missa, non statim judicandum, in re dari talem obligationem conscientiæ, ut fiat cum tali cæremonia, vel ritu, ut rectè observat Suarez *cit. Disp.* 82. *sect.* 1. dicens, in hoc casu rectè usurpari testimonium Navarri in c. *Placuit, dist.* 6. *n.* 186. dicentis: non esse credendum multis Authoribus, asserentibus aliquam consuetudinem, nisi ab eis probetur.

Not. 2. quando Pius V. in sua constitutione: *quo primum tempore*, præfixa statim in principio Missalis, mandat, & strictè omnibus, & singulis in virtute S. obedientiæ præcipit, ut missam juxta ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent, ac legant; intelligendum esse seclusis privilegijs; ubi tamen, qui illis gaudent, tenebuntur servata proportione ea dicere, quæ in Missali sibi permisso continentur; ita Suarez *cit. tom.* 3. *D.* 83. *sect.* 3. *concluf.* 1. Pro hujus explicatione not. 3. *cæremoniam* esse vocem Græcam, & significare hìc *ritum*, hoc est, modum, vel circumstantiam Sacrificij, præscriptam in Missali; 1322.

sic Gobat *tr. 3. in Theol. experimentali n.* 734. Ex ritibus autem, seu ijs, quæ in celebratione missæ concurrunt, ad ejus debitam celebrationem, quædam sunt *verba*, & quædam *facta*. Verba sunt, *varia prolatio* orationum, lectionum, &c. facta, actiones cæremoniosæ, ut sunt genuflexiones, gestus manuum &c. hæc enim veniuut inter cætera, nomine ritûs celebrandi missam; sic Reginaldus in *praxi*, *l. 29. n.* 206.

1323. Not. 4. aliud esse *mutilare ordinem missæ*, omittendô aliquid eorum, quæ dicenda sunt: aliud verò *dicere missam alterius diei*, seu de alia re, quàm in Missali præscribatur. In posteriori mutatione non semper est culpa, dummodo in ea missa, quæ dicitur, integer ritus servetur; quia tunc reverâ in rigore non prætermittitur ritus dicendi missam: neque videtur esse latum præceptum propriè & in rigore de missa dicenda, de feria aut festo: nam, cùm Sacerdos absolutè non teneatur hodie, v. g. missam dicere, non est, cur obligetur ad dicendam *hanc determinatè*, si missam vult dicere: quamvis enim non repugnet hujusmodi obligatio, tamen in præsenti, neque ostendi potest, neque est ulla sufficiens necessitas, & causa illius; ita Suarez *cit.*

1324. Dices: Sacerdotes, & hi, qui tenentur ad horas Canonicas, obligantur ad dicendum singulis diebus illud Officium, *quod pro unoquoque assignatur*; ergo idem erit de Missa. R. esse magnam differentiam inter Missam, & divinum Officium: nam *ad hoc dicendum*, tenentur Sacerdotes: & ideo mirum non est, quòd obligentur ad dicendum singulis diebus illud Officium, quod pro unoquoque signatur: in missa verò non ita est. Et hoc confirmat consuetudo: nam sine scrupulo solet hoc fieri, etiam à viris timoratis, & doctis. Hoc tamen intelligendum est in missis privatis, quæ propriô arbitriô voluntariè dicuntur; nam in missis solemnibus, quæ dicuntur in Parochijs, vel Ecclesijs conventualibus, major erit obligatio dicendi missam diei, juxta præscriptum Missalis ordinem: arg. c. *quidam*, &c. *cùm creatura*, *de celebratione missæ*; ita Suarez *cit.* qui tamen addit, esse optimi consilij, neque in hoc prætermittere Missalis ordinem.

Præter hoc not. 5. quamvis, ut dictum est, non sit sub obligatione, dicere missam certo die præscriptam, sed posse dici aliam ab eo, qui tali die non tenetur celebrare; debere tamen limitari. 1. ut non procedat, si tali die celebrare talem missam, v. g. *de Requiem*, vel votivam, sit specialiter prohibitum. 2. debere intelligi, ut si dicat missam aliam ab ea, quæ illi diei præscripta est, nihilominus proprium illius missæ, quam dicit, ritum observare teneatur. 1325.

Not. 6. in priori defectu, qui est per omissionem *alicujus partis* pertinentis ad integrum ritum missæ, semper intercedere aliquam culpam, nisi vel ob inadvertentiam naturalem, & involuntariam excusetur; vel materia sit adeò levis, & tam rationabilis causa intercedat illam omittendi, ut prudenter judicetur ad omittendum sufficiens; ita Suarez *cit.* §. *in quo*; cujus ratio est, quia, ut constat ex constitut. Pij V. de qua *n.* 1322. totus ritus missæ, hoc est, totum, quod in ea præscribitur dicendum, est sub obligatione. 1326.

Quæstio est, an, ut aliqui volunt, sit mortale, in Canone vel unicum verbum omittere? Respondet Suarez *cit. Non video*, inquit, *cur in his etiam ex levitate materiæ non possit veniale peccatum intercedere*, sicut in alijs præceptis religionis, voti v. g. & similibus. Deinde etiam in his defectus ille potest intervenire ex indeliberatione, quæ excusat à mortali; vel inadvertentia, vel indeliberatione totali, quæ excusat ab omni peccato; ergo etiam poterit ex levitate materiæ, esse veniale peccatum: ut si v. g. unum vel aliud nomen alicujus Sancti omittatur: vel, si tempore Paschali v. g. omittantur ea, quæ interponenda sunt in oratione (*communicantes*) vel in oratione (*Hanc igitur oblationem*) rationem reddit, quia sunt aliquæ partes, vel orationes, non simpliciter necessariæ ad usitatam missæ integritatem, ut v. g. *Symbolum*, aut quòd dicantur in collectis *una*, vel *duæ* commemorationes, vel orationes, & harum partium omissio facilius potest à culpa mortali excusari, quia reverâ non propriè mutilatur tunc missa, vel sacra actio: & ideo etiam accidere potest: ut, si ex aliqua urgente causa aliquid hujusmodi sine irreverentia omittatur, nulla propterea culpa incurratur; sic ille. 1327.

Si

1328. Si quæras, an si quis ex oblivione naturali aliquid in Missa omittat, v. g. *Gloria*, aut *Credo*; postquam verò aliquantulum progressus est, recordetur, an, inquam, debeat repetere, quæ omisit? Respondetur, regulariter non esse necessarium, ut notat Sylvester V. *Missa*, 1. *q.* 5. §. 4. *&* 5. quia moraliter id non potest fieri commodè, & omnia, quæ in Missa dicuntur, ita sunt ordinata, ut variato ordine, & extra propria loca (ut ita dicam) constituta, non rectè cohæreant; supponimus autem, ea, quæ omittuntur, non esse de substantia Sacrificij: nam, si hujusmodi sunt, semper sunt repetenda.

1329. Si autem quæras, an peccet Sacerdos, qui *ex propria devotione* addit novas aliquas precationes, aut verba, præter illa, quæ juxta ritum Ecclesiæ præscripta sunt? affirmandum est *ex cit. constitut.* Pij V. ibi: mandantes, & strictè omnibus, & singulis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes subdit: ne in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quàm quæ in hoc Missali continentur, *addere, vel recitare præsumat.* Secundò ex Trid. *sess.* 22. *c. de observandis in celeb. Missæ.* ubi post verba præcepti, illa subdit: *Neve ritus alios*, aut alias cæremonias, *& preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ*, ac frequente, & laudabili usu receptæ fuerint. Ex quo deducitur, Sacerdotem obligari in conscientia observare omnia, quæ ad ritum celebrandi missam, rubricis præscribuntur; hoc enim Pius V. mandat *in virtute sanctæ obedientiæ*, ut habetur in bulla præfixa Missali. Et quamvis obligatio hæc non sit *ex vi rubricarum*, cùm aliquæ tantùm sint directivæ, ut suprà diximus: *est tamen ex præcepto* Pij V. *vi cit. Brevis.* Hinc, etsi dicendum sit, esse contra ritum celebrandi Sacrum, ijs, quæ *verbis* aguntur, in Missa, aliquid addere, quod non est præscriptum, ut præscribit Pius V. in præfata Bulla, & Trid. *sess.* 22. *decreto, de observand. & omittend. in celebr. missæ*, & docet Reginald. *n.* 209. Tambur. *de miss. l.* 2. *c.* 5. §. 3. *n.* 1. observandum tamen, hoc tantùm procedere, si quid additur, animô *novi ritûs*; sic Reginaldus *cit.*

1330. Et quamvis ejusmodi *additio regulariter* sit peccatum grave, si fiat animo *novi ritûs*; secùs tamen tantùm est veniale *regulariter*, Reginaldus *cit. n.* 210. & Tamburinus *cit.* §. 3. *n.* 21. quia peccatum commissionis est regulariter grave, si præceptum grave sit, & periculum superstitionis: advertendum porro illam omissionem cæremoniæ, vel ritûs, *gravem* censeri, quæ est proximè accedens *ad substantiales*, quibus consecratio perficitur; talis est mistio aquæ, fractio hostiæ consecratæ, immissio particulæ in calicem, panis azymus, elevatio hostiæ, & calicis; Reginaldus *n.* 211. his positis:

Deducitur. 1. si quis sciat, se *regulariter* non posse servare ritum *proximè accedentem ad consecrationem*, non posse celebrare licitè, publicè. 1. propter scandalum. 2. quia secluså necessitate præceptum Pij est in possessione; sic Tambur. *cit. l.* 2. *c.* 6. §. 2. *n.* 28. cum Suarez *ibid.* Secus autem privatim, & si cæremonia sit levis; sic Tamburinus cit. quia tunc lex ad summum parit obligationem levem, à qua excusat ratio justa. Unde, quando Musici sub sacro cantatô v. g. *Credo*, nimis longum faciunt, posse Sacerdotem interim orare aliquid, v. g. rosarium, parvas horas, &c. etiam citra veniale, tenet Gobat *tr.* 3. *in exper. n.* 753. contra Tamburinum *l.* 2. *c.* 5. §. 3. *n.* 2. qui damnat peccati venialis Sacerdotem, cùm, etiam ut persona privata, orat v. g. *Pater* & *Ave*; quia jam addit aliquid, quod non est in missa. Verùm nihil addit verbis *missæ*; hoc autem solùm vetatur; aliàs etiam omne vocale, & tacitum suspirium esset veniale, cùm Sacerdoti nihil incumbit dicendum; ita etiam Tannerus *l.* 4. *in* 3. *p. D.* 5. *q.* 10. *n.* 15. 1331.

Si quæras, an, cùm ante sumptionem hostiæ, Christum manibus Sacerdos tenet, licitè aliquid oret? negat Dicastillo *de Sacr. tom.* 1. *tr.* 5. *D.* 4. *d.* 13. *n.* 269. quem refert, nec improbat Diana *p.* 10. *tr.* 12. *n.* 11. quia addere novam cæremoniam est illicitum; sed hic fit; ergo: probatur, quia sumere tempus orandi oratione non præscripta, extra tempus præscriptum est novum; (nam pro tribus solùm temporibus, in duplici nimirum memento, & post hostiæ sumptionem, aliquid non præscriptum in missa, orare conceditur) ergo qui facit quartum ante sumptionem, facit novum. Sed rectiùs affirmatur cum Gobat *tr.* 3. *n.* 756. quia facere illam moram 1332.

nullibi est prohibitum; tria tempora sunt legis; sed ibi etiam orare non est legis vetantis. Et ratio videtur tum ex praxi, tum ex fine, ut quis Deo, quem manibus tenet, tunc specialiùs sua commendet.

1333. Quæri etiam potest, an in missa votiva v. g. ad S. Xaverium, post nomen *S. Francisci*, licitè addatur cognomen *Xaverij*? hìc enim Ecclesiæ verbis quid adderetur. Ratio dubitandi est, quia post Pium V. non permittitur, quod olim quidam solebant addere in Gloria: *quoniam tu solus Sanctus* (Mariam sanctificans) *tu solus Dominus* (Mariam gubernans) *tu solus altissimus* (Mariam coronans) Gavantus *p.* 1. *tit.* 8. *lit. z.* Gobat *tr.* 3. *n.* 732. Secundò, quia consuetudini Ecclesiæ opponitur hìc modus. 3. quia videtur indecens addere nomen simile, patriæ, generis, &c. 4. quia Pius V. nihil voluit addi, &c. Sed probabiliùs est oppositum; sic Quintannaduen. *tr.* 7. *sing.* 38. *n.* 12. qui addit non solùm licere, sed quandoque etiam expedire. 1. quia id fecit ipsa Ecclesia de S. Joanne Evangelista, ponens in oratione: *Apostoli & Evangelistæ*; de S. Joanne Baptista ponens ly *Præcursoris*; de Joanne Chrysostomo: *Joannis Chrisostomi*; de S. Joanne Gualberto ponens: *Joannis Gualberti*; de Joanne & Paulo MM. quem distinguit ex Socio. 2. quia non est indecens ponere patriam, cùm non sit necessarium, ut omnia ibi posita sint ex sacra Scriptura; cùm in Gradual. de S. Francisco Assisio, S. Martino Episcopo, S. Joachimo quædam ponantur ex eorum vitis. 3. quia expedit, ut audientes nôrint, de quo celebretur; & sic fecisse Episcopum Pacensem in publico Sacrificio de S. Ignatio beatificato, testatur Quintannaduen. *n.* 6. fuit autem Episcopus ille Vir doctissimus, & 12. annis Romæ Auditor Rotæ; qui quæsitus, cur id fecerit, respondit se id scienter fecisse, Romæque id circa alios Sanctos fuisse resolutum, id licere de cognominibus addendis.

## ARTICULUS VI.

### *De reliquis spectantibus ad materiam de legibus.*

1334. Cùm plura sint, de quibus ambigitur, an vel habeant vim legis? vel saltem aliqua ratione ad illam reducantur? ideo quæstio 1. est, an declarationes Congregationis Cardinalium pro dubijs Tridentini habeant vim legis Ecclesiasticæ? R. negativam esse probabiliorem, saltem, antequam sunt debitè promulgatæ, cujus ratio constat ex dict. *à. num.* 915. 920. & 1020. Deinde licèt sint publicatæ, si non producantur in forma authentica, de qua *n.* 923. Ratio est, qui si haberent vim legis, foret ex eo, quòd illis concessione Papæ competeret facultas authenticè interpretandi decreta Tridentini in his, quæ de morum reformatione, & similibus, humano duntaxat jure constituta, & ambigua sunt, ut tenent Patroni sententiæ contrariæ secundùm dicta *à n.* 918. sed ptobabilius est, hanc facultatem illis non competere ulla concessione Papæ per dicta tum *n.* 925. *& seq.* tum *à n.* 923. ergo. Tribuitur tamen illis magna authoritas intra lineam interpretationis doctrinalis per *n.* 915. ijsdem præsertim, quæ in Tridentino post ejus decreta sub Tit. *Declarationes Cardinalium*, impressæ sunt, propter rationem, quam pro authoritate glossæ afferemus *à n.* 1340. Ubi autem Pontificis confirmatione speciali roboratæ in authentica forma producuntur, omninò vim legis obtinere, concedimus *n.* 927.

Not. præterea, ex hoc, quòd prohibeantur, vel actu prohibiti sint libri eorum, qui varias Cardinalium declarationes in unum Codicem complexas referunt, non derogari declarationibus quoad vim, quã habent à suis Authoribus, à quibus re ipsa prodiêrant. Tota enim ratio ejus prohibitionis in eo stat, quòd declarationibus, reipsa factis, commisceantur complures, quæ vel non prodiverunt à sacra Congregatione, vel saltem non sub illis terminis, quibus à tali Authore referuntur. Et quoniam in eo declarationum cumulo, quem ejusmodi collectores continent, non facilè verum à falso distingui potest, unde non rarò pro eadem quæstione declarationes planè oppositas afferri contingit, errore potiùs, quàm fructu debitæ resolutionis, meritò prohibitæ sunt ejusmodi collectiones. 1335.

Not. 2. ut declarationes Cardinalium obtineant vim legis, consequenter dicantur sufficienter publicatæ, non esse satis, quòd tantùm fiat per Breve Pontificis, vel per epistolam Cardinalis cujusdam sigillô munitam, 1336.

munitam, aut per monitorium, vel transumptum Authenticum. Nam interpretatio habens vim legis debet eodem modo promulgari, quo quælibet alia lex; sic Castropalaus *P. 1. D. 5. p. 3. §. 3. n. 2.* Suarez *l. 6. de legib. c. 1. n. 3.* Sales *D. 12. f. 1. n. 8. & D. 21. f. 12.*

1337. Quæstio est 2. quam vim habeant decisiones Rotæ Romanæ? de quibus egimus alibi. R. quòd non habeant vim legis propriè dictæ; & reprobari possint extra Curiam, in qua sola faciunt jus instar styli; Et ratio est, quia potestas *decidendi* causas non est potestas *legislativa*, sed solùm definitiva causæ inter litigantes; sed decisio causæ non habet vim legis, ut constat *ex n. 460.* etiamsi procedat ab ipso Principe; ergo.

1338. Quæstio est 3. quam vim habeat stylus Romanæ Curiæ? R. quòd non habeat vim legis, nec reduci possit ad consuetudinem juris, quæ alios obliget, quàm ipsos Curiales, *ex n. 1659.* nisi sit stabilis, inconcussus, & specialiter à Summo Pontifice confirmatus; secùs enim non inducit necessitatem alijs Judicibus, & Tribunalibus extra Curiam illum seqendi, vel servandi, de quo V. dicenda *à n. 1467.*

1339. Præter hæc not. ad quæstionem, *quæ sit vis traditionum?* constare *ex n. 1651. quæ regularum Cancellariæ Apostolicæ? ex n. 1660. & seqq.* quæ *decisionum Rotæ? n. 1662.* quæ *palearum? ex n. 71.* quæ *constitutionum Pontificum extra corpus juris? ex n. 61.* quæ vis insit *decreto Gratiani? ex n. 69.* quæ legibus & *dictis SS. Patrum repertis in eo? ex n. 69. quæ decretis Conciliorum particularium? ex n. 57. quæ libro septimo decretalium? ex n. 68. quando liceat uti epichiâ? à n. 48. & 934.*

1340. Not. 2. ad quæstionem, *quæ sit authoritas glossæ*, communiter responderi cum Bartolo L. *ut vim, ff. de just. & jure, n. 8.* quòd *auctoritas glossæ opinioni communi prævaleat.* Verùm, licèt magna, & (si cætera paria sint) major sit glossæ, quàm alterius Doctoris authoritas (cùm digna judicata fuerit, ut ad canonis, seu legis declarationem in juris corpore poneretur) nulla tamen glossæ ratio habenda est, contra quam alij plerique Doctores sentiunt, ejúsque doctrinam per jura, & rationes reprobant. Qua de re videri potest Zasius *singular. respons. cap. 7.* quem refert, & sequitur Gail *lib. 1. observat. pract. observ. 153. n. 7. & 8.* reprehendens eos, qui ab uno homine, videlicet Accursio, sæpenumero lapso, constitutionis intellectum pendere existimant, æquitate, literâ, & naturâ ejus posthabitis.

Not. 3. glossam inaniter allegari absque textu, si habeatur ipsum jus expressum, ut notat Gail *cit. n. 8.* nam seorsim à jure non habet potestatem condendi, sed tantùm declarandi jus doctrinaliter; id, quod etiam dicendum, ubi cumulantur Authores, omisso jure, vel ratione, in qua fundant doctrinam suam. Nam sine hac, præter præsumptionem, quæ illis favet (quando sunt omni exceptione majores, & passim recepti) quòd procedant ex ratione, vel jure legitimo, nihil operantur. Cæterùm si glossa plures opiniones referat, censenda est approbare postremam, nisi aliud ex verbis colligi possit; quod etiam de aliorum Doctorum scriptis sentiendum; sic Felinus *in c. 1. de Constitut. n. 55.* Layman *ibid. n. 21.* 1341.

Not. 4. neminem posse ferre legem *Communitati*, nisi, qui supremam in eam habet jurisdictionem, vel is suam potestatem commiserit. Nam in tantum competit alicui potestas inducendi obligationem legis, in quantum competit ei potestas gubernandi communitatem in ejus bonum; at potestas gubernandi in tantum competit alicui, in quantum illi competit jurisdictio; ergo. Ex hoc sequitur. 1. quòd is, cui competit jurisdictio solùm subordinata, eam duntaxat potestatem habeat (quoad vim inducendi legem) quam, ac quantam ei Superior commiserit. Sequitur. 2. eum, qui nullam jurisdictionem habet, sed tantùm dominium, non posse ferre ullam legẽ (hoc enim supponit jurisdictionem gubernativam cõmunitatis politicã ex *n. 99. & 484.*) sed tantùm præcepta particularia, nisi aliunde illud habeat ex privilegio, consuetudine legitima, præscriptione, vel Principis indulto; prout habent quædam communitates, quæ dicuntur *Municipales*, seu jure suo viventes. Nam apud Juristas teste Pereyra *in Elucidar. n. 300. municipium* est civitas; & *municipes* sunt cives cujúsque civitatis, L. 1. *ff. ad leg. Juliam, de amb.* Hinc etiam taliũ locorum statuta, *jura municipalia* dicuntur, nimirum particularos 1342.

ticulares cujusque civitatis leges. Unde Azor *p. 1. lib. 5. c. 1. q. 3.* cum alijs, quos tacitis nominibus refert, nec impugnat, & Suarez *de leg. l. 5. c. 1. n. 7.* discrimen ponit inter *legem* & *statutum*, quòd *lex* sit Principis supremi, v. g. Imperatoris, Regis, & Romani Pontificis, aut totius populi constitutio; *statutum* verò sit inferiorum Principum, aut civitatum, aut populorum, in Principis potestate, & ditione degentium.

1343. Not. 5. qualiter diximus Legislatorem obligari, vel non obligari legibus à se conditis, de quo egimus *à n. 551.* ac ab ijs exemptum esse quoad vim coactivam, seu quoad pœnam, & suô etiam modô quoad vim directivam, ut ibidem exposuimus, taliter etiam Legislatoris Uxorem, ejus beneficiô, censeri exemptam per L. *Princeps, ff. de legibus*, cum communi consensu Doctorum.

1344. Not. 6. cùm in ferenda lege positiva potissimùm attendatur ad ea, *quæ communiter sunt*, ut dicitur L. *Nam ad ea, ff. de legib.* & usus rationis (sine quo quis lege ligari nequit) saltem perfectus, communiter non contingat ante septimũ ætatis annum: consequens esse, ante hoc tempus pueros, & puellas nulli legi positivæ humanæ subjacere quoad culpam, præsertim quando materia legis requirit majorem maturitatem, cujusmodi est lex confessionis, & communionis, quæ reverâ requirit eam judicij discretionem, ut moraliter etiam completô septenniô, perquàm rarò in pueris reperiatur.

1345. Not. 7. cùm in c. *Translato 3. de Constitut.* junctâ rubricâ, dicitur, *quod de uno connexorum statuitur, ad alia quoque connexa extendi debere*, ut illud summat Joan. Andreas; vel quòd *connexorum idem sit judicium*, ut vult Felinus *in dict. c. 3. n. 6.* intelligendum de connexis inseparabiliter juxta *n. 1001.* vel cùm aliàs dispositio nec in principali utilis foret *ex n. 944.* qua regula sic intellecta.

1346. Sequitur 1. Mandatarium agendô ea, quæ mandato inseparabiliter conexa sunt, non excedere fines mandati. Commissio enim, facta quoad unum, porrigitur necessariò ad inseparabiliter connexa; cùm salvari nequeat connexio sublatô terminô; sic Andr. Gail *l. 1. observat. 35. in edit. noviss.* Sequitur 2. dispensationem uni concessam pro certo casu, quantumvis aliàs odiosa sit *ex n. cit.* extendi ad omnia inseparabiliter connexa, ac ea, sine quibus ejus concessio in executione foret inutilis; sic Navarrus *consil. 3. de rescript. edit. 2.*

Sequitur. 3. jurisdictionem alicui con- 1347.
cessam exerceri posse in omnibus accessorijs, & connexis juxta *dict. regul. in n. 1345.* & habetur etiam in c. *Præterea, 5. de offic. delegat.* L. *2. ff. de jurisdict. omnium Judic.* ratio est eadem, quia aliàs concessio careret effectu, contra *n. 944.* Sequitur. 4. communi regulæ, quòd *casus omissus maneat in dispositione juris communis*, non esse locum in connexis. Ratio est *ex n. cit.* Si enim procederet etiam in connexis, dispositio de connexo (cùm non stet sine termino) frustaretur effectu, quod est absurdum; sic Felinus. *in cit. c. 3. n. 6.* & Gail *cit. observat. 35.*

Not. 8. quando Layman *in cit. c. 3. n. 5.* 1348.
cum satis communi docet, extensionem legis *comprehensivam*, non tantùm favorabilis, sed etiam odiosæ, & pœnalis, ob adæquatæ rationis similitudinem, seu identitatem, tam extra, quàm intra judicium, rectè fieri posse, ac debere, non procedere sic indefinitè, & universaliter, ut constat ex dict. *à n. 977.* quia ratio adæquata potest à Legislatore intendi *non indefinitè*, ac universaliter, sed solùm in quantum servit pro præsenti casu, de quo ex tali ratione disponit, cuius ratio ulterior est *ex n. 978.* Not. 9. *condere legem, aut facere statutum esse actum jurisdictionis;* sic Baldus in *L. ult. ff. de jurisdict. omnium Jud.* Hinc carentes jurisdictione, leges condere, aut statuta facere non valent. Qui verò operantur ex potestate solùm delegata, & alteri subordinata, id possunt duntaxat secundùm modum, & terminos jurisdictionis sibi datæ. Not. 10. pœnam privationis latam propter alicujus *contumaciam, non expressa ejus perpetuitate*, dependere à contumacia sic, ut ea cessante, etiam illa cesset; ratio sumitur ex c. *Ex literis, 11. de Constitut.* ibi: *cùm tam juris Canonici, quàm nostri moris sit, ut is, qui propter contumaciam communione privatur, cùm satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat*; excipe, nisi transeat *in specificum delictum* etiam post repetitam comminationem, ut si Clericus sic contumaciter

maciter residentiam recusetⁱ; tunc enim privatio est absolutè pœna, & perpetua, ut colligitur ex c. *ex parte, de Cleric. non residen.* Not. 11. si pœna alicui absolutè statuatur, non ob contumaciam, sed aliud delictum, non adjecto tempore durationis, censeri perpetuam, dum restituatur, ut notat glossa in cit c. *Ex literis*, 11. V. *in perpetuum*; Abbas ibid. *n.* 10. & alij, nisi solùm interlocutoriè, extra judicium, & causæ cognitionem à Magistratu imposita sit (v. g. *pœna privationis administrationis, exercendi munus* Advocati, opificis, &c.) Nam tali casu non extenditur ultra tempus, quo Magistratus jurisdictionem retinet, per L. *ult. ff. de pœnis*, junctâ gloss. V. *administrationis*. Not. 12. cùm in L. 21. *ff. de legibus*, dicitur: *cùm lex in præteritum aliquid indulget, in futurum vetat*, accipiendum esse de indulgentia, seu venia delicti, quæ à Principe fit criminosis; quin eadem extendatur ad illos, qui futuro tempore delinquent; ne scilicet præbeat ansam, & incitamentum impunè delinquendi.

1349. Not. 13. si Princeps legi generaliter adjiciat clausulam (*non obstante quocunque statuto, aut consuetudine in contrarium*) censeri debere, omnia esse sublata perinde, acsi in specie forent expressa. Quia cùm Princeps in specie particularia statuta, & consuetudines scire non debeat, & communiter non possit, ea sublata volens per clausulam illam generalem perinde se habere quoad illa censetur, si quæ sint contraria, acsi ea exprimeret; sic cum communi Gail *l. 2. observ. 18. n. 2.* Si autem ea damnet etiam *ut irrationabilia*, vel *tanquam bono communi noxia*, non tantùm tollit præsentia, sed etiam impedit futura, ne legitimè constitui possint, ut constat ex Authent. *Navigia*, C. de furtis, ubi prohibetur, ne bona naufragantium eripiantur, *sublata penitus omnium locorum consuetudine.*

Denique not. 14. casum *politicum* jure 1350. civili non decisum, debere judicari juxta legem Ecclesiasticam, si per eam decisus est, & econtra. Nam *sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum Canonum instituta Principum constitutionibus adjuvantur c. 1. de novi oper. nuntiat.* quæ doctrina maximè locum habet in pertinentibus *ad ordinationem judicij*, ut dicitur *c. 2. de Arbitris, in 6.* Si autem in materia politica sibi contrarientur, quælibet servanda est in suo foro, nisi lex civilis foveret peccatum, aut ejus periculum. Et quamvis Judices Laici plerumque in rebus *temporalibus*, quantumvis *Ecclesiasticis*, & solùm *spiritualibus annexivè* velint sibi competere judicium, & similes functiones, se fundantes, *quia sic jam habet praxis, & consuetudo*; revera tamen talis praxis (absque consensu Ecclesiæ) potiùs corrupte-
la est, & consuetudo perversa, ut constabit ex tit. 4.

# QUÆSTIO III.

## In Titulum III. de Rescriptis.

1351. Cùm non omnes casus, qui evenire possunt (hi enim innumeri sunt propter tot rerum circumstantias, quæ casum variant) constitutis legibus comprehendi possint, ac perfrequenter novi semper, & novi emergant, propter quod in dubijs, aut ambiguis per literas ab his, qui coram ejus voluntatem intelligere non valent, consulendus sit Princeps, ut quid in data quæstione agendum, vel omittendum sit? & is ad datam quæstionem rescribere soleat; ea responsio, in scriptis reddita, generatim *rescriptum* dicitur. Quia verò circa ejusmodi rescripta plurimæ frequenter dubitationes suboriri aut solent, aut possunt; ideo titulo de Constitutionibus, subjungitur iste, *de Rescriptis*, quæ aliquam constitutionum, seu legis speciem constituunt.

### ARTICULUS I.

#### *Quid, & quotuplex sit Rescriptum?*

EX præmissis colligitur, *Rescriptum in* 1352. *genere* nihil aliud esse, quàm responsum, literis mandatum, ad aliquam petitionem verbo vel scripto factam; ita Tolosan *de Rescript. n. 4. l. 1.* sed absolutè, & strictè est *responsum Principis, Superiorem*

*rem non habentis, in scripto datum, ad alterius suggestionem, aut petitionem.* Horum tria sunt genera. 1. quæ dantur *præter*, vel *contra jus commune*, & vocantur propriè *privilegia* (de quibus *lib. 5. tit. 33.*) aut *dispensationes.* 2. quæ dantur ad lites, & vocantur *rescripta justitiæ.* 3. quædam continent merum beneficium, ut si idoneæ personæ præbenda assignetur, & vocantur *rescripta gratiæ.* V. Coninch, *de Sacr. D. 33. d. 6.* Postremum autem fit per literas, quibus vel illi jus tribuitur ad beneficium vacaturum, & dicitur concessio *gratiæ exspectativa*; vel mandatur Ordinario, aut alicui executori, ut Clerico, pro quo scribitur, de beneficio provideatur, & hæc dicuntur *mandata*; de horum formis vid. Azor *p. 1. l. 5. c. 24.*

1353. *Rescriptum* differt ab *Oraculo*, quòd hoc sit responsum Principis viva voce datum, esto postea sit redactum in scripturam; *ab epistola decretali*, quòd hæc non detur semper ad alicujus consultationem, seu petitionem; quamvis rescripto non obstet addi clausulam *motu proprio*, si antecesserit petitio; Layman *de rescript. n. 4.*

1354. Præter hæc not. 1. Rescriptum aliud esse *generale*, quod obligat omnes Principi rescribenti subjectos; aliud *speciale*, quod datur ad certas solùm personas, causas, negotia, locum, vel tempus, nec postea ulterius extensum est. Si tamen insertum sit juri communi, sortitur vim legis quoad talia; Layman *in c. 1. de Constitut. n. 6.* Secundò aliud esse *perpetuum*, quod nullum, vel indefinitum, vel indeterminatum tempus habet; aliud *temporale*, quod habet certum tempus præfinitum. Not. autem, quòd ad rescripta perpetua revocentur *personalia*, quæ ad vitam hominis conceduntur.

1355. Not. 2. *rescriptum justitiæ*, quod datur ad lites, esse ad jus explicandum, vel dicendum inter partes; *rescriptum* autem *gratiæ*, ad obtinendum aliquod beneficium, vel gratiam; & vocari solet rescriptum *beneficiale*, si detur ad faciendas collationes, resignationes, aut alias dispositiones de beneficijs Ecclesiasticis; & in civilibus ad dignitates, administrationes civiles &c. Si verò detur in ordine ad aliam gratiam v. g. quæ propriè non est privilegium (uti est dispensatio ad matrimonium, vel suscipiendos ordines) dicitur *simpliciter rescriptum gratiæ.*

Si autem dubitetur, an rescriptum sit 1356.
gratiæ, vel justitiæ, præsumitur justitiæ. Nam, allegans gratiam, probare debet; Pirhing, *de rescriptis, n. 4.* Si verò continet justitiam, & gratiam simul, dicitur rescriptum *mixtum.* Advertendum autem quædam rescripta Pontificia vocari *Brevia*, quo notantur rescripta paucis verbis conclusa, & sigillata sub annulo piscatoris in cera rubra. Nam *Bullæ* sunt literæ Apostolicæ plumbeo signo munitæ, in quibus Romanorum Pontificum decreta continentur; quamvis alij per *Bullas* etiam intelligant diplomata, seu literas Magistratuum patentes, sigillo publico, vel Principis authenticas.

## ARTICULUS II.

### *Quis possit impetrare rescripta?*

COmmunis regula tenet, quòd possit 1357.
*omnis non prohibitus.* Quia verò potest aliquis quoad hoc esse prohibitus, ad impetrandum *pro se*, vel ad impetrandum *pro alio*; de utroque in præsenti casu dicendum erit. Inter prohibitos autem numeratur. 1. *hæreticus*, L. 2. C. *de Summa Trinit.* ac ibid. Barbosa *n. 5.* deinde etiam *excommunicatus*, de quo §. seq.

### §. I.

### *An, & qualiter excommunicatus impetrare possit rescriptum Pontificium?*

COmmunis tenet, inter prohibitos im- 1358.
petrare rescriptum Apostolicum, seu Pontificium, numerari excommunicatum excommunicatione majori; c. *dilectus 26. de rescriptis*, ubi de rescripto ab excommunicatis impetrato à Papa, Innocentius III. rescribit Episcopo Imolensi: *mandamus*, inquit, *quatenus, si ita est, literas ipsas, per veri suppressionem* (nimirum omissionem mentionis de dicta censura) *obtentas, viribus carere decernas*; imò tale rescriptum est nullum ipso jure, sicut & processus vi talis rescripti institutus, esto nihil ei fuerit oppositum; Zoësius *de rescript. n. 10.* & habetur

habetur in c. 1. *eod. in 6.* ibi: *ipso jure rescriptum, vel processus per ipsum habitus non valeat: si ab excommunicato* (super alio, quàm excommunicationis, vel appellationis articulo (*fuerit impetratum;* intellige, si agat coram Judice delegato, qui per tale rescriptum deberet accipere novum jus; & si fuit excommunicatus tempore impetrati rescripti; Pirhing, *de rescript. n.* 7. quod verum est, licèt excommunicatio sit occulta; quia canon indefinitè loquitur, adeóque indefinitè intelligendus est, de quolibet etiam rescripto, non excepto. Nam exceptio firmat regulam in omnibus alijs casibus non exceptis; Gloss. in cit. c. V. *alio.*

1359. Hæc tamen communis regula suas patitur exceptiones. Hinc excipe. 1. nisi excommunicatus *occultus*, vi talis rescripti quædam ageret ratione officij publici v. g. Judicis delegati; quia tali casu jus supplet defectum arg. L. *Barbarius, ff. de offic. Prætor.* Excipe 2. nisi impetret rescriptum *super causa suæ excommunicationis;* ut, si dicat eam invalidam, injustam, &c. aliàs careret mediô necessariô ad suam defensionem, *c. 1. h. t. in 6.* ubi etiam dicitur, quòd possit impetrare rescriptum *super articulo appellationis*, si à sententia Judicis appellavit, intellige *in causa propria*, etiam pendente causa appellationis; Barbosa *in cit. c. 1. n.* 25. & patet ex dictis ante: Excipe 3. nisi sit excommunicatus sub conditione, & impetret rescriptum pendente conditione; ita Barbosa *cit. n.* 26. & 27. quia sic non est simpliciter excommunicatus.

1360. Excipe 4. nisi excommunicatus impetret rescriptum *non Apostolicum*, sed solùm ab Episcopo, vel Prælatis Papâ inferioribus. Nam in odiosis *rescriptum*, simpliciter prolatum, supponit pro rescripto Papæ; Layman *in c. 1. h. t. in 6. n.* 4. Excipe 5. ut *rescriptum* solùm *Pontificium*, non autem *sæculare* (si ab excommunicato sit impetratum) ipso jure sit irritum; Layman *in c. 1. de rescript. in 6. n.* 4. nam constitutio irritans rescripta, ab excommunicato impetrata, est odiosa; & Principalibus laicis afferret incommodum.

1361. Not. autem 1. quòd *rescriptum non juvet impetrantem, si contra rescriptum faciat;* quia non intelligitur pro eo rescriptum, qui contrarium facit ejus, quod est scriptum; sic Innocentius c. *mandatum*, 38. *de rescript.* ibi: mandatum Apostolicum ad te directum, ut magistrum S. faceres in Canonicum recipi, & in fratrem Noviensis Ecclesiæ, si pro alio ibidem non scripsimus, qui hujusmodi gratiam prosequatur, alio jam beneficium per nostras literas obtinente, prosequi non teneris. Cùm super receptione duorum gravandi Ecclesiam antedictam non fuit intentio mandatoris. Hinc abutentes rescriptô, privantur commodô rescripti, & damnantur ad expensas parti, c. *quia nonnulli* 43. *de rescript.* Est autem abusus 1. literas impetratas sub suo nomine, dare alteri ejusdem nominis. 2. trahere illas ad controversias futuras, quæ nondum exortæ fuerant tempore impetrationis. 3. reum trahere sine necessitate ad plures Judices, vel loca æquivoci nominis, &c. ibid. & c. *dispendia, eod. in 6. Innocent.* 4.

Not. 2. hanc regulam, quòd *excommunicatus non possit impetrare rescriptum*, 1362. extendi etiam ad omne rescriptum justitiæ, & gratiæ; Pirhing *de rescript. n.* 8. Nam textus indefinitè loquitur, ut constat *ex n.* 1358. Et quamvis aliqui velint, hanc regulam extendi ad excommunicatum etiam *non vitandum*; contrarium tamen probabilius est, *ex lib. 5. tit.* 39. Secundò ad rescriptum ab excommunicato impetrato non modò *per se*, sed etiam *per Procuratorem*, c. *fin. de Procurat.* esto rescriptum sit pro alio, etiam non excommunicato; sic Barbosa *in cit. c. 1. n.* 10. Sed hoc non videtur sic indefinitè dicendum; nam Honorius III. ut habetur cit. c. *fin.* consulti sumus, inquit, an constitutus ad impetrandum à communitate aliqua procurator, ab impetrando deberet excludi pro eo, quòd majores & jurati, per quos eadem communitas regebatur, tempore, quo injunctum fuit procurationis officium, erant excommunicationis sententiâ innodati, & subjungens responsum, ait: taliter respondemus, quòd nisi essent in literis procurationis expressi, vel aliàs eorum authoritate procurationis institutio facta fuisset, aut sciens eos esse tales, ipsa communitas unà cum eis constituisset eundem, non est procurator hujusmodi repellendus. Ex quo textu sequitur, dictum Barbosæ non procedere sic indefinitè; sed tantùm, cùm in mandato

dato procuratorio excommunicati sunt expressi, vel scienter admissi, quando Procurator constitutus est Universitatis.

1363. Not. 3. eandem regulam extendi, ut rescriptum ab excommunicato impetratum *in causa individua*, *cum non excommunicato*, respectu utriusque sit irritum; secus est *in causa dividua*, sed *non excommunicato*, ignorante impetrantis excommunicationem: nam quoad causam illius tunc valet; quia *utile per inutile non debet vitiari*, si ab invicem separari possint, *reg.* 38. *de reg. jur. in 6.* non autem, si scivit, esse excommunicatum; Barbosa *in cit. c.* 1. *n.* 4.

1364. Not. 4. quòd Pontifex scienter rescribens excommunicato, censeatur cum eo dispensare; Zoësius, *de rescript. n.* 11. ex L. *quoniam* 57. *ff. de re judic.* quia non videtur Superior, qui tollere potest impedimentum, ludere, conferendô ei munus aliquod, quem scit ad hoc inhabilem. Nam licèt Princeps nunquam censeatur remittere vitium ignoratum, c. *si eo tempore, de rescript. in 6.* secùs tamen de sibi noto. Episcopus tamen, esto sciat defectum, & nulla facta mentione de illo, conferens, vel promovens habentem talem defectũ, non eo ipso dispensat tacitè. Nam Episcopus, *promovens indignum*, punitur, per gloss. c. *unic.* V. *dispensaret*, *de ætat. & qualit.* Et ubicunque canon imponit pœnam Ordinario, illi prohibere censetur dispensationem; Abbas in c. *ad abolendum*, *de fil. presbyt. n.* 3. V. Corradum *l.* 1. *c.* 3. *à n.* 4. *in Praxi dispens. Apostolic.* intellige, si casus sit extra jurisdictionem ejus.

## §. II.

### *An, & qualiter quis valeat impetrare rescripta pro alio?*

1365. Quæstio est, an quis, *pro alio saltem*, impetrare possit rescripta? Rs. negative de rescriptis *justitiæ*, *sine speciali ejus mandato impetratis*; secùs enim non valent, c. *nonnulli*, 28. §. *sunt & alij*, *de rescript.* ibi: *hac generali constitutione sancimus*, ut si aliquis super aliqua quæstione de cætero *sine speciali mandato domini* literas Apostolicas impetrare præsumpserit, & *literæ illæ non valeant*, & *ipse tanquam falsarius puniatur. Nisi forte de illis personis extiterit, à quibus non debet exigi de jure mandatum.* & c. *Ex parte*, 33. *eod.* ubi apertè dicitur, non valere rescriptum, quod Procurator revocatus, & de hoc certificatus, extra judicium impetravit: secùs tamen si in judicio: dummodo revocatio ad notitiam adversarij vel Judicis non pervenit; quod verum est, licèt is, pro quo impetrata sunt, contra illa nihil excipiat; Immola in cit. c. *nonnulli*, *n.* 4. ex L. *licèt*, *ff. de Judic.* & L. *licèt*, C. *de Procurat.* nec ea rata habere potest; sic glossa in c. *Nonnulli*, V. *Sine speciali mandato.* Hinc, qui sine speciali mandato domini, à quo de jure exigi debet, impetrat rescriptum ad lites, falsarius est, & rescriptum non valet, c. *Nonnulli*, cit. §. *Sunt & alij.* Et extra judicium impetratum à Procuratore revocato, vel revocationis conscio; secùs, si in judicio, modò revocatio non pervenerit ad notitiam adversarij, vel partis, c. *Ex parte*, 33. *de rescriptis.*

1366. Dices: quisque potest ratum habere, quod suo nomine gestum est, L. *licèt. ff. de Judic. & c.* 2. *de pactis.* imò talis ratihabitio, fictione juris, retrotrahitur, & mandato æquiparatur, *reg.* 10 *de reg. jur. in 6.* Et ideo etiam gesta per falsum Procuratorem, possunt in judicio postea à Domino ratificati, L. *cùm minor*, §. *falsus*, *ff. rem ratam haberi*; ergo similiter in casu nostro, is, pro quo sine suo speciali mandato, impetratum est rescriptum, potest illud ratum habere. Rs. antecedens verum esse solùm in casu, quo actus nullus ac irritus est ob defectum consensus illius, cujus nomine gestus est, secùs si irritus sit propter bonum publicum, & ob defectum jurisdictionis publicæ; sed sic est in casu nostro; ergo.

1367. Cæterùm prædicta regula in *n.* 1365. limitatur. 1. ut non procedat, quando impetrans est ex illis personis, à quibus non debet de jure civili exigi mandatum, c. *Nonnulli*, *cit.* cujusmodi sunt personæ conjunctæ, ut liberi, parentes, fratres, affines, liberti, L. *Sed & hæ*, *ff. de Procurat.* quod etiam extenditur ad alias personas adeò affectas impetranti, ut pro alijs, sine suspicione fraudis, in judicio admitti possint; Abbas c. *Nonnulli*, §. *sunt & alij*, *n.* 10. Limitatur. 2. ut non procedat in Procuratore generali, si nomine proprio impetret

tret rescriptum ad lites sibi generaliter commissas, *c. qui generaliter, de Procurator. in 6.* Sed not. nunc ex stylo Romanæ Curiæ regulam illam, ex c. *Nonnulli*, traditam, non usurpari, posséque ab extraneo, sine mandato speciali, pro alio rescripta justitiæ impetrari, Tholos. *l. 2. de rescript. n. 7.*

1368. Limitatur. 3. ut non procedat in rescriptis gratiæ; ita Suarez *de legib. c. 13. n. 6. & 7.* ex L. *Universis 6.* C. *de precibus Imperat. offerend.* Nam beneficium fieri potest etiam ignoranti, & absenti, c. *addens, de præbend. c. si tibi absenti, eod. in 6.* sed acceptatio est actus personalis ejus, cui beneficium fit, c. *Si tibi absenti*; sufficit tamen ratihabitio postea facta, gloss. ibid. V. *Habueris.*

## ARTICULUS III.

### *De quibus rebus, & contra quos impetrari possint rescripta?*

1369. REsp. ad. 1. materiam rescriptorum esse res omnes, quæ concedi possunt, & quatenus ad jus pertinent, vel gratiam continent, L. 1. & 3. C. *de rescriptis.* Hinc super quibusvis rebus, quæ ad jus pertinent, vel gratiam continent (si aliunde concedi possint) impetrari rescripta possunt. Ad. 2. autem R. rescripta Pontificia impetrari posse tam contra Laicos, quàm Clericos, sive unum, sive plures; etiam cum clausula: *& quidam alij, & res aliæ.* Sed nota 1. per hanc non dari facultatem conveniendi personas *majores*, & *digniores expressis*; nec agendi super *negotiis gravioribus*, quàm sint expressa, c. *Sedes*, 15. *h. t.* ubi, decernimus, inquit Innocentius III. ut, cùm in commissionibus nostris *minores*, & *viliores personæ* solummodo designentur, *majores*, & *digniores* sub generali clausula non intelligantur includi. Sed nec liceat occasione generalitatis hujusmodi multitudinem effrænatam in judicium evocare. *Nec super majoribus, & gravioribus negotiis audiantur, qui de minoribus levioribus tantùm faciunt mentionẽ. Si quis verò aliquas personas expresserit*, non ut velit cum eis in judicio experiri, sed *ut ad pares transire valeat, vel minores* (quia fraus & dolus ei patrocinari non debent) *tanquam mendax precator careat penitus impetratis.*

Not. 2. nec ultra tres, vel quatuor vi illius particulæ (*quidam alij*) trahendos in judicium, *c. 2. eod. in 6.* ubi Innocentius IV. *cùm in multis*, inquit, *juris articulis infinitas reprobetur*, providè duximus statuendum, ut per illam generalem clausulam *quidam alij*, quæ frequenter in literis nostris inseritur, *ultra tres, vel quatuor in judicium non trahantur.* Quorum nomina in primo citatorio exprimat Imperator: ne locus fraudi forsitan relinquatur, si circa ea possit liberè variare. Deinde, ut fraudes evitentur, ad plures personales actiones contra eundem etiam ad diversos Judices non posse rescripta impetrari, *c. 3. eod. in 6.* cujus summa sic habet: *si actor contra Reum super pluribus personalibus literas impetrat ad diversos, non valent literæ, nec processus earum: & Reus condemnabitur in expensis. Et idem in Reo conveniente vel reconveniente actorem, eodem durante judicio.* 1370.

Not. 3. *Cistertienses* non posse conveniri per rescriptum Papæ, nisi in illo eorũ ordo exprimatur, c. *cùm ordinem, 6. de rescript.* item, cùm Papa in rescripto mandat *de duobus inquiri alternativè*, ad certum effectum consequendum, sufficere, alterum probari, c. *inter cæteras, 4. eod.* 1371.

Not. 4. cùm per judicium injurijs aditus patere non debeat, c. *nonnulli, 28. de rescript.* relato *supr. in n. 1365.* per rescripta *justitiæ* non posse quem trahi extra suam diœcesin ultra duas dietas, nisi ea vel hujus constitutionis faciant mentionem, vel impetrata sint de consensu partium; Innocent. III. *in cit. c. eod.* Not. 5. si conveniendus per clausulam (*quidam alij*) moriatur re integra, successorem conveniri non posse, c. *Significavit, 36. de rescript.* 1372.

Not. 6. eum, ad quem dirigitur rescriptum, parère debere, vel justam causam afferre rescribenti, c. *Si quando, 5. de rescript.* ibi: si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut *mandatum nostrũ reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas*: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum. Ex quo 1373.

textu colliges, in quæstione facti, per falsam suggestionem, seu narrationem, vitiari rescripta Pontificia posse.

1374. Not. 7. rescriptum datum Capitulo (sede vacante) ut vices gerenti Episcopi, & non impletum ante creationem Episcopi, ab eo impleri debere, c. *Eam te*, 7. *de rescript.* Unde cùm is, qui, antequam rescriptum à Capitulo impletum sit, in Episcopum electus, infecto negotio eum, pro quo rescriptum datum fuerat, remiserit, rescripsit ei Alexander III. *quòd nullatenus facere debuisset*, si datam literarum diligentius attendisset; cùm tempore, quo literæ ipsæ datæ fuerunt, de Capitulo ipso esset, sicut qui erat Archidiaconus, & Canonicus ejusdem Ecclesiæ, nec esset adhuc in Episcopum consecratus.

1375. Not. 8. quando monasterij, & Abbatis negotia *sunt eadem, & indistincta*, rescriptum ad Abbatem valere, *etiam non expresso Conventu*, nec ob id appellare licere; secùs si sint omninò discreta, c. *Edoceri*, 21. *de rescript.* ibi: *nisi alia causa rationabilis suffragetur, per appellationem se tueri non possunt, quo minus debeant auctoritate literarum hujusmodi legitimè respondere:* Cùm ex officio suo teneantur congregationum suarum negotia procurare: *Nisi fortè Abbatis, & Conventûs negotia essent omninò discreta.*

## ARTICULUS IV.

### *Quæ sit vis Rescriptorum?*

1376. RESP. vim rescriptorum esse hanc præter ea, quæ subjungam, quòd is, ad quem diriguntur, vel parêre debeat, vel justam excusationis causam afferre Rescribenti, ut dicitur c. *Si quando*, 5. *de rescript.* & L. *Eleganter*, §. *si post rem*, *ff. de condict. indebiti*, ubi dicitur, *rescripto, Principis esse obtemperandum; nec ab ejus forma recedendum*, L. *quid tamen*, 21. *ff. de arbitr.* & c. *Cùm venissent*, de eo, qui mitt. in possess. Habetur enim pro lege, L. 2. C. *de legib.* & pro sententia definitiva; Barbosa *in jurisprud.* Brocardica, *l.* 16. V. *rescriptum*, *axiom.* 2.

1377. Not. autem. 1. rescriptum facere jus inter omnes, si non sit restrictum ad personam, vel causam; tunc enim inter eos tantùm valet, & jus ponit, quos concernit, L. 2. C. *de legibus*; & tunc vocantur *personalia*; excipe nisi rescribens voluerit generaliter ea obtinere, licèt eorum occasio data sit ex certa solùm causa, L. 3. C. *eod.* Ex quo vides, quòd rescriptum in materia particulari inter personas, quarum interest, faciat jus speciale; in alijs constituat legem generalem, *c.* 1. *dist.* 19. & glossa in c. *ex tua*, V. *consultationi*, *de fil. presbyt.* Sanchez *de matrim. l.* 2. *D.* 31. Layman, *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 6. §. 3. *n.* 13. Armilla V. *Rescriptum.* Not. 2. rescriptum ad unius personam directum non ita strictè accipiendum esse, ut socio non faciat prodesse communionem causæ, L. 1. C. *de diverf. rescript.* & Navarr. *consil.* 44. *de sent. excom. n.* 7. & colligitur ex dictis supra.

Not. 3. ex Zoësio *cit. de rescript. n.* 26. 1371.
ne contingat lædi jus privati, rescripto per importunitatem, vel pravam insinuationem extorto, antequam executioni mandetur, eum, cujus posset interesse, audiendum esse, si fortè justam executioni causam opponere possit. Hinc Judicis, ad quem rescripta diriguntur, est, imprimis advertere, *num preces veritate nitantur?* quæ clausula, ut rescriptum valeat, *jure civili* exprimenda est; L. *fin.* C. *de diverf. rescript.* quamvis *de jure Canonico* non necessariò exprimenda sit, sed jure isto semper subintelligatur, *c.* 2. *de rescript.* ibi: quoniam non credimus ita præcisè scripsisse; *& in hujusmodi literis* (nimirum Apostolicis, ut habetur in rubrica) *intelligenda est hæc conditio, etiamsi non apponatur: si preces veritate nitantur.* id quod etiam dicitur in c. *ex parte*, c. *olim de rescriptis*; & omissa in rescriptis sæcularibus, irrita ea facit rescripta L. *fin.* C. *de diverf. rescript.*

Not. 4. omnia rescripta Apostolica contine- 1379.
re suas clausulas restrictivas, & limitativas, quæ eliciuntur ex visceribus utriusque juris; & ideo rescripta etiam gratiosa, reducuntur semper ad dispositionem juris cõmunis, in quantũ fieri potest juxta L. *Si quando*, C. *de inofficios. testam.* sic Corradus *in Praxi dispens. Apost. l.* 2. *c.* 3. *à n.* 14. Not. 5. rescripta *delegatoria* nõ extendi ad personã non expressam: ut dicitur c. *Significanti*, *de rescript.* intellige, quando is, ad quem fit delegatio, determinatè *sub suo nomine, vel officio* exprimitur. Hinc delegationem expressè factam *Vicario* seu, *Officiali*, non

potest

potest exequi *Episcopus*. Nam inter hunc, & illum, est magna differentia, ut habetur c. *Venerabilibus*, *de sent. excom. in 6*.

1380. Dices: Episcopus, & ejus Vicarius constituunt unum, & idē tribunal; ergo quod potest Vicarius, poterit etiam Episcopus. R. antecedens verum esse in causis, quæ *jure ordinario* competunt Vicario, ut rectè notat Sanchez *l. 8. matrim. D. 27. n. 30.* non autem, quæ *jure extraordinario*, seu *speciali delegatione*. Unde sub data distinctione C.& N. conseq.

1381. Not. 6. communiter dici *rescripta esse stricti juris*; ita Corradus *cit. l. 7. c. 5. n. 57.* ex c. *fin. de rescript.* hoc tamen intelligendum, sic, *ut non extendantur ad non expressa*. Nam rescriptum, per quod alicui conceditur *facultas ad dispensandū*, quoad potestatem in eo expressam, favorabile est, & latam habet interpretationem, ut fatetur ipse Corradus *l. 1. c. 6. n. 27.* Procedit ergo solùm, quando rescriptum continet *materiam odiosam*. Cœterùm in casu, quo fieret extensio, quâ inutile fieret rescriptum, & nullum, ad hujusmodi nullitatis validitatem nihil faceret bona fides, aut simplicitas oratorum. Hæc enim solùm excusant à culpa, quin efficere possint, ut sanetur defectus aliàs insanabilis; ita Vincentius *de Just. in Praxi dispens. matrim. l. 1. c. 4. n. 63.*

1382. Hinc quando dicitur, quòd rescriptum continens dispositionem, quæ *ad unam causam* limitata est, non extendatur *ad aliam*; & per tale rescriptum delegatus non possit cognoscere aliam causam non expressam, licèt vera sit, &, si expressa, sufficiens foret, admittere, cogatúrque, si oratores juvare velit, per preces porrectas, novas literas impetrare; quia *rescriptum tantum valet, quantum sonat*; intelligendum est, si causa finalis, & motiva, quæ ab oratoribus allata, & Papæ proposita, deficiat à vero, ut pluribus constabit *ex dicendis in seqq.*

1383. Primò enim, si causa expressa, & non expressa sunt ejusdem rationis specificæ, & expressa contineat sub se non expressam (puta, si expressisti te alteri *in secundo*, cùm in re sis tantùm *in tertio* gradu consanguineus) rescriptum, concedens delegato facultatem dispensandi in gradu expresso, non impeditur, esto delegatus deprehendat, non subesse gradum *secundū*, ut expressum erat; sed *tertium*; de quo *lib. 4. quæst. ult.*

Secundò, si delegato constet, *omnia*, 1384.
*prout oportebat*, ab Oratoribus, ritè *expressa esse in supplicatione*; hanc etiam secundùm omnia contenta summo Pontifici exhibitam, & hunc in gratiam petitam, ob causas in supplicatione expressas, consensisse, poterit rescriptum exequi, etiamsi per Curiam in literis, seu rescripto error commissus sit. Nam concessio gratiæ pendet à voluntate concedentis, non inducta per errorem ex allegatione falsi, vel reticentia veri, de necessitate exprimendi. Et ideo tenor literarum, ex tenore supplicationis est verificandus; omnis enim concessio Principis regulatur à petitione, & rescriptum Papæ refertur ad supplicata; & ab illis interpretationem admittit; sic Farinacius *l. 1. consil. crimin. consil. 57. n. 18.* Parisius *de Resignat. l. 8. q. 7. n. 86. & 106.* aliíque.

Unde, si Oratores petiêre dispensatio- 1385.
nem v. g. *propter dotis incompetentiam*, quâ laborat *sponsa*; & supplicationi sic formatæ Pontifex annuat, ac per rescriptum alicui facultatem dispensandi committat, etiamsi per errorem Curiæ in literis dicatur, quòd eâ dotis incompetentiâ *laboret sponsus*, delegatus deprehendens, *non sponsum*, *sed sponsam*, eâ dotis incompetentiâ laborare, procedere (quantum est ex hoc capite) poterit ad executionem rescripti, si ei constet, in supplicatione rem, prout erat, ritè expressam; cùm prudenter præsumat, Curiam sincerè Pontifici supplicationem retulisse, & Pontificem non errori Curialium, sed supplicationi, suam intentionem conformâsse. V. dicta *l. 4. loc. cit.*

Not. 7. rescriptum Apostolicum non 1386.
extendi ad casus postea exortos. Et ideo vi rescripti Papalis, dispensatus in impedimento affinitatis, contractæ cum Berta propter copulam cum ejus sorore, ad matrimonium cum Berta ineundum, non censetur dispensatus ad hoc, supposito sequenti casu, si scilicet post rescriptum dispensationis, executioni datum super priori copula, dispensandus iteravit copulam cum sorore Bertæ, ante contractum matrimonium cum Berta; ita Sanchez, *l. 8. matr. D. 24. n. 8.* Basilius Ponc. & alij. Nam ablato priori impedimento, subsequens

quens copula perinde facit novum impedimentum ; acsi prius nunquam extitisset.

1387. Not. 8. cùm dicitur, quòd rescripta Papæ recipiant interpretationem *à stylo Curiæ*, ut docet Vivianus *de Jure patronat. l.* 13. *c.* 8. *n.* 28. eò quòd jus faciat, sitque pro lege servandus, ut vult Garcia *p.* 1. *c.* 5. *n.* 23. & alij ; debere intelligi *de stylo constanti, firmo, probato, & à summo Pontifice specialiter confirmato* ; ratio sumitur ex dictis, & dicendis *à n.* 1467.

1388. Not. 9. illud Curialium pronuntiatum: *omnia rescripta Papæ sunt de forma* (consequenter in eis contenta esse ad unguem servanda ; & secùs (cùm tota jurisdictio delegati fundetur in eis) quidquid præter illa delegatus decernit, ac exequitur, nullum esse, ut allatis multis Authoribus probat de Justis *cit. l.* 1. *c.* 6. *à n.* 24.) nec posse, nec debere intelligi de omnibus in rescripto contentis, prout pluribus dicemus *l.* 4. *q. ult.* Multa enim in ijs quandoque continentur, quæ, licèt omittantur, non invalidant executionem rescripti ; cùm non pertineant ad substantiam actûs.

1389. Not. 10. per rescriptum, antequam præsentetur Judici, nec auferri, nec tribui jurisdictionem, ut notat Bartolus in L. 1. C. ut lite pendente. Et ideo Sanchez *l.* 8. *matrim. D.* 28. *à n.* 19. & cum eo Castropalaus *P.* 1. *tr.* 3. *de Privil. D.* 4. *p.* 16. §. 1. *n.* 7. ubi docet, per solam præsentationem nullo modo firmari jurisdictionem. Ex eo enim, quòd quis *acceptet* rescriptum, eo non utitur, sed ad utendum se disponit ; rescriptum autem non firmatur, nisi acceptans aliquem ejus usum habeat, per c. *Is, qui, de Procurat. in* 6. ibi : post mandatum susceptum, *etiamsi eo usus non fuerit* ; Felinus c. *Pastoralis*, §. *quoniam*, *de rescript. n.* 3.

1390. Not. 11. rescripta justitiæ, de jure Canonico, esse annalia ; hoc est, dari ad annum, & exspirare illius lapsu, ex c. *Plerumque*, 23. *de rescript.* Secùs tamen esse in rescriptis gratiæ ; hæc enim sunt perpetua ; sic Barbosa *in cit. c. Plerumque, n.* 3. & c. *quærenti*, 26. *de offic. delegat. n.* 4.

1391. Not. 12. de jure antiquo nulli licuisse impetrare rescriptum, quo aliquem ultra duas diætas trahat ad judicium, c. *Nonnulli*, 28. & c. *dilectus*, 29. *de rescript.* de jure autem novo, non ultra unam diætam in fine diœcesis, c. *statutum*, 11. *eod. in* 6. §. *cùm verò* ; & §. *cùm autem.* Una autem diæta continet septem leucas ; & computari debet à fine diœcesis, in qua Reus habitat, licet res alibi existat ; sic Barbos. *ibid.* Ex quo colliges, in actionibus realibus diætam computari ab ultimis finibus diœcesis, ubi res sita est, ut notat gloss. in cit. §. *cùm autem*, V. *ultra unam diætam.*

Not. 13. in rescriptis attendendum esse *tempus datæ* ; & ad illud retrotrahi gratiam, c. *Si eo tempore* ; c. *Tibi, qui, de rescript. in* 6. Et ad concessionem rescripti in illis, quæ pertinent veluti ad substantiam, validitatem, & intentionem concedentis, attendi *tempus datæ* ipsius concedentis, non verò præsentationis literarum, c. *Eam te*, *de rescript.* Secùs est in his, quæ spectant ad executionem, puta circa exercitium jurisdictionis, & similia. Nam in his attenditur tempus præsentationis, seu receptionis literarum, juxta c. *Super eo*, 14. c. *Ut debitus honor*, 59. *de appellat.* c. *auditam*, 4. *de restitut.* c. *dilecti*, 2. *de Præbend.* 1392.

Dices : c. *duobus*, 14. §. *Si verò*, *de rescript. in* 6. dicitur : *qui primò præsentaverit, erit potior in præbenda.* R. textum procedere, quando non apparet de prioritate temporis *datæ*, ut liquet ex ejus c. *principio*, ibi : *si non apparet* ; ergo ubi constat de prioritate *datæ*, nihil operatur prior præsentatio literarum ; & quoniam dicta decretalis *in cit. c.* 14. solemnis est, ejus tenorem apponimus : *duobus*, inquit Bonifacius VIII. *super provisione civili sibi facienda in eadem Ecclesia, literas à nobis obtinentibus unâ die*, certis eis executoribus deputatis : *si non appareat, quis primò impetraverit ex eisdem : is eorum, cui Canonicatum contulimus, est in præbenda præferendus alteri, qui à nobis Canonicatum non extitit assecutus : licèt priusquam alius eis* (ad quos spectat Canonicorum receptio, & collatio præbendarum) *suas præsentaverit literas, & ab eis in Canonicum sit receptus* ; Si verò neutri eorum, vel utrique Canonicatum contulimus : *tunc* (ex quo in gratia sunt æquales, *is, qui primò præsentaverit, erit potior in præbenda.* Quòd si forsan ambo simul in præsentando concurrant : ij ad quos (ut præmittitur) spectat Canonicorum receptio, & collatio præbendarum : vel eorum major pars : ex 1393.

eis

eis alterum, quem volverint, eligere teneantur: quo electo alius omnino careat, impetratis: nisi ex tenore literarum ipsius expressè appareat, quòd utrique ipsorum voluerimus providere; his præmissis:

## §. UNICUS.

### *Quid, & quotuplex sit data?*

1394. Cùm in priori numero facta sit mentio *datæ*, notand. 1. ex Pereyra *in Elucidar. n.* 493. per *datam*, vel *datum*, intelligi characterizationem, seu subscriptionem, in fine constitutionum, vel literarum, seu rescriptorũ, ex qua cognosci potest, quo anno, mense, vel die, instrumentum, vel quælibet litera emanavit, & à quo tempore obliget constitutio, vel gratia in scriptis facta.

1395. Not. 2. literas Apostolicas dividi. 1. in Bullam, Breve, & signaturam, quæ alio nomine supplicatio vocatur. *Bulla* est scriptura in membrana, plumbo funibus pendente jure munita, salutationem cum narratione, ac Papæ concessionem, aliaque necessaria continens. *Breve* Apostolicum est scriptura modica, in parvis negotijs concessa, in papyro frequenter scribi solita, cerâ rubrâ, annuloque Piscatoris sigillata, ac signo Secretarij subscripta. *Signatura* demum est scriptura in papyro, à Papa, vel ejus delegato, absque sigillo in medio scripta, partis supplicationem breviter continens.

1396. Hæc omnia tria dicuntur *scriptura*; quia non fiunt, nisi in scriptis, quo distinguuntur à vivæ vocis oraculis; *bulla* verò fit in membrana, seu pergameno ad differentiam *Brevis*, & *signaturæ*, quæ in papyro scribuntur. Dicitur etiam *plumbo pendente munita.* Nam prius, quàm pendeat plumbum, quo decoratur, Bulla dici non potest juxta gloss. in Clem. *unic.* in fin. de jurejurand. &c. *Licet*, *de crimine falsi.* Dicitur: *funibus pendente*, quia si bulla sit gratiæ, plumbum est appensum *chordis sericeis*: si verò sit bulla justitiæ, sive executoria, erit *filum cannabis*, in quo erit appensum sigillum, seu plumbum, c. *licet*, & c. *quàm gravi*, *de crim. falsi.* Reliqua patent, & videri possunt apud Rebuff. *in praxi benef.* quid sit *bulla aurea*, & quomodo differat bulla aurea imperialis à sigillo magno regio, habetur in Clem. *de jur.* c. *unico*, in fine, ubi per Joannem Andr. & Archidi. *in proœm. lib.* 6. Ex hoc vides, literas Pontificias, *ante plumbum appensum*, non esse authenticas, nec probare, c. *Licet*, 5. *de crimin. falsi*; & *per appensionẽ plumbi*, censeri *expeditas.* Nam sigillũ authenticat scripturã per c. *Scripta*, 2. & c. *Inter dilectos*, 6. *de Fide instrument.* sic Garcia de Benefic. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 56. & alij.

*Breve* dicitur Apostolicum, licèt aliquando à Cancellaria, vel summo Pœnitentiario concedatur. Dicitur *scriptura modica*, tum quia concedi solet brevibus materijs, tum quia summatim negotia continet sine præfationibus. Additur: *in papyro frequenter scribi solita*, ad discrimen Bullæ, & confessionalis, quæ semper in membrana scribuntur. Particula, *cera rubea*, est ad differentiam alterius gratiæ, quæ *cerâ viridi* sigillatur. Denique *annulo piscatoris* ponitur ad differentiam aliorum sigillorum. Vocatur hoc sigillum *annulus piscatoris*: quia verisimile est, piscatorem D. Petrum eo primum usum fuisse, & quia præfationibus non utebatur, hunc morem in brevi servant Pontifices. 1397.

*Signatura*, quæ alio nomine *supplicatio* vocatur, in hunc modum describi potest: est scriptura in papyro subscripta à Papa, vel ejus delegato, absque sigillo, in medio scripta, partis supplicationem, Papæque concessionem breviter continens. Dicitur *scriptura*, quia aliter nec probari, nec signari posset. Dicitur *subscripta*, nam ex eo signatura appellatur, quòd *signetur*, id est *subscribatur.* *Absque sigillo*, ad discrimen *Bullæ*, & *Brevis* quæ semper sigillantur. *In medio scripta*, id est, *subscripta*: quia post petitionem partis, ponitur concessio, & subscriptio Papæ, & deinde exponit Papa, quid concedere intendat. Forma, seu paradigma signaturæ exhibetur à Rebuff *pag.* 132. sic Pereyra *cit.* 1398.

Not. 3. in literis Apostolicis triplicem *datam* describi, quæ tamen omnes tres, *idem tempus* demonstrant, ut notat Vincentius *de Just. in praxi dispens. matrim. l.* 1. *c.* 6. *n.* 565. ubi docet, *datam* in omnibus scripturis necessariò apponendam (aliàs carere fide, & probatione) gratiamque à tempore datæ initium sumere; ac ejus tempus circa validitatem, vel invaliditatem 1399.

tatem gratiæ, semper attendi; sic ille *à n.* 563. cum alijs.

1400. Not. 4. supplicationem signatam, cui Pontifex annuit concedendo gratiam petitam, statim deferri ad officialem *primæ datæ* nuncupatum, cujus munus est, illam in fine characterizare, hoc est, in fine illi apponere, seu adscribere tempus concessionis Papalis, secundùm dicta, paucis, seu parvis duntaxat verbis v. g. *quarto Calend. Jun. apud S. Petrum, anno sec.* propter quod vocatur *parva data.* Et hæc est *prima data*; nec servit ad alium effectum, nisi ut faciat fidem apud D. Datarium, & memoriam gratiæ concessæ, vel concedendæ, ut ad datam illius temporis retrotrahatur; quin per hanc datam actus fiat perfectus.

1401. Sub hoc supplicatio sic characterizata per primam datam, revidetur á DD. Revisioribus, & finitâ revisione, à Domino Datario (cujus est *datare* omnes supplicationes tam gratiæ, quàm justitiæ) rursum characterizatur, seu *datum* subscribitur, brevibus quidem, sed tamen pluribus, ac in prima verbis v. g. *datum Romæ apud S. Petrum, quarto Calend. Jun. anno secundo*; & hæc Datarij subscriptio temporis concessæ gratiæ, est *secunda data*; cui demum accedit *tertia*, differens à prioribus, quòd plenius, ac latius extendatur in literis super supplicatione expeditis sic v. g. *datum Romæ, apud S. Petrum, anno Domini millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo sexto, Pontificatûs nostri anno secundo.*

1402. Not. 5. si Pontifex resideat in palatio Vaticano, *datam* literarum inscribi *apud S. Petrum*; si in monte Quirinali, *apud S. Mariam majorem*; si in Villa Tusculana, *Tusculi*: si in arce Gandulphi, *in arce Gandulphi, Albanens. diœces.* & advertendum *annum Ecclesiasticum*, de stylo Curiæ Romanæ, incipere currere *ab octavo Calendas Aprilis*, qui est dies 25. *Martij.* Et ideo, quidquid in anno 1700. antecedit 25. Martij, juxta hunc stylum adhuc pertinet ad annum superiorem, nempe 1699. Hinc, si quis in Julio v. g. anni 1699. supplicavit pro aliqua gratia; si Pontifex illi annuat Calendis Martij, 1700. juxta annum solarem; *data juxta stylum Curiæ* erit: *Calendis Martij 1699.*

1403. Not. 6. per regulas Cancellariæ, hujus officialibus præcipi, ut *dictiones numerales* in literis Apostolicis, quæ *sub plumbo* expediuntur, ante Calendas, Nonas, & Idus, per literas & syllabas extensè scribantur, non per ipsas cifras numerales v. g. *VI. Calendas*; quia facilè posset fraus fieri apponendo *I.* ut fieret *VII. Calend.* ut diceretur *septimo Calend.* quamvis ipsæ *Calendæ*, Nonæ, & Idus possint abbreviatè scribi v. g. *Calend Non.* &c. Dixi: *quæ sub plumbo expediuntur.* Nam in literis, quæ expediuntur *in forma Brevis*, aliter se habet stylus, & solùm succinctè dicitur: *datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 25. Januar. 1656. Pontificatûs nostri anno secundo.* Hinc not. literas, aliter expeditas, esse de falso suspectas, tanquam contra stylum Romanæ Curiæ per text. c. *quàm gravi* 16. de crimine falsi.

Not. 7. *nomen Pontificis, & annum Pontificis, & annum Pontificatûs*, esse de essentia *datæ*, ut probat Paulus Leo *in Praxi Sacr. Pœnitent. p.* 2. incipit autem à die Coronationis, & consecrationis; prius autem solùm dicit: *susceptí à nobis Apostolatûs officij, anno primo*; sic Zerola *in Praxi Episcop. p.* 1. V. *Papa.* Hæc pro aliqua rescriptorum notitia, potissimum ex Vincentio de Justis, *loc cit.* 1404.

Not. tamen. 8. has dispositiones, & observationes styli quoad annum, nomen Papæ, & similes sollennitates extrinsecas rescriptorum, requiri, *ut fidem faciant, ac probent in judicio*; idque ad cavendas plurimas cæteroquin fraudes, ac falsitates, quæ frequenter in rescriptis verè suppositijs, & falsatis intervenire solent. Hæc de vi rescriptorum, qua plura *in seqq.* 1405.

## ARTICULUS V.

### *De obreptione, & Subreptione rescriptorum.*

*Subreptio* contingit, tacendo verum necessariò exprimendum in petitione; & *obreptio*, allegando falsum. Hinc rescriptum dicitur malè impetratum, quoties tacetur veritas necessariò exprimenda, vel narratur falsum, quod ad rem confert. Not. autem ex Innocentio *c.* 20. *de rescriptis*, fieri posse, quòd rescriptum impetrans falsum expresserit, aut verum suppresse- 1406.

presserit, dupliciter. 1. per malitiam, & fraudem. 2. per simplicitatem, & ignorantiam.

## §. I.

### *An, & qualiter rescripta vitientur per obreptionem, vel subreptionem?*

1407. COmmunis doctrina est, quòd *rescripta obreptitia*, vel *subreptitia* (nimirũ obtenta vel taciturnitate veri, vel allegatione falsi) *irrita sint ipso jure, & impetranti, vel pro eo nullam tribuant jurisdictionem*, c. *Super literis*, 20. *de rescript.* hoc c. in rubrica dicitur difficile, famosum, & clavis totius tituli; ejus Author est Innocentius III. & sic habet: Super literis, quæ ab aliquibus *ex malitia*, & *à nonnullis ex ignorantia* (tacita veritate, vel suggesta falsitate) *impetrantur à nobis*, diversos intelleximus diversa sentire; alijs asserentibus, *eos debere prorsus carere omni commodo literarum*, cùm mendax precator carere debeat penitùs impetratis: alijs verò dicentibus, quòd, etsi formâ carere debeant in literis nostris expressâ, *nihilominus juxta rigorem juris sit à delegato judicis in negotio procedendum.* Nos igitur inter eos, qui *per fraudem, vel malitiam*, & illos, qui *per simplicitatem vel ignorantiam* literas à nobis impetrant, hujusmodi credimus discretionem adhibendam, ut hi, *qui priori modo falsitatem exprimunt, vel suppremunt*: in suæ perversitatis pœnam, nullum ex illis literis commodum consequantur, ita videlicet, quòd delegatus (postquam sibi super hoc facta fuerit fides) nullatenus de causa cognoscat. Inter alios autem, *qui posteriori modo literas impetrant*, duximus distinguendum, quæ falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas sit suppressa? nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, *quæ, quamvis fuisset tacita, vel expressa, nos nihilominus, saltem in forma communi, literas dedissemus*, delegatus non sequens formam in literis ipsis appositam, secundùm ordinem juris in causa procedat. Si verò per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis, literæ fuerint impetratæ, *qua tacita vel expressa nos nullas prorsus literas dedissimus*, à delegato non est aliquatenus procedendum: nisi forsitan eatenus, ut partibus ad suã præsentiã convocatis, de precum qualitate cognoscat, ut sic in utroque casu eadem ratio, quæ delegantem moveret, moveat etiam delegatum, & ubi delegans suas literas denegaret, delegatus etiam suæ cognitionis officium nullatenus interponat. Idem dicitur in L. *Præscriptione*, C. *Si contra jus, vel utilit. public.* Pro cujus doctrinæ intelligentia not. 1. quando dispensatio, vel concessio, per rescriptum expressa, procedit ex ignorantia, vel errore, qui tollat voluntarium simpliciter in concedente, rescriptum, & concessionem in eo contentam, esse ipso jure nullam, ac irritam; talis quippe concessio, sine voluntate concedentis, nullum effectum producere potest. Not. 2. hanc ignorantiam, vel errorem in concedente, nasci posse ex duplici capite. 1. per obreptionem, si nimirum impetrans taceat causam, quæ, Pontifici manifestata, impediviſſet ejus consensum in petitionem. 2. si falsò exprimat causam, ex qua induci solet Princeps, vel is, à quo pendet obtinere, quod petitur, ad concedendum.

Not. 3. quoties rescriptum impetratur à Principe, ad concessionem in eo contentam inducto per ejusmodi ignorantiam, vel errorem, ex obreptione, vel subreptione *prædicta*, rescriptum ipso jure nullum esse; quia tunc deficit in concedente voluntarium, seu voluntas, & intentio, sive consensus in postulatum. Concedens enim non consentit in petitum, *nisi ut subest causæ, propter quam concedit, vel nisi absit obex, quo stante non concedit.* Hoc expressè resolutum est in pluribus capitulis, c. *Ex parte*, c. *Sedes*, c. *Si proponente*, c. *Constitutus*, c. *postulâsti*, *de rescript.* c. *quia circa*, *de Consanguin.* c. *Inter dilectos*, *de fide instrum.* c. *ult. de filius presbyt. in 6.* 1408.

Et ideo in quolibet rescripto Pontificio, vel expressè ponitur clausula: *si preces veritate nitantur*, quæ necessariò inest ex juris dispositione in c. *Ex parte*, 2. *de rescript.* ibi: *in hujusmodi literis intelligenda est hæc conditio, etiamsi non apponatur: si preces veritate nitantur*; ubi vides concessionem pendere à veritate precum; contingit autem eas non niti veritate, sed ab ea alienas esse per suppressionem veri, vel expressionem falsi; ergo per suppressionem veri, vel expressionem falsi, contingit concessionem deficere, deficiente, 1409.

nimirum conditione, à qua dependet; quibus positis:

1410. Not. 4. rescriptum *gratiæ* reddi nullum, etiamsi obreptio, vel subreptio contingat *bonâ fide*, seu sine culpa supplicantis. Quia ubi tale vitium intercedit, in concedente deficit consensus in rem postulatam, etiamsi absit culpa supplicantis, ut diximus *n.* 1408. sed rescriptum continens concessionem, ubi deficit consensus in rem postulatâ, est nullum; ergo. Constat etiam ex c. *Super literis*, 20. §. *Si verò*, *de rescript.* Verùm hoc intellige juxta limitationes in sequentibus.

1411. Dices: in c. jam cit. expresè dicitur: quando literæ impetratæ sunt per taciturnitatem veri, aut allegationem falsi, *non dolò, sed solùm ex ignorantia, vel simplicitate supplicantium*, delegatum nihilominus, *servato juris ordine* (non autem speciali ipsius rescripti) procedere posse; ergo ubi bonâ fide contingit obreptio, vel subreptio, rescriptum non vitiatur. R. ibi sermonem esse de rescripto impetrato *in forma communi*, interveniente obreptione, vel subreptione circa verum, *cujus manifestatione*; vel falsum, *cujus veritate cognitâ Princeps nihilominus consensisset in id, quod petitur*; non autem, *quando non consensisset veritate cognitâ, vel eo, quod tacetur, expresso.* Et de hoc, non de illo casu, procedit dictum nostrum *in n.* 1408.

1412. Ex hoc collig. 1. rescripta obreptitia, vel subreptitia, quæ continent *gratiam*, esse ipso jure nulla, quando tacetur verum, *cujus expressio*; vel narratur falsum, *cujus veritas cognita* impediviset Principis consensum in rem postulatam, etiamsi ea taciturnitas veri, vel allegatio falsi, bona fide, vel ignorantiâ, aut simplicitate supplicantium intervenerit. Colligitur per sensum contrarium ex cit. c. *Super literis*; de quo *n.* 1407. Collig. 2. ea rescripta *gratiæ* non esse irrita ipso jure, licèt ob simplicitatem supplicantium intervenerit reticentia veri, vel expressio falsi, quando id tale est, ut concedentem *non avertisset* à consensu in rem postulatam, etiamsi *verum*, manifestatum; & *falsum* allegatum, omissum fuisset; constat *ex n. jam citato.*

1413. Dixi: *si intervenit ob simplicitatem supplicantium.* Nam si interveniset *dolus*, & *malitia*, censent aliqui rescriptum vitiari in pœnam dolosæ impetrationis: sed contrarium est probabilius; unde cùm indefinitè dicitur: *rescriptum dolo impetratum, esse ipso jure nullum, & irritum*, hoc intelligi debet *de rescriptis gratiæ* per expressum textum c. *fin. de filijs presbyt. in 6.* ubi Pontifex, loquens *de rescripto gratiæ* super pluralitate beneficiorum, *tacito defectu natalium*, ait: talis dispensatio (cùm non sit verisimile Sedē ipsam, cum illo, prædictum patiente defectum, voluisse, *si hoc fuisset expressum*, eidem in pluralitate beneficiorum hujusmodi dispensare) velut per surreptionem obtenta, nullius penitus est momenti. intellige, ut dicemus, saltem quoad eam partem, quam subreptio afficit. Nam rescriptum gratiæ comparatur contractibus bonæ fidei, quibus nocet *dolus*; ita Zoësius *de rescript. n.* 35. & quidem eo solùm casu, quo subreptio, vel obreptio *dolosa* versatur circa verum suppressum, vel expressum falsum, *cujus oppositum à consensu impediviset concedentem.*

Dices: verum esse, quòd pluribus lo- 1414.
cis dicatur, *rescripta gratiæ vitiari* per suppressionem veri, cujus manifestatio; vel expressionem falsi, cujus oppositum, concedenti cognitum, avertisset consensum in gratiam, sive bona fide, sive dolò impetrata sint, ut dicitut c. *fin. de filijs presbyt. in 6.* ibi: *veluti per subreptionem obtentum, nullius penitus est momenti*, c. *Postulásti*, *de rescript.* ibi: *commodum reportare non debet de hujusmodi literis, utpote, veritate tacitâ, impetratis*: omnes tamen hi textus loquuntur solùm *de rescriptis gratiæ in materia beneficiali*; ergo extendi non debent ad rescripta gratiæ *in alia materia*, v. g. dispensationum; patet conseq. Nam in materia beneficiali, propter ambitionem, jus procedit gravius, & rigorosius prohibet ejusmodi vitium, ut ambitioni via præcludatur, juxta c. *quamvis*, *de præbend. in 6.* R. C. ant. N. conseq. ad probat. concedo, non debere fieri extensionem, *nisi ratio*, in qua fundatur dispositio juris pro illo casu, *necessaria sit*; at sic est in præsenti. Nam ratio, in qua fundatur dispositio juris *de nullitate rescriptorum gratiæ*, quando tacetur verum, vel allegatur falsum, est, *quia sic tollitur consensus in gratiam petitam*, cùm ponatur in concedente nasci ex igno-

ignorantia, vel errore circa ſubſtantiam; hæc autem ratio concludit neceſſariò pro conceſſione cujuslibet gratiæ, nata in concedente ex tali vitio; ergo.

1415. Collig. 3. reſcriptum juſtitiæ dolô impetratum, non eſſe *ipſo jure* nullum, ſed ſolùm *irritandum exceptione doli oppoſita*, & probanda; Zoëſius *n.* 34 Quia licèt c. *Sedes* h. t. dicatur: *tanquam mendax precator penitus careat impetratis*, & c. *Super*, eod. *nullum ex literis illis commodum conſequatur impetrans*: in his tamen terminis: *penitus*, *nullum* (eſto aliàs importent nullitatem ipſo jure, ſi textus nihil aliud habeat adjunctum) ſecus eſt, ſi aliud adjunctũ ſit, ut in c. *Super*, eod. ubi expreſsè dicitur: *nullum commodum conſequatur, ita videlicet, quòd delegatus* (*poſtquam ſibi, ſuper hoc, facta fuerit fides*) *nullatenus de cauſa cognoſcat*; ergo ante hoc non eſt irrita jurisdictio per reſcriptum juſtitiæ conceſſa.

1416. Dices: reſcripta *gratiæ*, dolô impetrata, ſunt ipſo jure nulla juxta *n.* 1413. ergo ex eadem cauſa etiam reſcripta *juſtitiæ*. Prob. conſeq. nam non minùs in hoc, quàm in illo caſu, per ejusmodi obreptionem, vel ſubreptionem inducitur in concedente ignorantia, vel error, qui tollit conſenſum in rem à ſupplicantibus poſtulatam. R. C. ant. juxta limitationes in præcedentibus datas; N. conſeq. Ad hujus prob. N. aſſertum. Ratio eſt, quia, cùm *impetranti gratiam*, reſcriptum *tribuat jus*; *non* autem *impetranti Judicem*; atqueadeo reſcriptum juſtitiæ ſit minùs præjudicioſum, quàm reſcriptum gratiæ, non æquè in utroque caſu conſenſus concedentis alligatur *vero*, in impetratione gratiæ exprimendo; ergo non æquè intercedit error, qui tollit conſenſum in utroque, *pari modo*. Ratio eſt, quia ſi quis ad eandẽ cauſam impetravit Judicem, ſeu reſcriptũ juſtitiæ; & deinde impetrat ſecundũ, omiſſa expreſſione, *reſcripti priùs impetrati*, ſecundum hoc reſcriptum non vitiatur, ut ſit ipſo jure nullũ, ſi primus impetrans dolô, vel negligentiâ, non fuit uſus illo; ſed ſolùm venit caſſandum exceptione, quòd ſubreptitiè ſit impetratum, ut dicitur in c. *Si autem* 9. & c. *Plerumque* 23. *de reſcript.* aliàs enim non convaleſceret datâ negligentiâ primi impetratoris, ut bene obſervat Felinus, c. *Ad audientiam*, 2. *de reſcriptis*, *n.* 17.

Præterea not. 1. reſcripta juſtitiæ quandoque dari *in forma communi*, nimirum ut Judex datus procedat *ſervato juris ordine*; quandoque *in forma ſpeciali*, cum certis clauſulis v. g. *appellatione remotâ*, & ſimilibus. Unde ubi obreptio, vel ſubreptio, in reſcriptis, contingit ex ſimplicitate, vel ignorantia Oratorum, quin propterea vitietur reſcriptum, ut dictum eſt *n.* 1412. delegatus procedere poterit etiam cognitô vitiô, *ſed in forma communi*, nimirum juxta jus commune; non autem juxta ſpeciale contentum in tali reſcripto. 1417.

Not. 2. quòd objicienti ſubreptionem incumbat probatio; ei verò, qui falſum narravit, probatio ejus, quod tanquam verum obtruſit; ſumitur ex *L. 2. ff. de probat.* ibi: *ei incumbit probatio, qui dicit*, ſeu affirmat *aliquid actum*; *non, qui negat*; excipe tamen, niſi impetrans, cui objicitur taciturnitas veri, fundatam habeat intentionem ſuam ſuper narratis. Tum enim non ipſe eam probare; ſed adverſarius contrarium oſtendere tenetur; ſic Pirhing *de reſcript. n. 75. in fine.* 1418.

Not. 3. quando *in c. 20. h. t.* dicitur, reſcriptum *dolosa ſubreptione extortum*, nihil prodeſſe impetrantibus, cenſeríque irritum quoad omnia in literis contenta, ut vult Abbas *in cit c. 20. n. 2.* verum eſſe, quando vitium verſatur vel *circa totum reſcriptum*, vel *principalem partem*; non autem, ſi vitium verſetur ſolùm circa aliquas partes, quin tingat alias, *ab illis ſeparabiles*. Nam quoad iſtas valebit; quia tota ratio nullitatis *in c. 20.* deciſæ eſt in pœnam doli, & malitiæ, in quibus fundatur, non extendendô ultra caſum in textu contentum, qui agit ſolùm *de connexis*; ita Zoëſius *de reſcriptis*, *n. 30. ex c. Si eo tempore*, *de reſcript. in 6.* ubi dicitur: Si eo tempore, quo tibi de beneficio cum cura, vel ſine cura mandavimus provideri: ad obtinendum curatum beneficium, idoneam non habebas ætatem: tibi, licèt nunc legitimæ effectus ſis ætatis, auctoritate literarum hujusmodi (*cùm tempore datæ ipſarum adhuc non eſſes idoneus*) de beneficio curam animarum habente nequaquam poterit provideri, Beneficium autem, ſine cura (cùm ad ipſum ſufficientem tunc ætatem haberes) per eas licitè poteris obtinere. 1419.

Not 4. probabilius videri, quòd ſolùm ea re- 1420.

ea reticentia veri, vel allegatio falsi dolosa, quæ supprimit verum, vel exprimit falsum circa causam finalem, vel aliam, rescriptum vitiet, quâ stante, vel sublatâ Pontifex illud daturus non erat; ita Zoësius *cit. n.* 31. quia ubi hoc non contingit, rescribens non potest dici *invitus*, aut *nolens*; adeoque, ubi tacetur verum, necessariò exprimendum; vel allegatur falsum, cujus oppositū avertisset concedentis animum à concessione; de quo multa *l.* 4. *decretal. à n.* 3162. *& seqq.*

1421. Ex hoc collig. 1. rescriptum non censeri subreptitium, si subreptio versetur solùm circa causam *impulsivam*, non finalem. Nam gratia non dicitur inutilis propter omissum id, quod expositum non avertisset mentem rescribentis, c. *dudum*, 14. *vers. considerantes*, *de præbend. in* 6. ibi: *considerantes quoque, quòd nos exposito nobis de potestate prædicta nihilominus literas gratiosas daremus in partibus illis*: allegatio autem falsi, vel reticentia rei, quæ omissa esse poterat, & explicare non tenebatur orator, est aliquid tale; ergo. Nā principale, utile, non vitiatur per minus principale, inutile, ac separabile.

1422. Collig. 2. idem dicendum esse, quando contingit obreptio adjectâ per errorem qualitate per modum demonstrationis, si de corpore, seu substantia rei constet, & etiam sine tali errore concessio, vel dispositio eodem modo facta fuisset. Aliud est, si error qualitatis redundet in substantiam; prout exponimus *l.* 4. *de impedimento ex errore*. In casu autem, quo Procurator, seu solicitator subreptionem causavit, sine ulla culpa supplicantis, huic non obest dolus alterius; consequenter de simili rescripto idem dicendum erit, quod de impetrato per ignorantiam.

1423. Not. 5. quando dicimus, rescriptum non vitiari per subreptionem, vel obreptionem factam ex oratoris simplicitate, si Pontifex æquè concessurus erat, quod petebatur; cognita veritate, debere limitari, ut non procedat, si talis veritatis expressio requiratur tanquam *forma*. Hæc enim etiam in minimis observanda est. Et ideo gratia concessa ad petitionem (non autē motu proprio) non facta mentione beneficij quantumcunque modici, quod obtinebat impetrans, censetur subreptitia, licèt hoc expressum non impediviſſet gratiam, c. *Si motu*, *de præbend. in* 6. ibi: si *motu proprio* alicui aliquod beneficium obtinenti conferamus aliud, *de illo non habitâ mentione*: *non ob hoc gratiam hujusmodi, quæ de nostra mera liberalitate processit, invalidam volumus reputari*. Secùs, *si ad petitionem illius, vel alterius* pro eodem oblatam gratiam hujusmodi facimus, *tunc enim* (*quantumcunque modicum beneficium taceatur in ea*) ipsam, veluti surreptitiam, vires nolumus obtinere. *Motu quoque proprio tunc solùm gratia fieri censeatur, cùm hoc expressè cautum fuerit in eadem.*

Not. 6. quando allegatis pluribus causis 1424.
aliquæ sunt veræ, aliquæ falsæ, *citra dolum*, non vitiari rescriptum, si allegatæ sint *alternativè*; cùm sufficiat ex taliter conjunctis causis unam esse veram, c. *in alternativis*, 70. *de reg. jur. in* 6. ibi: in alternativis debitoris est electio, *& sufficit alterum adimpleri*. Si autem allegatæ sint *copulativè*? R. si causæ, sic allegatæ, tales sint, ut neutra *per se* sufficiat, non valere rescriptum, c. *olim*, 25. *h. t.* sic enim utriusque veritas pertinet ad formam rescripti; secus, si quælibet earum sufficiens sit, ad movendum Pontificem, ut annuat petitis; quia sic causa, qua nititur rescriptum, vera est, quod etiam procedit in rescriptis gratiæ. Nec obstat clausula: *si preces veritate nitantur*; quia respicit causas, quæ concurrunt ad impetrandum rescriptum; non autem etiam eas, sine quibus nihilominus Pontifex rescripsisset; ita Zoësius *de rescriptis n.* 37.

Not. 7. quòd Judex per rescriptum de- 1425.
legatus, si semel judicavit in causa sibi delegata (v. g. pronuntiavit literas esse subreptitias) licèt nulliter, & invalidè, jam functus sit suô officiô, nec ipsi conveniat suam sententiam revocare (L. *Paulus*, 1. *ff. de re judic.* L. *Duo fratres*, *ff. de pœnit.*) aut causam reassumere: Secùs tamen dicendum est, ubi dispensatio, vel aliud quodvis rescriptum emanavit à sacra Pœnitentiaria pro foro tantùm conscientiæ; ita Pyrrhus Corradus *in praxi dispens. Apostol. l.* 7. *c.* 4. *à n.* 55. Sed hoc non ita indefinitè procedit, ut exponimus *lib.* 4. *à n.* 2423.

§. II.

## §. II.

### *An quælibet obreptio, vel Subreptio vitiet rescriptum?*

1426. QUæstio est, an ex *cujuscunque veri* reticentia, vel *falsi* allegatione per oratores commissâ, rescriptum ad supplicationem datum, vitietur, seu reddatur nullum, ac irritum? Ad hoc jam responsum est negativè, & dictum, rescripta gratiæ vitiari solùm, quando verum suppressum, & falsum tale est, ut, veritate cognitâ, rescribens non concessisset, seu non consensisset in gratiam ab oratoribus postulatam; difficultas tamen est, quæ sint illa, quorum suppressa veritas, vel falsa allegatio sic avertisset animum concedentis?

1427. Et. in hac materia *lib. 4. à n. 1162.* me secutum, tanquam probabiliorem eorum sententiam, qui docent, illud verum esse de necessitate exprimendũ, cujus expressio, *dispositione juris*, vel *receptâ consuetudine*, aut *stylo Romanæ Curiæ* id exigente, fieri debet; pro cujus intelligentia not. 1. illud *ex dispositione juris* exprimendum esse, de quo est in jure cautum, quòd, illo non expresso, Papa postulatũ non concederet; ut ibidem dictum est *à n. 1168.* Hujus ratio est, quia voluntas Principis, nisi aliud exprimat, præsumitur talis, qualis est intentio juris, ut notat gloss. in c. *Paratus*, 23. *q.* 1. Sanchez *l.* 8 *matrim. D.* 21. *n.* 12. Barbosa *l.* 1. *de jure Ecclesiast. c.* 3. *n.* 107. & alij. Hinc si aliqua qualitas taceretur, quæ ex dispositione juris exprimenda esset, quamvis etiam ignoranter, & absque dolo fieret, gratia vitiaretur, & nulla foret; quia jura talis qualitatis expressionem *pro forma*, hoc est, *requisito substantiali* exigunt, ut colligitur ex c. *penult. de rescript.* ibi: Si proponente aliquo, *nondum se beneficium Ecclesiasticum assecutum*, super provisione ipsius (*licet minùs competens obtinentis*) rescriptum Apostolicum *de hoc mentionem non faciens*, impetretur: illud *veluti fraudulenter obtentum dicimus non valere.* & c. *Si motu proprio, eod. in 6. relato hìc n.* 1423. ita Sanchez *cit. n.* 14. Layman *Theol. moral. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 18. & alij.

1428. Hinc fit, quòd rescriptum Papæ datum supplicanti *pro beneficio* impetrando, sit ipso jure irritum, ac nullum, si supplicans expressit falsum, *quòd non habeat aliquod beneficium*, ut expresse definitum est in c. *Si proponente*, relato. ubi vides, quòd juris dispositione cautum sit, ne in supplicatione beneficiali falsum exprimatur, nimirum, *quòd supplicans beneficio careat*: cùm tamen habeat, licèt exiguum. Similiter non valet rescriptum beneficiale ad beneficium impetratum, *de beneficio impetrantis*, quod prius obtinuit, *non faciens mentionem*, ut dicitur c. *Cùm adeo*, 17. *h. t.* Ex quo vides per reticentiam veri (*quòd quis jam antè habeat beneficium*) vitiari rescriptum gratiæ de supplicanti providendo, adeoque *qualitatẽ beneficij prius obtenti*, juris dispositione, omnino esse exprimendum; secùs rescriptum irritum esset.

Advertendum autem inter rescripta be- 1429.
neficialia, quibus mandatur, ut alicui beneficiũ conferatur, alia esse *in forma pauperum*, seu *communi*, quibus præcipitur, ut Clericis, sine sufficienti patrimonio, vel beneficio contra canones ordinatis, ab Episcopo provideatur de beneficio, ne cogantur mendicare: alia verò gratiæ, quæ dantur pro alijs non indigentibus; Azor *p.* 2. *l.* 6*c.* 32. *q.* 5. illa etiam vocantur *rescripta justitiæ*, cùm æquum sit pauperibus Clericis provideri; quibus positis:

In hac materia not. 1. rescriptum bene- 1430.
ficiale *in forma communi*, obreptitium, & invalidum esse, si non fiat in eo mentio *de proprio patrimonio*; ad quod impetrans ordinatus est; secùs tamen esse de rescripto gratiæ, c. *Postulasti*, 27. *de rescript.* & Rebuffus *in praxi benefic. tit. de differentiis inter rescripta gratiæ, & justitiæ à n.* 31. quod verum est, sive ille sit, vel non sit ordinatus ad titulum sui patrimonij; quin hoc necessarium sit in impetrante rescriptum gratiæ, licèt ad titulum sui patrimonij ordinatus sit; Pirhing, *de rescriptis n.* 60. ex praxi Romanæ Curiæ.

Not. 2. tam rescipta beneficialia *justi-* 1431.
*tiæ*, quàm *gratiæ* irrita esse; *omissâ mentione Vicariæ perpetuæ, vel alterius beneficij, quod impetrans obtinet*, c. *Postulasti*; 27. *h. t.* & notatum est supra, *esto sit modicum*, c. *proponente, eod.* & sive impetratum sit taciturnitate veri, sive expressione falsi, ut colligitur ex c. *Si motu*, 23. *de præbend. in.* 6. & sive sit perpetuum, sive temporale; Felinus c. *in nostra*, 32. *h. t. n.* 18. idque

que ex perpetuo stylo Curiæ requiri ut formam, docet communis cum Pirhing *cit. n. 63. in fin.* Hinc ejus ignorantia non relevat.

1432. Nec sufficit ad cavendam ob- vel subreptionem expressio beneficij, priùs obtenti, *utcunque*; sed exprimi etiam debet, *an sit dignitas, an personatus?* &c. nam aliàs irritum est, c. *Ad aures, h. t.* Similiter exprimi debet, *an beneficium*, quod quis habet, sit curatum? c. *Cùm in illis, 16. de præbend. in 6.* & Abbas in c. *Ad aures, de rescript. n. 3.* item, *an requirat residentiam perpetuam? arg.* c. *fin. de Cleric. non resident.* item, *an sit* juris patronatus? *Menoch. de arbitrar. Judic. casu 201. n. 71. an electivum?* idem *n. 84. vel unitum alteri beneficio?* idem *n. 91.* vel si beneficium sit *Ecclesiæ Cathedralis*, quod non venit nomine beneficij in rescriptis ambitiosis, c. *quamvis, de præbend. in 6.* Addunt quidã requiri etiam, ut exprimatur *quantitas redituum annorum* beneficij, pro quo supplicatur; Pirhing. *cit. n. 65.*

1433. Not. 3. in impetratione *rescripti gratiæ* non requiri *mentionem obtentæ pensionis Clericalis*, si alicui data sit non in titulum beneficij, sed stipendij, sicut laico; secus tamen est *in rescriptis justitiæ.* Nam sic tollitur in hoc casu causa concessionis, nempe egestas impetrantis. Not. 4. quando dicimus, in supplicatione pro beneficio, juris dispositione fieri debere mentionem beneficij, si quod orator priùs habet, intelligi debere de beneficio *impetrato à Papa*; secùs, si ab inferiore; huic enim censentur magis notæ qualitates beneficij, pro quo supplicatur; Felinus c. *in nostra, cit. n. 25. corollar. 29.*

1434. Not. 5. si priùs impetratum est rescriptum à Sede Apostolica ad beneficium: in nova supplicatione ejus mentionem fieri debere, licèt eidem renuntiaverit, c. *ad audientiam, 31. de rescript.* aliàs irritum decerni debet. Ex quo colliges, esto quis beneficio *obtento* renuntiare non possit sine licentia Superioris, c. *admonet, 14.* de renuntiat: posse tamen, *literis obtentis* super beneficio vacaturo; Abbas *in cit.* c. *ad audientiam, n. 3.*

1435. Not. 6. si quis, vi rescripti Papalis, receptus est in Canonicum alicujus Ecclesiæ, quin præbendam adhuc in illa consecutus sit, debere hujus mentionem facere in supplicatione pro beneficio alterius Ecclesiæ, c. *in nostra, 32. h. t.* Ex quo sequitur fieri debere mentionem beneficij, quod quis priùs habet, *aut in re, aut jure ad rem*; Abbas c. *in nostra cit. n. 2.* quod verum est, licèt injustè illo spoliatus esset, cùm habeat actionẽ illud repetendi; Abbas *cit. n. 10.* Nam qui actionem habet, sive jus ad rem petendam, vel recuperandam, ipsam rem habere videtur, *reg. 15. ff. de reg. jur.* junctâ glosâ.

1436. Not. 7. eum, qui beneficium sibi priùs ab Episcopo collatum nondum acceptavit, ante acceptationem ejusdem posse aliud impetrare à Papa non factâ mentione prioris, esto sciat collationem prioris; quia sic illius *nec in re, nec ad rem* habet jus absolutè; ita Sanchez *l. 8. matrim. D. 2. n. 60.*

1437. Not. 8. rescriptum gratiæ à Papa impetratum contra alicujus Ecclesiæ consuetudinem, vel statutum, non valere, nisi ejus mentio fiat saltem sub clausula derogatoria: *non obstantibus statutis, vel consuetudinibus contrarijs*, c. *Constitutus, de rescript.* & c. *Cùm aliquibus, eod. in 6.* Et ratio est *ex c. 1. de constitut. in 6.* quia Papa rescribens non censetur velle derogare statuto, aut consuetudini locorum, nisi exprimat; & si statutum juratum sit, clausula esse debet: *non obstante statuto, etiam juramento confirmato.*

1438. Not. 9. in supplicatione pro rescripto beneficiali exprimendum esse, quòd impetras *sit clericus.* Nam laicus beneficij non est capax, c. *Cùm adeo 17. h. t.* quæ mentio jure communi non requiritur, sed semper subintelligitur; requiritur autem ex stylo Curiæ Romanæ; sic Pirhing, *de rescript. n. 79.*

1439. Not. 10. in supplicatione pro beneficio, debere etiam exprimi *præbendam*, & *Canonicatum*; cùm possit quis habere Canonicatum sine præbenda; vel hanc sine illo. Si tamen Papa mandet alicui conferri Canonicatum in Ecclesia aliqua, non requiritur mentio de præbenda, cùm hæc sit consequens Canonicatum; Pirhing *cit. n. 79.*

1440. Not. 11. rescriptum contra privilegium ordini Religioso concessum à Papa, nisi fiat ejus ordinis mentio in illo, irritum esse, c. *Cùm ordinem 6. h. t.* Sed not. textum loqui expresè de ordine Cistercien-

sium;

sium; quamvis idem dici possit de alijs, qui eodem privilegio gaudent. Ex hoc autem habetur, quòd Principis privilegium possit præscribere formam futuris rescriptis sic, ut eâ formâ non servatâ rescriptum sit irritum. Si quæras, an etiam fieri debeat mentio privilegij? R. debere fieri in rescripto gratiæ, præjudicante privilegio, non in rescripto justitiæ; hoc enim in judicio elidi potest exceptione, apponendô illi privilegium, c. *Inter, de sent. & re judicat.* Quid autem dicendum in casu mandati contra Regulares cum clausula: *non obstantibus privilegijs quibuscunque, & sub quacunque forma concessis*, constat ex dictis *supr. V.* Layman *in c. 6. h. t. n. 4. & seqq.*

1441. Not. 12. in impetratione novi beneficij, postquam aliquis se in aliud *intrusit*, vel id *non canonicè obtinuit*, non vitiari rescriptum tacita intrusione, vel illicita assecutione, modò faciat mentionem beneficij primi; secùs est de rescripto *ad idem beneficium*, ad quod vel per intrusionem, vel non canonicè pervenit; Pirhing *cit. n.* 84. Hæc allata sunt in exemplum rescripti vitiosi ex reticentia veri, seu qualitatis juris præscripto, ac dispositione exprimendæ. Ex quo sequitur, si taceatur aliqua qualitas, quam jura non jubent exprimi, quamvis, si expressa fuisset, Papa difficiliùs concessisset, non vitiari rescriptum; ita Sanchez *l. 8. matr. D. 21. n. 11.* Layman *cit. c. 22. n. 18.* Parisius *de confident. q. 46. n. 54.* & alij, quos citat, & sequitur Vicentius de Justis *de dispensat. matrim. l. 1. c. 4. n. 10.*

1442. Hujus ratio est ex *n.* 1427. Et ideo meritò dicit Garcia *de re benefic. p. 8. c. 3. n.* 25. & alij, quòd, si exprimenda essent omnia, quæ retraherent, vel retardarent Pontificem à concessione (licèt jure, vel stylô non caveatur, esse exprimenda, nec de jure præstent impedimentum) nulla ferè gratia, seu concessio esset tuta, & certa; & esset valdè durum, & grave, subjacere hujusmodi nullitatibus ipso jure. Unde non immeritò Rodriquez *in Summa, tom. 1. cap. 237. n. 1. concluf. 1.* docet, valere dispensationem, tacitâ veritate, propter quam Papa majori cum difficultate concessisset, nisi jus exprimat, ut dicta qualitas exprimatur.

1443. Dixi *n.* 1427. rescriptum vitiari ex reticentia veri, vel qualitatis, quâ exprimi jubent *jura*, vel *stylus Curiæ*, aut *consuetudo*, id, quod procedit, etiamsi Pontifex eo etiam expresso nihilominus consensisset in gratiam, ut docet de Justis *cit. n.* 14. quia præsumitur scientia, & dolus; cùm jus commune omnibus pateat, consequenter ignorantia ejus non præsumatur; quod verum est, ubi jus clarum est. Quod autem dicitur *de stylo*, intelligi debet *de stylo Curiæ inconcusso, firmo, & stabili, & per ipsum Papam specialiter probato, & confirmato*, ut exponemus *àn.* 1467. Idem dicendum venit, quando aliqua qualitas *de consuetudine* Principis exprimi deberet; quod intellige, si legitima sit; tunc enim habet vim legis, L. *Minimè, ff. de legibus*; sic Layman *Theol. moral. l. 1. tr. 4. c. 24.* & alij.

Quæstio est, an etiam obreptione, seu falsi expressione vitientur rescripta? affirmativam sequuntur complures apud Sanchez *cit. D. 21. n. 10.* etiamsi falsitas versetur *circa causam solùm impulsivam.* Nam gratia Principis habet tacitam conditionẽ: *si preces veritate nitantur*; ergo si à veritate alienæ sunt, gratia redditur nulla. Sed probabilius est, non vitiari, nisi per falsitatem expressam excludatur verum de necessitate exprimendum, ut diximus in *n.* 1427. ubi rescriptum ostendimus vitiosum ex eo, quòd supplicans falsò dixerit, *se carere beneficiô*; cùm exprimere debuisset verũ, *se jam aliquod habere*: vel falsò allegatur gradus remotior locò propinquioris; aut pro ratione, impetrandi gratiam, falsò allegatur causa, quæ, si extaret, omnino sufficiens esset ad impetrandã gratiam, qualis comuniter dicitur causa finalis. 1444.

Circa hoc not. duplicem esse *causam*, præsertim dispensationis, quæ per rescripta fit, nempe *finalem* & *impulsivam.* Finalem vocat Lotherius *de benefic. l. 2. q. 36. n. 28.* quæ funditus, & ex toto movet animum disponentis, aliter verosimiliter non concessuri; vel, ut notat Mantica *de Conjectur. l. 6. tit. 14. n. 7. propter quam Princeps concedere vult; & ea non existente concedere non vult*; quæ proinde resolvitur in conditionem, *sine qua non*; sic Layman, *Theol. moral. l. 1. tr. 4. c. 22. n. 22.* Ex hoc sequitur, quòd falsitas circa causam finalem semper vitiet rescriptum; cùm enim per eam ponatur defectus conditionis, *sine qua non*, seu, qua non existente Princeps 1445.

ceps concedere non vult, quod petitur, ut dictum est; hoc ipso, quòd intercurrat talis falsitas, necesse est corruere Principis consensum, sine quo non stat vis, & validitas rescripti; & colligitur ex c. *Si pauper 3. de præbend. in 6.* quod verum est, licèt absit dolus, & malitia; nam *bona fides*, si interceſſit, *excusat* quidem actum *à culpa, sed non à nullitate*; quia per bonam fidem non ponitur causa, sine qua non stat in Principe consensus, qui tali casu attenditur, ut rectè notat Sanchez *cit. l. 8. D. 21.* præsettim *n. 56.*

1446. Causam *impulsivam* dicunt, *ob quam rescribens petita* concedit non simpliciter, sed *facilius*; quia nimirum talis est, ut eâ etiam non allegatâ, & absente, spectato merito causæ, Princeps rationabiliter concederet; ita Sanchez *cit. n. 8.* Coninck *de Sacram. D. 33. n. 58.* Lotherius *de re beneficiar. l. 1. q. 45. n. 46.* Ad rationem contrariam *in n. 1444.* ꝛ. dictã clausulam (*si preces veritate nitantur*) non intelligi de causa impulsiva; cùm ab ea consensus non dependeat, *quoad esse simpliciter*, ut dictum est; consequenter non transeat in conditionem, *sine qua non.*

1447. Quæstio altera est, quæ causæ in particulari censeantur *finales*? respondet Sanchez *cit. D. 21. n. 41.* Layman *cit. n. 23.* Bonacina *de legibus D. 1. q. 2. p. 4. n. 8.* Pontius *l. 8. c. 17. §. ult. n. 41.* & alij, si in supplicatione Pontifici porrecta (pro gratia dispensationis v. g.) allegetur *una tantùm causa*, hanc censeri finalem; ratio est, quia, cùm præsumi non possit, Pontificem *sine causa* dispensare, eoipso, ubi una tantùm causa ponitur, præsumendus est ex illa *finaliter* procedere. Quid verò dicendum, si plures causæ allegentur *alternativè*, vel *copulativè*, quarum quælibet, aut nulla seorsim ab alijs sufficiens sit? constat *ex dict.*

1448. Not. autem ulterius. 1. si causæ allegatæ, quamvis sufficientes sint ad concedendum, sic expositæ sint, ut dignosci nequeat, ex qua finaliter processerit concedens, non esse attendendam *intentionem postulantis*, sed *concedentis*; & ubi hæc prudenter colligi potest, secundùm eam judicandum; in pari autem dubio præsumendum pro ea, quæ vera & sufficiens est; cùm in tali casu interpretatio fieri debeat, ut potiùs valeat, quàm, ut non valeat actus; ita Sanchez *cit. n. 5.* Layman, & alij.

Not. 2. in dubio, an allegata causa censeatur finalis, vel impulsiva? censendam esse impulsivam, nisi sola & unica sit allegata propter *n. 1447.* Nam in dubio præsumendum est pro valore actûs, ut diximus *num. præced.* ita Sanchez *cit. D. 21. à n. 20.* Escobar *Theol. moral. tr. 1. examin. 16. c. 4. n. 124.* Pontius *cit. c. 17. n. 41.* & alij. 1449.

Not. 3. tunc causam allegatam censeri *per se sufficientem*, quando talis est, ut, si etiam sola allegaretur, secundùm stylum, & consuetudinem Cancellariæ Apostolicæ, ex ea concedi soleat talis gratia, vel dispensatio in ejusmodi casu; si autem adducatur sola, & non admittatur de stylo, censeri *per se insufficientẽ*; ita Pontius *l. 8. de matr. c. 17. §. ult. n. 41.* Et de his, quoad dispensationes matrimoniales, plura dicimus *in l. 4. q. ult. p. 2. à n. 2010.* 1450.

## §. III.

### *An vitietur rescriptum, si culpâ solicitatoris, vel Officialium Romanæ Curiæ, commissa est obreptio, vel Subreptio?*

LOquimur de casu obreptionis, vel subreptionis circa causam *finalem*, de qua *n. 1445.* Ante resolut. uot. ex Pyrrho Corrado *in praxi dispens. Apostol. l. 7. c. 4. n. 4.* Pium V. in sua constitutione, & motu proprio, incip: *Cùm sicut accepimus, nonnulli suæ conscientiæ prodigi*, &c. ut habetur apud eundem *loc. cit.* decreviſſe, ut incurrant pœnas falsi, omnes, & singuli Procuratores, Officiales S. Pœnitentiariæ, & alij quicunque solicitatores, & scriptores, qui in matrimonialibus dispensationibus impetrandis veritatem facti à narratione, quam ab ipsis partibus acceperunt quoad substantialia, & qualitates necessariò exprimendas, diversam faciunt, seu quoquo modo invertunt, immutant, vel depravant, quibus positis: 1451.

Quæstio est, an delegatus, cui committitur dispensatio cũ oratoribus, procedere possit ad executionem in casu, quo illi sincerè exposuerunt impedimentum inter se existens (v. g. *consanguinitatis*) & super eo dispensari petiêrunt, si per incuriam scriptoris in rescripto exprimeretur impe- 1452.

impedimentum *affinitatis*? Hæc quæstio dupliciter intelligi potest. 1. licèt in eo casu impedimentum *consanguinitatis*, ut expressum fuit ab oratoribus, Papæ propositum fuerit. 2. si non *consanguinitas*, sed *affinitas* etiam Pontifici falsò proposita est?

1453. Ad. 1. negativè respondet de Justis *l. 1. dispens. matrim. c. 4. n. 44.* Sed contrarium tanquam probabilius amplexi sumus *n. l. 4.* id, quod etiam tenet Layman *l. 1. tr. 4. c. 22. à. n. 26.* Diana *p. 8. tr. 3. resol. 63.* Farinacius *consil. crim. l. 1. consil. 92. n. 8.* ac apud eum *in Volum. 2.* decision: Rotæ, *decis. 270. n. 4.* Ratio est; quia in dato casu *voluntas concedentis*, non procedit ex errore; cùm casus ponat, veritatem concedenti sincerè, prout est, expositam esse; secus autem est in secundo casu. Nam in hoc consensus Principis ferebatur *in affinitatis vinculum* dissolvendũ, quod non existit inter oratores, nec etiam sub se continet, tanquam aliquid inferius in eadem linea, seu specie, consanguinitatem. Ut autem in primo casu, pro quo judicavimus affirmativè, intelligamur, not. sententiam nostram procedere, quòd eo casu delegatus procederet *validè*, esto nesciret, solius scriptoris vitio exprimi affinitatem, loco consanguinitatis. Nam *error scribentis* (ex quo non procedit *voluntas concedentis*) non facit, quòd concedens non verè commiserit facultatem in eo casu dispensandi; si autem sciret, impedimento verè proposito Papã dedisse assensum, & in rescripto *affinitatem exprimi errore solius calami, aut alio vitio scriptoris*, procederet etiam *licitè*; ratio est eadem.

1454. Dices: certum est, ac indubitatũ, quòd delegatus non possit egredi fines mandati, nec literas Apostolicas aliter interpretari, quàm verba sonent, c. *Cùm dilecta, 22. de rescript.* ergo, dum ei præsentatur rescriptum Apostolicum, quo committitur dispensatio super *affinitate*; & ipse ex informationibus habitis reperit, oratores indigere dispensatione super *consanguinitate*, non poterit (errore sic comperto) procedere ad executionem rescripti, quantumvis error non afficiat voluntatem concedentis; sed tantùm verba rescripti, quo, loco *consanguinitatis*, *affinitas* scripta est. R. antecedens verum esse, quòd non possit *validè*, & *licitè*, quando rescriptum continet errorem, qui vitiat voluntatem, seu consensum rescribentis; item, quòd non possit *licitè*, si error sit solùm scribentis, nec prudenter præsumere potest, nihil deesse ex parte concedentis: secùs, si error sit tantùm scribentis; tunc enim validè illud exequitur; imò & licitè, si constet, vel prudenter præsumere possit, errorem in verbo non esse in consensu, sed tantùm in calamo, ut dictum est *n. præced.*

Instabis: ad delegatũ, & simplicẽ Mandatariũ non spectat cognoscere de validitate vel invaliditate literarũ Pontificis, & an error in illis irrepserit, aut verba rescripti distrahere ad casus similes, vel minores; sed debet præcisè id exequi, quod sibi in mandato committitur; sic Corradus *cit. l. 7. c. 6. n. 30.* & alij; ergo, ut possit delegatus licitè ac validè in eo casu procedere, debebit litteras dimittere corrigendas, & interim ab illarum executione abstinere; aliter faciendo, nulliter, & invalidè procedet, suam, & oratorum animas illaqueando. R. cum dist: *si non constet, aut prudenter præsumat de mente rescribentis, pro concessione petita, & contrario in rescripto solummodò per errorem scribentis expresso*: transf. ant. *secùs*, N. ant. & conseq. Nam etsi in legũ interpretatione maximè attendenda sit verborum proprietas, seu legislatoris intentio talis præsumenda sit, qualem verba legis in proprio sensu significant, seu habent juxta communem sensum, ut rectè notat Haunoldus *tom. 1. de jure, & just. tr. 1. controv. 2. c. 1. n. 278.* hoc tamen non procedit, cùm aliunde constat de mente legislatoris; & errore, si quis occurrit, commisso solùm vel incuriâ, vel malitiâ scribentis. Nam intentio non debet verbis deservire, sed verba intentioni, ut pluribus exposuimus *à n. 940.* 1455.

Quare negandum est, delegatum (etsi sciat casum ab oratoribus, ut oportebat, ritè expositum; ac ut talem legitimè propositum Papæ, at hunc in petitum, ut expositum est ab oratoribus, consensisse) si deprehendat errorem in verbis solo vitio scribentis comissum, unum pro alio exprimendo, teneri dimittere literas corrigendas priùs; nam in quem finem foret ea correctio, si constet de vera mente concedentis? quam profectò vitium scriptoris invalidare non potest; præsertim, ubi mora, vel dilatio executionis, dum de novo 1456.

scribatur, & rescribatur oratoribus, multoties est damnosa, & periculosa. Hinc etsi verum sit, quòd delegatus non debeat rescriptum extendere ad casus non expressos; nec etiam aliter interpretari, quàm verba sonent, ut dicitur in cit. c. *Cùm dilecta*; id tamen intelligitur, ubi non constat, aliam esse intentionem concedentis, quàm verba sonent; secùs, ubi scitur, vel justè præsumitur, vitium esse in verbis ex sola culpa, vel incuria, aut errore scribentis. Tametsi enim verum sit, & formam, & fines mandati esse diligentissimè custodiendos; at *formam mandati constitui ex nudis verbis, contrarijs intentioni mandantis, & solùm ex errore scribentium mutatis, aut falsatis*, omnino negatur.

1457. Unde, quando dicitur, quòd delegatus, etsi certus sit de errore scriptoris, *id præcisè debeat exequi, quod sibi in mandato committitur*, ut vult de Justis *cit. l.* 1. *c.* 4. *à n.* 49. distinguendum est: id præcisè debet exequi, quod sibi *ex intentione mandantis verâ, & cognitâ committitur*, C. *ex intentione mandantis, per scriptoris errorem falsò expresso*, N. nec enim verba curanda sunt, ubi constat de mente loquentis.

## §. IV.

### *An, & quando error in termino demonstrante, vel taxante, vitiet rescriptum?*

1458. Cùm quandoque in rescriptis ex errore apponantur quidam termini per modum demonstrationis, vel taxationis, quæstio est, an rescripta exinde vitientur, quòd ejusmodi terminus non verificetur, sed falsum contineat. Ut res intelligatur, not. verba, seu terminos appositos, censeri appositos *causâ taxationis*, quando sub una tantùm conceptione verborum fit rei expressio, ut si dicatur: lego Titio *centum aureos, quos mihi debet Cajus*; si autem sub diversis verborum conceptionibus expressio fiat, censeri appositos *causâ demonstrationis*, ut si Pontifex alicui conferens *beneficium* dicat: confero Titio beneficium *S. Crucis, in Cathedrali Secovienſi, vacans per obitum Sempronij, quod est de jure patronatus Caij.*

1459. In his exemplis & quidem in primo, ubi Testator Titio legat centum aureos, & apponit hæc sola verba, *quos mihi debet Cajus*, quin alijs etiam verbis idem exprimat, *legatum* exprimitur sub ea sola verborum conceptione; seu forma, nimirum illos centum, *quos debet Cajus*: & ideo censetur apponi causâ taxandi centenarium aureorum, ut non intelligatur *de quocunque* (cùm fortè habet plures centenos aureos) sed de illo, *quem ei debet Cajus*; unde si Cajus ei nihil horum debet, falsus evadit terminus taxans legatum; & hoc evadit nullum: econtra in secundo *beneficium* per plures verborum formas exprimitur: nempe. 1. per hanc, quòd dicatur *in tali Ecclesia sub tali titulo*; 2. quòd in Ecclesia *vacans per obitum Sempronij*; 3. quòd in tali Ecclesia *de jure patronatus Caij*; si is in ea non sit Patronus plurium; quibus positis:

Ad quæstionem propositam respondet 1460.
Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 21. *n.* 36. quando erratur in qualitate per modum taxationis adjectâ, rescriptum per hujusmodi errorem vitiari; non autem si contingat error in qualitate adjecta solùm per modum demonstrationis. Idem teneri à Layman *cit. c.* 22. *n.* 26. refert de Justis *cit. à n.* 47. & seq. Verùm hæc ratio, & modus distinguendi taxationem non videtur posse admitti universaliter in rescriptis matrimonialibus. Nam rescriptum mandantis alicui, ut dispenset cum oratoribus v. g. *in secundo gradu* consanguinitatis, in quo se impeditos scripserunt oratores, validum est, licèt in re sint tantùm *in tertio*; & hoc, non obstante, quòd consanguinitas taxata, seu expressa sit, sub unica verborum conceptione, seu forma, nempe *in secundo gradu*; ac terminus taxans non verificetur.

Ex hoc sequitur 1. quòd error in nomi- 1461.
ne non vitiet rescriptum, quando constat de persona, cui Pontifex concedit gratiam, sive vocetur Titius, sive Cajus. Nam æquus dispensator respicit meritum causæ, propter quam confert gratiam, ut rectè observat Sanchez *cit. D.* 21. *num.* 37. idem dicendum vult de Justis *n.* 55. si error contingat in pronomine oratorum, nisi dispensatio sit in forma pauperum, de qua egimus *l.* 4. *à n.* 2280. ne locus sit per fraudem declinandi taxam, quæ veris pauperibus, non autem alijs remittitur. Sequitur

tur 2. quòd error in expressione *loci* non vitiet rescriptum, nisi ubi certus locus est exprimendus *de necessitate*, ut, cùm petitur dispensatio in aliquo impedimento matrimonij, *propter angustiam loci.* Tunc enim exprimi debet *locus originis*, cùm habeat rationem causæ finalis; de quo ex professo agimus *l.* 4. *à n.* 2071. In alijs autem solùm requiritur expressio *diœcesis*, de quo pariter dictum est *lib.* 4. *à n. jam cit.*

1462. Circa hoc autem not. 1. à Vincentio de Justis *l.* 1. *in praxi dispens. matrim. c.* 4. *n.* 69. tradi, quamvis Papa cum eadem facilitate dispensationem committeret *Ordinario domicilij Oratorum*, si hoc in supplicatione sibi porrecta expresè petitum fuisset; nihilominus, quando id non fuit petitum, Papam semper intendere dispensationem committere *Ordinario originis oratricis*, ut se conformet dispositioni Concilij Tridentini *sess.* 22. *de reform. c.* 5. ubi decernitur, hujusmodi dispensationes *Ordinario oratricis* esse committendas; quitum ibi, tum paulò ante notaverat, per *Ordinarium oratricis*, hìc intelligi *Ordinarium originis*; non *domicilij*. At cit. loco Tridentini nihil aliud habetur, quàm *dispensationes, extra Romanam Curiam, committendas esse Ordinariis illorum, qui eas impetraverint:* sed, licèt hìc Concilium non determinet, an hoc intelligat de Ordinario *originis*, vel *habitationis*, & sic videatur sufficere, quilibet ex illis Ordinarijs, prout tenere videtur Sanchez *l.* 8. *d.* 35. *n.* 5. apud Corradum mox citandum *c.* 5. *n.* 25. Sententiam tamen Vincentij, *independenter à Tridentino* apud eundem loco cit. tenent Parisius *de resignat. Benefic. l.* 8, *q.* 7. *n.* 46. Rebuffus, Merolla, & alij. id, quod etiam expresè tradit Pyrrhus Corradus *in praxi dispensat. Apost. l.* 7. *c.* 5. causam reddens *ibid. n.* 26. *quia mens ipsius Papæ, ejúsque Concellariæ ex inconcusso stylo, usu & ordine committendi harum dispensationum literas, est semper earundem executionem committere Ordinario oratricis*; hoc autem intelligi de Ordinario *Originis* habetur *ex eod. dict. l.* 7. *c.* 7. *n.* 8. ibi: quòd si contingat aliquando à sollicitatoribus in urbe, ignorari locum, unde Oratores orti sunt, ne propterea expeditio differatur, absque eo, quòd apponatur locus, sufficit narrare, quòd, cùm dicta oratrix in locis, *ex quibus ipsa, & Orator prædictus orti existunt, in dicta diœcesi existentibus*, etiam de uno ad alium se transferendo, propter illorum angustiam, virum sibi non consanguineum &c. sicut etiam dicitur, quando narratur, oratricem domicilium contraxisse in alio loco, etiam alterius diœcesis, tunc enim petenda etiam est dispensatio ob angustiam utriusque loci, scilicet *originis*, & *domicilij*; sic Corradus *cit.* qui sub Paulo V. pluribus annis fuit de Collegio Dominorum Officialium, tam matrimonialium, quàm aliarum dispensationum in Cancellaria Apostolic, qui *eod. lib.* 7. *c.* 5. *à n.* 30. clarissimè tradit in casu à me posito, exigi mentionem de *Diœcesi originis*, & huic *originis Ordinario censeri* dispensationem committi, quando non petitur, ut fiat Ordinario habitationis.

Not. 2. expressionem *diœcesis oratorum* 1463.
necessarium esse non solùm in impetrationibus dispensationum matrimonialium, sed etiam aliarum gratiarum; sic de Justis *cit. n.* 67. cum Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 21. *n.* 39. intellige autem *de diœcesi originis*, non domicilij, propter rationem *in num. præced.* sed cum apposita ibidem limitatione. Et omnino probabilius est, rescriptum vitiari per errorem *in diœcesi*, si ex eo procedat voluntas concedentis; hæc enim fertur in diœcesanum, sibi expositum; ne mandatum Pontificis trahatur ultra intentionem mandantis, contra L. *Non omnis*, *ff.* si certum petatur; secus si error solùm sit scribentis unam pro alia, si in verâ diœcesin consensit Papa, ex dictis *n. cit.*

Sequitur. 3. mentionem *de qualitate* 1464.
oratorum (v. g. an sint nobiles, an de genere nobili procreati, an illustres, vel Principales, aut ex Principalioribus oppidi, an saltem ex honestis familijs?) duobus tantùm casibus esse necessariam. 1. si talis qualitas allegetur, tanquam causa finalis, de qua *n.* 1445. Deinde, si supplere debet aliam, quæ aliàs apposita fuisset, & probanda corã delegato, qualis est clausula: *ob angustiam loci*, cum altera: *& si si extra* &c. de quibus V. *lib.* 4. *à n.* 2071. Sequitur 4. non vitiari rescriptum, si laborans *pluribus impedimentis* v. g. voto, & affinitate, successivè, super singulis impetrat rescriptum; esto non proponat simul omnia *in una* supplicatione; ita Navarrus *l.* 4. *consil. tit. de Cons. consil.* 1. *Sà*, V. *Di-*

*spensatio*, *n.* 16. Salas, *de legibus D.* 20. *Sect.* 5. & alij.

1465. Contrarium sentire videtur de Justis *cit. l.* 1. *c.* 4. *à n.* 87. quando tendunt ad unum finem v. g. obtinendam dispensationem matrimonialem, & sunt ejusdem rationis, & utrumque publicum est v. g. duplex consanguinitas, vel affinitas. Ratio ipsius est, quia plura impedimenta, ejusdem rationis, tendentia ad unum finem, uno alterum augente, fortiùs ligant, quàm unum; & Papa difficiliùs dispensat cum habente plura impedimenta, quàm unum. 2. quia plura impedimenta simul conficiunt quandam indecentiam, ac repugnantiam cum matrimonio contrahendo, majorem, quàm singula.

1466. Verùm R. ad 1. ex eo, quòd Pontifex in aliquo casu *difficiliùs*, seu non æquè facilè dispensaret, si notitiam haberet alicujus circumstantiæ, quæ tacetur, non argui nullitatem rescripti, si nihil eorum omissum sit, quæ necessariò exponenda sunt, ut constat ex dictis; & expresè tenet ipse de Justis *cit. n.* 10. *& seq.* Deinde plura impedimenta *diversæ rationis* esto tendant ad eundem finem, possunt *successivè* exponi non obstante, quòd fortiùs ligent in multiplici specie vinculi, ut fatetur de Justis *cit. n.* 93. cur ergo, si sint *ejusdem rationis*, & constituunt unum duntaxat specie impedimentum, cum sola distinctione in numero. Ad alterum R. repugnantiam, quam relatè ad matrimonium, habent plura impedimenta ejusdem rationis, quæ sunt juris tantùm Ecclesiastici, non esse ex natura rei, seu naturalem; sed tantùm legalem, nimirum ex dispositione juris; hæc autem major est, ubi concurrunt plura diversæ rationis, ac distinctæ speciei, quàm distincta solo numero; & tamen illa possunt successivè proponi.

1467. Dices: sic exigi de stylo Curiæ, ut simul eâdem supplicatione exponantur, esto sint ejusdem rationis, si tendant ad eundem finem ineundi matrimonij; sic de Justis *cit. n.* 89. *in fin.* R. *stylum Curiæ*, cùm sit quid facti, egere probatione; & dato etiam, quòd probaretur, adhuc non inducere necessitatem alijs Judicibus, & Tribunalibus extra Curiam, illum servandi, aut sequendi, nisi hujusmodi stylus sit *scriptus*, *probatus*, *notorius*, *& speciali decisione*, *ac declaratione Pontificis confirmatus*, prout in his ipsis terminis docet de Justis *cit. l.* 1. *c.* 4. *à n.* 344. & apud eum Cævallos *qq. comm. Contra. comm. q.* 737. *n.* 2. Ferretus, Gratianus, Boërius, & alij, cùm stylus maximè variabilis sit, ita ut ad mutationem Papæ, & Auditorum varietur; unde dictum stylum, modò *album*, modò *nigrum* appellant Parisius, Gomes, Cævallos, & alij ibidem citati; & ideo pro stylo accipi debere juris interpretationem docet Lother. *de re benefic. in Apparatu n.* 74. at stylum, pro casu præsenti allegatum, nullatenus probat de Justis, prout illum esse debere exigit hic Author; ergo per illum nihil probat.

## §. V.

### *An rescriptum vitietur, non factâ mentione impetrati priùs rescripti super eadem re?*

IN tribus tantùm casibus necessariam esse mentionem prioris dispensationis obtentæ, docet de Justis *n.* 105. 1. quando casus est à jure expressus. 2. quando ea mentio necessaria est, ut concedens non ignoret totum impedimentum, super quo dispensatio petitur. 3. quando in secunda dispensatione petitur major gratia super eo, in quo priùs quis fuit dispensatus. *Exemplum primi est*, si Clericus dispensatus ab obligatione residendi quinquennium, cum jure interim percipiendi fructus, deinde super eadem re peteret novam gratiam. *Secundi*, quando dispensatus in voto, ut possit inire matrimoniũ, soluto matrimonio peteret dispensationem iterum ineundi matrimonium. *Tertij*, quando illegitimus dispensatus ad beneficium, peteret dispensari in pluralitate beneficiorũ; sic de Justis *cit. n.* 105. 1468.

Verùm hæc doctrina hujus Authoris ab alijs non admittitur sic *indefinitè*. Nam secunda dispensatio majoris gratiæ super eadem re, super qua quis ante dispensatus fuit, valida est, licèt nulla mentio primæ facta sit, si allegata fuit nova, & sufficiens ad illam obtinendam causa, si Pontifici mentione prima dispensationis factâ, ex illa motus nihilominus consensisset; ratio est ex *n.* 1466. ita Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 22. *n.* 12. & complures alij. Secundò, qui impetravit dispensationẽ ineundi matrimonium 1469.

nium *cum consanguinea*, solutóque matrimonio petens dispensari ad eundem finem cum alia consanguinea, validè obtinet secundam dispensationem non facta mentione primæ, ut tenet ipse de Justis *cit. n.* 201. & apud eundem Sanchez *l.* 8. *D.* 22. *n.* 13. Bonacina de legibus *D.* 1. *q.* 2. *p.* 8. *n.* 6. Pontius, Layman, & alij, quorum ratio est, *quia hæ dispensationes sunt super diversis matrimoniis.*

1470. Tertiò, dispensatus ad matrimonium cum consanguinea, si mutato consilio, & non contracto matrimonio cum illa, petit dispensari cum alia consanguinea, validè impetrat secundum rescriptum non factâ mentione prioris gratiæ, ut docent prædicti Authores, ob eandem rationem, quia dictæ gratiæ forent super diversis matrimonijs; quod idem procedere vult Sanchez *cit. D.* 22. *n.* 5. Gratianus *disceptat. forens. tom.* 5. *c.* 827. *n.* 14. Fragosus *p.* 1. *l.* 3. *D.* 6. *n.* 79. & alij, in casu, si, constitutus in sacris, dispensatus ad matrimonium, post hoc peteret secundò dispensari ad ducendam consanguineam, vel affinem, factâ mentione dispensationis primæ. Igitur in eo solùm casu reticentia dispensationis priùs obtentæ super aliqua re, rescriptum secundæ dispensationis super eadem re, continentis majorem gratiam, quando id exigitur dispositione juris, vel stylo Curiæ, de quo *num.* 1443. aut legitima consuetudine, ut diximus *n. jam cit.* hinc, licèt major gratia sit, ultra priùs concessam in aliqua materia, rursus aliquid concedere super eadem, si & pro hoc causa per se sufficiens afferatur: ex hoc tamen non concluditur, reticentiâ prioris gratiæ vitiari secundum rescriptum ex defectu causæ finalis; sed solùm ex defectu non expressæ qualitatis, quæ juris dispositione fuisset exprimenda; at nullus extat juris textus *indefinitè* disponentis in illis tribus casibus (*n.* 1368. allegatis) exprimendam esse qualitatem *obtenti priùs rescripti*; ergo.

1471. Inter alia porrò signa colligendi, quòd aliqua qualitas de jure exprimenda sit in supplicatione, illud etiam ponitur, *si jura specialiter prohibeant, ne tali casu, vel circumstantiâ occurrente dispensatio concedatur.* Nam ejusmodi casu, & tali circumstantiâ concurrente, ubi dispensatio petenda est, ea circumstantia in supplicatione exprimenda erit de necessitate, seu jure sic exigente. Hinc, quoniam in Concilio Trid. *sess.* 24. *c.* 5. *de reform. matrim.* specialiter prohibetur, ne dispensetur cum illis, qui *scienter*, & *clandestinè* matrimonium contraxerunt *intra gradum prohibitum*, & *consummare præsumpserunt*, volentes dispensari ad validandum tale matrimonium, de necessitate, seu jure sic exigente (Tridentinum enim facit jus commune, teste Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 2. *n.* 12.) facere debebunt mentionẽ illius circumstantiæ matrimonij sic contracti, & consummati. Licèt enim Pontifex non obstante tali prohibitione Concilij, posset absolutè dispensare (cùm sit supra Concilium) non tamen unquam vult, nisi exprimat, agere contra illam dispositionẽ Conciliarem, cui potiùs intendit se conformare, ut notavimus alibi. Idem dicendum est, si prædicti oratores contraxissent matrimonium *facto*, & consummâssent eâ intentione, ac fine, *ut sic facilius obtineant dispensationis gratiam.* Nam & hac circumstantia concurrente prohibetur cum illis dispensari, ut notavimus *l.* 4. *decretal. quæst. ult.* ita Sanchez *cit. l.* 3. *D.* 45. *n.* 3. *&. l.* 8. *D.* 21. *n.* 15. Salas *de legibus D.* 20. *sect.* 15. *n.* 116. & alij. Plura porrò exempla eorum, quæ juris dispositione (consequenter de necessitate) exprimenda sunt, dedimus *in præcedentibus.*

Cæterùm plures sunt casus expressi in 1472.
jure, ubi rescripum secundum vitiatur non factâ mentione rescripti priùs obtenti. Nã 1. si rescriptum justitiæ fuit impetratũ mutuo partium consensu, non valet secundum super eadem re impetratum per unũ ex illis, non factâ mentione prioris, c. *Cæterum* 3. *h. t.* & quidem secundùm omnes clausulas mutabiles in illo contentas; sic Menochius *de arbitrar. casu* 202. *à n.* 69. Secundò, si post rescriptum commissionis ad lites ab uno impetratum, alter litigantium impetret aliud super eadem causa, non factâ mentione prioris, attenditur primum, non secundum, per c. *Cæterùm*, 3. *h. t.* Unde in tali casu posterius non derogat priori; sic Menochius *cit. à n.* 64. quod verum est, re etiam adhuc integra, seu licèt lis per primum rescriptum non sit inchoata; aliàs non diceretur *attendendum præ secundo*; & verius est, hìc per *primum* intelligi, quod *primum* est *impetratio-*

*tione, non præsentatione*, ut pluribus ex ipso textu colligitur, de quo Barbosa *in cit.* c. *Cæterùm*, *n.* 3.

1473. Not. tamen, si quis secundum rescriptum justitiæ contra se productum in judicio, elidere vellet, exceptione omissæ mentionis de rescripto priùs impetrato à se super eadem causa, non admitti exceptionem, si is, contra quem excipitur, ostendat, impetratorem primi rescripti, dolô, vel negligentiâ illo priùs usum non esse, per c. *Si autem*, 9. *h. t.* intellige *intra spatium unius anni*, ut habet rubrica c. *Plerumque*, 23. *eod.* licèt hic terminus non exprimatur in nigro, seu in textu, ut ait Barbosa *in cit. c.* 9. *n.* 2. sed non bene, ut patet ex textu. Sed, esto non esset, ut putat; præsumitur tamen, quando intra hoc tempus uti potuit, & usus non est. Et hoc speciali dispositione juris; non autem ex eo, quòd secundum rescriptum convalescat tractu temporis. Plura super his videri possunt *lib.* 4. *decret. p.* 2. *quæstionis ultimæ.*

## ARTICULUS VI.

### *De interpretatione rescripti.*

1474. COmmunis tenet, omnia rescripta esse stricti juris, ut monuimus superiùs *n.* 1381. quod accipe secundùm ibidem dicta; consequenter sic interpretanda, ut jus commune quàm minimè lædatur, intellige de contrarijs juri communi. Hinc omnes rescriptorum clausulæ revocari solent ad terminos juris communis; Zypæus *l.* 1. *responsi.* 3. *n.* 8. Princeps enim, nisi disertis verbis exprimat, nunquam censetur aliquid statuere contra jus commune, minùs derogare alterius juri quæsito. Cùm tamen in hoc inter rescripta *justitiæ*, & *gratiæ* non sit eadem interpretationis ratio per omnia tenenda (constant enim diversis etiam clausulis, & fine) de utroque breviter dicendum venit.

### §. I.

### *De interpretatione rescripti justitiæ.*

1475. PRima regula traditur, quòd rescripta justitiæ interpretanda sint secundùm jus commune, ne illi derogent, etiamsi (ut hoc servetur) necessarium foret à verborum proprietate recedere, vel clausulam adjectam transponere, habetur in c. *Causam*, *de rescript.* Nam rescripta *justitiæ* emanare solent secundùm jus commune; adeoque non debent aliquid continere contra ipsum (aliàs non differrent à privilegijs, vel dispensationibus) nisi id exprimat rescribens; sic glossa *in cit.* c. *in notandis.*

Altera est, in his faciendam interpreta- 1476.
tionem strictam, cùm derogent jurisdictioni ordinariorum Judicum, & lites sint restringendæ. Not. tamen, quòd *personæ*, contra quas impetratum est rescriptum, uti & *res*, *solùm generaliter expressæ*, à Judice delegato in citatione specificè exprimendæ sint; Pirhing, *de rescriptis*, *n.* 18. Nam expressum specialiter plus roboris habet, quàm quod generaliter; Barbosa in c. *Si adversus*, *de hæreticis*, *n.* 2.

Ex quo sequitur, rescriptum justitiæ ad- 1477.
versus *certam personam*, vel causam, cum generali clausula: *Super his*, *& quibusdam alijs*, non debere extendi *ad majores*, vel *graviores*, sed tantùm *similes*, vel *minores*, nisi aliud colligatur ex intentione, & mente disponentis, ut notavimus *de interpret. leg. Supr.* Nam clausula generalis, seu indefinita subsequens ordinariè restringitur ad similia. Hinc dictio: *alius*, vel *alia*, est implicativa *similium*; non autem *majorum*; ita Layman c. *Sedes*, *de rescript.* Sequitur. 2. Colonum, casibus fortuitis renuntiantem, quibusdam in specie expressis, cum adjecta clausula: *& cæteris casibus fortuitis*, non intelligi *de insolitis*, *vel majoribus his*, *qui expressi sunt*, *arg. c. Sedes*, *cit.* & Clem. 2. *de procurat.*

Sequitur. 3. dispensationem cum Titio 1478.
factam, ut *quæcunque beneficia simplicia*, quæ sunt intra utramque v. g. Styriam, Salisburgo subjectam, consequi possit; & postquam ad 25. annum pervenerit, etiam *duo curata*, vel aliàs *incompatibilia*, ubivis locorum existentia; quoad hanc generalem, restringendam esse *ad existentia intra utramq. Styriam Salisburgo subjectam*; sic Everard. *in locis argumentorum*, *loc.* 5. Sequitur 4. quòd Episcopus dicens: *dono tibi prædium*, *& omnia jura inibi*, *mihi competentia*, non intelligendus sit etiam sub ea generali clausula, donare, *nisi jura temporalia*; adeoque *non*

*jus*

*jus decimarum*, aut *aliud spirituale*, nisi accessoriè transeat cum temporali, ut jus Patronatûs. Ratio est ex dictis; quia clausula generalis, ut indefinita, subsequens, ordinariè restringitur ad similia.

1479. Sequitur. 5. si mercator acceptis à nummulario rationibus dati, & accepti, cum ipso convenit, ut, si præterea aliquod instrumentum debiti reperiatur, pro cassо, & unitili haberetur, ejusmodi clausulam intelligi solùm de debitis *in linea cambij*, de quo mentio præcesserat, L. *emptor*, 48. §. *Lucius*, *ff. de pactis*. Sequitur. 6. si Titius dicat: *lego tibi vinum Græcum, & omnia alia dulcia*, *omnia alia dulcia* sumi *restrictè* solùm *ad vinum*, non alia, quæ nõ sunt potionis, aut potabilia, L. *fin.* §. *cui dubia*, *ff. de tritico, vino, & oleo legato.*

1480. Not. tamen, quod *signum universale*, adjectum termino *alius*, ampliet dispositionem, & comprehendi faciat etiam *diversa*, *seu majora expressis*. Sic privilegium absolvendi certos casus cum clausula, *& alios qualitercunq; enormes*, comprehendit etiam casus majores expressis, juxta Emmanuel, Rodriquez *tom. 1. qq. regular. q. 20. nu. 4.* at hoc non fit ex sola adjectione *termini generalis*, *qualitercunq;*, *sed prout conjuncto verbo*, *enormes.*

1481. Not. 2. per rescriptum justitiæ concessum contra homines *existentes in diœcesi*, non posse conveniri homines *existentes in civitate Episcopi*, quæ est caput diœcesis, c. *Rodulphus*, 35. *de rescriptis*; Pirhing cit. *n.* 22. Nam rescripta justitiæ sunt strictæ interpretationis; & *diœcesis* in materia odiosa strictè supponit *pro territorio extra civitatem Episcopalem*; Felinus in c. *Rodulphus*, *n.* 18.

1482. Sed quid si homo existens *in civitate* Episcopali conventus à Judice delegato per rescriptum contra existentes *in diœcesi*, non excipiat? ut. processum fore nullum; quia jurisdictio delegati per defectum exceptionis in hoc casu non prorogatur, utpote non fundata *contra personam existentem in civitate Episcopali.* Secus est, si delegatus haberet jurisdictionem fundatam contra personam in re certa: *& alijs quibusdam*, & procederet in causa majori, Reo non excipiente; Pirhing cit. *n.* 24.

1483. Not. 3. rescriptum justitiæ *contra Titium*, non extendi *ad ejus hæredem*, sive ipse Titius decedat re integrâ, seu moriatur ante litis contestationem, c. *Significavit*, 36. *de rescriptis*; intellige, si non sit conventus ratione obligationis realis. 2. si Titius non fuit specificè expressus in rescripto, sed tantùm generaliter: *& quosdam alios*; nisi res non sit integra, lite scilicet jam cœpta per citationem testatoris ante mortem, vel ut notat Layman ibid. n. 1. ante litem contestatam. Aliud est, si rescriptum impetratum sit contra Prælatum; nam Prælatus non convenitur per se; sed ratione Ecclesiæ, vel dignitatis, quæ non extinguitur; sic Joan. Andr. hìc *n.* 12.

Not. 4. rescriptum justitiæ simpliciter impetratum ad lites, vel etiam adjectâ clausulâ *& quibusdam alijs causis*, non debere extendi ad causas *exortas post impetrationem rescripti*, c. *fin. h. t.* hinc servari debet tempus *datæ*. Ratio est, quia rescripta justitiæ sunt jura personalia, id est, eis tantùm personis utilia, quibus concessa sunt; & ideo non possunt alteri cedi, nec transeunt ad successorem, aut hæredem; nisi fuerint impetrata nomine dignitatis, aut beneficij, prout dicitur in c. *Significavit*, 36. *h. t.* & ita notavit hìc Joan. Andreas *n.* 9. Abbas, *not.* 2. *& n.* 9. ubi bene admonet, irritum esse rescriptum, si tempore *datæ* mortua sit persona, cui impetratum (idem est in privilegio, L. *Neratius*, 152. *ff. de regulis juris*) vel contra quam impetratum, L. 2. *ff. de sententiis, quæ sine appel. rescinduntur.* 1484.

## §. II.

### *De interpretatione rescripti gratiæ.*

QUamvis aliàs in beneficijs Principum, quæ nemini præjudicant, plenissima, seu ampliissima interpretatio contra concedentem facienda sit; rescriptum tamen ad conferendum beneficium, strictè interpretandum esse communiter volunt ex c. *quamvis*, *de præbend.* in 6. & c. *Cùm dilecti*, *de donationibus*; rationem dant; quia fines mandati sunt diligenter custodiendi, L. *diligenter*, 5. *ff. mandati.* Neque per epichiam, seu benignam interpretationem extendi possunt, c. *Superliteris*, 20. *h. t.* Innocentius in idem, 1485.

*n.* 3. rescriptum autem ad beneficium conferendum, continet mandatum de provisione faciendâ; ergo. Et procedit etiam in alijs rescriptis gratiæ, cæteroquin habentibus amplam interpretationem; Pirhing *de rescriptis n.* 29. & etiam in rescriptis aliorum Papâ inferiorum; Layman *c. Susceptum, cit. n.* 2.

1486. Nihilominus limitari debet ea regula generalis. 1. nisi rescriptum simpliciter favorem contineat, puta, si datum sit *motu proprio*; vel Episcopo detur facultas conferendi beneficium *suæ diœcesis*, ante reservatum; Felinus *c. Causam*, 18. *h. t.* Nam *motus proprius* non minorem favorem, & latitudinem habet in interpretando, quàm ultima voluntas; Tuschus V. *Rescriptum, concluf.* 212. *n.* 16. Limitari debet 2. nisi rescriptum beneficiale alicui concessum sit in compensationem damni, quod quid passus est occasione Ecclesiæ, cui pro ipso scribitur; Felinus *loc. cit.*

1487. Ex dictis inferes, rescriptum beneficiale, concessum à Papa, ut alicui conferatur beneficium vacans, vel vacaturum *cessione*, vel *renuntiatione*, non extendi ad vacans, vel vacaturum *per mortem*, c. *Susceptum, h. t. in 6. junct. gloss.* V. *Suspectum.* Nam istæ vacationes sunt diversi modi vacandi; à diversis autem non fit illatio, L. *Sed si ante*, ff. *de except.* L. *Si maritus*, 10. *C. de donat. inter Vir. & Uxor.* ratio sumitur ex *dictis.*

1488. Limitari debet. 3. nisi aliud constet de mente scribentis, c. *Susceptum, junct. Gloss.* V. *Expressè*, & ratio sumitur ex *dict. n.* 939. & quamvis mors civilis, aut renuntiatio beneficii in jure æquiparentur morti naturali, intelligitur tamen solùm pro casibus in jure expressis, non aliis. Nam si de mente scribentis constat, non est habenda ratio verborum, L. *non aliter*, 69. ff. *de legat.* 3. Francus, *c. Susceptum, de rescriptis n.* 4. Limitari debet 4. nisi addatur clausula: vacaturum renuntiatione, *vel alio quovis modo*; Francus *cit. n.* 9. tum enim dicta *num.* 1485. non habent locum. Cæterùm rescriptum de conferendo alicui beneficio vacaturo, non posse extendi ad beneficium primò creatum, seu erectum, post datam rescripti, dicitur *Clement. ult. de rescript.*

Quoniam verò rescriptorum interpretatio maximè pendet à clausulis rescripto interpositis, ex harum recto usu, & sensu legitimo, rescripti expositio capienda est: Advertendum autem, quasdam esse clausulas rescriptorum, quæ licèt non exprimantur, juris tamen dispositione semper insunt, & subintelliguntur, ut notavimus *lib. 4. tit. 5. de condition. appos.* Quare not. 1. clausulam ad determinationem actûs in principio positam, porrigi etiam ad actus sequentes, L. *Si mihi, & tibi*, §. *fin.* & l. *talis scriptura, & fin. cum lege seq. ff. de legat.* 1. Secundò, quamlibet clausulam secundùm naturam, & mentem actûs principalis intelligi, & restringi debere, c. *Accessorium, de reg. jur. in 6. l. Si stipulatus fis, ff. de usuris. l. fin. ff. de constit. pecun.* Tertiò clausulam generalem in una, eademque dispositione additam, non referri ad specificata, & provisa in eadem dispositione, L. *Sanctio. ff. de pæn.* nec comprehendere *majora non expressis.* Quartò clausulam universalem, tantùm operari quoad omnia, quantum particularis quoad singula, l. *si duo plures, ff. de admin. Tut. l. actione, & renuntiare, ff. pro socio.* Quod tamen limita, ut renuntiatio universalis, & generalis non valeat tanquam specialis, nisi præcesserint quædam renuntiationes speciales, l. 4. §. 4. *Si quis caut. Judic. sist at.* 1485.

Not. 5. clausulam in fine positam referri ad omnia præcedentia, *l. 1. C. de liber. præter.* l. 3. *& Filius, ff. de liber. & posthum.* Sed posita in medio, ad præcedentia, non ad sequentia refertur, *c. Inquisitionis, de accusat.* Quod tamen sic accipe, ut non procedat, si præcedat clausula habens propriam, & specialem determinationem. Tunc enim clausula ultimò posita non refertur ad illa, quæ præcedens afficit; l. *stipulationes commodissimum*, l. *doli clausula, de Verb. oblig.* Secundò si præcedentia essent contraria finali clausulæ. Non enim refertur ad sibi contrarium, l. *Si idem cum eod. ff. de Jurisdict.* l. *quoties, C. famil. Heriscund.* Tertiò, si ex relatione ad omnia præcedentia læderetur intentio partium; Barbosa *l. 3. Jurisprud. brocard. c.* 33. V. *clausula. axiom.* 5. Quartò si per relationem generalis clausulæ præcedens 1490.

dens dispositio redderetur inutilis, *l. cùm vulgari*, 4. ff. *de dot. præleg.* Quintò, si per talem relationem sequeretur *absurdum;* Abbas in c. *Ecclesia nostra*, *de elect.* Sextò: quando potest diversa ratio assignari, ob quam non debeat fieri relatio ad omnia præcedentia; Bartolus in *l.* 1. *C. de liber.* Nam novum non est, quòd clausula, ultimo loco posita, non respiciat, quæ proximiori Sede constituta sunt, sed anteriora; Gibalinus *de sacra Jurisdictione, disquisit.* 2. *d.* 2. *nu.* 17. §. *quod etiam*, sic fit, cùm in Tridentino *Sess.* 22. fit potestas Episcopis, *subditos cogendi præceptis*, ut adeant Parochiam ad audiendum verbum DEI. Post quod subditur: *ut moneant etiam eos*, ut eandem accedant saltem diebus Dominicis: & tunc subjungitur clausula *dans prædictam potestatem Episcopis*; & tamen hæc non afficit immediatè prius dicta, de audienda Missa *in Parochia*, cùm toto orbe fiat oppositum, his præmissis ex communi D. D. doctrina.

## §. III.

### *De clausula: si preces veritate nitantur.*

1491. DE hac clausula tracto *l.* 4. *Decret. à n.* 2258. ubi ago de rescriptis dispensationum matrimonialium. Pro ejus intelligentia not. 1. conditiones, & clausulas, quæ dispositioni vel naturâ, vel jure insunt, licèt non exprimantur, non esse suspensivas; sed si veræ sunt, dispositionem statim valere; si falsæ, vitiari, nisi aliter exprimantur, quàm insunt. Hinc in rescripto, ubi ponitur clausula (*si preces veritate niti compereris*) clausula suspensiva est; nec isti æquivalet: *si preces veritate nitantur*, ut pluribus constat ex *lib.* 4. *à n.* 2258. & *seqq.* hinc ad verificandam eam clausulam non sufficit, quòd per informationem desuper capiendam, delegato constet, *preces veritate niti.* Nam si à parte rei non est ita, rescriptum est subreptitium; Ledesma *in summa, de matr. c.* 17.

1492. Not. 2. quando Pyrrhus Corradus in *Praxi dispens. Apostol. l.* 7. *c.* 6. *n.* 28. dicit: per clausulam (*si preces veritate nitantur*) mandatum reddi *conditionale*, & ita esse decisum in quadam causa Oxomensi, 20. Junij 1552. debere intelligi, vel, *si aliter exprimatur*, *quàm insit*, ut diximus *num. præced.* vel *conditionem sumendo latè*, pro ea etiam, quæ est de præsenti, ut diximus *l.* 4. *n. cit. in priori numero.*

Not. 3. hanc clausulam in rescriptis provisionalibus communiter apponi solitam (*si constiterit*) facere commissionem *conditionalem suspensivè*, & importare necessariò causæ cognitionem. Prius enim fieri debet indagatio, & judicialis cognitio rei, ut notatur in *Clement.* 1. *de concess. præbend. in* 6. & *Clement. Judex*, *de offic. delegat.* Unde non æquipollet isti (*si preces veritate nitantur*) hæc enim non suspendit, juxta *n.* 1491. Et ideo etiam differt à clausula (*si ita est*) in hac enim sufficit in facto ita rem esse, quamvis non præcesserit cognitio, & pronuntiatio super eo; hoc tamen *intellige sic*, *ut non suspendat jurisdictionem Commissarij*, usque ad ejus verificationem coram ipso; *sed solùm ipsum commissionis usum.* 1493.

Not. 4. hanc clausulam (*si ita est*) de jure cuilibet rescripto inesse, per *c.* 2. *de rescript. & l. fin. c. de divers. rescri.* præsertim, quãdo gratia est in forma comissaria; Barb. *claus.* 154. *n.* 2. tunc enim ostendit Papã de narratis notitiam non habuisse; sic Marta *de clausul.* 157. *n.* 1. probabilius est, quòd requirat causæ cognitionem, & partis citationem, ut notat Felinus in *c. fin. de præsumpt. nu* 32. Sanchez *de matrim. l.* 8. *D.* 34. *n.* 26. nisi apponatur in iis, quæ præsumuntur à jure, ut si mandetur, aliquem (tanquam virum probum) admitti, esto dicatur in rescripto, *si ita est*; tunc enim non requiritur, ut verificetur coram delegato; quia sufficit præsumptio juris; Cardin. Tuschus *to.* 1. *pract. conclus. l. c. concl.* 367. *à n.* 13. non suspendit jurisdictionem, sed tantùm ejus usum, ut diximus *num. præced. in fine*, his præmissis: 1494.

Quæres. 1. quid intelligatur per *preces*, sub quarum veritate subsistente conceditur rescriptum? Resp. intelligi ea, quæ substantialia sunt, seu ex quibus voluntas rescribentis pendet, aliàs non consentientis in id, pro quo impetrando supplicatur; ita Zoësius *de rescript. n.* 31. Ex quo collig. 1. rescriptum vitiari, si preces non verificentur in causa finali, cujus ratio est ex *n.* 1445. secus, licèt non verificetur causa 1495.

sa solùm impulsiva, de qua n. 1446. Nam gratia non dicitur inutilis propter omissum id, quod expositum non avertisset mentem rescribentis, c. *dudum*, vers. *considerantes*, *de præbend. in* 6. allegatio autem vel reticentia rei, quæ omissa esse poterat, & explicare non tenebatur orator, est aliquid tale; ergo. Nam principale utile non vitiatur per minus principale inutile, si separari possint. Collig. 2. rescriptum gratiæ vitiari non verificatis precibus quoad ea, quæ erant de necessitate exprimenda; nam ab illis pendet voluntas rescribentis, aliàs non concessuri gratiam, ut constat ex *n.* 1443. 1467. & 1471. Ea porrò dicimus de necessitate exprimenda, consequenter substantialia rescripti, ut in illis verificentur, prout oportet, quæ jure, consuetudine, vel stylo Curiæ sic exigente exprimi debent, ut diximus *n. loco cit.* Loquor autem de stylo, exposito *n.* 1467.

1496. Quæres. 2. an huic clausulæ sit locus in rescriptis gratiæ *motu proprio*? affirmativam sequitur Barbosa *cit. clausul.* 166. *n.* 2. quod maximè procedere vult in beneficialibus, ne detur vitiosus ingressus, & quamvis non suspendat jurisdictionem, ut diximus *n.* 1493. suspendit tamen ejus exercitium, per Martam *p.* 2. *clausul.* 71. *n.* 4. id verò, quod ibid. addit ex Natta *consil.* 368. *n.* 4. & Menochio *de arbitrar. casu* 261. *nu.* 22. quòd per hanc clausulam *omnis subreptio* vitiet gratiam *etiam circa falsam causam impulsivam*, ex *n.* 1446. negandum est; item illud, *quòd omnis subreptio quantumcunque modica*, ex *n. cit.*

## §. IV.

### *De clausula: motu proprio.*

1497. *Motu proprio concessum* dicitur, quod ultroneè (nimirum quod ex mera conceditur liberalitate Principis) non ob instantiam, aut preces alterius; hinc non obstat gratiæ motu proprio concessæ, quòd obtinens vel ipse, vel alius ejus loco pro dicta gratia supplicaverit, si Pontifex non ex hujus petitione, sed ex sua benignitate motus, eam concessit; id, quod semper intelligendum est, quando Pontifex expressit in literis, se *motu proprio* concedere; unde probare volens, gratiam motu proprio concessam, esse concessam *ob instantiam*, non admittitur; quia esset rescribentem mendacij arguere, ut notat Rebuffus in *clausul. mandator. n.* 23. Not. autem gratiam, motu proprio concessam, si re adhuc integra moriatur Pontifex, exspirare, teste Seraphino, *decis.* 731. *n.* 1. quibus positis:

Quæres, quos in rescriptis effectus habeat clausula *motûs proprij*? plures recenset Barbosa *clausul.* 79. à *n.* 13. referendo potiùs aliorum doctrinam, quàm probando. Primus est, quòd juxta Baldum, L. *Non omnes*, *C. de quadrienn.* præscript. & alios: habeat vim clausulæ: *non obstantibus*, quæ tollit omnia, quæ dispositioni, cui apponitur, obstare possunt, ut notat Barbosa *cit. clausul.* 82. *nu.* 4. quod tamen in multis fallit; quia non tollit vitium personale; & plura alia, &c. de quibus *ibid.* & constabit ex dicendis à *n.* 1506. 1498.

Secundus est, quòd habeat vim clausulæ *ex certâ scientia*, juxta Martam *p.* 1. *clausul.* 72. aliàs 73. *num.* 7. & ambæ simul expressæ sint efficaciores. Hæc porrò clausula (*ex certâ scientia*) denotat, concessionem gratiæ processisse à concedente habitâ plenâ notitiâ tenoris, & omnium circumstantiarum ejus; consequenter omnium eorum, quæ ad effectum obtinendi necessaria sunt. Unde quando Pontifex in confirmatione privilegij, vel gratiæ concessæ apponit clausulam *ex certa scientia*, ea clausula habet vim novæ concessionis; adeóque, si contingat gratiam, vel privilegium concessum, esse invalidum, per illam redditur validum, licèt concedens, vel confirmans gratiam, vel privilegium, illius defectû, vel nullitatem ignoraverit, dummodo potestatem habeat ad revalidandum, & nihil aliud addat, quod revalidationi repugnet; sic Benedictus Pereyra *in Elucidario nu.* 235. Suarez *l.* 8. *de Legibus c.* 18. Sed hoc accipiendum venit juxta dicenda à *n. seq.* In multis enim fallit. 1499.

Hic effectus nimis indefinitè tribuitur huic clausulæ. Nam licèt concedens gratiam, possit eam concedere etiam cum præjudicio tertii, si tamen id non exprimitur, hoc non operatur clausula *motûs proprij*, maximè quando non præcessit causæ cognitio, ut fatetur ipse Barbosa ex Menochio, Aloys. Riccio, Marta, & aliis. Similiter non tollit statuta civitatum, 1500.

tum, quia præsumitur ea ignorare Princeps, ut notat Menochius *de Præsumpt. l. 5. præsumpt. 39. à n. 5. ex. cap. 1. de Constit. in 6.* Nec tollit vitium personæ, gloss. *in cit.* c. *Si motu proprio*, Covaruvias in c. *Alma mater p. 1. §. 7. n. 7.* adeóque non supplet ejus defectus, v. g. legitimitatis, ætatis, habilitatis, &c. si expressa non sint.

1501. Quia tamen rescriptum *motûs proprii* ex natura sua habet, *quòd non fiat ex causis per ipsos supplicantes, vel alios propositis*, sed ultroneè, & ex mero beneficio Principis, videtur omnino concedendum, non requiri verificationem eorum, quæ narrantur de meritis, ac qualitatibus extrinsecis, ac iis, quæ habent rationem causæ impulsivæ, aut finalis; nam hæc in motu proprio, licèt narrentur, non attenduntur. Et quoniam, si simul addatur clausula (*ex certa scientia*) denotatur, ea, super quibus rescribitur, esse probè nota rescribenti, solùm quoad causas expressas operabitur, ut eæ verificandæ non sint, ut notat Castropalaus *P. 1. Tr. 3. D. 6. p. 13. n. 9.* ubi ex Sanchez *l. 8. matrim. D. 4. n. 6.* & Felino in c. *Cùm inter, de except. num. 5.* ait, dictam clausulam *ex certa scientia*, non operari effectum gratiæ quoad extrinseca, *quæ in rescripto expressa non sunt.* Ratio eorum est; quia, quæ ibi non exprimuntur, non possunt Principi esse cognita. Nam ipse non potest omnia vitia, dispensandi per gratiam, nota habere; quia nec tenetur, nec potest facta subditorum nôsse, quæ possunt obstare subdito, ut gratiam impetret; ita etiam Suarez *l. 6. de legibus. c. 13. n. 24.* cum Abbate in c. *innotuit, de elect. n. 9.* ergo, cùm dicit, se concedere *ex certa scientia*, ne falsum dicat, intelligendus est de his, quæ ibi expressa sunt.

1502. Ex hoc infertur. 1. quòd Pontifex rescribens cum clausula *motûs proprii*, & *ex certa scientia*, non intendat tollere impedimenta consequendæ gratiæ obstantia, quorum tollendorum potestatem non habet, ut per se patet, & constat ex *n.* 1499. Talia sunt impedimenta, quæ recipientem naturaliter inhabilitant. 2. etiam ea, quæ dispositione juris Ecclesiastici, si non sint expressa, extra casus, qui eodem jure disponente dicuntur non obstare, ut est casus, si non fiat mentio beneficij prius obtenti, de quo *n.* 1497.

Infertur 2. limitationem, quam affert Barbosa *cit. clausul. 79. num. 54.* (*quòd clausula motûs proprij non operetur pluralitatem beneficiorum incompatibilium*) non debeat extendi *ad pluralitatẽ compatibilium*) non admitti. Nam hic effectus illi clausulæ expressè tribuitur in *Clem. Si Romanus*, de qua *n.* 1506. ibi: *& quotcunque*; quod etiam probabiliter dicitur *de incompatibilibus*, si expressa sint cum clausula *ex certa scientia.* Nam hæc porrigit se ad omnia expressa. 1503.

Infertur. 3. limitationem: quam affert idem *n.* 44. (*quòd clausula motûs proprij non operetur in jis, quæ non sunt juris, sed facti*) debere intelligi 1. de facto non supplebili per potestatem concedentis, ut est consensus personalis in matrimonijs. 2. etiam de facto, quod dispositione juris Ecclesiastici prærequiritur ad receptionem gratiæ, si defectus ejus non est expressus propter dicta *n.* 1501. 3. denique, ut per sensum contrarium (*ergo operatur in his, quæ sunt juris*) non accipiatur universaliter, sed solùm juxta *n.* 1500. *& seqq.* 1504.

Tertius effectus est, quòd clausula motûs proprij vim habeat specialis expressionis, hoc est, quòd utentem gratiâ liberet ab onere probandi narrata in tali rescripto gratiæ; quia suam intentionem fundat in motu proprio, seu concessione ultronea, & beneficio, seu voluntate, & verbo concedentis; & ideo non indiget aliqua justificatione; ita Seraphinus *dec. 1484. n. 10.* Per hoc tamen non fit, impediri, quin ex adverso dari possit probatio de defectu intentionis Papæ, quo probato, motus proprius nihil operatur, ut constabit ex *seq.* Hic tamen effectus subit easdem propè limitationes, quas præcedens. 1505.

Quartus effectus est, quòd tollat vitium subreptionis; colligitur ex c. *Si motu proprio, 23. de præbend. in 6.* ibi: *Si motu proprio alicui aliquod beneficium obtinenti conferamus aliud, de illo non habita mentione, non ob hoc gratiam hujusmodi, quæ de nostra liberalitate procedit, invalidam volumus reputari*; quod etiam expressè habetur in *Clement. Si Romanus, eod.* ubi dicitur: *valere provisionem factam motu proprio Papæ, tacentis* 1506.

*tis beneficia provisi, quæcunq; sint, & quotcunq;.* Sed licèt hoc verum sit, quòd purget vitium subreptionis, seu faciat, quòd non vitietur rescriptum ex taciturnitate veri, aliàs dispositione juris exprimendi, ut constat ex *cit. textibus;* non videtur tamen id verum *indefinitè*, ac *universaliter*. Nam fallit. 1. si taceatur *inhabilitas* personæ non expressa, ut dictum est *n.* 1500. & tenet Sanchez *cit. D.* 21. *n.* 49. Deinde, si cedat *in præjudicium juris tertij*, nisi exprimatur, ut dixi *n. cit.* v. g. si taceretur, quòd beneficium sit de jure patronatûs laici, &c. Fallit. 2. quando subreptio, seu taciturnitas veri facit, quòd non appareat de concedentis voluntate, ut si fiat in casu, & circumstantijs, in quibus Pontifex talibus *non solet* annuere, aut ejusmodi gratias *motu proprio* concedere; maximè, si contineat obreptionem, seu expressionem falsi circa substantialia, de quibus *n.* 1495. sic Abbas in *c. Quia circa, de Consanguin. n.* 7. & constabit ex *seqq.*

1507. Dices: per *n.* priorem, *subreptio*, seu taciturnitas veri non vitiat rescriptum cum clausula *motûs proprij*; ergo nec *obreptio*, seu expressio falsi. R. *transf.* ant. N. conseq. discrimen est; quia, quando tacetur verum, ignoratur, an Princeps bene, vel malè informatus gratiam concesserit motu proprio; & ideo non potest dici concessa *contra concedentis intentionem;* secus est, quando exprimitur falsum. Nam ubi exprimitur falsum, cognoscitur, quòd Princeps malè informatus concesserit gratiam motu proprio, consequenter contra suam intentionem (non enim fertur in incognitum) motus autem proprius non firmat gratiam contra concedentis intentionem, ut tenet Menochius *de arbitrar. casu* 201. Mascard. *de probat. conclus.* 887. *nu.* 93. Nunquam enim præsumi potest; Principem consentire ex informatione per allegationem falsi circa substantialia gratiæ; foret enim assensus irrationabilis, & in ignoratum.

1508. Dixi *transf. ant.* Nam dictum illud, *indefinitè*, ac universaliter acceptum in multis fallit; & jura, quibus nititur, procedunt solùm *in beneficialibus circa peculiarem reticentiam veri de beneficio priùs obtento; vel acquisitione novi, retento priori;* quæ, cùm alijs juribus contrarientur, extendi non debent ultra expressa. Et ideo etiam gratia motu proprio concessa non procedit, si dispensatione indiget, de qua nihil expressum est, ut docet Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 22. *n.* 8. Rebuffus *in forma mandat. Apostol. V. motu proprio, col.* 8.

Dices. 2. qui per rescriptum cum clausula *motûs proprij* obtinet *secundum beneficium sine mentione primi*, validè obtinet, licèt hæc gratia contineat dispensationem, de necessitate juris, petentis exprimi beneficium prius obtentum; ergo clausula motûs proprij operatur, & inducit dispensationem etiam in jure communi. R. 1. cum dist. consequentis, & transmitto conseq. in casibus jure communi expressis, qualis est præsens, ut diximus *n.* 1056. nego eandem in casibus communi jure non expressis. R. 2. N. ant. nam jura, quæ sub invaliditate rescripti exigunt, in supplicatione pro beneficio, fieri mentionem beneficij prius obtenti, procedunt de rescriptis concessis *ad petitionem;* non autem *motu proprio*, ex *n.* 1506. & *num.* hìc immediatè *sequenti.* 1509.

Quintus effectus est, quòd concessio *motu proprio* facta, intelligenda sit, *prout jacet, & sonat*, consequenter restringenda non sit juxta concessam gratiam *ad petitionem* partis; Felinus in *c. causam, de rescript. nu.* 14. & ratio est, quia dispositionem reddit favorabilem per *c. Si pluribus, de præbend. in 6.* ibi: *gratiam hujusmodi* (nempe collationem beneficij, esto aliàs sit stricti juris per *cit. c. Si pluribus*, & *c. Non potest, eod. in 6.*) *si motu proprio eam fecerimus, ut tunc fiat interpretatio plenissima in eadem, referri volumus ad dignitatem, vel præbendam, quæ inter illas esset majoris valoris.* Hinc licèt aliàs dispensatio sit stricti juris, *c.* 1. *de filiis presb. in 6.* si tamè concessa est *motu proprio*, latam habet interpretationem; colligitur *ex cit. c. Si pluribus*, & tenet Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 1. *n.* 5. id, quod etiam de privilegio tenent Natta *cons.* 340. *n.* 5. Surdus, & alij, quod intellige de lata interpretatione *in præjudicium concedentis*, non tertij. 1510.

Sextus demum effectus est, quòd impetranti rescriptum cum *motu proprio* in terminis *Clem.* 1. *de concess. præbend.* non currat tempus à die notæ vacationis in loco; 1511.

co; sed tantùm, à die suæ scientiæ; cùm alias sufficeret notitia vacationis in loco, ut ibidem dicitur; cui accedit alter effectus, quòd si Pontifex *motu proprio* conferat, vel conferri mandet beneficium; *si vacat*, sufficiat, *vacare* tempore collationis, vel receptionis, licèt non vacet tempore *datæ*; sic Barbosa *cit. n.* 32. ex Joanne Andrea, & alijs, sed hìc videtur attendendum, quod dictum est *n.* 1392.

## §. V.

### *De clausula: ex certa scientia.*

1512. COmunis tenet, quòd, quando Princeps concessioni, vel dispositioni à se factæ apponit clausulam (*ex certa scientia*) hoc ipso significet, eam concessionem, vel dispositionē à se factam esse cū perfecta notitia totius negotij, & circumstantiarum ejus, de quo ea concessio, vel dispositio procedit. Varios effectus huic clausulæ tribuunt Authores; sed aliqui adeò ambiguè, ut vix aliquid, quod firmitatem habeat, rectè colligatur; imò non rarò apparentiam alicujus repugnantiæ inferre videatur; ut constabit *ex seqq.*

1513. Inter effectus, quos Authores tribuunt huic clausulæ, primus est, *quòd*, ubi apponitur in rescripto confirmante, vel revalidante aliquem actum, vel gratiam (v. g. privilegium, dispensationem, vel alias gratias concessas) *ei valorem tribuat*, si antecedenter sit nullum ex aliquo defectu per Principem supplebili. Circa quem effectum rectè intelligendum

1514. Not. 1. hanc clausulā non habere locū, nisi in privilegij, vel gratiæ priùs concessæ confirmatione; hæc autē cōfirmatio fieri potest vel in forma comuni, nimirū, cùm Pontifex procedit, nō habitâ perfectâ notitiâ talis negotij; vel in forma speciali, nimirū ex certa scientia, & perfecta notitia circūstantiarum, & qualitatum negotij, quod confirmat; sic Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 4. p. 2. §. 10. n. 2.* Not. 2. quando Princeps confirmat gratiam concessam, confirmatione speciali, nimirum *ex certa scientia*, talem confirmationem habere vim, & efficaciam renovandi, seu concedendi de novo tale privilegium, si fortè usu, vel aliâ viâ amissum esset; aut in priori concessione defectus aliquis (nullitatem inducens) commissus fuisset; quod tamen accipe juxta dicenda *à n.* 1516. sic Cardinalis Tuschus V. *Confirmatio ex certa scientia*; Suarez *l. 8. de legibus c. 18. n. 12.* & plures alij *ibid.* relati.

Ratio est, nam, quando Princeps aliquid disponit, vel confirmat; vel cognoscit, vel non cognoscit defectum, aut nullitatem ejus, quod confirmat? Si cognoscit, & tamen confirmat, satis perspicuū est, quòd non velit facere actum inutilem, & frustraneum, & vix decentem, præsertim in materia legum; ergo tunc confirmando intendit auferre defectum, ac nullitatem, eique tribuere vim, & efficaciam, seu valorem, in quantum potest, & à se pendet, ac necessarium est. Si autem non cognoscit nullitatem, & defectū, nulla nimirum informatione super hoc habita, sed solùm ambigua (etsi hoc dici vix possit, ne dicamus, *Principem falsò rescribere*, se totius negotij certam notitiam habere) adhuc tamen dicendum est, eam confirmationem specialem habere vim, & efficaciam tollendi omnem defectum, & priori concessioni dandi vigorem, seu valorem, quantùm opus est, & ipse potest; ne dicamus verba confirmationis ex certa scientia in rescripto apposita esse contra mentem rescribentis; & carere omni effectu. 1515.

Not. 3. huic ipsi effectui apponi plures limitationes ab Authoribus. Nam Castropalaus *cit. §. 10. n. 4.* dicit, privilegium *subreptione, falsâ causâ* impetratum non validari, esto confirmetur *ex certa scientia.* 1. quia defectus iste commissus est in ipsa impetratione, qui non præsumitur cognitus à Principe; 2. quia Pontifex non intendit confirmare privilegium, quod non fuit concessum; privilegium autem subreptione impetratum, nunquam fuit concessum. Contrarium tamen videtur deduci ex aliorum doctrina. Nam motus proprius purgat vitium subreptionis, seu suppressæ veritatis ex *n.* 1506. & tenet Barbosa *clausul. 79. §. quartus effectus*; at illi æquivalet clausula *ex certa scientia*, ut cum pluribus tenet Barbosa in c. *Venerabilis 18. de confirm. utili, n. 8.* licèt hic statim infrà *n.* 20. doceat, quòd clausula *ex certa scientia*, non tollat vitium subreptionis. Deinde, clausula *ex certa scientia*, æquivalet 1516.

valet clausulæ *de plenitudine potestatis ;* at hæc, teste etiam ipso Castropalao, *num.* 3. significat, Principem velle confirmare, *in quantum potest, & necessarium est.* Cùm ergo non obstante vitio subreptionis Pontifex possit validare primam impetrationem subreptione invalidam, ubi privilegium subreptione impetratum est nullum, revalidatur confirmatione speciali.

1517. Ad secundam rationem in *n. priori.* videtur rectè responderi cum *distinct. maj.* Pontifex etiam in confirmatione speciali non intendit confirmare privilegium, quod non fuit *concessum validè, vel invalidè,* C. *solùm validè,* N. *maj. dist. min.* privilegium autem subreptione impetratum, nunquam fuit concessum *validè,* transf. *validè, vel invalidè,* N. *min. & conseq.* dixi *transeat.* Nam non omnis subreptio invalidum reddit rescriptum, ut diximus *à n.* 1420.

1518. Quòd autem non requiratur, gratiam, vel privilegium *esse priùs concessum validè,* sed, ut effectum confirmationis specialis obtineat, atqueadeo revalidetur, seu potiùs, ut ea nullitas, & defectus tollatur, sufficiat, *concessum esse facto,* licèt ob defectum aliquem latentem, nulliter, & invalidè, docere videtur Abbas in *c.* 1. *de transact. n.* 5. Imola ibidem *num. ult.* & Beroius in *c.* 1. *de confirm. n.* 27. quos citat, & sequitur Pirhing *eod. n.* 9. Nam Principi affirmanti se sufficientem rei cognitionem habuisse, adeóque non ignorâsse defectum, qui per ejus potestatem supplendus est, credere oportet, juxta *Clem. unic. de Probat.* Abbatem, in cap. *Examinata, de confirm. n.* 6. Suarez *l.* 8. *de Legibus, c.* 18. *n.* 6. sed, quando rescribit super certo negotio cum clausula *ex certa scientia,* hoc affirmat ; ergo ei credendum est, quòd habuerit sufficientem rei cognitionem, adeóque non ignoraverit defectum, qui per ejus potestatem supplendus est. Cùm ergo per ejusmodi rescriptum voluntatem suam declaret, eo ipso per rescriptum *ex certa scientia* tolletur nullitas, seu defectus, si subsit potestati rescribentis: at defectus subreptionis, seu reticentiæ veri, cujus expressio *jure solùm positivo* requiritur, in ejus potestate est ; ergo.

1519. In hac, & similibus controversis quæstionibus super clausula *ex certa scientia,* not. 1. quòd hæc clausula nunquam significet voluntatem Principis, actui invalido, super quo rescribit, eum confirmando *ex certa scientia* dandi valorem, si nullitas, vel defectus provenit ex jure naturali, vel divino ; nam hic defectus non subest potestati humanæ ; quia Princeps non potest prudenter præsumi, velle sanare, quod sanare non potest.

Ex hoc sequitur, quòd, ubi valor actûs 1520.
deficit jure naturali, quia scilicet deficit aliquid jure naturali requisitum ad valorem actûs ( in matrimonio v. g. vel professione consensus contrahentis, vel profitentis ) non possit validari talis actus, etiamsi Pontifex eum confirmet etiam *ex certa scientia,* vel ex plenitudine potestatis. Princeps enim non potest alienam voluntatem supplere, nec tollere inhabilitates naturales, & impedimenta. Sequitur 2. producentem rescriptum *ex certa scientia,* super actu validando, qui laborat *ejusmodi* impedimentô, *in literis expresso,* puniendum tanquam falsitatis auctorem, *arg. c. Ad nostram* 15. *& c. Porrecta,* 6. *de confirm. utili,* ubi expressè dicitur, quòd, *ubi Sedes Apostolica non consuevit aliqua confirmare* ( v. g. ut Regularis, *expressa suæ religionis conditione,* habeat temporalem administrationem, seu Prioratum ) *rescriptum habendum sit falsum, etiamsi habeat clausulam ex certa scientia.*

Sequitur. 3. quòd clausula ( *ex certa* 1521.
*scientia* ) non tollat defectum, quem Princeps rescribens *non solet* tollere, licèt absolutè possit, sive exprimatur, sive taceatur. Nam, *si tacetur,* rescriptum est *irritum,* & *inane* per expressum textum *in cit.* c. *Ad nostram ;* si autem *exprimitur,* rescriptum præsumitur *falsum in cit.* c. *Porrecta ;* talis est conditio *statûs Regularis.* Unde si Regularis impetret rescriptum confirmatorium super administratione temporali, eoipso rescriptum inane est ; nam vel expressit conditionem statûs sui regularis, vel tacuit ? *si tacuit,* est irritum ; si expressit, *est de falso suspectũ* ; ut expressè dicitur *in cit. juribus ;* cujus ratio ibidem datur tam in rubro, quàm in nigro, hoc est, tam in rubrica, quàm in textu : *quia Papa non consuevit concedere.* Sequitur 4. ut per confirmationem ( *ex certa*

*scien-*

*scientia*) actus irritus fiat validus, requiri, *ut hoc possit sola voluntate, & potestate confirmantis fieri.* Nam velle, quod non potes; aut posse, quod non vis, nullum parit effectum. Requiritur ergo utrumque, ut *possit*, & *velit*. Cùm ergo jure constet, Principem non velle tollere defectum, *quem non solet*, ut præmissum est, *nisi hoc specialiter exprimat*, quòd velit etiam in tali casu, rescriptum, etiam *ex certa scientia* confirmans actum, laborantem tali defectu, eo ipso erit vel irritum, vel falsum, ut dictum est.

1522. Sequitur 5. si rescribens *ex certa scientia*, defectum quo laborat actus confirmandus, vel validandus, supplere non possit *sine præjudicio alterius*, per dictam clausulam non confirmari, vel validari actum in alterius præjudicium, nulla facta mentione de jure alteri quæsito vel in re, vel ad rem, tollendo, per *n* 1437. Nam Pontifex non solet indulgere gratiam cum præjudicio tertii, nisi exprimat, se concedere non obstante jure alterius, *ex n. citato, & seqq.*

1523. Dices, quòd hoc sufficienter exprimat per clausulam *ex certa scientia*; cùm hæc significet, Principem procedere ex perfecta notitia rei, seu negotij confirmandi, vel validandi. Resp. quòd ea clausula non denotet Principem procedere ex perfecta informatione, & notitia *omnium omnino circumstantiarũ*, quæ gratiæ obesse possunt, quales sunt, quæ oriuntur *ex facto alterius*, & *jure municipali*, vel *statutis* &c. sed eorũ tantùm, quæ sunt juris à se, vel sui similibus conditi; hinc omnino negandum est, quod in objectione dicitur.

1524. Ex hoc sequitur. 6. quòd, nisi supplicans exprimat, vel aliunde constet, Pontifici notas esse etiam eas circumstantias *facti*, vel *statuti*, aut *consuetudinis*, aut alterius similis impedimenti, ex quo actus confirmandus, vel validandus nullitatem contraxit; & quòd non obstante tali circumstantia Pontifex ejusmodi nullitatem *tollere soleat*, non validabitur actus ante nullus, esto eum confirmet etiam specialiter, seu cum clausula *ex certa scientia*: secus in opposito. Ratio primi est; quia vel ea circumstantia, *qua stante gratiam concedere non solet*, ponitur nota rescribenti, vel ignota? si primum? rescriptum erit *falsum*; si secundum? erit *nullum*, defectu consensûs in gratiam sub dicta circumstantia, ut dictum est *superius*; ratio secundi est, quia ubi ea circumstantia ponitur nota, & talis, qua stante *potest*, & *solet* nihilominus concedere gratiam, nihil deficit, ut actus, ante irritus, evadat validus; cùm adsit voluntas, & potestas validandi talem actum.

Sequitur. 7. quòd clausula (*ex certa* 1525.
*scientia*) apposita rescriptis reflexivis, seu concessis super aliquo actu validando, non significet voluntatem Principis, tollendi nullitatem, vel defectum, quo laborat prior actus, nisi sit sub ejus potestate, *illum tollere; soleat eum tollere, & sit ei notus* vel per ejus mentionem, vel aliam informationem, de qua constet, aut meritò præsumatur; *si actus confirmandus, nunquam valuit, etiam in impetratione, ex defectu* vitiante etiam primam impetrationem; secus enim impetrans esset falsitatis auctor; & rescriptum haberetur falsum, ut constat *ex cit.* c. *Ad nostram*, & c. *Porrecta in n.* 1520. Sequitur 8. actum, priùs nulliter concessum, revalidari per rescriptũ cum clausula *ex certa scientia*, si rescribens sit informatus de nullitate, ac defectu à se supplebili, & suppleri solito; sic enim habet omnia requisita; ut efficaciter inducat effectum confirmationis specialis, ex *priori num.* Et in hoc recedimus à limitatione, quam ponit Castropalaus, de qua *supr. num.* 1516.

Dices: ergo privilegium, semel verè 1526.
concessum, sed amissum vel revocatione concedentis, vel non usu, aut renuntiatione privilegiati, non revalidabitur, si non exprimatur ea circumstantia revocationis, renuntiationis, &c. etiamsi confirmetur *inserto tenore privilegij confirmandi*; probatur illatum, quia secundùm dicta, ut tollatur nullitas, *confirmanti nota esse debet circumstantia*, ex qua inducta est nullitas in actum confirmandum, vel validandum; at sic non est nota; nam ea revocatio, vel renuntiatio *est facti particularis*, quod Princeps præsumitur ignorare juxta *c. 1. de constitut. in 6.* ibi: *quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & statuta (cùm sint facti, & in facto consistant) potest probabiliter ignorare.* Suarez *l. 8. de legibus, c. 19. n. 4.* con-

concedit illatum, etiamsi privilegium confirmatum insertum sit rescripto confirmationis, nisi mentio fiat illius facti particularis, vel addatur clausula generalis (*non obstantibus*) negat verò, si Princeps apponeret clausulam, *ex certa scientia*, vel, *ex plenitudine potestatis*. Sed, quoniam privilegium insertum rescripto ejus confirmatorio ex comuni sensu æquivalet rescripto cum clausula *ex certa scientia*, vel *ex plenitudine potestatis*, si in dato casu privilegij, rescripto inserti, non fiat revalidatio, nec fiet etiam appositis dictis clausulis, adeóque in nullo casu, quod est contra communem sensum, teste Castropalao *tit. P. 1. Tr. 3. D. 4. p. 2. §. 9. n. 5.* quia semper obstabit ignorantia *facti particularis*. Igitur?

1527. Resp. ad object. neg. illatum; ad ejus probat. dist. ma. secundùm dicta, ut tollatur nullitas, confirmanti nota esse debet circumstantia, ex qua inducta est nullitas in actum confirmandum, vel validandum *nova concessione valoris antè nunquam habiti* C. *priùs legitimè habiti*, N. maj. hinc datâ mi. N. conseq. Unde, ut privilegium semel validè obtentum, sed facto particulari, v. g. *revocatione, renuntiatione, vel non usu* amissum, denuo concedatur, ad vim confirmationis specialis non requiritur notitia nullitatis ortæ ex facto particulari. Hujus ratio est; quia in dato casu *nullum tollendum est vitium*, ex quo prima impetratio irrita, & inanis fuit (cùm, ut ponit casus; impetratio privilegij nunc confirmandi, seu reducendi, valida fuerit) ergo non est eadem ratio pro exprimenda causa nullitatis in hoc casu, quæ est, *cùm prima impetratio vitiosa fuit vitio reddente illam statim in principio nullã*; sic enim confirmatio in hoc casu præter concessionem primò faciendam nunc debet etiam tollere vitium, quo prior concessio nulla fuit, id, quod non contingit in casu nostro.

1528. Quibusdam videtur tamen meritò limitanda hæc doctrina (quæ dicit: *privilegium* (vel gratiam) *semel validè impetratum, sed revocatione, renuntiatione, vel non usu amissum, validè confirmari per clausulam* (*ex certa scientia, vel, ex plenitudine potestatis, aut rescripto confirmationis inserto tenore privilegij, denuo concedendi, licèt nulla fiat mentio, quòd revocatum, renuntiatum, vel non usu amissum sit*) ut non procedat, si revocata est per *generale Concilium*; vel per ipsum Pontificem *ex gravi causa*, propter quam *in pœnam* sublatum foret; intellige, si non exprimatur in rescripto confirmationis nõ obstante *decreto Conciliari*, vel *excessu priori*. Rationem primi dant; quia Pontifex non præsumitur velle legi, à Concilio stabilitæ, derogare per concessionem ita generaliter factam. Nam, quod consensu tam multorum, & gravissimorum Virorum stabilitum est, firmatum quoque est majori authoritate; consequenter etiam majori, ac speciali derogatione indiget, ut docet Suarez *l. 8. de legibus, c. 19. n. 5.* Emman. Rodriquez *Tom. 1. qq. regular. q. 8. art. 10.* Vincentius de Justis *in Praxi dispens. matrim. l. 1. c. 4. à num. 232.* & alii; secundi verò istam: quia tali casu is, qui per ejusmodi revocationem amisit gratiam antè legitimè concessam, per talem excessum se fecit indignum eâ gratiâ; ergo, nisi de indignitate illa constet ei, à quo gratia sic amissa denuo suscitanda est, non potest præsumi consensus in ejus innovationem, ne dicas, quòd concedat gratiam indigno, nisi constet de indignitate sublata.

## §. VI.

### *De nonnullis aliis clausulis rescriptorum.*

1529. NOn agimus hìc de clausulis rescriptorum, in ordine ad causas matrimoniales; nam de his copiosè tractamus *l. 4. quæst. ult. à n. 2010.* sed solùm de his, quæ in aliis materiis frequentiùs occurrunt. Hinc quæres. 1. quam vim habeat clausula: *supplentes omnes juris, & facti defectus, si qui intervenerint in gratia*, quæ conceditur, vel confirmatur; hæc enim in confirmationibus privilegiorum apponi solet; & habetur etiam in confirmatione privilegiorum pro Societate nostra, edita à Gregor. XIV. & Paulo V. Respondet Castropalaus *P. 1. Tra. 3. D. 4. p. 2. §. 10. n. 6.* quòd ea clausula nihil speciale addat concessioni, vel confirmationi *ex certa scientia*; & apponi solùm ad majorem claritatem, ac evidentiam. Unde nec supplet vitium subreptionis, nec vitia, & inhabi-

inhabilitates perſonæ privilegiatæ, nec defectus naturales &c. intellige, ſecundùm limitationes in ſuperioribus factas.

1530. Quæres. 2. quam vim habeat clauſula: *non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrariis?* communis tenet, quòd, licèt magnum operetur effectum, juxta c. *cùm aliquibus, 4. de reſcript. in 6.* Tum quia reddit valida, & confirmat expreſſa, ut docet Sanchez *l. 8. D. 24. n. 6.* & illis decretis Concilii derogat, pro quibus expreſſa derogatio non requiritur, ut notat Barboſa *in Collectan. ad Trid. Seſſ. 1. n. 2.* tollitq; omnia; quæ gratiæ poſſunt obſtare, teſte Viviano *de jure Patronat. p. 1. l. 13. c. 8. nu. 155:* hæc tamen omnia intelligenda ſunt juxta mentem, ac intentionem apponentis eam clauſulam. Unde ad illa tantùm porrigitur; in quæ mens illius dirigitur.

1531. Et quoniam *ejusmodi* reſcripta, & clauſulæ, ſuam interpretationem recipiunt à jure communi, & ſtylo in Romana Curia inconcuſſo (de quo egimus *à nu. 1655.*) ex jure communi etiam, & ſtylo jam citato, mens reſcribentis, & clauſulas ejusmodi apponentis, colligenda eſt, ſive agatur de reſcripto *conceſſivo*, ſive *derogante*, ſive *annullante*, &c. niſi expreſsè dicatur, *velle contrarium, non obſtante hoc, vel illo in particulari* v. g. decreto Concilii, præjudicio tertii, &c. Et ideo ea clauſula non derogat *regulis Cancellariæ*, niſi id expreſsè dicatur, teſte Gomez *ad 8. regul. Cancell. in proœm. q. 5. lit. F. & q. ult.* nec tollit *conſtitutionem Conciliarem*, juxta Pariſium *de reſignat. l. 6. q. 2. n. 38. nec impedimenta perſonalia*, juxta Vivianum *cit. p. 2. de jure Patronat. l. 13. cap. 8. num.* 160. &c.

1532. Hinc ulteriùs not. quòd dicta clauſula (*non obſtantibus*) non tollat, ſed ſolùm ad effectum gratiæ ſuſpendat conſtitutiones, quæ requirunt ſpecialem mentionem ad ſui derogationem, quales ſunt illæ, quæ continent clauſulas *derogatoriarum derogatorias*; vel in quibus ſpecialiter dicitur, *quòd illis nunquam derogatum intelligatur, niſi ſpecialis de illis mentio fiat, earúmque ſeries in derogatione de verbo ad verbum inſeratur*; cujus ratio eſt, quia verba generalia, clauſulas derogatorias non tollunt, niſi exprimatur contrarium; ſic Decius, Leo, & alii, quos citat, & ſequitur de Juſtis *citat. l. 1. cap. 4. num.* 355.

Not. 2. quòd ea clauſula nec gratiam augeat, nec ſuppleat qualitatum neceſſariò exprimendarum reticentiam; ſed tantùm declaret concedentis intentionem; quatenus dubia eſt contra conceſſa; ita Sanchez *l. 8. de matr. D. 24. n. 9.* & conſeq. ultra narrata non operetur, per Rebuffum *in praxi benefic. p. 3. n. 6.* Felinum in c. *Nonnulli, de reſcript. in 6.* & ſolùm *ad expreſſa* reſtringatur juxta *L. ſi de certa, de tranſact.* Pariſius, *de reſignat. l. 11. q. 11. n. 43.* quin, ſi non exprimatur, deroget privilegio non clauſo in corpore juris; ſic Vivianus *p. 2. de Patronat. l. 13. c. 8. n. 157.* 1533.

Quæres 3. quid operetur hæc clauſula: *ad inſtar alterius*, quæ frequenter apponitur in privilegijs Apoſtolicis, vel aliorum etiam Principum? Reſp. quòd participatio privilegij alieni, vel exemptionis, conceſſæ *ad inſtar*, importet, ut ſortiantur eundem, & parem effectum cum alijs; ſic Felinus cit. *n. 7.* Abbas *de fide inſtrument. c. inter dilectos, n. 9.* quia per hanc relationem *omnia, quæ in priori diſpoſitione continentur, cenſentur repetita*, perl. *omnia C. de Epiſcop.* ita Suarez *de legib. l. 8. c. 13. n. 2.* Relationis enim hujus effectus eſt, *ut tantùm ſit in referente, quantum in relato*, per L. *Aſſe toto, ff. de hæred. inſtituend.* 1534.

Dubitatio eſt, an privilegium conceſſum *ad inſtar alterius*, quod poſtea auctum, diminutum, vel revocatum fuit, cenſeri quoque debeat auctum, diminutum, vel revocatum in perſona illius, cui communicatur? Hanc dubitationem proponit Suarez *de legib. l. 8. c. 15. à n. 6.* & diſtinctione opus eſt. Nam dupliciter fieri poteſt communicatio privilegij, vel gratiæ alteri conceſſæ, ac *ad inſtar illius*. 1. directè, *per ſe, & æqualiter, illi æquè, ac iſti*; qui modus communis eſt communicationi privilegiorum, qua gaudent Regulares. 2. ut huic non communicetur *per ſe, & principaliter*, ſed *quaſi dependenter ab altero*, quo poſito: ſi gratia communicetur alicui *ad inſtar alterius*; hoc ſecundo modo, in dato dubio reſpondendum affirmativè; juxta regulam, ſeu c. *Acceſſorium, de reg. jur. in 6.* & c. *Translato, de conſtit.* Si autem primò 1535.

modô, respondendum negativè. Nam in hoc casu, ubi uni æqualiter, ac alteri gratia concessa est, ille concessione uti potest perinde, ac ipsi directè concessa foret cũ omni independentia ab altero; & relatio ad alterum habet se solùm, ut ab ejus exemplari intelligatur qualitas concessæ gratiæ. An autem primô, vel secundô modô concessio ad instar facta sit? ex tenore literarum intelligendum venit.

1536. Quæres. 4. quid importet clausula, *authoritate*, seu *vice nostra*? quòd importet *jurisdictionem* non ordinariam, sed *delegatam*, resolvit Menochius *de præsumpt. l. 2. præsumpt. 16. n. 28.* & alij, quod verum est, ubi Commissarius aliunde non habet potestatem ordinariam ad exercendum talem actum; in casu autem, quo quis in ea, quæ committuntur, etiam semota comissione, habet jurisdictionem ordinariam (qualis habetur in c. *licèt, de offic. ordin.* ibi: *suæ jurisdictioni subjectos*) censent aliqui, non tribui jurisdictionem *delegatam*, sed solùm *excitari ordinariam*, ut eâ pollens procedat ad ejus usum; sic Menochius cit. *nu. 14.* Alii tamen valdè probabiliter docent, si eo casu Ordinario (jure suo valenti facere aliquem actum) committatur à Papa, ut eam faciat, adjectâ clausulâ *authoritate nostra*, vel *tanquam delegatus Sedis Apostolicæ*, juxta *l. 1. §. si quis simpliciter, ff. de verb. oblig.* ordinariam inferioris potestatem mutari in delegatam, hoc est, Papam tunc velle, ut Commissarius jam non suo inferioris, sed superioris delegantis nomine in tali casu procedat, quod est proprium delegatorum, per c. *Cùm aliquibus, 2. nisi, de rescript. in 6.*

1537. Not. autem, quod observat Barbosa *p. 3. de offic. & potest. Episc. allegat 92. à nu. 11.* si insuper addatur in dicto casu particula *etiam*, ut, cùm dicitur (*etiam authoritate nostra*) Ordinarium habere tunc utramque potestatem, *ordinariam* scilicet, & *delegatam*. Rationem dat, quia particula *etiam*, unum casum exprimit, & alium includit juxta Gloss. *in Clem. 2. de hæret. V. Ecclesia.* Videriqúe potest *in Tr. de Dictionibus, V. etiam*, ubi *n. 2.* expressè docet, quòd dictio *etiam*, etiam in materia stricta, & exorbitante, implicativa sit ad majora expressis; ex quo sequitur, facultatem concessam absolvendi à reservatis *etiam Papæ*, vi hujus doctrinæ extendi à fortiori ad reservata inferiori; ne particula *etiam*, nihil operetur, & apposita inutiliter, ac sine effectu dicatur, quod est contra rectam rescriptorum interpretationem, de qua egimus *à num. 1474.*

Quæres. 5. Quid importet clausula *de plenitudine potestatis?* hæc clausula denotat, quòd Princeps tunc agat potestate absoluta; ita Sanchez *l. 2. matrim. D. 15. nu. 3.* Menochius *de præsumpt. l. 1. præsumpt. 12. à n. 2.* eam tamen multi censent esse odiosam, consequenter strictæ interpretationis, nec in dubio præsumi, nisi evidenter constet de voluntate ejus, vel quando defectus (inducens nullitatem) foret expressus; vel apponat clausulam *non obstante*; aut *ex certa scientia*, vel *motu proprio*, de quo susè Barbosa *clausula 41. à n. 5.* Authores quidem, non tamen probationem afferens asserti sui. Cæterùm, etsi hæc causula habeat magnam vim in ordine ad actum, pro quo apponitur, prout colligi potest ex dictis de clausula *motûs proprij*, & *ex certa scientia*, (cùm illis æquivaleat) non tamen procedit ultra narrata, & expressa; nec in præjudicium juris alieni, statutorum, & consuetudinum particularium locorum; nec in casu, cujus nullitatem, aut defectum Princeps sanare non solet, prout dictum est *in superioribus à nu. 1520.* 1538.

Quæres 6. quid operetur clausula: *dummodo*, seu *quatenus sunt in usu*; dum apponitur rescripto, quo per Superiorem statuta inferiorum, Universitatum, vel locorum, & privilegia confirmantur. Volunt aliqui eam, in fine rescripti positam, debere ad omnia referri juxta *reg. L. fin. de rebus dubijs*; Barbosa tamen *cit. clausul. 52.* ex Theodosio *de Rubeis in singul. Rotæ tom. 3. p. 4. conclus. 332. & 612.* censet, appositam in confirmatione *statutorum*, & *privilegiorum*, referri ad privilegia, & non ad statuta; & quòd (cùm soleat apponi ex stylo) non mutet substantiam, nec naturam statutorum; & ly *quatenus sunt in usu*, intelligi de illis tantùm privilegiis, quæ sunt in observantia, non de invalidis, & amissis, quæ vult nec per confirmationem *ex certa scientia* revalidari, sic ille *clausul. 124. n. 1.* ex Emmanuel. Rodriquez *qq. Regul. tom. 1. q. 8.* 1539.

*a.* 3. Peyrinis *in declar. privileg. suo ordini Minorum concessorum tom.* 2. *super constitut. Greg.* XIII. *n.* 1.

1540. Quæres. 7. quid intelligatur per hanc clausulam (*dummodo*, seu *quatenus sacris Canonibus, & decretis Concilij Tridentini non adversentur*) quæ de stylo Curiæ apponi solet in confirmationibus privilegiorum Regularibus concessorum. R. *per sacros Canones* ibi non intelligi *canones decretalium in corpore juris; nec etiam decretis aliis Pontificum, non insertis corpori juris*; sed solùm *canones* decretorum *ipsius Tridentini*; hoc enim constat decretis, & canonibus; nam textus loquitur copulativè de Concilij decretis, *ac* canonibus, sic Hieron. à Sorbo *in annotat. ad camp. privil. V. Privilegia fratrum.* Rodriquez *cit. q.* 8. *a* 8. Peyrinis cit. *n.* 2. Alviset *de Privileg. sect.* 1. *c.* 4.

1541. Not. autem. 1. ut aliquod privilegium dicatur *in usu*, non requiri, quòd sit in usu in omnibus ordinibus, seu ordinum Monasteriis, sed sufficere, si in aliquo; sic Alviset *n.* 13. Not. 2. per illam clausulam: *modò non sint contraria Tridentino*, eoipso significari, quòd privilegia aliis Conciliis contraria, vi dictæ confirmationis factæ ab Urbano VIII. motu proprio, & ex certa scientia, sint specialiter confirmata, & si priùs fuissent antiquata, fuisse rursum innovata.

1542. Not. 3. quantùm ad ipsum *Tridentinum*, hanc clausulam privilegiis Regularium non officere in illis terris, & provinciis, in quibus non fuit receptum; quia illa exceptio appositа in confirmatione privilegiorum fuit, ad Concilii, & decretorum ejus manutentionem; manuteneri autem non potest, quòd non existit. Addit Alviset cit. *n.* 16. quòd, licèt in aliqua diœcesi Episcopus, aut Abbas, conetur introducere Tridentinum, & se illius dispositionib⁹ conformare, adhuc prædictam limitationem nihil obfuturam; quia privata voluntas particularis Prælati non facit *Concilium esse receptum.*

1543. Not. 4. ea verba: *dummodo decretis Tridentini non adversentur*, apponi propter duplicem effectum; primus est, ut firmetur regula in contrarium, id est, ut intelligantur confirmata omnia alia privilegia, aliis conciliis generalibus contraria, exceptô Tridentinô; sic Rodriquez *cit. q.* 8. *a.* 11. junctis, quæ tradit Suarez *l.* 8. *de legibus, c.* 19. *n.* 6. & de hoc mentionem fecimus *supr.* Alter est juxta Peyrinis *cit. n.* 3. quòd ea verba, hunc sensum nunc obtineant, ut per ea censeantur derogata privilegia non solùm, quæ à Concilio Trid. per clausulam *non obstantibus*, expresse derogantur; sed etiam ea, quæ sunt eidem Concilio simpliciter contraria; nisi post Tridentinum legitimè sint innovata. Not. 5. quando in gratiis, & confirmationibus privilegiorum apponitur ea clausula, *quatenus opus sit, de novo*, denotari, ejusmodi rescriptum non esse confirmationem simplicem, sed novam concessionem, si opus foret; atque adeò esse clausulam valde salutarem.

Præter hæc not. 6. clausulam (*si preces* 1544. *veritate nitantur*) appositam in rescriptis, posse addi, vel ad solam instructionem Judicis delegati, quomodo secundùm justitiam procedere debeat; vel ut causam commissam definiat, ac decidat. Primô modô communiter apponitur in rescriptis justitiæ, seu ad lites; & in hoc casu non evadit rescriptum irritum ipso jure, si narrata in illo veritate destituta sint; quia respicit solam instructionem, non jurisdictionem; ita Felinus *in c.* 2. *h. t. n.* 6. Not. 7. in rescriptis gratiæ hanc clausulam (*salvo jure alterius*) nisi contrarium exprimatur, semper intelligi. Nam Princeps sive Ecclesiasticus, sive Laicus nunquam censetur velle derogare juri alterius, sed cuique jus suum salvum, ac illæsum conservare, nisi aliud exprimat, c. *Super eo*, 15. *de offic. Jud. delegat. junct. gloss. V. intentionis*; *L. ex facto* 143. *ff. de vulgar. substit. & l.* 2. §. *si quis à Principe, ff. ne quid in loco publico*; sic Andr. Gail *l.* 2. *observat.* 58. *n.* 4. & alij communiter, quod tamen intellige *de gravi alterius præjudicio.* Nam modicum æstimari non solet, ut dicitur c. *Ad aures*, 8. *h. t. junct. gloss. V. intentionis.*

1545. Not. 8. hanc clausulam (*si is, cui datur, dignus sit ad obtinendum beneficium*) in omnibus rescriptis beneficialibus expresse apponi solitam; &, si omissa foret, subintelligendam esse, c. *Cùm adeò*, 17. *h. t. junct. gloss. fin.* sufficit, dignum esse *negativè*, hoc est, non indignum, seu carere impedimentô canonicô. Not. 9. hanc clausulam (*si duo, vel tres, ad quos diri-*

*diriguntur literæ delegationis, ipsis*, nimirum literis, *exequendis, simul interesse nequiverint, alter, vel plures reliqui nihilominus exequantur*) apponi solitam in rescriptis tam justitiæ, quàm gratiæ, intelligi, non tantùm de impotentia *facti* (ut si unus eorum esset mortuus, vel alio modo impeditus necessitate non vitabili) sed etiam *juris*, puta, si unus eorum esset infamis, excommunicatus, &c. Nam generaliter, *quæ contra bonos mores fiunt* (nimirum, quæ honestè, ac licitè fieri non possunt) *nec facere nos posse, censendum est. L. si stipulor, 35. de verb. oblig. L. Filius, 15. ff. de condit. institut.*

1546. Not. 10. si contingeret unum ex delegatis in dato casu non velle interesse, cùm posset, reliquos adhuc procedere posse. Nam sic adhuc verificatur, quòd delegati *omnes interesse non possint*, undecunque fiat, quòd non sint omnes simul; sic Abbas in c. *fin. h. t.* & colligitur ex c. *Prudentiam, 21. §. adjicimus*, de *offic. deleg.* & tali casu jurisdictio est penes reliquos, & hi rectè procedunt, ex *priori num.* ergo. In hoc tamen casu, ut alij validè procedant sine altero Conjudicum impedito, Felinus in c. *Scisitatus, 13. h. t. n. 12.* & alij notant, requiri, quòd impeditus impedimentum suum notum faciat, ut ipsi nihilominus in causâ demandata procedant; & colligitur *ex textu cit. c. 13.* ibi: *dummodo is, qui pro necessitate præsens esse non potest, Collegis suis canonicè excusationem suam (si poterit) destinare* &c. Observandum tamen, hanc excusationem canonicam ab impedimento de necessitate (ut sine ipso alij nihilominus validè procedant) faciendam, non requiri, si in rescripto sic habeatur expressum: *si non omnes interfuerint, vel simul nequiverint, aut noluerint interesse, & unus, cùm posset, interesse nolit*, constat ex ipso textu.

1547. Not. 11. si contingat à duobus impetrari, & afferri rescriptum Apostolicum pro Canonicatu v. g. in eadem Ecclesia conferendo, & in secundo apposita sit clausula: *si pro alio non scripsimus, qui hujusmodi gratiam prosequatur*, rescriptum hoc secundum nihil profuturum, si primo impetranti per Ordinarium jam fuit provisum; cùm enim secundo Papa non intendat favere (si pro alio scripsit) rescriptum hoc est merè conditionale, *si pro alio non sit scriptum*; cùm ergo in casu ponatur contrarium, nullum habebit effectum hoc rescriptum, ut habetur in c. *Mandatum, 38. h. t.* Si autem dicas: etsi non habeat effectum ad collationem illius Canonicatus, qui jam est collatus alteri, ut ponitur; valebit tamen mandatum ad alium Canonicatum in eadem Ecclesia. R. id concedi, si hoc exprimatur in mandato; secus enim *non est intentio Papæ collatorem Ordinarium gravare super receptione, vel institutione duorum*; ita expressè textus *in cit. c. Mandatum.* Et videtur procedere, ut expressè loquitur Rubrica, sive primus exspectet, sive sit jam gratiam consecutus.

Not. 12. in casu, quo novus Pontifex rescripto suo gravat aliquam Ecclesiam, ut *Titio* provideatur de benficio in eadem, adjectâ clausulâ, *nisi ea Ecclesia simili mandato suo gravata fuisset*, adhuc Titio conferendum esse beneficium proximè vacaturum in ea Ecclesia, licèt ille novus Papa dederit ad eandem Ecclesiam rescriptum executorium pro Cajo providendo in illa, pro quo ejus Prædecessor ad eandem dedit monitorias, ut huic provideretur in ea de beneficio, ut habetur in c. *Literis, 39. h. t.* quia rescriptum illud executorium non tam fuit successoris, seu novi Pontificis factum, quàm prosecutio facti antecessoris, ut explicat ipse textus; & ideo rescripto pro Titio non obstabat rescriptum, seu mandatum pro Cajo; quia hoc non tam erat factum novi Pontificis, quàm Prædecessoris. Hodie tamen omnes gratiæ exspectativæ, seu mandata de providendo in beneficiis vacaturis, ex consuetudine in curia Romana, quæ vivente, à quo data sunt, Pontifice, non habuerunt executionem jure reali in eis acquisito, à Successore revocantur, ut constat ex c. *Si is, cui, 39. cum seq. de præbend. in 6. c. fin. de concess. præbend. c. 2. eod. in 6.* de quo plura Tridentinum *Sess. 24. de reform. c. 19.* quo gratiæ exspectativæ sunt penitus sublatæ, ibi: decernit S. Synodus, *mandata de providendo, & gratias, quæ exspectativæ dicuntur, neminì amplius, etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus, & alijs singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus* 1548.

con-

*conceſſis cuiquam uti licere. Sed nec reſervationes mentales, nec aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Eccleſias, vel Monaſteria alicui, etiam ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, concedantur, hactenus conceſſa, abrogata eſſe cenſeantur.*

## §. VII.

### *De literis ſeu reſcriptis in forma : perinde valere.*

1549. Cùm frequenter contingat ( præſertim in diſpenſationibus matrimonialibus) conceſſionem ex defectu aliquo invalidã, debere revalidari per novas literas, in quibus apponitur clauſula : *in omnibus, & per omnia*, qua ſignificatur, priorem gratiam revalidari, & id, cujus defectu infirma erat, ſuppleri : quæſtio eſt, an hæc clauſula reſcripto, gratiæ prioris revalidatorio, appoſita, ſuppleat *omnes defectus*, propter quos prior gratia nulla, vel infirma fuit.

1550. Ante reſolutionem not. reſcriptum impetratum ad priorem gratiam revalidandam, vocari reſcriptum, ſeu literas : *perinde valere*, & ejus effectum eſſe, ne prior gratia jam obtenta, in aliqua ſui parte minùs efficax, prorſus inanis reddatur, *illam revalidare*. Hinc gratia *perinde valere*, ſuſcitat ſpiritum primi reſcripti extincti ; Corradus *Apoſt. diſpenſ. l. 8. c. 5. n. 39.*

1551. Not. 2. gratiam *perinde valere*, tunc dari, quando Pontifex gratiam ſuam, ex aliqua parte invalidam, revalidat, adjecta dictione *perinde*, quæ ſignificat improprietatem, & fictionem. Papa enim poteſt fingere, ac ſtatuere, ut actus perinde valeat, acſi jure fuiſſet factus ; Bartolus, & alij *in L. Si is, qui pro emptor. ff. de uſucap.* ac proinde facit, ut ipſa prior gratia perinde valeat, ac ſi valida fuiſſet tempore impetrationis ; Rebuffus *in praxi, tit. de reſcripto : Etiam*, & *perinde valere.*

1552. Not. 3. per gratiam *perinde valere* non ſupplere alios defect$^{os}$ in prima ſupplicatione commiſſos, niſi expreſſos in ſecunda ; ita Rebuffus *loc. cit.* & ex illo Corradus *cit. à n. 42.* quibus poſitis ad quæſtionem in *n.* 1549. factam : 2. hanc imperfectam expreſſionem non ſuppleri per clauſulam *in omnibus, & per omnia.* Nam verba non poſſunt operari ultra expreſſa ; cùm non expreſſa non cenſeantur in mente concedentis. Quare idem eſt, ac, *in omnibus expreſſis* revalidamus priorem gratiam.

1553. Cæterùm hæc clauſula importat hedum fictionem, ſed etiam veritatem in his, quæ verè fieri poſſunt. Unde ſi ſtatutum dicat, quòd filia nupta *per omnia* habeatur, prout *ſui juris*, verè dicitur *ſui juris effecta* ; ſic Angelus Aretinus *conſ. 107. n. 20.* Illud etiam hìc advertendum : in reſcriptis Apoſtolicis ſæpiùs etiam apponi hanc clauſulam : *ex nunc, prout ex tunc* ; quæ habet hunc effectum, ut diſpoſitio reſcripti retrotrahatur, perinde, acſi actus à principio purè factus eſſet ; Barboſa *de clauſul. clauſ. 61. nu. 2.* & habet hunc effectum, ut actus poſtea factus, cenſeatur jam à principio factus ; *Gloſſ. V. ex nunc, in Clement. Volentes, de hæretic.*

1554. Not. 4. quòd dicta clauſula in diſpoſitione *conditionali* non operetur retrotractionem, niſi juſtificata conditione ; Barboſa *cit. n. 4.* in reſcriptis autem, & gratiis ( quæ imitantur naturam ultimarum voluntatum ) conditio etiam caſualis non retrotrahitur, ſed tempus conditionis inſpicitur, & perinde eſt, ſicut ſi tempore conditionis gratia fuiſſet facta, c. *Si pro te, 13. de reſcript. in 6.* ubi, ut exponit Joan. Andreas, dicitur : ſi primo ſub conditione provideri mandatur, & ſecundus purè impetrans ( priusquam veniat conditio ) à Papa, vel executore ſuo Canonicatum obtineat : in aſſecutione præbendæ primo præfertur.

1555. Not. 5. eandem appoſitam à Pontifice in collatione *de vacanti*, non ſuſpendere gratiam ; ſecus, ſi *de vacaturo* : operari tamen, quòd unum tempus videatur alteri ineſſe ; ſic Doctores in L. *hujusmodi, 2. ff. de Verb. oblig.* Hinc transfundit tempus præſens in futurum ; Paulus de Rubeis, *deciſ. 7. n. 6.* Not. 6. gratiam exſpectativam, conceſſam cum hac clauſula, retrotrahi ad tempus datæ gratiæ ; Felinus c. *Licèt cauſam de præbend. n. 6.* non tamen eſſe retrotractivam ad diem *datæ* in præjudicium juris alteri quæſiti medio tempore ; Barbaſa *cit. n. 8.* Ex hoc fit, quòd ſi Papa concedat exſpectativam de beneficio *vacaturo* cum hac clauſula, gratia usque adeò dicatur perfecta

fecta, ut non exspiret morte concedentis; Barbosa *cit. n.* 9. & Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancellar. gloss.* 12. *n.* 42. *vers. Sic etiam.*

## §. VIII.

### *De forma rescriptorum.*

1556. QUæstio est, qua ratione in rescriptis præscriptus ordo, & forma, seu modus sit servandus? Resp. ordinem verborum, seu scripturæ sic servandum esse, ut, quod priùs narratur, vel præcipitur, ante alia sit expediendum, c. *cùm dilecta, 22. junct. gloss.* V. *transponentes, h. t.* aliàs processus jure irritus est, non observato ordine *substantiali*; Felinus *ibid. n.* 4. & gloss. *cit.* V. *irritum*; constat hoc ex ipso textu *citati c.* 22. ibi: dictum insuper Scholasticum, & conjudices suos invenimus, *minùs providè processisse.* Cùm enim in literis nostris eisdem principaliter mandaretur, *ut ad prædictam Ecclesiam personaliter accedentes, personæ idoneæ administrationem committerent Abbatiæ, cui ad opus ejus fieret hinc inde resignatio subtractorũ: ipsi formam mandati Apostolici transponentes, illo capitulo præmisso, de alijs articulis inordinatè plurimum cognoverant*: propter quod processum ipsorum *contra nostri formam rescripti*, ac juris ordinem attentatum, *irritum decernimus, & inanem.* Quod verum est, sive agatur contra, sive præter, seu ultra formã rescripti, seu mandati, L. *diligenter, ff. mandati.* esto partes consentiant in transgressionẽ formæ; quia forma rescriptorum substantialis, est *juris publici*, cui pactis privatorum derogari non potest, *L. 3. C. de jurisdict.* Excipe, nisi forma merè in favorem partium data esset. Cæterùm specificè, & non per æquipollens impleri debet; Felinus *cit. ampliat.* 11. *n.* 7.

1557. Not. autem, quod dictum est, processum *esse irritum, non servatâ formâ rescripti*, intelligi de forma, & modo, qui jure communi non requiritur, sed à delegante *de novo* præcipitur, & inducitur; colligitur ex c. *Cùm dilecta*, 22. *h. t.* Felin. in c. *fin. de præsumpt. n.* 23. Sanchez *l.* 3. *matrim. D.* 33. *n.* 4. nam tali casu censetur *substantialis*, nisi aliunde colligi possit, quòd ille novus modus, à delegante præscriptus, sit solùm ad instructionem delegati; Pirhing *de rescript. n.* 48. Ex hoc vides in præsenti, processum vitiari non servatâ formâ præscripti, quando hoc præscribit novam formam in commissione facta, ultra id, quod jure communi servandum est. Illud etiam notandum, quòd interdum ly *&* in rescriptis justitiæ, vel gratiæ ponatur pro disjunctiva, & idem sit ac *vel*, L. *Sæpe*, 53. *ff. de verb. signif.* Hoc autem colligendum est vel ex materia substracta, vel ex intentione mandantis, aut concedentis; exemplum est in *c.* 2. *h. t.* de quo V. Pirhing *cit. n.* 50. reliqua in hoc puncto jam præmissa sunt.

# ARTICULUS VII.

### *De executione, usu, & abusu, rescriptorum.*

SUpponendum, Executores rescriptorum alios dari ad causas justitiæ, seu lites decidendas; alios, qui deputari solent pro exequendis gratijs, qui nihil habent jurisdictionis, sed nudum ministerium, seu executionem. Si enim habeant aliquid etiam jurisdictionis v. g. receptionem testium, vel quid simile, non sunt *meri executores*; his positis: 1558

## §. I.

### *Quibusnam personis committi possit, ac debeat executio rescriptorum Apostolicorum?*

CÙm non omnes sint jure habiles, ut sint Judices delegati, seu Commissarij, qui exequantur rescripta Apostolica, Bonifacius VIII. in c. *Statutum*, 11. *de rescript.* sancivit, *ut nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causæ literarum authoritate Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem de cætero committantur: nec audiantur alibi, quàm in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit commodè copia peritorum haberi*; pro cujus explicatione not. 1. *per dignitatem* hic intelligi, Ecclesiasticam præeminentiam junctam cum jurisdictione fori externi; & *per Personatum*, Ecclesiasti- 1559.

cam

eam præeminentiam, ſine jurisdictione; ſic Barboſa in c. *ſtatutum n.* 21.

1560. Not. 2. dictam conſtitutionem intelligi de executoribus reſcriptorum tam juſtitiæ, quàm gratiæ, modò non ſint *meri* executores; Navarrus in c. *cùm contingat de reſcript. causâ* 2. *nullitatis, n.* 8. item de *ſubexecutoribus*, ſeu *ſubdelegatis* gratiarum; cùm habeant poteſtatem cognoſcendi, & aſſumendi Judicis officium; ſic Rota Romana *deciſ.* 1. aliàs 99. *de offic. delegat.* in antiquis; etiam iis, qui exequuntur reſcripta, edita à Legato Pontificis, vel delegato ab illis, ſive Legatus ſit de latere, ſive miſſus, ſive natus, gloſſ. in c. *ſtatutum, V. Legatorum*: non tamen de executoribus ad cauſas *temporales* Eccleſiæ, quæ tractari poſſunt etiam coram Judice laico; ſed tantùm de cauſis, quæ agi debent coram Judice Eccleſiaſtico; Franchus in c. *ſtatutum, h. t. in* 6. *n.* 12. Unde nec habet locum in caſu reſcriptorum editorum ab Epiſcopis, & Ordinariis, gloſs. *cit. V. Sedis Apoſtolicæ*, quibus poſitis:

1561. Quæſtio eſt 1. quid dicendum, ſi commiſſio facta ſit ad aliquem, qui tempore commiſſionis factæ habuit dignitatem, quã reſignavit ante præſentationem literarum? R. ſi commiſſio ad eum directa ſit ſub *nomine proprio*, vel *ratione perſonæ*, adhuc exequi poſſe, & debere, c. *quoniam*, 14. *de offic. Jud. deleg.* ibi: *quia ſub expreſſis nominibus locorum, & non perſonarum commiſſio emanavit, ſibi ſocium in cauſæ cognitione adjunxit, nos ſententiam illorum (ſicut eſt juſta) ratam, & firmam habemus.* Nam ex hoc per oppoſitum colligitur dictum noſtrum, ut notat Layman *in cit. c.* 14. *n.* 4. excipe, niſi depoſitus foret ob crimen cum infamia, *arg. L.* 2. *ff. de Senatoribus.* Si verò ad eum directa ſit *ratione dignitatis, & officii*, eam exequi debet Succeſſor in officio, & dignitate, c. *quoniam cit.* Si verò directa ſit ad Canonicum Cathedralis Eccleſiæ, cùm is propriè Succeſſorem non habeat (gloſs. c. *quod ſicut de elect. V. conſentire*) cenſetur facta *perſonæ*, licèt non expreſſæ nomine proprio, & debet eam exequi etiam reſignato Canonicatu, gloſs. in c. *ſtatutum, V. Canonicis.*

1562. Quæſtio eſt 2. quid dicendum, ſi talis Canonicus, ad quem literæ papales directæ ſunt, ingrediatur religionem, poſſitne illas exequi? R. poſſe cum licentia ſui Prælati; quia ſtatus ſuperveniens non facit eum incapacem; Layman in c. *ſtatutum, de reſcript. n.* 7. Similiter Canonicus Eccleſiæ Cathedralis regularis, eſto profeſſus, poteſt eſſe delegatus, & commiſſarius Papæ; Abbas c. *cauſam de Judic. n.* 9. Sanchez *de matr. l.* 6. *c.* 13. *n.* 83. Layman *cit. n.* 8. quod etiam procedit ex eadem ratione *de Canonico non habente præbendam.*

Quæſtio eſt 3. an ſufficiat, quòd executor ſit in dignitate Eccleſiaſtica, non perpetua, ſed ad nutum revocabili? R. affirmativè per Clement. *etſi* 2. *de reſcript.* ubi dicitur, quòd principalis *Officialis Epiſcopi*, & *Prior conventualis*, licèt obedientiarius, delegari poſſint à Papa: Officialis verò *foraneus*, vel Prior *clauſtralis*, non. Quod procedit 1. eſto ſit Officialis, ſeu Vicarius generalis Epiſcopi *electi, & confirmati*, ſed *nondum conſecrati*; quia conſecratio nihil *jurisdictionis* addit. *Clement. cit gloſſ. V. Epiſcopi*; ſed in Vicario Archidiaconi, vel alterius Prælati Epiſcopô inferioris, locum non habet; ſic *gloſs. cit.* 1563.

Quæſtio eſt 4. quid dicendum, ſi in aliqua diœceſi ſint plures Officiales, ſeu duo Vicarii generales? R. ſi ambo ſint æquè principales, utrique reſcriptorum Apoſtolicorum executionem committi poſſe, per *gloſs. marg. in cit. Clement.* 2. *V. principalis:* ſi autẽ unus eorum conſtitutus ſit *generaliter* ad omnes cauſas, & loca diœceſis; alter verò ſolùm ad certas, vel ſolùm in certa parte diœceſis, hic eſſe nequit delegatus, ſeu Commiſſarius Papæ; *Clement.* 2. *& gloſs. ibi V. foraneo*; quia ſic caret Eccleſiaſtica dignitate. Idem dicendum venit, ſi unus eorum ſit ſolùm Vicarius *in ſpiritualibus*, & alter ſolùm *in temporalibus*; Layman in c. 11. *de reſcript. in* 6. *n.* 3. Nam ſic poſtremus neque jurisdictionem, neque dignitatem Eccleſiaſticam habet; adeóque Commiſſarius, ſeu delegatus Papæ eſſe nequit; ſecus eſt de priori. Vicarius autem Capituli conſtitutus, Epiſcopali ſede vacante, eſt Officialis, ſeu Vicarius jurisdictionis Epiſcopalis, adeóque poteſt eſſe commiſſarius Papæ, gloſs. *in cit. Clement.* 2. *V. Epiſcopi.* 1564.

Quæſtio eſt 5. an Prior *conventualis* poſſit eſſe Commiſſarius, ſeu delegatus Papæ? R. poſſe, ſi præeſt toti conventui 1565.

Regularium cum jurisdictione. Nam sic obtinet præeminentiam cum jurisdictione super certo Conventu Regularium, *cit. Clemen. 2. junct. gloss. V. Electionem*, quod verum est, etsi tales Priores non sint perpetui. Secus dicendum est de Prioribus *claustralibus*, qui in eodem Conventu subjecti sunt Abbati, ad quem pertinet immediatè potestas administrationis, & jurisdictionis. Nam tales Priores nec dignitatem, nec jurisdictionem habent, sed simplex officium, seu curam, ac solicitudinem; ita *cit. Clem. 2. de rescript. cum gloss. V. Claustrali.*

1566. *Guardiani* autem Ordinis Minorum, esto dignitatem Ecclesiasticam habeant, propter peculiarem ordinis constitutionem delegati esse non possunt ad ejusmodi delegationes: seu jurisdictiones delegatas cum litigio bonorum temporalium junctas; nec eas sine Generalis licentia suscipere possunt Superiores Societatis nostræ, ut tradit Layman in c. *Statutum*, *n.* 4. quod etiam procedit de Cancellario nostræ *Societatis*, esto aliàs Cancellarius Universitatis approbatæ à Papa, personatum habeat, & delegatus Papæ esse possit, per Layman *cit. n.* 5. excipe, nisi Papa ex certa scientia ejusmodi Priorem claustralem deputaret delegatum suæ sedis; gloss. *fin. in cit. clem.* 2. quod etiam procedit, si taliter deputaret simplicem Religiosum, ut colligitur ex cit. *c. Statutum.*

1567. Quæstio est. 6. ubi executio causæ per Papale rescriptum delegatæ fieri debeat? Resp. non alibi cognosci, tractari, vel audiri debere, quàm in civitatibus, vel locis insignibus, ubi copia peritorum (juris nimirum) commodè haberi possit, cujusmodi sunt Advocati, Assessores, seu Consiliarij, c. *Statutum*, 11. *de rescript. in 6.* gloss. *ibid. V. copia*, & *V. peritorum.* Textus cit. c. 11. sic habet: sancimus igitur, *ut nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus: seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causæ auctoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem de cætero committantur: nec audiantur alibi, quàm in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit commodè copia peritorum haberi.*

1568. Quæstio est. 7. in quo loco Reus conveniri debeat per rescriptum Apostolicum contra eum impetratum? Resp. 1. quando Actor, & Reus in eadem civitate, aut diœcesi existunt, causam committi non posse extra civitatem, aut diœcesim, nisi in casibus expressis, c. *statutum, de rescript.* §. *cùm verò, in 6.* Layman *ibid. n.* 9. quod etiam procedit, esto Reus etiam alteri in alia civitate subditus sit, *Clement.* 1. *eod.* Si autem sint diversæ civitatis, vel diœcesis, ille debet impetrare delegatum vel in civitate, & diœcesi Rei; vel in alia non propria, nec ultra unam diætam existente cit. c. *statutum*, §. *cùm autem.* Delegatus autem, extra locum commissionis nihil agere potest, nisi de consensu partium expresso, neque alteri causam subdelegare, nisi in eum locum, & personis requisitam qualitatem habentibus, c. *statutum cit.* §. *cùm autem.*

## §. II.

### *An delegatus Apostolicus à partibus munus aliquod accipere possit?*

1569. RESP. quòd talis delegatus *ad lites*, nullum munus à partibus accipere debeat, nisi sit esculentum, vel poculentum, ex mera liberalitate oblatum, quod intra paucos dies absumi possit, c. *statutum, cit.* §. *Insuper;* alioquin acceptum restituere debet, §. *Si quid autem.* Hoc autem intelligendum non est de aliis Papæ Commissariis, quibus v. g. dispensationes super votis, vel impedimentis matrimonii committuntur; quia §. *Insuper*, loquitur de delegatis *ad lites*; & cùm sit pœnalis, de casu ad casum extendi non debet; Layman *cit. n.* 14. & 18. sed intellige, ut de his non procedat, *quoad inhabilitatem comparandi dominii, muneris accepti*; quia quoad hoc ille textus est specialis, & novus, præsertim, cùm etiam annullet remissionem restitutionis faciendæ factam à dante.

1570. Quæstio est, an consuetudo in quibusdam diœcesibus vigens, ut Officialis recipiat scutum aureum, pro labore in audiendis testibus ad verificanda narrata, quos partes producunt, repugnet huic decreto, ut nullum munus recipiatur; nec accepti dominium acquirat? negat Sanchez *l.* 8. *matrim. D.* 35. *n.* 10. quia *datum pro labore*, non est *munus*, vel *præmium*, sed *merces*: mihi verius est, repugna-

pugnare; ita Navarrus *in consil. ult. de rescript. editione.* 2. Layman *cit. nu.* 13. quia *in dict.* c. dicitur: *nullum munus, vel quicquid aliud.* Deinde, quod comparatione aliorum laborantium *merces* appellatur, comparatione advocati, honestiore vocabulo *munus*, vel *honorarium* dicitur; sic Layman *cit.* hinc negatur, quòd datum illud non sit *munus*, præsertim cùm ille labor sit ex justitia debitus; & delegatus teneatur gratis exequi, quod utique laboris compensationem excludit. Sed quid, si delegatus munus oblatum restituat danti, & hic munus sibi redditum, de novo Judici liberaliter donet? valebitne tunc donatio, ut Judex licitè retineat? Resp. probabiliter affirmari à glossa in c. *statutum*, §. *si quid autem*, *v. remissione*, & Molina *cit. n* 14. cum Layman *cit. nu.* 17. modò id non fiat in fraudem, & delegatus desierit esse Judex dantis; nam *aliud est*: restitutionem muneris accepti remittere; id, quod annullatur cit. §. *aliud*, rem in effectu restitutam denuo donare.

## §. III.

### *Quis teneatur solvere expensas executionis?*

1571. REsp. quòd ei incumbat sumptus præstare, cujus gratiâ actus exercetur, L. *Sed etsi*, §. *quo autem loco*, *ff. ad exhibendum.* Sumptus autem pro testibus præstare debet is, qui eos producit, L. *quoniam*, *C. de testibus*; V. Andreas Gail. *l.* 1. *observ.* 99. quod autem Judex ex officio facit, non ad partis instantiam, utriusque partis sumptibus expediendum est; ut, cùm petit consilia Doctorum; ita Zasius in L. *Prætor ait*, §. *Is etiam*, *ff. de edendo*: idem dic de Assessoribus quoad sumptus, qui pro illis fiunt, & ex indigentia assumendi sunt à delegato. Si autem assumat eos sine necessitate, Judex ex proprijs debet illis providere, c. *statutum*, *de rescript.* §. *Assessorem.*

1572. Ne autem Notarii ad scribendum assumpti, cùm id genus hominum, ut ait Layman cit. *nu.* 16. in exigendo salario plerumque rationis metas excedat, jubetur delegatus, prudenter refrænare, & nullatenus cum iis, aut Assessoribus lucrum participare; & secus ad restitutionem tenetur, non profutura ipsi remissione ab illis facta, quibus restitutio fieri debet, c. *statutum*, *cit.* §. *Notarium*, &c.

Præter hæc not. quæ diximus de sumptibus præstandis à partibus, intelligi, 1573.
quando faciendi sunt pro executione rescripti *Papalis*; non verò delegati ab inferiore, Papâ (v.g. ab Episcopo) etiam ad causam particularem. Tunc enim sumptus præstandi sunt à delegante, cùm ad eum ratione officii pertineat causas expedire, & ideo fructus beneficiorum percipiat, per c. *cùm ab omni*, 10. *de vit. & honest. Clericı* ibi: *cùm ab omni specie mali præcipiat Apostolus abstinere*: sanè ad audientiam Apostolatûs nostri pervenit, quòd cùm ex delegatione nostra causas suscipitis pertractandas: *more sæcularium* super decima litis, vel parte alia pro diversa terrarum consuetudine *præter expensas victualium cum litigantibus receptis pignoribus*, *pro salario convenitis.* Nos attendentes, *quòd ad hoc vobis, & aliis Clericis sint Ecclesiastici reditus deputati, ut ex ipsis honestè vivere debeatis*: *ideoq. mandamus, quatenus ab hujusmodi exactionibus de cætero abstinentes, vigorem judiciarium gratis studeatis litigantibus impartiri*, non obstante, quòd in fraudem à quibusdam proponitur, quòd id exigatur nomine assessorum, cùm nec justum judicium Judici vendere liceat, & venales sententiæ ab ipsis etiam sæcularibus legibus reprobentur; sic Molina *cit. D.* 84. *num.* 8.

## §. IV.

### *De usu rescriptorum.*

QUæstio est, 1. quid dicendum de 1574.
pluribus rescriptis, simul, vel successivè impetratis ab eodem? Resp. si sint simul eodem tempore data ad idem beneficium, censeri unum, etsi inter se non pugnent, censeri omnino valida; Abbas c. *in nostra de rescript. n.* 5. idem dic, si successivè impetrata sint sub eadem forma, & tenore, ad majorem securitatem, gloss. c. *ex tenore*, *de rescript. V. negotio*: si autem sint ad diversa, aliqui censent esse tunc in arbitrio impetrantis, uti, quo volet; gloss. in c. *in nostra*, *cit. V. mentionem*;

*nem*: sed probabilius est, posterius non valere, nisi constet, vel probari possit, priori esse renuntiatum; tum quia secus præberetur occasio fraudibus; tum quia tale rescriptum, cùm sit ambitiosum, restringendum est, c. *quamvis, de præbend. in 6.* ibi: *quamvis plenissima sit aliàs in beneficiis interpretatio facienda*: literæ tamen *super obtinendis beneficiis impetratæ, debent* (*cùm sint ambitiosæ*) *restringi*: & ideo si alicui usque ad certam summam provideri mandamus: ei non in pensione, sed in beneficiis Ecclesiasticis tantùm volumus provideri: nisi de petitione in nostris literis mentio habeatur expressa.

1575. Quæstio est. 2. quid agendum, quando Titius impetrat rescriptum pro beneficio sibi conferendo, si Cajus postea super eodem impetret aliud? Resp. beneficium Titio relinquendum (idem dic de præbenda) si priùs, quàm Cajus præsentaret suum rescriptum, provisus sit; si verò Cajus prius præsentet, & provideatur, huic relinquendum, c. *Tibi, de rescript. in 6.* Loquimur autem de rescripto gratiæ *conferendæ*, non *collatæ*. Nam in hoc adhuc Titius est Cajo præferendus, esto hic suas literas priùs præsentaverit, c. *eum, cui, 7. de præbend. in 6.* Unde responsio nostra ex c. *Tibi*, procedit de rescripto, seu gratia *exspectativâ*. Sed hanc responsionem nihilominus:

1576. Limita 1. nisi executor mandati pro Titio Collatori intimaverit mandatum sibi factum de providendo ipsi Titio, eique vigore mandati prohibuerit, ne alteri conferret, prohibitione irritante collationem factam alteri. Tunc enim Titius præfertur Cajo, licèt hic literas suas priùs præsentaverat, c *Tibi*, §. *Idem quoque*. Limita 2. si rescriptum pro Titio habeat clausulam, ut irritum sit, & inane, *si quid contra fuerit attentatum*; gloss. in c. *Tibi quin imò. V. decretum.* Excipe, nisi Titio objici possit notabilis negligentia in suis literis præsentandis, c. *Tibi. §. fin.*

1577. Quæstio est. 3. quid dicendum, quando Titius impetrat rescriptum pro beneficio sibi conferendo *sub conditione* suspensiva; & postea Cajus aliud super eodem *absolutè*? Resp. si Cajus ante conditionis eventum obtineat beneficium, licèt postea sequatur, seu purificetur conditio, & Titio idem Canonicatus conferatur, Cajum Titio esse præferendum; ita statuitur c. *Si pro te, 13. de rescript. in 6.* Nam sic jus Caij, utpote absolutum, potius est jure Titij. Sed quid in casu, quo duo, vel plures uno eodemque die datas literas impetrârunt, deputatis certis Executoribus de Canonicatu, & præbenda in eadem Ecclesia? Resp. si non appareat ulla alia diversitas, eum esse præferendum, qui priùs etiam uno quadrante impetravit; quia cæteris paribus *prior tempore, potior jure, reg. jur. 54. in 6.* Si autem nec hoc sit, sed uni Papa beneficium contulit, & alteri conferri mandavit, ille præferendus est, licèt hic ab Ordinario in Canonicatu jam receptus sit; quia is, cui Papa contulit, propter authoritatem conferentis potius jus habet, c. *Si sede, depræbend. in 6.* Ubi verò utrique Papa contulit, vel utrique conferri mandavit, nec alia est ratio potior, is præferendus est, qui literas citiùs præsentavit. Si autem simul præsentent, & ex literis non clarè pateat, quòd Papa singulis provideri voluerit, tunc ille præferetur, quem voluerint illi, ad quos spectat collatio, vel saltem eorum pars major, c. *duobus, 14. de rescript. in 6.*

Quæstio est. 4. quid dicendum, si *Titius* impetret rescriptum pro beneficio sibi conferendo; & Papa hoc annullato ad idem rescribat Cajo; Titius verò postea impetrat, ut ad gratiam revocatam restituatur? Resp. nisi Papa in postremo rescripto aliud exprimat, in assecutione talis beneficij præferendum esse Cajum; quia talis restitutio (nisi aliud exprimatur) censetur fieri sine præjudicio juris alieni, c. *quamvis de rescript. in 6.* Et notandum, hoc procedere, etiamsi aliàs in restitutionibus, quæ fiunt ex justitia, vel æquitate, propter læsionem, vim, vel aliam causam justam, restitutio fieri soleat in integrum, ita, ut privatus recuperet omnia, quæ antè habebat, perinde acsi privatus non fuisset, *L. 1. ff. ex quibus causis majores*; item *L. 1. & L. ult. in fine, C. de sent. pass.*: Si quis tamen à Principe ad gratiam revocatam, & legitimè extinctam restituatur, non fit ad illam restitutio cum præjudicio juris interea quæsiti alteri; quia hæc restitutio censetur nova gratia, seu concessio, gloss. *in cit. c. quamvis, V. Cùm talis*; 1578.

*lis ;* quà intelligitur *salvo* jure alterius, per *n.* 1544.

1579. Quæstio est. 5. quid agendum, si super eadem causa impetratis diversis rescriptis ad diversos Judices dubitatur, quodnam alteri præferendum? Resp. 1. si in hoc casu una pars Judicum delegatorum alteri deferat, ut cognoscat, ad quos jurisdictio pertineat? illos solos, quibus defertur cognitio, super hoc dubio debere decidere, an prius rescriptum sit, vel non sit per posterius revocatum, & id, antequam de causa principali cognoscatur, c. *Pastoralis*, 14. *de rescript.* Si autem neutra pars Judicum delegatorum alteri parti deferre velit, sive concedere potestatem super hac controversia, tunc simul inspectis rescriptis, eorumque datis definire debent, utri parti jurisdictio, seu potestas cognoscendi competat? si verò inter se convenire non possent, tunc ab utraque parte litigante communi consensu arbitri eligi debent, qui controversiam definiant, c. *Pastoralis*, *cit.* Si causa aliqua communi consensu Judicum delegatorum per diversa rescripta datorum decidenda sit, non sufficit, si major pars absolutè omnium delegatorum consentiat, sed requiritur, ut major pars delegatorum in quolibet rescripto consentiat; sic gloss. *in cit. c. Pastoralis*; *V. plures.* Si demum nec per arbitros definiri possit, recurrendum erit ad Pontificem; sic Abbas in c. *Pastoralis*, *num.* 4.

1580. Quæstio est. 6. quid faciendum, quando contenditur occasione duorum rescriptorum, unius in causa principali, alterius in causa appellationis? Resp. quòd in eo casu de validitate appellationis, seu an sit, vel non sit legitimè appellatum? cognoscere debeat Judex appellationis, non autem Judex super causa principali, c. *dilectus*, 29. *de rescript.* ubi, cùm quæstio mota esset, an Judex super principali, vel delegatus super appellatione cognoscere debeat de validitate appellationis? Judicibus super principali scripsit Honorius III. mandamus, quatenus (si est ita, quòd ipsi Judices super principali, etiam contempta appellatione, processerint, invalidam reputantes) causæ supersedeatis eidem; *cùm non vos, sed dicti Judices* (delegati scilicet) *cognoscere habeant, ad quos jurisdictio debeat pertinere.*

## §. V.

### *De variis abusibus rescriptorum, ac pœnis eorum.*

PRimus est, si quis rescriptum pro se 1581.
acquisitum cedat alteri ejusdem nominis *c. fin. h. t.* Porrò cessionarius, utens tali rescriptò, committit crimen *stellionatûs*, quo intelligitur delictum commissum per quamlibet impostoram, seu callidam circumventionem, quæ proprio, seu specifico nomine caret; Abbas in c. *fin. de rescript. nu.* 8. Nam rescripta justitiæ sunt jura personalia, nec excedunt personas, quibus concessa sunt, consequenter cedi non possunt alteri per c. 40. *de offic. delegati*, ubi expressè habetur; *delegatam jurisdictionem ad personas, non expressas in rescripto, etiam de ipsarum consensu, prorogari non posse.*

Secundus; cùm quis impetrat rescri- 1582.
ptum contra personas, quibuscum nulla ipsi controversia est, & sic illas calumniosè trahit ad judicium, c. *fin. cit.* Tertius est, si quis literas impetratas ad controversiam decidendam, trahat *ad futuras causas*, quæ tempore impetrationis nondum ortæ erant, c. *fin. cit.* Quartus, si quis impetret plura rescripta super eadem causa *ad diversos Judices*; vel etiam *super pluribus negotiis*, vel *personalibus actionibus*, quæ commodiùs *coram uno Judice* tractari possent, c. *fin. cit.* & c. *dispendia, de rescript. in 6.* Quintus, si Reus convenire volens Actorem suum, impetret rescriptum adversus Actorem, *ad diversos Judices*, c. *fin. de rescript.*

Quoad alteram verò partem, de pœ- 1583.
nis abutentium rescriptis Apostolicis, not. duas pœnas jure canonico statutas in eos esse. Prima est, ut abutens, *omni commodo* impetrati rescripti careat; c. *fin. cit.* & c. *dispendia, cit.* & processus, vi talium literarum institutus, sit nullus, c. *dispendia.* Secunda est, ut ad legitimas expensas, & damna condemnetur; ita in citatis capitulis; intellige, si pars passa id petat, nisi personæ sint miserabiles; Pirhing *cit. num.* 159. tunc enim Judex condemnare abutentem debet in expensas, parte etiam non petente, ex pietate.

## ARTICULUS VIII.

### *De rescriptorum derogatione.*

1584. DE derogatione plura jam dicta sunt *à n.* 1097. quæstio hic est circa rescripta Papalia, quæ, cùm diversis plerumque clausulis subjecta sint, egent speciali explicatione, ubi concurrunt plura rescripta pro diversis temporibus, ut si post rescriptum generale detur aliud speciale priori contrarium; quibus positis:

#### §. I.

#### *An per rescriptum speciale derogetur generali?*

1585. RESp. si rescriptum generale nihil aliud concedat, quàm quod jure communi concessum est, & speciale continet aliquid contra, vel præter jus commune, illi per hoc derogari in eo, quo ipsi contrarium est, v. g. Titio concessum est generaliter, quòd liberè possit appellare; si Cajus impetrat rescriptum contra Titium in aliqua causa cum clausula: *sublatô appellationis remediô*, prævalet rescriptum Caij, ut habetur *c. 1. h. t.* ubi cùm per Archi-Episcopum Senonensem quæsitum esset ab Alexandro III. si alicujus causa delegatis judicibus sublatô remediô appellationis committitur: & literis Apostolicis altera pars munita (quibus ei generaliter est indultum, ut liberè sibi liceat appellare) in vocem appellationis proruperit: an ejus in eadem causa debeat appellationi deferri? respondit: *quòd ejus in hac parte appellatio non debeat admitti, postquam est causa judicibus appellatione remota commissa; quia speciale mandatum derogat generali.* Not. autem hoc procedere, licèt in rescripto speciali non fiat mentio illius rescripti generalis, nihil nisi dispositum jure communi continentis; quia tali casu non præsumitur Princeps ignorare tale rescriptum, vel privilegium, sicut non præsumitur ignorare jus commune.

1586. Dixi: *si rescriptum generale nihil aliud contineat, quàm quod jure communi concessum est*; unde moveri potest quæstio, an procedat etiam in casu, quo rescriptum generale aliquid continet etiam ultra jus commune v. g. ut liberè possit appellare; *etiam sæpius, quàm jure communi permissum sit*? affirmativam sequitur Pirhing *h. t. n.* 161. volens id procedere, licèt in rescripto speciali nulla fiat mentio de contrario generaliter concesso, si per rescriptum generale impetranti nondum sit acquisitum jus in re, sed tantùm ad rem; rationem sumit ex eo, quòd *generi per speciem derogetur, licèt in specie derogante nulla fiat mentio generis*, c. *dudum*, 14, §. *Nos igitur*, *de præbend. in* 6; & confirmat ex eo; quia, licèt quis habeat generale privilegium conferendi omnia beneficia suæ diœcesis, vel certi loci, si tamen Papa alicui conferat tale beneficium, antequam privilegiatus alteri providerit, ille præferendus, licèt nulla in rescripto fiat mentio, derogans privilegio generali, c. *quamvis*, 38. *de præbend. in* 6.

1587. Sed id, quod affirmat Pirhing *cit.* omnino procedere in literis gratiæ. Nam in literis gratiæ, specialis gratia, omnino derogat generali, & ei præfertur, ut expressè dicitur in cit. *c. quamvis*; & notat ibid. Barbosa *V. primæ generali gratiæ n.* 2. & ideo literis *generalis gratiæ*, inest tacitè clausula, *nisi fiat rescriptum gratiæ speciale, etiam carens clausula illi expressè derogante*; ne dicamus Pontificem, ignorato juri alieno, jam acquisito, nihilominus velle derogare; quod aliàs, ubi non exprimit, præsumi non debet ex dict. *n.* 1544. Unde, quando dicitur, *per speciem generi derogatur*, etiam *non factâ mentione generis in dispositione speciali*, non debet indefinitè accipi; quia quando genus debet in certa specie verificari, cùm sic potiùs sit rescriptum *speciale quoad effectum*, licèt sit *generale verbis*, non derogatur ei per rescriptum speciale posterius, priori contrarium *in ea specie*, nisi contineat expressionem derogantem illi in ea specie. Nam *posterius rescriptum speciale non derogat priori quoq. speciali quoad effectum*, licèt verbis generale sit; sic gloss. in *c. 1. h. t. V. mandatum*, Abbas in c. *Pastoralis*, 14. §. *quoniam*, *eod. n.* 3. & alii.

#### §. II.

#### *An rescripto speciali derogetur per subsequens generale?*

1588. RESp. negativè, si rescriptum posterius non faciat mentionem prioris sub clau-

clausula *illi derogante*; fundatur in c. *Abbatem* 140. *h. t. junct. gloss. V. per literas generales*, ubi dicitur, quòd diœcesanus, cui scribitur, ut in diœcesi sua, ubi pro alio scriptum non est, provideat, & faciat provideri, non possit id exequi circa beneficium spectans ad collationem alterius, jam pro alio gravati. & in c. *Si propter*, 10. *eod. in 6*. Nam postquam Bonifacius VIII. Episcopo cuidam ex speciali gratia concessit, ut ad dissolutionem debitorum Ecclesiæ suæ omnium beneficiorum vacantium in diœcesi primos fructus ad quinquennium percipere posset, non obstantibus quibus libet consuetudinibns, privilegiis, vel statutis, per quæ gratia ista impediri posset; aliquorum autem beneficiorum fructus primi anni speciali consuetudine, privilegio, vel statuto debebantur Ecclesiæ Cathedralis fabricæ, vel alteri usui, vel alicui personæ singulari, dubitatum fuit, quid de his fructibus faciendum esset? respondit Papa, *intentionem suam non esse, nova illa concessione specialibus antea factis primorum fructuum applicationib⁹ præjudicium afferre, nisi id expressum fuerit.* Princeps enim non censetur velle alicui auferre privilegium speciale, prius concessum, nisi id exprimat, c. *Veniens*, 19. *de Præscript.* sic Layman in c. 1. *de rescript. n.* 8. & hoc etiam procedit in rescriptis ad lites. Nam & in his generali derogatur per speciale secundùm dicta, ut colligitur ex c. *Pastoralis*, 14. §. *quoniam*, *eod. junct. gloss. V. Jurisdictionem.* In toto quippe jure, *generi per speciem derogatur*, sive species præcedat, sive sequatur; sic Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 12. *q.* 12.

## ARTICULUS IX.

### *De revocatione rescriptorum.*

1589. ANtequam agamus de revocatione rescriptorum, resolvenda venit quæstio, quando rescripta censeantur *esse in statu integro*, quando incepta, seu, *non esse in statu integro*? Ex hoc enim pendent plures quæstiones in materia rescriptorum. Nam, ubi executio rescripti jam est incepta, & non ampliùs est in statu integro, jurisdictio delegata prorogatur, seu firmatur, & radicatur in delegato; etiamsi mandans, seu delegans moriatur ante finem executionis. Ad hoc resolvendum sit:

#### §. I.

#### *An, ut res desinat esse in statu integro, requiratur jurisdictionis delegatæ usus per citationem?*

VIdetur negandum ex eo; *quia tunc* 1590.
causa delegata *desinit esse integra*, & dicitur jam *incepta*, quando delegatus jurisdictionis sibi commissæ exercuit aliquem usum; econtra *esse in statu adhuc integro*, quando *nullum* ejus usum exercuit; & colligitur ex c. *Licèt undiq.*, *de offic. deleg.* & c. *Si à subdelegato*, *eod. in 6.* Cùm ergo illi actus fieri possint, *ante citationem partium*, videtur, non requiri, *ut res desinat esse in statu integro*, factum esse usum jurisdictionis *per citationem.* Hæc opinio valde probabilis est; in praxi tamen tenendum, *requiri* saltem *usum per citationem*, propter communem Doctorum consensum, qui videri possunt apud Sanchez *l.* 8. *D.* 28. *à n.* 8. & constabit ex *sequentibus.*

Et quamvis citatus Author *num.* 13. 1591.
censeat, sufficere *citationem*, seu *mandatum* expressum, seu *expeditum esse à delegato*, licèt ad citatum non pervenerit; probabilius tamen est (ex suppositione sententiæ, *ut res desinat esse integra*, requiri citationem) necessarium esse mandatum partibus intimatum. Nam solùm mandatum citandi, vel intimandi, aut mandati expeditio, *non est citatio perfecta*, & consummata, qualem jura requirunt, dum partis citationem exigunt, arg. c. *quia propter*, & c. *Cùm post petitum, de elect.*

Unde quando in c. *gratum, de offic. de-* 1592.
*leg.* dicitur, negotium esse *quasi cœptum* ex hoc, *quòd propositum sit citationis edictum*, non intelligitur de sola mandati expeditione, sed de proposito edicto *cum effectu*, seu citatione facta, quæ non tribuitur nudo mandato; unde in eodem c. expressè dicitur: quòd, cùm in casu, *priori citatione facta*, negotium sit *quasi cœptum, proposito edicto*, non insinuatur, quòd sit quasi cœptum *ex sola edicti expeditione*: sed potiùs intimatione; præterquam quòd illa verba, quæ dicunt negotium *quasi cœptum proposito edicto* non sint.

sint verba Papæ, sed solùm partis; Pontifex enim expressè requirit *citationem factam.*

1593. Hinc, cùm *citatio* petatur ad inchoandam jurisdictionem, non potest solùm *mandatum* dici *citatio perfecta* in ordine ad effectum perpetuandi jurisdictionẽ in delegato. Nam licèt mandatum citandi partes sit aliquis usus jurisdictionis delegatæ; quia tamen perpetuatio jurisdictionis in delegato, supponit *usum per citationem* ad hunc effectum perpetuationis; & *mandatum citandi* non sit *citatio* propriè loquendô, sed tantùm quoddam ejus initium, solum mandatum non potest inducere illum effectum, nisi completum.

1594. Neque dicas cum Pirhing *h. t. n.* 179. citatio habet vim præcepti, ac instar ejus obligat, effectumque suum producit; sed præceptum, quatenus à Superiore procedit, censetur habere plenum effectum, & quantum est ex se, vim obligandi; licèt per accidens ratione ignorantiæ non obliget, donec fuerit intimatum; ergo similiter. Resp. nec præceptum obligare in actu secundo, antequam intimetur subdito, licèt habeat vim obligandi in actu primo solùm remoto; & proximè potens obligare requirat sui applicationem ad voluntatem subditi per cognitionem. Sic dicendum de citationis edicto, in quantum procedit à delegante.

1595. Si quæras, an ad hunc effectum perpetuandæ jurisdictionis sufficiat *unica citatio*? Resp. affirmari probabilius; quia in cit. c. *gratum*, & c. *à subdelegato*, plus non exigitur, quàm *citatio facta*; sed, licèt tantùm *semel* facta sit v. gr. per edictum, verè facta est citatio. Unde quando in Authent. *qui semel*, & L. *tres denuntiationes*, C. *quomodo, & quando Judex*, requiritur *trina*; sermo est *quoad effectum*, *ut condemnetur citatus*; non autem ad effectum, *ut perpetuetur jurisdictio*, ita Sanchez *cit. à n.* 14.

## §. II.

### *An, ut causa desinat esse integra, sufficiat usus jurisdictionis factus per citationem?*

1596. NEgativam tenent plures apud Sanchez *cit.* quibus accedit Salas *D.* 20. *S.* 17. *nu.* 127. Barbosa *p.* 2. *de potestate Episcopi*, *allegat.* 39. *n.* 29. volentes, jurisdictionem delegatam, integram esse, *quousque lis contestata sit.* Sed affirmativa, *quoad effectum perpetuandi jurisdictionem delegatam*, probabilior est 1. quia revera probabilius est, de jure, ad hunc effectum requiri usum jurisdictionis per citationem juridicam, ex *num.* 1590. 2. quia citatione facta, negotium est *quasi cœptum*, ut expressè dicit Urbanus III. *in cit. c. gratum*; sed hæc potest esse facta, *lite nondum contestata*; ergo etiam negotium quasi cœptum; consequenter non integrum; ita Sanchez *cit. V. dicta n.* 1590.

Dices tamen 1. in c. *Relatum*, 19. *de* 1597.
*offic. delegati*, decernitur *exspirare jurisdictionem delegati*, *lite non contestata*; ergo lite non contestata res manet integra; forus enim *contentiosus*, propriè dici non potest, nisi inter partes *contentio fiat*: at non est perfecta contentio, quousque lis contestetur. 3. quia ante litis contestationem non est *judicium*; quæ enim præcedunt, illius *præambula* dicuntur, ut notat Scaccia *in judic. c.* 2. *n.* 22. *&* c. 8. *num.* 15. ergo jurisdictio *judicialis* non erit exercita, *nisi post litis contestationem.* 4. lis non movetur, quousque contestata non fuerit per c. *Ex parte*, 30. *de Verb. signific.* ergo neque jurisdictio ad judicandum concessa priùs dicitur exercita.

Ad 1. ex c. *Relatum* Resp. verum esse, 1598.
quòd ibi dicatur, *si ante litis contestationem decesserit mandator*, seu mandans, *non esse à Judicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujusmodi procedendum*; ex quo textu, ut patet in objectione, inferunt aliqui, causam, & jurisdictionem delegatam manere integram, esto mortuus sit delegans, si ante hujus mortem lis non est contestata; consequenter jurisdictionem tali casu non perpetuari, sed exspirare, etiam citatione facta, sed lite nondũ contestata, id, quod tanquam probabilius amplectitur etiam Gonzalez in c. *Gratum h. t. n.* 4. quamvis *n.* 3. fateatur inter hæc duo capitula, nempe c. *Relatum*, 19. quod est Lucij III. & c. *Gratum* 20. quod est Urbani III. esse manifestam antilogiam, seu contrarietatẽ; nam in c. *Gratum* expressè dicitur, *perpetuari jurisdictionẽ in delegato*, facta citatione; in c. *Relatum*, negari videtur.

Ut

Ut hanc apparentem contrarietatem
1599. dissolvant Authores, in varias interpretationes abeunt. Aliqui volunt textum in c. *Relatum*, corrigi per posteriorem in c. *gratum*; verùm correctio jurium statui non debet, ubi conciliari possunt, ut diximus *titulo.* 2. Alij volunt, Lucium III. non utcunque dixisse, *jurisdictionem exspirare, si ante litis contestationem decedat mandans*; sed debere subintelligi tò *maximè*, ut sensus sit, jurisdictionem delegatam exspirare morte mandantis, *maximè* si contingat ante litis contestationem, ac quidem facta citatione; sed licèt hoc cogitari possit; verba tamen hoc non significant. Alij dicunt, cùm in judicialibus jus Ecclesiasticum sequatur ut plurimum constitutiones Juris Civilis, in quo controversum est, *an sola citatione, an non nisi litis contestatione*, res desinat esse integra? Lucium Papam secutum esse opinionem tenentiũ hoc secundum, *tanquam tutius*; Urbanum verò primùm, *tanquam benignius*; alij alias expositiones sequuntur.

Mihi videntur loqui Pontifices in di-
1600. verso casu. Nam quantum colligi potest ex c. *Relatum*, quæstio Papæ proposita fuit, an exspiret jurisdictio delegata, *si delegatus alteri subdelegavit, & ante litis contestationem* mandator, seu *delegatus subdelegans decessit*, sic, ut à nullo, nisi à delegato, ullus usus (nisi *subdelegationis*) priùs exercitus sit? & ad hoc Lucium respondisse affirmativè. Et in hoc sensu verum est, per talem usum subdelegationis non perpetuari jurisdictionem in subdelegato, si ante litis contestationem decessit delegatus delegans, de quo casu non agit Urbanus. Quòd autem ibi loquatur Lucius de delegato subdelegante, consequenter de casu, an delegato ante litis contestationem mortuo jurisdictio perpetuetur in subdelegato? colligitur ex eo, quia casus ibi propositus est, de delegatione facta Judicibus ab alio delegato ipsius Papæ, vel alterius, ut patet consideranti quæstionem ab Archi-Episcopo Cantuariensi, & Suffraganeis ejus Lucio III. propositam. Hinc:

1601. Ad cit. c. *Relatum* Resp. cum distinctione: *in cit.* c. dicitur exspirare jurisdictionem delegati ab alio delegato, si lite non contestata delegans moritur, nullo usu nisi subdelegationis exercito, C. non delegati ab alio delegato, N. ant. dist. consequens: ergo lite non contestata res manet integra, quando agitur de jurisdictione subdelegata per delegatum C. jurisdictione non subdelegata, N. cons. secundùm dicta.

Ad 2. *in n.* 1597. Resp. 1. transeat 1602.
ma. N. min. multi enim docent, judicium, etiam contentiosum (quod scilicet exercetur etiam in invitos) incipere à citatione ad finem contentionis inter partes; ergo ut res dicatur deducta *ad forum contentiosum*, quatenus requiritur *ad effectum perpetuandæ jurisdictionis* in delegato, sufficit factam esse citationem; esto litis contestatio requiratur, ut dicatur deducta ad forum contentiosum *quoad alios effectus* v. g. ut delictum non maneat *occultum*, prout requiritur, ut Episcopi absolvant ab irregularitate ex delicto *occulto*, & non deducto ad forum contentiosum.

Ad. 3. *in n. cit.* Resp. 1. cum distin- 1603.
ctione: ante litis contestationem non est judicium *continuativè*; C. *inchoativè*, N. ant. Primus enim actus substantialis, adeoque principium, & fundamentum judicij, est *citatio*, §. *ult. Institut. de pœna temerè litigant.* glos. in c. *Quoniam*, 11. *de probat. V. Citationes.* Resp. 2. cum distinctione antecedentis: ante litis contestationem non est *judicium, per ordinem ad quoslibet effectus*, qui nascuntur, cùm parti petenti coram Judice respondet Reus conventus C. ant. *per ordinem ad effectus, quos parit usus jurisdictionis judicialis*, hoc est, ad judicandum concessæ, N. ant. & sub eadem distinctione conseq. Nam ad effectum jurisdictionis delegatæ, imò etiam subdelegatæ perpetuandæ, sufficit, quòd delegatus jurisdictione delegata; vel subdelegatus subdelegata uti cœperit. Tunc enim nec morte delegantis secuta post talem usum, jurisdictio finitur, ut expressè deciditur in c. *Licèt*, 30. *de offic. deleg.* ubi resolvitur, si unus ex pluribus delegatis, alteri ex illis, suam jurisdictionem deleget, *& hic uti cœpit eo vivente*, jurisdictionem sic delegatam non exspirare, licèt post ejus usum mors mandantis secuta sit: at *citare* est usus jurisdictionis.

Ad 4. *in n.* 1597. sicut responsum est 1604.
in *num. priori ad* 3. Hinc concedo, litem non dici *motam*, nisi lis contestata fuerit,

fuerit, loquendo de motione *continuativè*, ac per ordinem ad quoslibet effectus, qui nascuntur ex eo, quòd pars conventa respondeat petenti; secus *inchoativè*, & per ordinem ad effectum, quem inducit usus jurisdictionis delegatæ secundùm dicta *ex cit. c. Licèt*, 30. ubi ad quæstionem, an, cùm tribus delegatis committitur causa ea lege, quòd, si non omnes possint commissioni exequendæ adesse, ut si unus, qui alteri delegavit, mortuus sit, & alter recusetur, superstes possit procedere, suo, & defuncti nomine? respondit Pontifex: quòd si jurisdictione à suo Collega sibi delegata *eo vivente uti non cœperit*, quia mandatum hujusmodi re integra morte mandatoris exspiravit: non habet solus officium judicandi: si verò *ante mortem illius jurisdictione uti cœperit* taliter demandata, vices suas, *& alius poterit adimplere.*

## §. III.

### *An causa desinat esse integra, si delegatus jurisdictionem commissam subdelegavit?*

1605. AFfirmativam sequuntur plures relati à Sanchez *cit. n.* 18. sed probabilius est contrarium, id, quod tenet Sanchez *loc. cit.* & alii complures. Quia jurisdictio delegata non perpetuatur, *nisi delegatus usus sit jurisdictione sibi delegata*: at per hoc præcisè, quòd delegatus *subdelegaverit*, non est usus jurisdictione *delegata*, sed *ordinaria*, virtute legis (non delegationis) competente delegato. Nam lex delegato concedit in his, vel illis casibus, potestatem subdelegandi; ergo. Et quoniam lex non distinguit, an subdelegatio fiat præsentibus, vel absentibus partibus, in utroque casu dicendum probabilius esse, ex sola subdelegatione non firmari jurisdictionem delegatam, nec dici posse, juridicè causam esse cœptam, & desiisse esse integram; id, quod confirmari potest ex dictis, tum sententiæ requirentis ad hoc litis contestationem, vel saltem partis citationem.

1606. Præter dicta quæri potest 1. an per rescripti præsentationem res desinat esse integra, & firmetur jurisdictio? Resp. *ex dictis n.* 1596. constare, quòd non, quia *acceptare* rescriptum, & jurisdictionem, non est, *eo uti*; ita Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 28. *n.* 19.

Quæri potest 2. an jurisdictio *ad plures causas*, vel circa *plures personas*, *in uno rescripto* delegata, firmetur, *per unam* v. g. *citationem*, quoad omnes? Rz. cum distinctione, & concedo firmari *quoad omnes per unicam citationem communem*, nimirum *omnium*; non autem, si citatio facta sit solùm *particularis*, nimirum, *unius tantùm ex illis*, quorum causæ commissæ sunt. Ratio primi est; quia per talem citationem *universalem* causa jam cœpta est, *quoad omnes*; per *particularem* autem, non *quoad non citatos*; ex quo habetur ratio secundi. 1607.

Dices: rescriptum, de quo in præsens, *est unum*; ergo cùm citatione particulari utatur eo rescripto; & usu rescripti firmetur jurisdictio rescripto delegata, citatione particulari firmabitur quoad omnes. Resp. usu rescripti firmari jurisdictionem quoad omnia in illo contenta, etiamsi plura sint, & diversa, *si rescriptum sit unum tam formaliter, quàm materialiter*; non autem, *si unum solùm materialiter, sed formaliter multiplex*; ita Sanchez *cit. n.* 25. Molina *de Just. Tr.* 5. *D.* 19. *num.* 4. Ratio est: quia rescriptum ad diversa, & independentia, perinde se habet, ac si forent rescripta distincta. Sic stipulationes multiplicantur ad multiplicitatem rerum specialiter designatarum, ut dicitur L. *Scire debemus*, *ff. de Verb. obligat.* Aliud est, si rescriptum contineat *plura*, sed *connexa*; vel *plura*, non tamen specialiter *designata*, sed *una universalitate*; tunc enim censetur adhuc *unum*, *etiam formaliter*; & usus unius, censetur etiam usus circa reliqua, quatenus commissa sunt; ita illi. Dixi, rescriptum censeri unum etiam formaliter, si contineat plura, sed connexa, intellige, inseparabiliter, & ubi dispositum in uno, altero nego, careret effectu. Unde sub hac limitatione intelligendum venit axioma illud: *connexorum idem est judicium*, ex quo aliqui nimis liberaliter procedunt, ut ostendit solidis omnino responsis P. Nicolaus Rayeus in Examine Juridico-Theologico Præambulorum ad exhibitionem errorum P. Danieli Papebrochio imputa- 1608.

torum

torum à P. Sebastiano à S. Paulo, *præambulo 3. à n. 2.*

1609. Ex dictis colliges 1. quando alicui delegatur munus aliquod (v. g. visitandi aliquam Ecclesiam curatam, vel Monasterium) cujus exercitium citatione non indiget, jurisdictionem dici cœptam, consequenter rem non amplius esse integram, per primum usum talis muneris circa aliquid eorum, ad quæ tale munus se extendit; quia nec citatione juridica, nec litis contestatione indiget, ut dicatur *cœpta.*

1610. Ex hoc colliges. 2. idem dicendum in rescriptis *gratiæ faciendæ.* Nam hoc ipso, quòd eum *authoritativè*, hoc est, *communi virtuti rescripti* ad te voces, cui gratia facienda est, jurisdictio cœpta est, & negotium jam non amplius est integrum, consequenter non exspirat jurisdictio, & potestas exequendi gratiam, licèt ante executionis finem delegans moriatur. Nam in rescriptis gratiæ non habet locum judicialis citatio; sic Felinus *in c. Pastoralis, §. quoniam, h. t. n. 3.*

1611. Collig. 3. si, postquam accepisti rescriptum, ut inter Oratores dispenses in impedimento matrimonij, vocâsti testes ad examinandum, *an preces veritate nitantur?* Jam negotium esse cæptum, nec amplùs rem integram, consequenter te nihilominus posse procedere ad dispensandum, licèt Pontifex, qui hanc gratiam, faciendam illis, tibi delegavit, ante dispensationem factam decesserit; quia sic decessit, re non amplius integra.

1612. Dixi *n. priori*, in rescriptis *gratiæ faciendæ.* Difficultas est, quænam rescripta contineant *gratiam* jam *factam*; quæ primò *faciendam*? Sanchez *l. 8. matr. D. 28. n. 87.* dicit, dupliciter fieri posse rescriptum *gratiæ*, 1. quando alicui sic committitur facultas de provisione *certæ personæ* in aliquo beneficio, vel absolutione, aut dispensatione facienda in favorem ejus, qui providendus, vel absolvendus, aut dispensandus est, *ut liberè uti possis ea facultate. 2. ut tenearis eâ uti ex mandato, vel præcepto.* In primo casu dicit, rescriptum continere *gratiam faciendam*; in secundo casu, *factam.* Rationem dat, quia in priori casu nemini est jus quæsitum per eas literas, seu rescriptum. Non *provisuro*; quia, ut ponit casus, facultas ibi non conceditur in ejus favorem; non *providendo*; quia relinquitur arbitrio providentis: ubi autem hic tenetur præstare gratiam, nihil requiritur, nisi mera executio, adeoque gratia jam est facta; sic ille.

Suarez *l. 8. de legib.* non approbat hanc doctrinam, quòd, ubi delegatus *tenetur* exequi rescriptum, *gratia censeatur facta.* Quia illa obligatio, seu necessitas præstandi gratiam, transit in mandatum; mandatum autem exspirat morte mandantis, si contingat re integra, ut habetur in c. *Relatum, 19. & gratum, 20. de offic. delegat.* L. *mandatum*, C. *mandati*: ergo etiam tali casu exspirat ea gratia; quod tamen non fieret, si jam esset *facta.* Et ideo cum Molina *tract. 5. de Just. D. 20. n. 4.* docet citatus Suarez, attendendum, *ad quem rescriptum dirigatur?* si enim ad te dirigitur data tibi facultate, vi cujus eligas Confessorem, qui te absolvat, aut dispenset, aut tibi de beneficio provideat, gratiam censeri *factam*, sive Confessor ad id faciendum obligetur, sive non; quia gratia sic concessa jam est quasi dispensatio facta in re: at verò, si rescriptum directè referatur ad alterum, ut tibi provideat, te absolvat, vel tecum dispenset, gratiam non esse factam, sed *faciendam.* His non obstantibus: 1613.

Sententiam Patris Sanchez probabiliorem judicat Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 4. p. 16. §. 2. n. 3.* cum Garcia *de benefic. p. 6. c. 2. §. 3. à n. 304.* quia in hac quæstione attendi debet, *cui gratia in effectu fiat non, ad quem rescriptum referatur*; sed in effectu gratia fit *dispensando*, sive rescriptum referatur ad dispensantem, sive ad dispensandum, si dispensans *tenetur* dispensare. Nam sive mandetur Sacerdoti, ut tecum dispenset; sive tibi dicatur, ut eligas Sacerdotem, qui tecum dispenset, ex obligatione, ut hoc faciat, in tui favorem rescriptum fit. Unde non solùm rescriptum, in quo tibi conceditur beneficium primò vacaturum; sed etiam, quo mandatur Ordinario, ut tibi conferat beneficium primò vacaturum, rescriptum continet gratiam *factam.* Nam in utroque casu non tam Ordinarius tibi confert, quàm exequatur gratiam à Pontifice fa- 1614.

ctam; in utroque enim habes jus ad beneficium primò vacaturum.

1615. Ad rationem *in n.* 1613. Resp. dupliciter alicui imponi posse *mandatum* de faciendo aliquid, primò, *quando gratia fit* alicui in effectu; secundò, quando nondum fit in effectu; quo posito: dist. maj. illa obligatio, seu necessitas transit in mandatum de gratia, *quæ in effectu fit*, C. secùs, N. ma. si in effectu fieret, non tam haberet rationem gratiæ ipsi factæ, sed potiùs oneris; dist. min. sed mandatum exspirat morte mandantis re adhuc integra, quando in effectu fit mandatario, C. tertio, N. min. & sub eadem distinctione conseq. Mandatum igitur datum alicui, ut provideat tertio, huic actu tribuit jus ad id, in quo providendus est, consequenter continet gratiam in effectu illi factam; tale autem mandatum non exspirat morte mandantis, cùm eoipso res (utpote *facta*) non sit integra.

1616. Hanc tamen doctrinam limita, ut mandatum de providendo tunc contineat gratiam *factam*, quando est de providendo *certæ personæ, in re certa, & determinata*; nam in re *incerta*, & *non determinata* non potest dici *gratia facta*, sed *facienda*; tunc enim pendet adhuc ex arbitrio mandatarij *determinatio rei*; sicut nec, si non determinatur persona *cui*. Quidquid enim alicui fit, & *factum esse* dicitur, in persona determinata fuit, aut factum est; hoc autem contingere non potest, cùm non determinatur, in quo fiat; sic Molina *cit. n.* 2. Requirunt etiam aliqui, ut gratia dicatur *facta*, in eo, cui fit, acceptationem, quia est quædam donatio, quæ non censetur facta priùs, quàm accedat donatarij acceptatio; sed aliud est, ut gratia sit *facta ex parte concedentis*; aliud, ut sit *firma, & revocari non possit à concedente*: acceptatio ad secundum, non ad primum requiritur; ita Suarez *l.* 8. *de legib°, c.* 31. *n.* 21. Sanchez *cit. l.* 8. *D.* 28. *n.* 43. & 69.

## §. IV.

### *An, & quomodo potestas delegata per rescriptum, finiatur per revocationem delegantis?*

1617. SUpponendum, quòd, si habens jurisdictionem ordinariam, eam alicui delegavit, etiam ad universalitatem causarum, sive pro interno, sive externo foro, possit eam pro arbitrio revocare; cùm sic utatur jure suo, & disponat de re quasi propria. Delegatus enim non in vi jurisdictionis suæ, sed delegantis operatur; ita Felinus in c. *Novit*, 13. *de Judic. à n.* 80. Sanchez *cit. D.* 33. *à n.* 6. Hinc quando dicitur, *jurisdictionem finiri revocatione delegantis*, sensus est, eam exspirare *in persona*, cui commissa fuit; non *in se*, cùm maneat in delegante.

Quæstio autem est, an jurisdictio dele- 1618.
gata finiatur in delegato per revocationem delegantis, etiam quando res non ampliùs est integra? responsio est affirmativa juxta *L.* 58. *ff. de Judic.* ibi: *judicium solvitur, prohibente eo, qui judicari jusserat*; quod verum esse vult glossa ibid. etiamsi revocatio fiat post litem contestatam; & quidem, ubi causa revocandi *justa est*, etiam licitè; *si revocatio non cedit in damnum tertij, vel mandatarij*. Mandans enim, loquendò universim, etiam re integra, mandatum revocare potest, *seclusò aliorum damnò*; constat *ex §. 9. Instit. Quomodo mandatum finiatur*, ibi: *rectè quoque mandatum contractum, si, dum adhuc integra res sit, revocatum fuerit, evanescit*. Nam si revocatio fieret *re non integra*, usu jam facto, ratione cujus interest mandatarii, ut si sumptus jam feciisset, indemnis servandus est à mandante; *arg. L.* 15. *ff. eod.*

Quæstio est 2. quando talis revocatio 1619.
sortiatur effectum, in ordine ad hoc, ut in delegato finiatur jurisdictio commissa? Resp. quòd non nisi postquam literæ revocationis Commissario fuerint præsentatæ, ac intimatæ, *cit. L.* 3. *& c. cùm contingat*, 24. *de rescript.* ubi quærenti propter literas ad diversos Judices impetratas super aliqua lite dubitatio nascitur, 16
cui mandato parendum? an primo? an secundo? Innocentius III. Archi-Episcopo Rothomogensi rescripsit: credimus distinguendum: an, cùm primum mandatum recepisse dignosceris, tibi forsan innotuerit inter illos, & alios super jurisdictione discordiam suscitatam, an super hoc nihil omnino sciviſti? Et quidem si super contentione hujusmodi nihil tibi penitus innotescat, cùm primum mandatum recipere te contingit: illud debes humiliter executioni mandare. Sed si postea contra-

trarium tibi ab aliis demandatur, tunc literarum ad utrosque à Sede Apostolica obtentarum copia postulata ( quas tibi authoritate præsentium districtè præcipimus exhiberi, si ex ipsarum tenore deprehenderis evidenter, ita quòd non sit aliquatenus hæsitandum ) quòd literæ, quæ ad illos, à quibus secundum mandatum receperis, impetratæ noscuntur, expresè revocent literas aliorum : tu illud intrepidus exequaris, quod tibi secundò locò mandatur. Si verò ex literarum inspectione manifestè tibi constet, quòd literæ obtentæ ad illos, qui primùm dedêre mandatum, nullatenus exequaris. Quod si super hoc tibi meritò fuerit dubitandum : ad exequendum secundum mandatum te procedêre non oportet, donec juxta cujusdam nostræ constitutionis tenorem inter eos hujusmodi concertatio sopiatur. Et idipsum facere debes, si primò mandatò receptò, & nondum executioni mandatò, tibi forsan innotuerit, quòd inter se super jurisdictione demandata cœperint disceptare. Ex quo vides, si mandatarius (mandato revocato) revocationis ignarus, procederet in causa mandata, ejus actus valere perinde, acsi nulla revocatio facta esset. Hoc tamen limitandum est, ut non procedat *in mandato ad contrahendum matrimonium, nomine mandantis.* Nam tale mandatum exspirat hoc ipso, quòd mandans, ante contractum matrimonium, voluntatem suam mutet, etiam ignorante mandatario, seu Procuratore, *per c. 9. de Procurat. in 6.* id, quod etiam procedit in mandato manumissionis, per *L. 4. ff. de manumissis vindictâ*; ratio est, quia in his casib⁹ mandatarius non est *propriè Procurator*; sed tantùm *internuntius voluntatis ejus*, à quo mittitur.

1620. Ex dict. collig. 1. mandatum gratiæ faciendæ per mandantem semper validè revocari, quando res est integra, modò caveatur damno tertii, ut diximus, *n.* 1618. & revocatione intimata mandatario, in hoc jurisdictionem ei delegatam tunc exspirare; non autem, antequam ei intimata sit, excepto casu mandati ad matrimonium contrahendum, ut constat *à num.* 1619. dixi, gratiæ *faciendæ*. Nam ubi gratia jam *facta* est, qualiter evenire diximus, cùm mandatarius tenetur exequi mandatum, revocatio mandati non obstat; cùm id, quod jam factum est, infectum fieri nequeat; nam tunc res non est ampliùs integra. Dixi, *quando res integra est*; cùm in hoc communiter Authores conveniant; quando autem non ampliùs est integra, etsi aliqui judicent, revocationem, etiam intimatam mandatario, non operari, ut in eo tunc desinat jurisdictio commissa; contrarium tamen ( extra casum matrimonii) dicendum esse, modò caveatur periculo tertii, constat *ex num.* 1618.

Collig. 2. etiam Principis delegatum, 1621.
qui *totam* jurisdictionem sibi delegatam alteri subdelegavit, posse illam revocare, re adhuc integra, *ex c. Quamvis, 6. h. t. in 6.* Si autem non totam, sed tantùm partem causæ; etiam re non integra, poterit revocare jurisdictionem subdelegatam. Nam in hoc casu locum habet, quod dicitur *L. 58. ff. de Judic. Vetante eo, qui judicare jusserat, vel ejus Superiore, judicium solvitur.*

## §. V.

### *Qualiter potestas delegata per rescriptum finiatur morte mandantis ?*

SUpponendum 1. in omni commissione per rescriptum esse attendendum, an mandatum, in rescripto contentum, contineat *delegationem jurisdictionis* contentiosæ, qualia sunt rescripta justitiæ, ut partibus ministretur justitia ? an verò contineat *rationem beneficii, & gratiæ*, ut sunt facultates absolvendi à reservatis, dispensandi in impedimentis matrimonii, suscipiendi ordines ab alieno Episcopo, extra tempora, &c. Suppon. 2. in hac quæstione ( an jurisdictio delegata exspiret morte delegantis ? ) per *mortem*, in ordine ad finiendam jurisdictionem in delegato, etiam venire ejus depositionem ab officio; sic glossa in c. *Licèt, 3. h. tit.* V. *re integra*; Abbas ibid. *n. 7.* Sanchez *l. 8. matr. D. 28. num. 32.* quibus positis : 1622.

Communis regula est : jurisdictionem delegatam in causis justitiæ, seu ad lites in delegato ( re adhuc integra ) exspirare naturali morte delegantis. Constat ex c. *Relatum, 19.* ibi : respondemus, *quòd si lis fuerit ante prænominati obitum contestata,* 1623.

*stata, mandatum morte mandatoris nullatenus exspiravit. Si verò ante* litis *contestationem decessit, non est à Judicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujusmodi procedendum;* sic Lucius III. item c. *Gratum*, 20. ubi ad quæstionem, an ante obitum delegantis propositô citationis edictô, lite verò post mortem contestata, nihilominus debeat in causa procedere delegatus? Et utrum is intelligatur appellationi renuntiâsse, qui eâ interpositâ ad producendos testes inducias postulavit, & demum productioni, & allegationi renuntians, attestationes petiit solenniter publicari? respondit Urbanus III. *quòd, cùm in casu priori citatione facta negotium sit quasi cœptum* (& maximè si delegatus non sit certus de obitu delegantis) *potest, & debet in causa procedi, tenebitq;, quòd justitiâ fuerit prævià definitum.* In secundo verò casu videtur ab appellatione recessum, si secundùm ea, quæ præmissa sunt, eum, qui appellaverit, constituerit processisse. & c. *Licèt*, 30. *h. t.* de quo *supra*. Cujus ulterior ratio est, quia rescriptum, continens mandatum ad lites, non firmat jurisdictionem in mandatario, nisi ubi res non ampliùs est integra, seu, nisi eâ uti cœperit, ut dicitur etiam in c. *quamvis*, 6. *eod. in* 6. ibi: *ex quo tempore, & non ante, Judex esse incipit.* Et hoc sensu procedit, quod universim dicitur L. *mandatum*, 15. *ff. mandati, mandatũ re adhuc integra exspirare morte mandantis.*

1624. Hæc regula extenditur 1. ad casum, *esto mandatarius ignoret mortem mandantis.* Quare si mandans re adhuc integra obiit; & mandatarius, primò post jurisdictione uti cœpit, ejus acta non valent, defectu jurisdictionis, quæ, ut primùm mandans extinctus est, in eo exspiravit. Nam ignorantia, quod mandans obiêrit, nulla juris dispositione firmat jurisdictionem, sicut, si per ejus usum res non fuisset integra, dum mandans obiit; ita Sanchez *l.* 3. *matr. D.* 22. *n.* 59. & colligitur *ex L.* 3. *C. de jurisdict. omn. Judic.* V. tamen limitationem aliquam *à num.* 1627.

1625. Extenditur 2. ut etiam procedat, mandante ab officio deposito, cujus ratio est ex *n.* 1622. Si quæras, an locum habeat, si delegans sit excommunicatus, suspensus, vel interdictus? videtur enim affirmandum. Nam jurisdictio Vicarii Generalis suspensa est, suspensa jurisdictione Episcopi; sed Resp. negativè de delegato, licèt verum sit de Vicario generali; hujus enim jurisdictio eadem est cum jurisdictione Episcopi; at jurisdictio delegantis distincta est à jurisdictione delegati; sic Abbas in c. *Licèt*, 30. *h. t. n.* 8. Sanchez *l.* 3. *matr. D.* 30. *à n.* 3.

Extenditur 3. ut procedat etiam in delegato Principis mortuo delegante, & in subdelegatis mortuo subdelegante; colligitur ex *cit. c. Licèt*, ubi dicitur, delegationem *à Papa* factam exspirare ipsi⁹ morte interveni ente re adhuc integra, V. *num.* 1623. Id, quod verum est, licèt illa jurisdictio à Principe delegata æquiparetur ordinariæ; nam hoc verum est, re non ampliùs integra, & postquam delegatus (etiam ad universitatem causarum) eâ usus est; sic Layman in c. *Gratum*, 20. *h. t. n.* 8. ut enim ordinaria sit, debet esse firmata, quod non sit mortuo delegante, re integra, ex *num. jam citato.* 1626.

Limitari tamen debet prædicta regula, *ex dictis*, ut non procedat 1. si delegatus ad aliquem actum, eundem aliàs exercere potuit potestate ordinaria. Nam eo casu, etsi re adhuc integra obiêrit delegans, & consequenter in delegato exspiret jurisdictio, *in quantum est delegata;* non tamen *in quantum est ordinaria*, non jure delegationis, sed dignitatis, vel officii, & muneri competens; tunc enim hæc à delegatione independens est. 1627.

Limitari debet 2. ut non procedat in jurisdictione delegata *immediatè ab ipsa dignitate concedentis*, v. g. *Sedis Apostolicæ.* Nam sicut ea dignitas non exspirat morte personæ, quæ illam obtinuit; cùm ex se perpetua sit; sic nec exspirat id, quod concessum est, dum, & quamdiu ea existit. Cùm autem fieri possit delegatio dupliciter, vel immediatè ab ipsa dignitate, vel immediatè à possidente ac obtinente illã; & usu compertũ sit, nisi aliud exprimatur, communiter fieri secundô modô, sub eadem distinctione respondendum erit, ubi casus occurrerit dubius. 1628.

Limitari debet 3. regula, quòd *mandatum extinguatur morte mandantis re integra;* non autem, *re non integra*, ut hoc secundùm procedat in commissione jurisdictionis *ad lites, vel executionem.* 1629.

Nam

Nam in *præceptis* prout condistinguuntur *à legibus*, aut jurisdictione commissa, ut diximus, quæ privato imponunt obligationem aliquid faciendi, vel omittendi, non est idem. Hæc enim extincta persona præcipiente, vel ab officio remota, cum his extinguuntur. Ea enim non sunt natura perpetua, & vim obligandi solùm habent ex vi jurisdictionis *existentis in persona præcipiente*; ita Sanchez *l. 8. matr. D. 28. nu. 47.*

1630. Limitari debet 4. ut non procedat in rescriptis meræ gratiæ jam factæ, ubi delegatus est merus executor ex mandato. Nam ubi res jam est facta, res non est amplius integra; cùm ergo mors, concedentis gratiam, contingere ponatur factâ jam gratiâ, licèt executione pendente, non verificetur concedentem esse mortuum re integra, adeoque nec id, quod aliàs consectaneum est, exspirare mandatum in delegato (non ad jurisdictionem exercendam) sed gratiam jam factam exequendam.

1631. Limitari debet 5. dictum in *n.* 1624. ut non procedat in casu, quo post rescriptum intimatum, non tamen usurpatum, consequenter re adhuc integra, etiam post delegantis mortem, re integra factâ, delegatus processit, communi errore hominum ignorantium casum mortis, atque adeò credentium, eum legitimè procedere. Nam ubi proceditur existente errore communi (licèt desierit jurisdictionis *commissio*) & est titulus putativus (quem præstat rescriptum commissionis factum) defectum jurisdictionis in delegato supplet vel concedens, vel communitas, ut est Ecclesia, vel Magistratus, si ab eo supplebilis est. Est hæc satis communis sententia, quæ passim supponitur, & fundatur in L. *Barbarius ff. de offic. Prat.*

Ista lex, usu jam recepto, communiter 1632.
obtinet in foro externo; sed de foro interno non omnes idè sentiunt, existimantes, jurisdictionem in delegato non suppleri, quãdo contingit casus, quo dato dispositione juris humani, jurisdictio vel nunquam accepta validè (qualiter contingit in simoniacè electis, intrusis, &c.) vel finita est, ex alijs causis, solius juris humani, licèt interveniat titulus coloratus, seu putativus, & communis error, seu existimatio, talem agere cum potestate legitima. Quia nec titulus in re falsus, nec opinio communis, nec error dat jurisdictionem. Ad hanc difficultatem resolvendam respondimus alibi, jurisdictionem tunc suppleri à magistratu vel Superiore necessitate boni communis sic exigente.

# QUÆSTIO IV.

## IN TITULUM IV. DE CONSUETUDINE.

1633. POstquam absolvimus ea, quæ sunt de jure scripto (nimirum de constitutionibus, & rescriptis) agendum est de consuetudine, quæ dicitur *jus non scriptum*, quia vim suam non obtinet promulgatione, sed moribus populi, & utentium, seu agentium actibus frequentatis. Hodie *ratio consuetudinis* nimium ampliatur; cùm in omni fere transgressione legis, usurpatione jurisdictionis, exactionum, & similium pro causa, qua tales sibi actus esse licitos volunt, allegetur, communis usus, praxis, consuetudo; cùm tamen certum sit, non omnem consuetuginem dare jus, aut habere vim contra legem. Unde Nicolaus Papa ad Hincmarum Remensum Archi-Episcopum, *mala consuetudo*, inquit, *quæ non minùs, quàm pernicioſa corruptela, vitanda est, nisi citiùs radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt prævaricationes, & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari.*

### ARTICULUS I.

#### *De consuetudine in genere.*

1634. *CConsuetudo* sumi potest vel pro facto, vel pro jure. *Consuetudo facti* est frequentia operandi liberè eodem modo; seu, frequentia actuum humanorum similium

milium, tempore continuata; ita Suarez *l. 7. de legib. c. 1. n. 4.* & sic sumitut in c. *1. de constitut. in 6.* & ab Isidoro in c. *mos 1. dist. 1.* ibi: *mos est longa consuetudo, de moribꝰ tantumodo tracta*; & c. *Consuetudo 15. ead.* ibi: *consuetudo autē est jus quoddā moribus justitutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit* lex. *Nec differt; an scripta, an ratione consistat, quando & legem ratio commendat.* Porro si ratione lex constat, lex erit omne jam, quod ratione constiterit, duntaxat quòd religioni conveniat, quòd disciplinæ congruat, quod saluti proficiat. Vocatur autem consuetudo, quia in communi est usu. Consuetudo igitur, *secundùm quod est aliquid facti*, stat pro usu diuturno, & moribus populi, seu actibus frequentatis à populo, seu majore illius parte, diciturque *consuetudo formalis* apud Pereyram *in Elucidar. n. 245.* jus autem, quod ex ejusmodi usu diuturno natum est, est *consuetudo juris*, & definitur *jus moribus constitum, quod pro lege suscipitur* L. *de quibus*, §. 1. *ff. de legib.* Per *mores* hic intelliguntur publici mortes populi, seu actus liberi, frequentati à populo, rationabiles, probati, Reipublicæ utiles, fidei, & Religioni congruentes. Hinc consuetudo accepta *tanquam aliquid juris*, relicti à formali consuetudine, importat aliquid facultatis, vel juris obligantis ad operandum.

1635. Not. autem. 1. consuetudinem juris, seu *secundùm quod importat aliquid juris*, à Theologis vocari, legem non scriptam; à Juristis autem communem assuetudinem, ut notat glossa *in §. ex non scripto, Institut. de jure natural. gent.* & sex nominibus appellari; dicitur enim usus, mos, consuetudo, stylus, ritus, forum. Et quamvis hæc nomina in eo conveniant, quòd eorum quolibet significentur actus liberi, & humani; disconveniunt tamen in aliis, ut dicemus à *n.* 1654. Ex hoc collig. *consuetudinem facti*, rectè vocari frequentiam operandi liberè eodem modo; & *consuetudinem juris*, tacitam voluntatem obligandi, profectam ab eo, qui obligare potest, usu tantùm, & more utentium expressnm; sic Pereyra *cit. n.* 246. §. *Ex quibus.* hinc dicitur *jus, moribus institutum, animo per talem morem inducendi obligationem*, ut nimirum deinceps secundùm talem morem agatur. Collig. 2. jus illud ex ejusmodi more, seu actuum frequentia natum dici jus, seu *legem non scriptam*; quia scripturam non requirit, sed ex more, & usu frequenti, qui in facto, & non in scriptura consistit, ortum habet. Cùm autem dicitur, *consuetudinem esse jus, quod pro lege suscipitur*, non ideo dicitur, quasi in re lex non esset; sed quia locò legis *scriptæ* recipitur, & eandem cum illa obligationem induxit; 16
additur etiam à nonnullis, quòd pro lege recipiatur, *ubi lex deficit*; sensus est, hoc contingere, cùm non adest lex, quæ obligationem circa tales actiones inducere possit.

Not. 2. frequentiam actuum, seu con- 1636.
suetudinem, aliam esse *secundùm jus*, aliam *præter*, aliam *contra jus*, seu legem. *Consuetudo secundùm jus*, seu juxta legem non est juris, sed facti, consequenter potiùs est observantia juris præexistentis, quin sit inductiva novi juris. Talis est consuetudo audiendi Sacrum die festo. Et quia fundamentum ejus est lex, quam imitatur, & exequitur, abrogata tali lege censetur etiam abrogata consuetudo illi nixa, quæ non est dispositiva, sed solùm imitativa juris. *Consuetudo præter legem* est, per quam jus novum introducitur. Unde, cùm *c. 5. dist. 1.* dicitur, *consuetudo pro lege suscipitur, ubi lex deficit*, de consuetudine *præter legem* intelligendum est, cùm parem cum lege vim habeat, L. *de quibus*, 32. *cum sequentibus, ff. de legibus. Consuetudo* demum *contra legem* est, per quam lex, seu jus præexistens, tollitur, & abrogatur, de qua mentio fit c. *fin. h. t.*

Not. 3. per frequentiam actuum legi 1637.
scriptæ conformium, & consequenter secundùm legem exercitorum, non induci consuetudinem in defectum legis; cùm 16
supponat legem aliunde præexistentem, ac obligantem ad eos actus, & solùm exequatur jus ante constitutum; secus est, si aliquid superaddat, vel immutet; nam in illa parte poterit novum jus inducere; cùm sic in illa parte deficiat lex. Cùm autem dicitur, dari consuetudinem *contra jus*, seu legem scriptam, intellige *de consuetudine* adhuc *imperfecta*, seu *inchoata.* Nam consuetudo *perfecta* nunquam adversatur juri, vel legi, ut rectè notat Bartolus *in L. de quibus, ff. de legib.*

*q. 1.*

*q.* 1. *n.* 6. consuetudo enim, quæ est perfecta, derogat legi; consequenter non habet legem, cui adversetur, cùm ponatur tunc non esse lex, utpote sublata per consuetudinem perfectam.

## ARTICULUS II.

### *Quotuplex sit consuetudo?*

1638. Cùm consuetudo propriè habeat rationem legis, patitur easdem divisiones, quas ipsa lex. Præter consuetudinem juris, & facti, & consuetudinem, *juxta*, *præter*, aut *contra legem*, alia est *canonica*, alia *civilis*; illa quæ frequenti usu clericorum; ista, quæ Laicorum est inducta: si autem Clerici & Laici in eadem re conveniant, & communem usum habeant, à nonnullis *mixta* vocatur; à Suarez autem *L.* 7. *de legib. c.* 5. *n.* 2. *civilis*; Clerici enim cum Laicis communem usum habere non possunt, nisi de cõmuni bono politico civitatis. Præter hæc Suarez *l.* 7. *cap.* 3. *num.* 7. consuetudinem ait, aliam esse *communissimam*, seu *universalem*, quæ est ipsum jus gentium, usu & moribus totius orbis introductum; aliam *communem*, & *publicam*, quæ est jus non scriptum in uno regno, provincia, vel civitate, usu & moribus introductum: aliam denique *particularem*, & *privatam*, quæ ab una tantùm persona, vel communitate imperfecta (quæ scilicet potestatem ferendi leges non habet) inducta est. Hic solùm agemus de consuetudine communi, & publica. quibus positis, sit:

### §. I.

### *An dari possit consuetudo juris, contra quamlibet legem?*

1639. Inter leges alia est naturalis, alia divina, alia humana; quæstio est, an consuetudo, seu frequentia actuum prævalere possit contra quamlibet legem, etiam naturalem, & divinam? Resp. 1. quòd contra legem naturalem *præceptivam*, vel *prohibitivam* nulla consuetudo prævalere possit, quæ jura legis obtineat; nam quod jure naturali *prohibitum*, est intrinsecè, ac necessariò malum, seu illicitum; quod *præceptum*, intrinsecè bonum, & debitum: impossibile autem est, quòd nullum tale malum ullo hominum usu, & actuum frequentia fiat licitũ; aut ullum tale bonum fiat indebitum, secluso errore intellectûs: quod tamen fieri deberet, si contra jus naturale præceptivum, vel prohibitivum ulla consuetudo humana prævaleret; ergo, & sic habetur c. *consuetudo*, 8. *dist.* 8. ibi: *consuetudo*, quæ apud quosdam obrepserat, *impedire non debet, quominùs veritas prævaleat, & vincat. Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est*: propter quod relicto errore, sequamur veritatem, scientes, quia & apud Esdram veritas vicit, sicut scriptũ: *Veritas manet, & invalescit in æternum, & vivit, & obtinet in sæcula sæculorum.* & c. *quæ contra*, 2. ead. ibi: *quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt*, ut pactum inter se civitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur. *Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens. Cùm autem Deus aliquid contra morem, aut pactum quorumlibet jubet, etsi nunquam ibi factum est, faciendum est; & si omissum, instaurandum est; & si institutum non erat, instituendum est.* Si enim Regi licet in civitate, cui regnat, jubere aliquid, quod neque ante illum quisquam, nec ipse unquam jusserat, & non contra societatem civitatis ejus obtemperatur, imò contra societatem non obtemperatur (generale quippe pactum est societatis humanæ obedire Regibus suis) quantò magis Deo regnatori universæ creaturæ suæ, ad ea, quæ jusserit, sine dubitatione serviendum est? sicut enim in potestatibus societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.

Resp. 2. idem dicendum de consuetudine, seu frequentia actuum contra legem divinam positivam. Nam adversùs hanc nulla consuetudo prævalere potest, ut vim juris, vel legis obtineat. Cùm enim lex divina *semper* maneat, quantum est ex Dei voluntate, consequenter in suæ legis abrogationem non censeatur unquam consentire, agere contra illam semper peccatum erit, adeóque nullo unquam tempore licitum, quantacunque actuum frequentia intercedat; ita cõmunis; aliàs dudum evasissent licita mendacia, fraudes, adulteria, &c. 1640.

Resp. 3. dari posse consuetudinem juris 1641.

ris, seu, quæ inducat novum jus contra legem præcisè humanam; est etiam communis, & constabit ex dicendis *in seqq.* Hoc procedit 1. de consuetudine *contra jus*, intellige *humanum*, quà tale. Nam, etsi actus, in quantum adversantur legi humanæ, laborent vitiô contra talem legem, & peccaminosi sint; non tamen laborant *vitio inauferibili alio jure humano*; ergo purgari possunt â tali vitio, consequenter evadere liciti, hoc est, non prohibiti, vel præcepti lege humana; hoc autem fieri potest consuetudine legitima, ut dicemus *à n.* 1735. ergo. Procedit 2. de consuetudine *præter legem*, de qua Castropalaus *cit. n.* 4. *in fine* ait: nemini esse dubium, hanc efficaciam habere, si legitima sit, inducendi obligationem; aliud dicendum est de consuetudine *juxta legem*; hæc enim, quà talis, nec inducit, nec abrogat ullum jus præexistens; sed potiùs confirmat, & ejus observationem stabilit; & hoc sensu accipitur id, quod dicitur c. *In istis, dist.* 4. §. *Leges, leges institui, cùm promulgantur* (ut notavimus tit. 2.) *firmari autem, cùm moribus utentium comprobantur.* Unde, dum dicitur in c. *Cùm dilectus, de consuetud. consuetudo est optima legum interpres*, de consuetudine *juxta legem* intelligitur. Hæc enim interpretatur legem, & illius sensum, non interveniente consuetudine fortassis dubium, ipso tali usu juxta legem continuato, declarat. Nam, si aliquid legi addat; vel immutet, non interpretatur, nec declarat legem; declaratio enim nihil novi constituit; sed quod priùs, sed obscurè constitutum erat, rationabiliter exponit.

## §. II.

### *Quæ consuetudo sit corruptela?*

1642. SUmimus hìc consuetudinem latè pro frequentia actuum; quo posito certum est, non omnem consuetudinem, seu frequentiam actuum esse consuetudinẽ *juridicè*, nimirum *legitimam*, cui justè tribuantur effectus juris; ejusmodi sunt, *abrogare obligationem præexistentem*, & *reddere licitum, quod antè illicitum erat, inducere novum jus*, vel *exemptiones, &c.* Quid enim communius inter homines, quàm mentiri, circumvenire fraude, ac dolo, fallere in promissis, cogere per abusum invitos, &c. quod sanè perquàm frequenter fit à potentioribus. Pereyra *in Elucidario nu.* 257. definit *corruptelam* (prout apud Canonistas accipitur) esse *consuetudinem perversam, sacris canonibus inimicam*, ut habetur in c. *cùm venerabilis, de consuetud.* c. *cùm decorum, de vita, & honest. Cleric.* ac alibi. *Perversum* autẽ dicitur, quod non est rectum; & ideo *judicium*, ubi non servatur justitia in ipso actu judicii, nimirum æqualitas in jure suo cuique reddendo, nec judicatur secundùm leges, servato ordine procedendi, *perversum* dicitur, teste Pereyra *cit. num.* 1170.

Ex hoc sequitur 1. nullam consuetudi- 1643.
nem, seu frequentiam actuum perversam, esse *rectam*, consequenter omnem talem esse corruptelam, atque adeò ineptam, ut inducat effectus juris, de quibus dicemus *à n.* 1734. Nam omnes illi effectus unicè pendent à consuetudine *legitima*; impossibile autem est, legitimam esse, quæ perversa est; & quoniam certum est, quod frequentia actuum contrariorum juri naturali, vel divino, perversa sit (sic enim sunt actus laborantes vitio nullo jure humano auferibili) certum quoq; esse debet, omnem consuetudinem, & frequentiam actuum contrariorum juri naturali, & divino, corruptelam esse, & ineptam, ut inducat ullum effectum juris.

Sequitur. 2. consuetudinem, *contrari-* 1644.
*am naturæ legis propriè dictæ*, esse corruptelam, consequenter ineptam; ut obtineat vim legis, aliosque effectus uris. Nam lex nullatenus esse potest, quod contrarium est naturæ legis; aliàs lex esset sine natura legis; id, quod maximè procedit de consuetudine, quæ est contra fas. Fas autem est lex divina; jus, lex humana; transire per agrum alienum, fas est; jus non est; sic Isidorus *in l.* 5. *Ethymolog. c.* 2. relatus c. *omnes leges*, 1. *dist.* 1.

Sequitur 3. consuetudinem, quæ ad- 1645.
versatur *justitiæ legis*, quam omnis lex substantialiter importat, esse consuetudinem perversam, consequenter corruptelam; quæ verò justitia sit de substantia legis propriè dictæ, constat ex dictis *à num.* 89. idem est, si contrarietur bono communi Reipublicæ, quod natura sua directè intendere debet lex propriè dicta, de quo egimus

gimus *à num.* 91. Plura dicemus in sequentibus. Ex hoc vides, consuetudinem aliam esse *reprobatam jure*, & *non reprobatam*. *Reprobata jure* (de qua latè Suarez *lib.* 7. *de legib. c.* 7.) censetur illa, quæ à jure reprobatur, sive expressè, & formaliter per verbum *reprobandi*; sive æquivalenter, ut si appelletur *irrationabilis*, *corruptela*, *abusus*, & similiter. Quæ verò prohibetur, vel revocatur simpliciter sine ullo addito, non censetur reprobari. Et ideo omnis consuetudo à Sacris Canonibus vel formaliter, vel æquivalenter reprobata cum aliquo simili addito, *Sacris Canonibus inimica est*, *& corruptela*. Vide tamen dicenda *num.* 1696.

1646. Not. præterea 1. *solitum*, & *consuetum* apud Salas *de legib. D.* 19. *sect.* 8. videri coincidere. *Solitum* dicitur, quod pluris observatum est, ut habetur ex *§. pavonum*, *Institut. de rerum divis.* & L. *lege*, *§ igitur*, *ff. de verb. significat.* ita Bertazol. *de clauf. instrument. clauf.* 21. glos. 12. *nu.* 2. ubi dicit, quòd *solitus aliquid facere*, *ut quis dicatur*, *plures actus exiguntur*, *nec unus sufficit*. Unde teste Gama *decis.* 342. *num.* 4. ut res dicantur *solitæ concedi* in emphyteusim, requiritur saltem, quòd bis fuerint concessæ spatiô quadraginta annorum. Interdum verificari poterit in unica vicè, seu actu juxta subjectam materiam, ut tenet Bertazol. *cit. num.* 1.

1647. Not. 2. *longam consuetudinem* (quæ apud Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 18. idem in utroque jure valet, atque *præscripta*) apud Alex. Scot. V. *eod. esse*, *quæ decem annis*, *vel viginti inducta fuit*, & multò magis longiori tempore, ut si triginta, vel quadraginta annis perdurat. Observandum præterea, inter *desuetudinem*, & *consuetudinem legi contrariam* poni differentiam à Bartolo in L. *de quibus*, *ff. de legib.* quòd consuetudo sit, quando fit contra legem per ipsam consuetudinem; sed desuetudo sit, quando non utimur aliqua lege in jure posita; idem videntur sentire Azor *Tom.* 1. *l.* 5. *c.* 4. & Salas *de legibus D.* 19. *S.* 20. quatenus explicant desuetudinem per non usum.

1648. At Suarez *lib.* 7. *de legib. c.* 18. *num.* 8. adhuc discriminat *desuetudinem* à puro non usu, quasi desuetudo detur, quando datur non usus legis nulla rationabili causa excusante; at purus non usus sit, quando aliqua rationabilis causa excusat; sic desuetudinem intelligit Azor *cit. q.* 1. *desuetudo*, inquit, *vel non usus legis est*, *quando promulgata lege*, *& elapso promulgationis tempore populus perseverat in faciendo*; *quod facilitare ante legem solebat*. Non sui dissimilis Suarez *l.* 8. *de legib. c.* 34. *n.* 4. *&* 5. explicat circa privilegium affirmativum, duplicem *non usum*; alterum *purè negativum*, & datur, quando opportunitas, vel occasio, pro qua concessum est, non occurrit: alterum *privativum*, & datur, quando in occasione propria, & tempore, pro quo concessum est, omittitur ejus usus.

## §. III.

### *An, & qualiter consuetudo differat à præscriptione?*

SUppono 1. quòd, licèt *præscriptio* apud Authores juris Cæsarei accipiatur pro *exceptione*; communiter tamen apud Canonistas, & Legistas nunc sumatur pro acquisitione dominii, vel elisione juris alieni, ex tempore legibus definito proveniente. Unde videtur coincidere cum *Usucapione*, quæ *l.* 3. *ff. de Usucap.* definitur *acquisitio*, *vel adeptio dominii*, *aut juris*, *per continuationem temporis lege definiti*: differt tamen, quia præscriptio propriè tendit non tantùm ad jus acquirendum; sed etiam ad obligationem ex alieno jure pendentem, excludendam, seu ad se eliberandum, v. g. *à servitute*; usucapio autem solùm ad acquirendum. 1649.

Suppono 2. nos hìc loqui de consuetudine juris, quæ nimirum obtinet vim legis; quo posito, communis tenet, consuetudinem à præscriptione variis modis differre. Nam consuetudo, quæ obtinet vim legis, *obligat communitatem* ad aliquid faciendum, vel omittendum; præscriptio potest esse *inter particulares personas*. 2. per consuetudinem non acquiritur *jus uni magis*, *quàm alteri*; nec uni privato, sed toti communitati: secus est in præscriptione. 3. in præscriptione acquiritur jus uni contra jus alterius; consuetudo verò dat jus contra, præter, vel juxta legem. 4. præscriptio habet locum in rebus mobilibus, corporalibus, & incorporalibus; consuetudo autem in solis incorporalibus, ut in juris- 1650.

jurisdictione, electionibus, servitutibus. 5. præscriptio non requirit consensum ejus, contra quem præscribitur; secus in consuetudine, ut constat ex dictis ejus definitione. 6. præscriptio præter bonam fidem requirit titulum; non autem consuetudo, cui sufficit scientia, & tolerantia Superioris. 7. consuetudo induci non potest cum errore legis, ut dictum est; nam errantis nullus est consensus, L. *non idcirco, C. de juris, & facti ignorant.* præscriptio autem cum titulo putativo, & probabili fieri potest, L. *ult. ff. pro suo.* Accedit, quòd consuetudo adversus nullum propriè præscribat; nam si contra aliquem, id maximè faceret contra Principem; at hoc non facit; cùm potiùs ex consensu ejus tacito, vel legali vires, & efficaciam obtineat.

## §. IV.

### *An, & qualiter consuetudo differat à traditione?*

1651. TRaditiones aliquæ sunt, ut loquitur Concilium Tridentinum, *sess.* 4. *de Canonicis scripturis*, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, & aliæ, quæ ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus doctrinæ traditæ ad nos usque pervenerunt. Ex quo colliges, traditionem hìc accipi pro quadam doctrina, vel regula operandi, tradita vel immediatè à Christo, vel ab Apostolis, vel à primæva Ecclesia, quæ quasi per manus posterorum Successoribus traditæ, ad nos usque pervenerunt; sic Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 4. *q.* 2. Hinc *traditiones* aliæ sunt *divinæ*, aliæ *Apostolicæ*, aliæ *Ecclesiasticæ*. Priores duas primò expositimus; postremæ sunt, quæ sine ullo præcepto expresso, vel tacito, sive scripto, vel verbo lato, divino, vel Apostolico, solo tacito Ecclesiæ Rectorum consensu introductæ, & continuatæ fuerunt. Ita Suarez *lib. de legib. c.* 4. *n.* 11. Ex his patet differentia, quam quærimus. Nam traditiones non ducunt originem ex usu, seu frequentatione actuum similium; sed ex institutionibus alicujus juris, hominibus dati, vel promulgati, sive per sermonem, sive per epistolam.

1652. Not. præterea 1. traditiones, quæ ad mores pertinent, inter partes juris non scripti numerari, quia per usum, & consuetudinem facti conservantur, etsi ex hac ortæ non sint; Zoësius *de consuet. n.* 15. deinde *traditiones divinas* potissimùm versari circa materiam, & formam Sacramentorum, licèt de illis in sacris literis nulla fiat mentio; *Apostolicas* circa jejuniũ quadragesimale, & quatuor temporum, observationem diei Dominicæ, &c. *Ecclesiasticas* circa quasdam cæremonias Sacramentalium, &c.

Si autem quæras, quæ sit vis, & autho- 1653.
ritas traditionum? Resp. cum Zoësio *cit. n.* 17. divinis, & Apostolicis traditionibus inesse vim ratione suorum Authorum. Unde, ut docet Julius Cæsar Coturius *in Synopsi Controver. fidei, demonstrat.* 3. *c.* 1. parem cum sacris literis vim, & authoritatem habent: Ecclesiasticæ verò eandem vim habent, quæ est decretorum, & constitutionum Ecclesiasticarum; V. Azor *loc. cit. q.* 4. & 5. hanc materiam ex professo tractantem.

## §. V.

### *An, & qualiter mos, usus, stylus, forus, & similia ad consuetudinem reducantur?*

ANte resolut. not. 1. quòd *mos*, & *usus* 1654.
significent frequentiam, & continuationem similium actuum moralium per aliquod tempus, in eo tamen disconveniant, quòd *usus* latiùs pateat, quàm *mos*. Usus enim dicitur tum de frequentia multorum actuum; tum de singulis actibus seorsim; at mos non dicitur propriè de unico actu, sed tantùm de frequentia multorum; sic Pereyra *in Elucidar. nu.* 245. His addunt aliqui *observantiam*, quæ propriè respicit factum, & concernit usum aliquem judicii, seu tribunalis; Barbosa *in c.* 1. *de consuetud. n.* 4.

Not. 2. quòd *stylus*, generaliter loquendo, 1655.
significet practicam alicujus Curiæ; & sumatur vel pro modo, & artificiali formula procedendi vel in scribendis literis, vel in modo loquendi in judiciis, vel in modo, qui servari solet in ordine aliquo judiciali, & sic dicitur *stylus facti*, & nihil aliud est, quàm usus, & consuetudo scribendi, loquendi, vel procedendi potissimùm in judiciis. Quando autem sumi-

tur

tur *pro jure* nato ex hujusmodi modo, & formula procedendi, sive pro obligatione servandi talem modum, & ordinem, dicitur *stylus juris*. Per Antonomasiam sic appellatur *Praxis Curiæ Romanæ*; ita Streinius *in proleg. Juris Canon.* §. 9. *n.* 8. Ex quo vides, quòd stylus sit consuetudo contracta ad certam materiam, & constituatur non solo usu, sed etiam jussu, & authoritate alicujus Legislatoris.

1656. Not. 3. quòd *forus*, seu *forum* coincidat ferè cum stylo, si tunc restringas ad judicialia; & ideo *observare forum*, idem est, *ac observare consuetudines Tribunalium legitimè inductas*. Inde cujusque Judicis territorium, *forum* dicitur, teste Suarez *l.* 7. *c.* 6. *Regulæ* autem *Cancellariæ*, ut ponit Pereyra *cit. n.* 1951. ex Castropalao *tr.* 13. *de Benef. D.* 2. *p.* 17. *n.* 1. sunt quasi generales leges de beneficijs disponentes, ad quarum valorem nulla alia solenni publicatione indigent, quàm quòd sint publicè constitutæ, ita, ut à puncto constitutionis earum effectum habeant quoad nullitatem provisionis in contrarium, esto non habeant effectum quoad pœnas ibidem positas: *Decisiones* verò *Rotæ Romanæ*, sunt determinationes causarum per Auditores sacri palatij, quibus Romani Pontifices causas ex toto orbe undequaque confluentes, demandant. Cùm verò Auditores illi ad examinandam, & cognoscendam causam, sedeant omnes *in orbem*, vulgo *rotam*; hinc *Rotæ* nomen prævaluit, teste Cherubino *in Compend. Bullar. ad Bullam Martini*, 5. *pag.* 94.

1657. Not. 4. ut *mos*, vel *usus* reducantur ad consuetudinem, quæ habeat vim legis, eadem requiri conditiones, quæ necessariæ sunt, ut consuetudo formalis pariat consuetudinem juris, id, quod etiam dicendum *de foro*, in quantum appellat judicialia, ut veniat sub titulo consuetudinis specificæ (nimirum tanquam aliquid contentum sub consuetudine juris) species enim includit genus, consequenter ea, quæ sunt de illius ratione. Comunis porro doctrina est, quòd *stylus Curiæ faciat jus in casibus jure non decisis*; quòd stylus Principis faciat jus *ad instar consuetudinis*; quòd stylus, & longævus usus causarum *allegari possit pro jure*; quòd stylus Curiæ attendi, & *pro jure haberi debeat*; quòd stylus *habeatur pro forma*, à qua non licet recedere, &c. quæ passim à Legistis, & Canonistis tanquam brocardica usurpantur.

Verùm hæc, & similia locum habent, 1658.
solùm in illo stylo, seu ordine, qui cum authoritate Principis exercetur eo fine, ut sit pro lege, & consuetudine. Nam aliàs stylus, seu ordo ille per se vim legis non habet, ut jam diximus supra *n.* 1338. & ita tenet Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 21. *n.* 16. ubi docet, *stylum Curiæ Romanæ servandum esse*, quod intellige, si habeat conditiones requisitas, de quibus hic *in fine*, nimirum de stylo, Bullis, & decretis Pontificum manifestato; non autem secus; sic Castropalaus *P.* 1. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 2. §. 3. *n.* 7. Curialistæ enim non sunt Legislatores vi muneris sui; nec soli consuetudinem inducere possunt, quæ vim legis habeat, ut dicemus *in seqq.* Accedit, quòd stylus, etiam Romanæ Curiæ, sit valde variabilis non tantùm ad mutationem Papæ, sed etiam Auditorum, quod revera non sonat rationem legis; est enim modò albus, modò niger, ut rectè notat Vincentius de Justis *in Praxi dispensat. matrim. l.* 1. *c.* 4. *à n.* 345. ubi ait, *stylum esse quid facti, ac egere probatione; & licèt probaretur, adhuc non inducere necessitatem alijs Judicib°, & Tribunalibus extra Curiam, illum servandi, vel sequendi, nisi sit scriptus, probatus, notortus, & speciali decisione, ac declaratione Pontificis confirmatus*; id, quod apud eundem tenent complures citati.

Ex hoc colliges, stylum Curiæ non pos- 1659.
se reduci ad consuetudinem juris, quæ scilicet habeat vim legis obligantis alios, quàm ipsos Curiales, ut rectè notat Streinius *cit.* §. 9. *n.* 8. nisi sit stabilis, inconcussus, & specialiter à Principe confirmatus; id, quod etiam procedit de stylo Curiæ Romanæ, ut notavimus hic *à n.* 1338. & pluribus locis *in lib.* 4. *Decretal.*

Not. 5. ad quæstionem, quam autho- 1660.
ritatem fori externi habeant *Regulæ Cancellariæ Apostolicæ*? respondere Streinium *n.* 3. hoc in dubio esse; &, si Curiales interrogentur, affirmaturos, quòd sapiant naturam legis. Et idèo ita sensit Pyrrhus Corradus *l.* 9. *dispens. Apostolicar. c.* 6. *n.* 16. volens, earum vim in virtute legis exinde probatam, quòd extractæ sint ex rationibus juris naturalis, civilis, vel canonici.

nonici. Sed ex hoc solùm probat, eas regulas, non in vi regulæ Cancellariæ Apostolicæ; sed in vi illorum jurium, unde natæ sunt, in quantum, & non ultra ex illis sunt, habere vim legis, & solùm quoad eos, qui alioquin seclusa tali regula, in vi alterius juris ligarentur. Et ideo Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 3. p. 2. §. 3. n. 7.* docet, decisiones Rotæ, declarationes Cardinalium, & sententias Cancellariæ non esse necessariò habendas pro lege; quia non procedunt à Judicibus habentibus authoritatem legis constituendæ; sic etiam Suarez *l. 7. de legib. c. 7. circa fin.* Vasquez, 1. 2. *D.* 177. *c. ult. n.* 75. & complures alij; quod verum est, nisi à Principe speciali confirmatione muniantur, ut in simili diximus *lib. 2. tit. ult. de confirm. utili.* &c.

1661. Si autem quæras, quam vim habeant in foro conscientiæ? Escobar *in Theologia morali fol.* 59. ex Baldello apud Streinium *cit. n.* 4. respondet, eas in foro conscientiæ non obligare ad peccatum; cùm procedant à carentibus potestate condendi leges. Ex quo infert Streinius cit. donationem inter vivos, factam ab Episcopo intrà 20. dies ante obitum, valere in foro conscientiæ, quamvis per regulam Cancellariæ nulla sit in foro externo; id, quod etiam docet Diana *p. 1. tr.* 10. *resolut.* 45. Et ideo etiam Haunoldus *tomo* 1. *de jure, & just. tr.* 1. *controv.* 1. *n.* 12. docet, prædictas regulas Cancellariæ non esse propriè leges, cùm exspirent morte Pontificis; sed solummodo instructiones pro Officialibus Cancellariæ. Quare judico eas ex se pro foro externo nullam habere vim, nisi quam habet jus, in quo fundantur.

1662. Not. 6. *decisiones Rotæ Romanæ* non habere vim legis propriè dictæ; sunt enim ad summum sententiæ definitivæ litis inter partes litigantes; sententia autem, in quantum definitiva litis, non facit legem propriè dictam ex *n.* 460. & quamvis dici fortasse possit, quòd obtineant vim rei judicatæ; quia tamen res judicatæ tantùm sunt fundamenta consuetudinis, & per legis virtutem non habent; ut rectè notat Scotanus *cit. in exam. jurid. p. 1. pandect. fol.* 28. nec aliud habebunt decisiones Rotæ. Et ideo etiam Prosper Fagnanus *c. Cùm venissent, de judic. n.* 31. docet, quòd licèt habeant magnum pondus, & prævaleant opinioni communi, tamen solam probabilitatem faciant; & non sint jura, & reprobari possint, ut fatentur apud eundem quatuor insignes Auditores Rotæ; & faciunt solùm in Curia jus instar styli; sic Fagnanus cit.

*Ritus* denique est solennitas quædam, 1663.
seu forma specialiter in Sacramentorum usu, & administratione adhiberi solita. Alij eum vocant consuetudinem, quæ solennitatem præbet in aliquo actu exercendo. In priori acceptione communiter dicitur *Ecclesiasticus*, & appellat solennitates quasdam extrinsecas, non tantùm in materia Sacramentorum observandas, sed etiam in celebranda missa, Sacramentalibus, ordinandis, & dicendis horis canonicis, peragendis festivitatibus, & similibus, de quibus agunt Rubricæ Missalis, Breviarij, declarationes Congregationis Rituum, & libellus officialis, seu Rituale, quod, ut dicitur in Concilio Toletano *IV. can.* 25. omnibus Presbyteris, quando ordinabuntur, tradendum erat, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi accederent, teste Joan. Cabassutio *de notitia Concil. S. Ecclesiæ ad dict. Concil. Tolet.*

## ARTICULUS III.

### *De conditionibus requisitis ad consuetudinem.*

UT consuetudo sit legitima, possitque producere suos effectus, qui dispositione juris ei tribuuntur (nam ex natura rei eos non parit, ut diximus *lib.* 4. & constabit ex *num.* 1683. quia requirit consensum legalem Principis.) aliquæ conditiones necessariæ sunt; ut constat ex glossa in *c. fin. h. t.* & in L. *de quibus, ff. de legibus*, ac L. 2. C. *quæ sit longa consuetudo.* Et quamvis in *c. fin. de consuetud.* solùm fiat mentio de duobus (nimirum, ut sit *rationabilis*, & *legitimè præscripta*) quia tamen in his duabus reliqua includuntur, de singulis agendum erit. 1664.

### §. I.

### *De frequentia actuum requisita ad consuetudinem.*

CÙm ex definitione consuetudinis constet, de ratione consuetudinis esse 1665.

*frequen-*

*frequentiam actuum*; & id ipsum pateat ex *L.* 1. *C. quæ sit longa*, ibi: *probatis his, quæ in oppido frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt*; quæstio est, quot actus requirantur, ut *actuum frequentia* verificetur? loquimur autem de consuetudine, quæ habeat vim legis, quo posito, licèt in hac materia sint multiplices Doctorum opiniones: Resp. per unum, vel duos actus non verificari *frequentiam actuum*, requisitam ad consuetudinem, quæ obtineat vim legis; ita Suarez *l.* 7. *de legib. c.* 10. *nu.* 13. Bonacina *D.* 1. *q.* 2. *p. ult. num.* 32. Salas *D.* 19. *sect.* 8. *num.* 71. & alii. Probatur 1. quia *frequenter fieri*, non verificatur per unum, vel alterum duntaxat actum, juxta L. *item apud Labeonem*, §. *aliud est*, *ff. de jurejurando*, & (ut notat Pereyra *in Elucidario sermonis Theologici, ac Juridici, tam Canonici, quàm Civilis*, *num.* 448.) *frequenter* sumitur in jure pro *multoties*, *in proœm. decretal.* §. *sanè*, & pro sæpiùs, c. *non semel*, 18. *q.* 2. imò pro eo, quod *assiduè* fit, L. *Nam & his*, *ff. de inoffic. testament.* Probatur 2. quia consuetudo, vim legis obtinens, debet esse *longæva*, & *legitimè præscripta*, quod non stat sine decennio, ut dicemus *à num.* 1704. ergo requirit, ut actus tanto tempore durent, quod non verificatur per unum, alterúmve actum; nam quod intra tantum tempus fit bis, vel ter, nec dici potest *solitum*, nec *consuetum*, nec *frequenter factum*; cùm frequentia importet quandam iterationem actuum non omnino disparatorum ad invicem.

1666. Dices: ad inducendam consuetudinẽ, habentem vim legis, ea frequentia actuum necessaria est, ac sufficit, quæ sufficienter ostendat populi consensum, & Principis voluntatem; sed voluntas Principis, & consensus populi, aliquando paucioribus, aliquando pluribus manifestatur. Min. prob. 1. quia ad hoc sufficit unus actus continuatus, ut docet Panormitanus in c. *fin. de consuetud. num.* 17. nam ratione continuationis, pluribus æquivalet. 2. quia si Princeps sciat fieri bis, vel ter contra legem, & non contradicat, dum commodè potest contradicere, censetur consentire in abrogationem suæ legis; sic enim *freter* fit contra legem; ita Lessius *lib.* 2. *Justit. c.* 6. *d.* 14. *num.* 45. & videtur colligi *ex l.* 25. *q.* 2. c. *ita nos*, 25. ubi Gelasius Papa geminatam cædem Pontificum vocat usum, & *consuetudinem* sacrilegam; Tertiò duo, vel tres *actus judiciales* constituunt *stylum* (ea enim, quæ authoritate publicâ fiunt, majorem vim, & efficaciam habent, quàm solùm à communi populo) *stylus* autem bino actu constituitur; consequenter facit consuetudinem in tali materia; ergo etiam duo, vel tres actus, saltem judiciales.

Resp. distinguendum esse inter *consuetudinem legalem*, quæ scilicet vim habeat inducendi legem, seu jus novum, aut abrogandi antiquum, & inter *consuetudinem dominii ablativam, ac ejus in alterum translativam*, quæ scilicet vi possessionis continuatæ per tempus lege definitum me facit Dominum rei possessæ, licèt priùs aliena fuerit; & ad hanc sufficere unicum actum permanentem, C. non autem ad illam; de ista autem in præsenti loquimur. Hinc data maj. *in object.* de qua *num. priori*, N. min. Ad 1. probat. min. R. Panormitanum *loc. cit.* non agere de consuetudine *legali*, sed de *præscriptione* juris; & dominii, ad quam omnino sufficit unus actus continuatus. Nam is, qui ex collatione beneficium accepit, contra quemcunque præscribit, si post collationem factam nullo litẽ movente pacificè per tempus jure definitum possedit, ut colligitur ex c. *cum de benefic. de præbend. in* 6. 1667.

1668. Ad 2. probat. in *n.* 1666. Resp. aliud esse, legem abrogari *ex vi consuetudinis* inductæ; aliud *ex vi consensûs in Principe*. Quando transgressio, vel non observantia legis fit sciente Principe, nec (licèt commodè posset) contradicente, lex abrogatur ex consensu Principis; sic enim satis ostendit, se non velle seriò, legem observari, sed non ex vi consuetudinis inductæ. Nam quòd actus fiat sciente, vel ignorante Principe, prorsus materialiter se habet, ut, quod factum est, *dicatur frequenter factum*; id, quod ad *consuetudinem* legis inductivam omnino requiritur.

1669. Nec juvat c. *Ita nos* 25. *q.* 2. Nam licèt ibi actus geminatus vocetur *consuetudo*, *& frequentia*; ex textu tamen constat, non esse sermonem *de consuetudine*, *& frequentia*, *legis inductiva*; sed sufficiente, ut delictum geminatum *gravius puniatur*. Agitur enim ibi de geminno actu,

ctu, quo Scyllaceeni suos Pontifices horrendi criminis atrocitate occiderunt; quam cœdem geminatam Gelasius Papa ibidem vocat *consuetudinem* sacrilegam; sic Bonacina cit. *D. 1. q. 1. punct. ult. n. 32.* eandem interpretationem habet *L. 3. C. de Episcop. aud.* ut notat Bartolus *in L. 2. C. quæ sit longa consuetudo.*

1670. Ad 3. prob. min. ibidem Resp. circumstantiam illam, quòd actus semel, vel bis *in judicio factus sit*, nihil facere, ut actus, qui factus *extra judicium* non sufficeret, evadat ratione illius sufficiens ad consuetudinem legis inductivam. Nam sic actus duo, vel tres, extrajudiciales, non verificant, ly *frequenter*; cùm esse factum in judicio, habeat se prorsus materialiter ad hanc veritatem, nec sufficient, esto sint judiciales. Nam ea circumstantia non auget numerum, nec facit extensionem, quam explicat ly *frequenter factum*; ita Suarez *l. 7. de legib. c. 11. n. 12.*

1671. Confirmatur: actus judiciales non necessariò procedunt à potestate legislativa, seu habentibus potestatem constituendi legem; ergo ex hoc titulo non habent majorem prærogativam frequentiæ inducentis consuetudinem, quæ habeat vim legis, si eam non habeant facti extra judicium; ergo sicut extra judicium debet esse frequentia longæva; sic etiam intra. Et ideo, ut notavimus *à n. 460.* nec sententia Principis, decisiva quæstionis litigiosæ inter partes, quà talis, habet vim legis; secus est, si signo aliquo declaret, velle se, ut in similibus deinceps talis decisio pro lege habeatur, ut diximus *n. 463.* vel solùm sit declarativa juris præexistentis, ut notavimus *ibidem.*

1672. Ex hoc vides, declarationes Cardinalium pro resolvendis dubijs Concilij Tridentini, ac decisiones Rotæ, seclusa speciali Pontificis confirmatione, non habere vim legis, ut diximus *superius*; hæ enim sunt merè decisiones judiciales; illæ autem solùm declarationes doctrinales; cùm non procedant ab habentibus potestatem constituendi legem (potestas enim decisiva litis, stat sine potestate condendi legem) nec etiam ab habentibus potestatem authenticè declarandi legem, ut ostensum est *àn. 915.* Ad id autem, quod additur, per duos, vel tres actus judiciales constitui stylum, ex dictis constat *àn. 1670.*

## §. II.

### *An, ut consuetudo habeat vim legis, debeat esse judicialiter approbata?*

VIdetur, quòd sic. 1. Nam consuetudo eligendi judicatur insufficiens, quia non fuit in judicio contradictorio probata, ut habetur c. *Abbate, 25. de V. S.* Deinde, cùm quidam allegâsset consuetudinem ut habetur L. *Cùm de consuetud. 34. ff. de legib.* responsum est, *inspiciendum esse, an in contradictorio judicio firmata sit?* 2. in L. *cùm de consuetudine, ff. de legib.* dicitur, *in consuetudine primò explorandum esse, an fuerit in judicio firmata;* ergo consuetudo vim legis non obtinet, nisi judicialiter approbata. 1673.

Sed notandum, aliud esse, quòd consuetudo debeat habere *judicialem* approbationem, ut vim legis obtineat; aliud, quòd exigat aliquam approbationem *legalem*; aliud denique, *quòd non sit jure, vel in judicio reprobata.* Concedo igitur, quòd debeat habere approbationem legalem, hoc est, conditiones à Jure requisitas, ut pariat effectus juris, cujusmodi sunt, esse rationabilem, esse legitimè præscriptam, &c. concedo etiam requiri, quòd talis consuetudo non sit jure reprobata; sic enim foret corruptela, quæ inepta est, ut inducat jus, aut sit loco legis ex *num. 1642.* sed nego exigi, quòd in judicio sit approbata. Nam ea, quæ allata sunt in contrarium, intentum non evincunt. 1674.

Ad c. *Abbate* in *n. 1673.* Resp. ea verba non esse Pontificis, sed partis adversæ, quæ, cùm altera consuetudinem allegâsset, illam negavit, & simul addidit, eam non esse in judicio hactenus sufficienter probatam, quod necessarium erat, ut vi consuetudinis se tueretur; ad hoc enim requirebatur, quòd illam probaret; asserenti enim aliquid *consuetum* (ubi consuetudinis existentia non patet) incumbit probatio. 1675.

Ad id, quod dicitur in L. *cùm de consuetudine*, Resp. aliud non probari, quàm magnam utilitatem, ut, cùm ab uno litigantium adversus alterum allegatur consuetudo, inspiciatur, num in judicio firmata sit? tum, quia si hoc habeat, allegantem relevat ab onere illam probandi; tum quia Judicibus præstat vim, in re jàm 1676.

ju-

judicata similiter procedendi; & probata, vel nota approbatione judiciali, eoipso jam probatum, vel notum est fundamentum consuetudinis; sed hoc non arguit necessitatem talis approbationis, ut consuetudo firma sit.

## §. III.

### *Quales actus requirantur ad stabiliendam consuetudinem?*

1677. MUltiplices hìc quæstiones sunt; prima est, an illi actus, per quos intenditur inductio consuetudinis, quæ vim legis obtineat, debeant esse *voluntarij*, & *liberi*? affirmativa omnino tenenda est cum Suarez *l. 7. de legibus, c. 12. & 18.* Salas *D. 19. S. 11. n. 9.* & alijs communiter. Nam quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, saltem in his, quæ à communitate fiunt; & communitatem quà talem ligant; at hoc habet lex non tantùm scripta, sed etiam non scripta ex dictis; deinde actus per vim, vel metum gravem, aut errorem, vel ignorantiam facti, non possunt inducere consuetudinem; ergo necessariò debent esse voluntarij (cui repugnat error, & ignorantia) & liberi, libertate à vi, & metu gravi; anteced. prob. nam si populus per vim, aut metum gravem cogitur præstare actionem aliquam, in eoque longo tempore persistere, nunquam censeri prudenter potest per actus adeò sibi contrarios velle stabilire, vel etiam inducere jus aliquod, quo deinceps obstringatur; at sine tali animo non inducitur consuetudo vim legis obtinens, ut dicemus *in seqq.* ergo: ita Suarez *cit. c. 12. in fin.* & 18. *n.* 8. Et quia nihil ita voluntati contrarium, quàm error, & ignorantia, hoc ipso, quòd talis frequentia actuum sit ex errore, vel ignorantia: caret animô vel contra legem existentem præscribendi, vel non existente lege aliquam inducendi. Nam animus servandi legem, quam dari quis falsò existimat, non est animus inducendi legem; & animus agendi aliquid, quod falsò putat, non esse prohibitum, non est animus præscribendi contra legem.

1678. Dices: ea, quæ non ratione, id est, cognitione, sed errore à principio introducta sunt, ipsa consuetudine vim obtinent in eadem materia, ut dicitur *L. quòd non ratione, 39. ff. de legibus:* ergo ex errore potest introduci consuetudo. Resp. cum distinctione anteced. & concedo per actus, per errorem à principio introduci posse consuetudinem, quæ vim obtineat in ordine ad effectus *præscriptionis*; non autem *novi juris*, vel legis, cùm careant animô inducendi legem, vel obligationem, sine quo nulla lex consistere potest. dist. conseq. ergo ex errore potest introduci consuetudo *legalis*, seu inductiva novi juris, & legis, N. consuetudo *præscriptiva*, C. nam cùm ista petat etiam in principio bonam fidem, qua quis putat, rem à se possessam, *esse suam*, cùm in re sua non sit, sed aliena; potest admittere errorem, ex quo continuet illam possidere ut suam, seu non alienam.

Altera quæstio est, an frequentia actuum ad inducendam consuetudinem, quæ vim legis obtineat, fieri debeat *cum intentione*, & animo inducendi legem, & obligationem; qua deinceps communitas teneatur ad sic operandum in eadem materia? In hoc communis est affirmativa; ita Suarez *l. 7. de legibus, c. 14. n. 6. & c. 15. n. 10.* Salas, Saa, Bonacina, Vasquez, & alii, quos citat, & sequitur Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 3. p. 2. §. 3. num. 12.* dicens, in hoc ferè omnes Doctores convenire; tum quia id est de natura legis, dum constituitur; tum quia aliàs plurima forent jam sub obligatione, quæ nullatenus sunt, & fiunt ex pura devotione, liberalitate, vel supererogatione; cujusmodi sunt confiteri venialia etiam quoad speciem, & numerum; accipere aquam benedictam in in- & egressu Ecclesiæ, vel domûs; dare cibum aliquot pauperibus certis diebus, &c. Ex hoc autem oritur dubium, unde colligi possit, quòd ejusmodi consuetudo, quæ viget, inducta sit animô per eam inducendi obligationem, vel solùm animô devotionis, liberalitatis, &c. nam illi actus ex se indifferentes sunt, & fieri possunt animô obligandi; vel animô non obligandi. Mihi semper visum est, quando dubium est, an ea consuetudo, quæ nunc viget, cœpta sit, & continuata animô obligandi, non esse præsumendum pro animo obligandi; sed potiùs pro devo-

1679.

devotione, supererogatione, &c. Ratia est. 1. quia hæc quæstio est facti? factum autem non præsumitur. 2. in dubio, num detur lex, vel jus imponens obligationem, asserenti probatio incumbit. 3. quia in ambiguis nemo præsumitur sibi onus imposuisse; cùm possessio stet pro libertate; & ita tenet Suarez *l. 7. de legib. c. 15. n. 13.* & alij.

1680. Suarez tamen *loc. cit.* proponit quatuor indicia, ex quorum quolibet existimat, prudenter colligi posse consuetudinem aliquam, esse inductam animô obligandi, & non merè gratuitò. 1. quando materia, circa quam versatur, est rei gravis, difficilis, & nihilominus communiter servata à populo. Vix enim contingit, quòd una communitas circa tale objectum per longum tempus adeò uniformiter operetur, nisi quando se obligatam sentit. Verùm hoc fieri potest ex errore, quòd sentiat se obligatam, præsertim si hic sensus sit ante completam consuetudinem.

1681. Secundò, si viri timorati malè sentiant de his, qui non servant consuetudinem, vel communiter populus scandalizetur. Tertiò, si Prælati, & Superiores puniant violantes consuetudinem. Quartò, si materia consuetudinis, & eam esse sub obligatione, multùm conferat Reipublicæ. Sed reverâ hæc indicia non suadent certò, consuetudinem esse inchoatam, & continuatam, *animô obligandi.* Superiores enim etiam puniunt plura, quæ tamen sub obligatione non sunt, ex alio fine, quàm ut sub peccato obligent; plura sunt, quæ Reipublicæ valde prodessent, si forent sub obligatione, quæ tamen talia non sunt, & ubi lex, & obligatio non probatur, nihilominus subditis imponere obligationem conscientiæ, nimis durum est, & à pietate alienum, ut constat ex D. Thoma, & aliis.

1682. Præter hæc not. ad consuetudinem legalem requiri frequentiam actuum *externorum*, qui scilicet à majori parte talis communitatis frequententur; tum quia loquimur de consuetudine *externa*; tum quia requiritur consensus communitatis, ut ex tali frequentia jus nascatur. Ex hoc fit, ipsam non egere alia publicatione, quàm ipsâ externâ frequentiâ communitati notâ cum intentione inducendi legem. Et quoniam consuetudo vim legis obtinens induci potest, licèt minor pars communitatis contradicat, rectè sequitur, non requiri, quòd frequentia fiat nemine contradicente, cujus oppositum est in consuetudine præscriptiva dominii, quæ requirit possessionem *pacificam.*

## §. IV.

### *An ad consuetudinem inducendam necessarius sit consensus Legislatoris?*

1683. AFfirmativa communis est, loquendô de consuetudine, quæ legem, seu jus novum inducit; aut præexistens abrogat. Nam condere leges, aut conditas tollere, nemo potest, nisi, qui habet potestatem ferendi legem; vel agat ex consensu habentis potestatem leges condendi. Hinc enim natum est, quòd *inveterata consuetudo, ubi scriptis legibus nihil constitutum est, pro lege non immeritò custodiatur, quando saltem tacitus omnium consensus in idem intervenit,* idque voluntate Principum, ac Legislatorum, ut apertè constat ex L. *de quibus causis*, 32. L. *sed & ea*, 35. *ff. de legib.* ibi, *sed & ea, quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos observata, velut tacita civium conventio, non minùs, quàm ea, quæ scripta sunt jura, servantur.* Ex quibus clarum est, auctoritate Principis vim legis, seu juris attributam his, quæ diuturna consuetudine, tacito saltem consensu populi observata sunt; adeoque illam non habere ex se vim juris, sed Principis consensu.

1684. Quæstio autem est, an ad inducendam consuetudinem, quæ vim habeat inducendi novam, vel etiam abrogandi præexistentem legem, necessarius sit *personalis consensus* Principis, vel legislatoris, expressus, vel tacitus; aut sufficiat *legalis*, nimirum expressus in *c. fin. de consuetud.* ubi ea vis illi tribuitur, si sit rationabilis, & legitimè præscripta? id, quod etiam habetur in cit. L. *de quibus*, 32. *ff. de legib.* Communis sententia probabiliùs affirmat, sufficere consensum *legalem.* Nam extra dubium est, quòd Princeps lege condita statuere potuerit

tuerit, *ut, si populus in aliqua consuetudine*, seu frequentia actuum, *quæ rationabilis sit, per tantum tempus perstiterit, ea consuetudo hoc ipso vim legis obtineat;* quin opus sit alio ad ipsum recursu; eum autem sic statuisse constat tum ex cit. L. *de quibus*, ibi: *rectissimè receptum est, ut leges non solùm suffragio populi, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur;* & L. *fin. C. quæ sit longa consuetudo*, ibi: *probatam, & servatam tenaciter consuetudinem, perpetuæ legis vicem habere statuimus;* tum ex c. *fin. de consuetud.* ubi hæc vis consuetudini tribuitur, modò rationabilis sit, & legitimè præscripta, ibi: *licèt etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeò valitura, ut vel juri positivo non debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.*

1685. Dices. 1. L. 2. C. *quæ sit longa consuetudo*, dicitur: consuetudinis, usúsque longævi non vilis authoritas est; *sed non usque adeò sui valitura momentô, ut aut rationem vincat, aut legem;* quæ verba etiam habentur c. *Consuetudinis, dist.* 11. Resp. ex isto textu rectè probari, quòd nulla consuetudo populi, etiam longæva, quidquam possit *ex se*, & *vi suâ*, seu momento, & pondere sine legislatoris vel personali, vel legali consensu, utroque jure sufficienter explicato.

1686. Dices. 2. multæ sunt consuetudines, quæ solùm permittuntur, non approbantur à Principe; si autem sufficeret consensus solùm legalis, hoc non foret; ergo. Resp. omnem consuetudinem, quæ rationabilis est, & legitimè præscripta, per legalem Principis consensum approbari, consequenter obtinere vim legis, si inducta sit animo, ac intentione, ut deinceps (ubi nimirum præscriptio finita fuerit) pro lege recipiatur; unde, si quæ solùm permissa, & non approbata sit, carebit vel eo, quòd *rationabilis* non sit, vel, *non legitimè præscripta.*

1687. Dices. 3. consuetudo specialis est lex specialis; ergo requirit specialem consensum Principis; sed sic esse non potest sine speciali scientia, & approbatione Principis; ergo. Resp. consensum legalem dici posse specialem, cùm applicatur objecto speciali, qualiter omne genus se habet, contractum per speciem; hinc cùm consuetudines certorum tantùm locorum sint speciales, dicuntur etiam obtinere consensum specialem, in quantùm consensus legalis illis applicatur, si rationabiles sint, & legitimè præscriptæ. Quod enim generale est, relatè ad determinatas species sub ipso contentas, evadit speciale, per contractionem ad speciem.

## §. V.

### *Quæ consuetudo censeatur rationabilis?*

IN explicatione hujus termini multùm variant Authores, præsertim ob eam causam, quòd consuetudo contra legem, antequam legitimè perfecta sit, contineat meros actus peccaminosos, qui utique rationabiles non sunt; quomodo enim potest esse aliquid rationabile, si peccatum continet? Lex autem (atqueadeo consuetudo vim legis obtinens) debet esse conformis rationi; c. *Erit autem lex, dist.* 4. & L. *leges Sanctissimæ, C. de legibus*; ergo consuetudo contra legem nequit esse rationabilis, ergo nec obtinere vim legis. 1688.

1689. Hannoldus *tom.* 1. *de jure, & just. tr.* 1. *n.* 123. censet, in quæstione, *quæ consuetudo sit rationabilis?* debere colligi à contrario, nimirum, ut omnis ea talis sit, quæ non est *irrationabilis;* illam autem docet esse irrationabilem, quæ vel juri naturali, & divino adversatur; vel jure Canonico reprobatur; vel causam, aut peccandi licentiam præbet; vel alia ratione Reipublicæ pernicioſa est: quæ nihil horum habet, *rationabilem* esse. Alij dicunt, illam esse *rationabilem*, quæ est de re honesta, & utili Reipublicæ; sic Castropalaus *P.* 1. *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 2. §. 1. *n.* 1. citans pro eadem opinione Sanchez *l.* 7. *D.* 4. *de matr. n.* 14. Suarez *l.* 7. *de legibus, c.* 6. *n.* 16. & alios, ad rationem contrariam dicens, ut *rationabilis* dicatur, sufficere, quòd talis sit, non quidem ut legi adversa, & adhuc imperfecta est, sed cùm perfecta est, & legem tollit, eò quòd tunc rationi consonum sit, & Reipublicæ conducens, quòd consuetudine perfecta, cujus actus antecedenter peccaminosi erant, adhuc stante lege, hanc tolli, ne

culpa ulteriùs progrediatur; & cives graventur diutiùs legis ipsis difficilis obligatione.

1690. Sylvester V. *Consuetudo q.* 1. & Sotus *de just. l.* 1. *q.* 7. *a.* 2. apud Barbosam in *c. fin. h. t. n.* 11. ait, *consuetudinem* (prout in *c. cit. fin.* exigitur) *tunc dici rationabilem*, seu rationi consonam, *quando de ea re, de qua est consuetudo, justa foret lex de novo condita, priori mutata, si qua esset; vel minimè mutata, si nulla existebat.* Et hæc expositio illius termini, videtur & clara, & ad mentem textûs in *c. fin.* ac aliorum jurium, quæ consuetudini concedunt vim legalem abrogandi legem priorem, cui contrariantur. Ratio ulterior est, quia videtur manifestum, quòd legislator, hoc est, prudens Superior, cui incumbit gubernare subjectam sibi communitatem per leges à se conditas, vel consensu personali, vel legali (constituta nimirum lege) non consentiat, consensu in vim legis approbante frequentem usum, & mores populi, nisi tales sint, qui possint esse *materia legis justæ*; etiam priori, si qua esset, abrogata; sed usus, & mores populi, quantumcunque longævi, sine consensu Legislatoris, saltem legali, non possunt esse consuetudo vim legis obtinens; ergo consuetudo vim legis obtinens debet esse de tali re, de qua foret lex justa de novo condita, priori abrogata, si qua fuit; aut, non mutata, si nulla fuit; sed hoc non habent usus & mores populi, dissoni rectæ rationi, & divinis legibus, præbentes ansam, & licentiam peccandi, jure sacro, aut aliter bono communi reprobati; ergo tales non possunt facere consuetudinem, quæ obtineat vim legis.

1691. Ex dictis colliges. 1. non obstare, ut consuetudo longæva vim legis obtineat etiam contra legem præexistentem, quòd, *antequam perfecta sit*, actus exerciti, quibus sensim inducta est, sint contra illam legem, quam abrogare intendit, adhuc obligantem; nam ex hoc non sequitur, quòd, ubi per tot annos aliquis usus legi contrarius communi consensu populi exercitus est, super tali usu deinceps continuandô constitui non possit lex *justa*, priori abrogata; ut manifestum est ex juribus relatis a. *n.* 1683.

1692. Collig. 2. dictam consuetudinem adhuc esse *rationabilem* (prout hîc exigitur) licèt actus præcedentes ejus perfectionem, fuerint peccaminosi contra legem, quæ primùm abrogatur consuetudine perfecta. 1. quia nullibi dicitur, quòd *actus*, quibus inducitur consuetudo vim legis obtinens, *debeant esse rationabiles*; textus enim expressè loquitur *de consuetudine*, quando scilicet præcessit communi consensione longa actuum frequentia, qua posita justa foret lex de novo condita etiam contra legem præexistentem, ut deinceps talis usus ex obligatione continuetur. 2. quia si consuetudo, ut obtineat vim inducendi novam legem, vel abrogandi veterem, deberet esse *rationabilis*, *hoc etiam sensu, ut nullus actus, ex præcedentibus ejus perfectionem, fuerit malus, propter oppositionem cum lege, quam intendit abrogare*, nulla consuetudo dari posset, quæ obtineret vim abrogandi legem humanam; nam actus exerciti contra talem legem, ante præscriptionem finitam, semper forent mali (cùm ponantur fieri contra legem actu obligantem, utpote nondum abrogatam) consequenter consuetudo ex illis consurgens nunquam esset rationabilis; hoc autem dici non potest propter manifesta jura in contrarium, ut constat ex *nu.* 1683.

Collig. 3. consuetudinem rectè adhuc 1693.
dici rationabilem, esto inducatur per actus contra legem humanam, quæ consensu Principis tolli potest, quando consuetudo longæva est, & usurpata communi consensu populi; quia sic potest fieri idonea materia justæ legis consensu Principis saltem legali, sublatô vitiô, quo priùs laborabant præcedentes actus propter oppositionem cum lege nondum sublata. Ex hoc patet, quando actus, ex quibus consurgit aliqua consuetudo, laborant *vitiô ex objecto*, nimirum propter oppositionem cum jure naturali, vel divino, non posse nasci ullam consuetudinem, quæ vim legis obtineat; sic enim *vitium*, est necessarium, & inauferibile jure humano; consequenter nullo consensu legali, vel personali ullius legislatoris humani fieri potest materia justæ legis; quo secluso nunquam est rationabilis, adeóque vim legis obtinens, ut diximus *n.* 1639.

Quæ-

1694. Quæres: quid dicendum, quando dubitatur, an consuetudo sit *rationabilis?* (hoc est, *an deinceps operari, secundùm talem consuetudinem, sit apta materia justæ legis constitutæ?*) respondet Sanchez *l. 7. matr. D. 4. n. 14.* Suarez *de legibus l. 7. c. 6. n. 15.* præsumendum, quòd sit rationabilis in favorem consuetudinis jam introductæ. Mihi probabilius omnino videtur id affirmandum, quando consuetudo est *præter legem.* Nam id, in quod communiter omnes conveniunt (si aliunde non sit contra legem) rationabiliter dicitur bono communi conveniens. Si autem sit *contraria legi*, censet Joan. Andreas c. *ult. de consuetud.* & plures alii cum Menochio *l. 2. cent. 1. de arbitrar. casu* 14. reliquendum arbitrio prudentum, an sit, vel non sit expediens eam consuetudinem in vim legis contra priorem recipere? Cæterùm probabilius dicitur, consuetudinem, etiam legi contrariam, censeri rationabilem, si nullo jure reprobata sit; secus, si à jure prohibita, vel reprobata sit, aut rejiciatur *tanquam corruptela*, de quo V. dicta à *n.* 1642.

1695. Prima pars, quam tenent Authores jam citati, probatur. Nam consuetudo perfecta, nimirùm communi populorum usu per longum tempus usitata, si sit de re honesta, & bono communi expediens, habet vim abrogandi legem, & inducendi jus novum contra illam; eoipso in dubio est rationabilis censenda, si nullo laboret vitio in actibus præcedentibus, quàm proveniente ex oppositione cum illa lege; sed fieri potest, quòd talis consuetudo sit de re honesta, & bono communi conducente. Min. prob. nam, ut sit de re honesta, non requiritur, quòd careat omni vitiô in actibus præcedentibus, ut diximus *nu.* 1691. sed satis est, quòd careat vitio ex objecto, nec sit jure reprobata; talis autem potest esse consuetudo contra legem, ut constat ex dictis; & usus communi consensione per tantum tempus exercitus est sufficiens indicium, quòd sit bono communi conveniens, abrogata priori lege, deinceps ex obligatione agere juxta illam consuetudinem; ergo.

1696. Probatur etiam secunda pars; quia ubi consuetudo contra legem à jure vocatur *corruptela*, vel reprobatur, rectiùs, & majori fundamentô præsumitur in dubio, eam non esse rationabilem; tum quia reprobatio consuetudinis in tali casu est certa; ejus autem rationabilitas solùm dubia; tum quia hoc ipso constat ex jure, ac lege, quòd talis consuetudo ex mente legislatoris destituatur consensu legali, sine quo nequit obtinere vim legis ex *n.* 1683. quod confirmatur ex c. 3. *de eo, qui mittitur in possess.* ubi Judex delegatus jubetur alterum mittere in possessionem juxta consuetudinem ab ipso allegatam, etiamsi contrarium in lege sit, si *laudabilem* esse constiterit; ergo ubi constat non esse laudabilem, non prævalet contra legem; ubi autem constat, eam à jure reprobatam esse, aut prohiberi tanquam corruptelam, nequit esse laudabilis; de quo plura *l. 4. decret. quæst. ultimâ.* Quia tamen consuetudo, quam jus reprobat, & tanquam corruptelam, seu consuetudinem perversam reprobat, mutatis circumstantijs quandoque fieri potest rationabilis, fieri quoque potest, quòd consuetudo illa olim reprobata, & inepta, ut efficaciter inducat novum jus, vel antiquum abroget, successu temporis ad hunc effectum idonea, & efficax evadat secundùm dicta *l. 4. decret. loc. cit.*

1697. Pro reliquis not. 1. plus requiri ad consuetudinem præter legem, quàm ad contrariam legi. Nam minor causa sufficit ad tollendam legem, quàm ad inducendam de novo, ut rectè notat Sanchez *l. 7. de matr. c. 18. à n. 9.* ad illud enim sufficit, quòd ea lex non ampliùs bono Reipublicæ sit utilis; ad istud autem, quòd positivè conducat, & bonum commune poni legem exigat.

1698. Not. 2. cum dicitur consuetudinem juri contrariam, si rationabilis sit, & legitimè præscripta, posse inducere jus novum, & antiquum abrogare, debere intelligi de contrarietate consuetudinis cum lege, dum illa nondum est perfecta; nam ubi perfecta est, nulla manet contrarietas juxta dicta *Superius.*

1699. Not. 3. aliud esse, quòd consuetudo *contraria* sit juri canonico; aliud, quòd eodem jure sit *reprobata:* illud non obstat, quò minùs rationabilis sit, & evadat consuetudo juris, ut dictum est *n. 1695.* secus istud ex *n. cit.* sic licèt c. 1. *de excessibus Prælatorum*, Episcopus inquirendô, punien-

niendô, & corrigendô excessus subditorum, debeat requirere consilium Capituli; consuetudo tamen, *hoc non requirendi*, si sit canonicè præscripta, non est reprobanda, ut dicitur c. *Non est*, *de consuetud. in 6.*

## §. VI.

### *Qualiter consuetudo præscribatur?*

1700. ANte resolutionem not. 1. *consuetudinem* propriè non præscribi, sed per eam præscribi contra legem. Cæterùm *consuetudinem præscribi* nihil aliud est, quàm eam tempore ad præscriptionem requisito continuatam esse. Hinc consuetudo *præscripta* (ut tenet Panormitanus in c. *Non est*, *de consuetud. in 6. n. 7.* apud Pereyram *in Elucidar. n. 249.*) nihil aliud significat, nisi *esse obtentam per cursum temporis requisitiad præscriptionem.*

1701. Not. 2. inter ipsas consuetudines *facti*, quæ contra legem vigent, esse discrimen. Nam aliquæ sunt, quæ, dum vigent, habent saltem tacitum consensum Principis, seu legislatoris, quod contingit, dum conscius consuetudinis, legi contrariæ, silet; nec, esto commodè posset, legis observantiam urget: aliæ, quæ nec talem consensum habent, sed fiunt, Principe penitus ignorante frequentiam actuum legi suæ contrariorum.

1702. Not. 3. per consuetudinem legi contrariam, quæ importat tacitum Principis consensum, non *præscribi* propriè contra legem, cui contrariatur. Nam præscriptio currit absque illius consensu, contra cujus jura præscribitur. Unde in tali casu lex, cui talis consuetudo contrariatur, potiùs ab ipso Principe censetur tacitè revocari, ipso nimirum cedente juri suo. Et hæc consuetudo *facti* non est regulanda secundùm principia præscriptionis, nec propriè præscripta dicitur. V. tamen *num.* 1649.

1703. Not. 4. præscribere *contra legem Ecclesiasticam*, & præscribere *contra Ecclesiam*, esse diversa; pro quo advertendum, frequentiam actuum contra legem, per tempus jure definitum continuatam, in juribus appellari quidem præscriptionem, non tamen esse præscriptionem *propriè* dictam, sed *quasi præscriptionem.* Nam præscriptio propriè dicta multis modis differt à consuetudine contra legem, etiam tempore debito completa, ut dictum est à *num.* 1649. hinc contra illum duntaxat *propriè* præscribi dicitur, cujus dominium, aut jus, cum jactura, & damno ejus minuitur, & tollitur; id, quod non habet præscriptio contra legem Ecclesiasticam; cùm nihil minuat, aut tollat *de utilitate, & commodis Ecclesiæ*, ne quidem ut legislatrix est, cùm leges non ferantur in commodum legislatoris, sed subditorum ex *nu.* 91. *& seq.* quibus positis:

Quæstio est, quantum tempus requiratur, ut consuetudo (*ratione temporis*) dicatur legitimè præscripta? Leges enim, quæ consuetudini concedunt vim abrogandi legem, cui contrariatur, ad eam requirunt temporis diuturnitatem, ut constat ex *dictis*; quantum porro tempus requiratur, ut talis meritò, & ad prædictum effectum *diuturna* dicatur, controversum est inter Doctores. Aliqui enim requirunt tempus immemoriale; alii definiendum arbitrio Judicis; alii distinguunt, & volunt sufficere decennium, si sit *præter*, vel *contra* legem civilem: 40. annos, si contra canonicam; alii demum ad omnem consuetudinem (cui competat vis abrogandi legem, cui contrariatur, sive civilis sit, sive canonica) volunt sufficere, si duravit decenniô. 1704.

Hæc postrema opinio communior est, & probabilior; eámque tenet Suarez *l. 7. de legib. c. 8. nu. 7.* junctô *c. 15. nu. 5.* & *c. 18. nu. 12.* complureſque alii ibidem relati; ante cujus probationem not. 1. *tempus* aliud esse *continuum*, quod nempe absque ullo intervallo dierum accipitur; ita etiam ut numerentur dies festi, & profesti, sive præsens sit, sive absens Reus, vel Actor; sive sit, sive non sit Judicis copia, L. *ult. C. de præscript. long. temp.* & *non continuum*, & hoc *utile* vocant Jurisconsulti; quia in hoc dies festi non supputantur: item quia non habetur ratio dierum, in quibus legitimum subsit impedimentum; vel justa excusatio absentiæ, morbi, aut alterius causæ, c. *ne pro defectu, de elect.* Sunt tres differentiæ temporis, scilicet præteriti, præsentis, & futuri. An verba temporis præsentis, vel præteriti 1705.

riti trahantur ad futurum, edisserit Bartolus ad L. *talis scriptura, ff. de legib.* 1.

1706. Not. 2. ex Pereyra *in Elucidario num.* 1134. *longum, & diuturnum tempus* valde assimilari. Nam *diuturnum* tempus decem annorum est; id, quod etiam habet *longum* tempus, ut videri potest in Institut. *de Usucapionib. in princip. Longævum* autem dicitur pro *inveterato*, seu *annis onusto*, L. *de quibus, ff. de legibus*, quibus positis:

1707. Probatur conclusio: consuetudo diuturna habet vim abrogandi legem; ergo, ut dicatur præscripta quoad hunc effectũ, sufficit *diuturnitas*; sed hæc completur decenniô; ergo, ut consuetudo ratione temporis sit præscripta, sufficit decennium. Ant. est ex *n.* 1683. conseq. sequitur ex anteced. nam nulla consuetudo habet vim abrogandi legem, nisi præscripta, per c. *fin. hic*; ergo si consuetudo sit decennalis, erit præscripta, quia erit diuturna, per *n.* 1706. Accedit, quòd ad præscriptionem legalem, seu legis, nullum aliud tempus *exigatur* in jure, quàm *longum*, at hoc habetur decenniô; ergo. Neque rationes in contrarium plus evincunt, ut dicemus in *seq.* quare:

1708. Not. 1. cùm dicitur: ad legem inducendam requiritur consuetudo *inveterata* per L. *de quibus* 32. *ff. de legibus.* at consuetudo *inveterata est illa*, de cujus initio non est memoria, L. *ult. C. quæ sit longa consuetudo*; responderi, *negandô*, quòd in *cit. L.* dicatur, ad legem inducendam *requiri* consuetudinem *inveteratam*; sed solùm, quòd consuetudo inveterata pro lege meritò *custodiatur*, quando saltem tacitus omnium consensus in idem intervenit, ut constat ex textu superius *à n.* 1683. relato. Deinde idem effectus expresè tribuitur *longæ* consuetudini, in L. *sed & ea*, de qua

1709. ibidem *n. citato.*

Not. 2. quando dicitur cum Suarez *l. 7. de legibus, c.* 18. *n.* 12. adversus Ecclesiam non præscribitur nisi 40. annis, c. *de quarta*, &c. *ad aures, de præscript.* ergo neque contra legem canonicam, seu Ecclesiasticam; nam consuetudo abrogans legem canonicam suô modô præscribit contra Ecclesiam: responderi 1. ex *num.* 1743. dato anteced. negari conseq. cum sua probat. cujus ulterior ratio est, quia objectio supponit falsò, talem consuetudinem esse *contra Ecclesiam*; nam, ut ibidem diximus, nihil de bonis ejus & commodis tollit.

Resp. 2. dato antec. N. conseq. 1. quia 1710.
tempus illud 40. annorum requiritur solùm pro *præscriptione* contra Ecclesiam *propriè dicta*, eò quòd sit diminutiva utilitatum, & commodorum ejus, id, quod non habet præscriptio contra legem Ecclesiasticam ex cit. *n.* 1703. Deinde præscriptio *contra legem Ecclesiasticam* non est *contra Ecclesiam*, sed potiùs pro illa, cùm procedat ex ipsius consensu tradito in c. *fin. h. t.* hæc abrogatio.

Hinc argumentum potiùs militat con- 1711.
tra suos Authores. Nam præscriptio *contra Ecclesiam*, sit sit præscriptio propriè dicta, nimirum bonorum, vel juris ablativa, ideo requirit tempus 40. annorum; quia *propriè est contra Ecclesiam*, utpote adversa bonis ejus, & commodis; at præscriptio *contra legem Ecclesiæ* non est præscriptio *propriè, nec est contra, sed potiùs pro Ecclesia*, ut constat tum ex *num. præced.* tum *ex dictis n.* 1702. ergo.

Not. 3. ad eam objectionem, qua dici- 1712.
tur, *longum tempus* censeri decennium *inter præsentes; inter absentes* autem requiri *vicennium*, per L. *ult. C. de præscript. longi tempor.* ergo consuetudo contra legem *absente* (seu, quod moraliter idem est, *ignorante*) *Principe*, non est legitimè præscripta, nisi *vicenniô*: responderi textum procedere de præscriptione *propriè* dicta, & adversa illi, contra quem præscribitur; non autem favorabili, & fundata in ejus consensu per legem expressô. Cujus ulterior ratio est, quia in his, quæ favorem continent, & formantur menti Legislatoris, ampla interpretatio est; ergo tempus ad præscribendam consuetudinem, quæ vim legis abrogativam obtineat, illud sufficiens censendum erit, quod sufficit, ut dicatur consuetudo *longa*, sumendô tempus *longum* in acceptione mitiori, nimirum pro *decennio*, si consuetudini longæ talis effectus tribuatur dispositione favorabili, & conformi menti Legislatoris; sed dispositio juris, de qua nunc agimus, talis est, ut constat ex dictis; ergo.

Ex hoc etiam resolvitur, quod opponit 1713.
Menochius *de arbitrar. l. 2. centur.* 1. *casu* 83. *n.* 6. volens, quantitatem temporis, ut consuetudo dicatur præscripta, definiendam *arbitriô judicis*, eò quòd nec ju-

re

re civili, nec canonico ullum tempus pro præsenti casu definitum sit; & ubi quandoque dicitur sufficere *decennium*, sermo solùm sit de præscriptione propriè dicta. Nam Resp. satis constare, quòd sufficiat tempus longævum, seu longum, ut habetur ex juribus *n.* 1684. decennium autem tempus longum est ex *n.* 1712. licèt tempus *longum* importet etiam quandoque tempus majus, quandoque minus. Nam regulariter est decem annorum; ergo in dispositione favorabili rectè salvatur decenniô tempus *longum*, consequenter quasi præscriptio, qualis est, de qua in præsens agitur.

1714. Not. 4. consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam vim inducendi novam legem, vel obrogandi veterem, non habere vi, seu naturâ suâ, ut diximus *n.* 1685. nec etiam ex consequente, sed antecedente voluntate Principis per legem expressa. Et non tam vi consuetudinis, quàm voluntate Principis (consuetudinem ad ejusmodi effectum approbantis) lex nova inducitur, vel antiqua præexistens abrogatur. Et ideò consuetudo vim istam non habet, quòd Princeps ei non contradicat, cùm potest etiam moraliter; sed ex antecedente voluntate per legem intimata. Nam etiam in casu, quo Princeps tacet, & non contradicit, esto posset, non semper id, quod fieri novit, positivè approbat; cùm contingere possit, quòd habeat justas causas hic & nunc dissimulandi, prout constat ex c. *Super eo, de cognat. spirituali*, ibi: si de consuetudine habeatur, ut talia conjugia permittantur in Ecclesia tua, *dissimulare poteris, ita, quòd nec contradicere, nec tamen videaris præstare assensum.* Ex hoc colligitur cum Suarez *l. 7. de legib. c. 12. ad fin.* consensum Principis, ut consuetudo vim obtineat inducendi, vel abrogandi legem, non sufficere qualemcunque, sed requiri claram ejus approbationem, æquivalentem vel legis constitutioni, vel abrogationi; aliàs lex foret sine positiva voluntate legislatoris.

1715. Not. 5. cùm dicimus, ad hoc, ut consuetudo, *ratione temporis*, dicatur præscripta, sufficere *decennium*, debere intelligi de decennio *continuo*, seu *non interrupto*; ita Suarez *cit. c. 8. nu. 14.* tum quia interruptio præscriptioni obstat; tum quia, si interrumpatur, non durat *decenniô*, præsertim, cùm jura requirentia certum tempus ad aliquem effectum, intelligantur de *continuo*, & non interrupto; sic Navarrus *consil. 87. de Regularibus nu. 1. V.* dicta *nu.* 1705.

Not. 6. consuetudinem *interrumpi*, 1716.
consequenter non esse continuam. 1. si Princeps introducentes consuetudinem puniat; sic enim tacitè resistit ejus introductioni; ita Suarez *cit. c. 8. num. 15.* vel, si per decretum, vel sanctionem positivè reprobet; tunc enim censet eam carere convenientiâ, quam habere debet relatè ad commune bonum ex *nu.* 1642. *& seq.* vel si à tota communitate, vel majori ejus parte contrà consuetudinem agatur, etiam per unicum actum; quia sic deficit tacitus in idem consensus consuetudini legitimæ necessarius, ut constat ex juribus allatis à *nu.* 1683. vel si in aliqua lege cavetur contra consuetudinem per clausulam: *contraria consuetudine non obstante*; talis enim prohibitio, *cùm sit in favorem legis*, consequenter bonum Reipublicæ, latè sumenda est, & nisi restringatur ad sola præterita, etiam de futuro intelligenda est; sic Haunoldus *tom. 1. de jure, tract. 1. num. 146.*

Not. 7. quæ diximus de consuetudine 1717.
*contrà legem*, etiam intelligenda de consuetudine *præter legem*, qua nimirum inducitur nova lex. Nam & hæc comprehenditur sub L. *de quibus*, & L. *sed & ea*, quarum textum retulimus *suprà*. Aliam tamen promulgationem hæc non requirit, quàm quæ habetur per ipsam præscriptionem, hoc est, frequentiam actuum tanto tempore, communi consensione, liberè, ac animo inducendi legis obligationem exercitam.

Not. 8. etsi verum sit ad præscriptionem 1718.
juris, seu dominii requiri *bonam fidem*; hanc tamen non esse necessariam ad præscriptionem legis abrogantis præexistentem. Nam hæc inchoari, & produci potest per actus scienter exercitos contra legem existentem, ut constat ex dictis, adeóque per actus peccaminosos; at hi non procedunt ex bona fide. Et quamvis aliqui velint, hoc procedere, quando inducitur consuetudo *viâ connivientiæ*, non autem *viâ præscriptionis*, propter c. *Possessor 2. de reg. juris in 6.* hæc tamen regu-

la

la procedit solùm de præscriptione *propriè* dicta, & allativa dominii rei alienæ, qua is, contra quem præscribitur, privatur, non autem quasi præscriptione, & legis abrogativa propter clarum textum *c. fin. h. t.*

## §. VII.

### *Qui possint consuetudinem inducere?*

1719. NOt. nos agere de consuetudine *legali*, quæ scilicet obtineat vim vel legis novæ, vel simul abrogantis priorem. Et quoniam, ut vim istam obtineat, secundùm dicta requiritur, quòd frequentia actuum, quam consuetudo requirit, consensione libera, saltem majoris partis in idē convenientis, & animô inducendi legis obligationem, directè propter commune bonum fiat, rectè sequitur ab homine privato non posse induci talem consuetudinem, præsertim legis abrogativam; id, quod etiam procedit de Principe, ut docet Suarez *l. 7. de legib. c. 3. nu.* 8. voluntas enim Principis non est *communis consensus subditorum.*

1720. Dices: privatus per præscriptionem potest se liberare ab obligatione legis; ergo potest inducere consuetudinem contra legem; patet conseq. *quia inducere consuetudinem contra legem*, nihil aliud est, quàm illi tollere vim obligandi vel quoad totam communitatem, vel quoad partem. Ant. prob. nam, etsi Episcopus de jure teneretur in correctione subditorum procedere *ex consilio Capituli* per *c. 1. de præscript. in 6.* tamen consuetudine à se introducta se exemit ab hac obligatione juxta c. *non est, de consuetud. in 6.*

1721. Resp. privatum per præscriptionem propriè dictam posse se liberare ab obligatione legis solùm *indirectè*; non autem *directè*; hinc N. conseq. ad hujus prob. dico, inducere consuetudinem contra legem est illi *directè*, non autem *solùm indirectè* tollere vim obligandi. Ad prob. ant. Resp. illum Episcopum *propriè* præscribendô contra jus Capituli (quo poterat exigere, ne in correctione subditorum procederet sine Capitularium consilio) solùm *indirectè* exemisse se ab obligatione contenta in *cit. c. 1. de præscriptione*; quatenus legitima, & propriè dicta præscriptione sustulit illius *materiam*, nempe jus Capitularium, quo stante locus erat legi, onus imponenti, ex eorum consilio procedendi; his positis:

Quæstio potissima hìc est, an consuetudinem *juxta*, vel *contra* legem inducere possit communitas, quæ non gaudet jurisdictione condendi legem, vel faciendi statutum. Nam, etsi non omnis habens potestatem ferendi legem, possit inducere consuetudinem, ut diximus *nu.* 1719. cùm hæc petat omnium de communitate, vel saltem majoris partis consensionem in idem, quod actuum frequentiâ exercetur; secus tamen est in communitate, quæ legem, vel statutum condere potest; quia in ea non deficit *posse consentire consensu omnium, vel majoris partis.* Ad quæstionem porro propositam responsio affirmativa est, quam tenet Suarez *l. 7. de legibus c. 9. à nu. 7.* Salas *D. 19. eod. sect. 6. nu. 59. & sect. 11. n. 90.* Bonacina *D. 1. q. 1. p. ult. §. 3. n. 13. & 28.* quos citat, & sequitur Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 3. p. 3. n. 4.* Tota enim ratio in contrarium esse potest, quòd talis consuetudo haberet vim legis, cujus tamen constitutionem facere non potest communitas, quæ caret jurisdictione, ut in præsens supponitur. Nam hæc ratio non obstat. 1722.

Pro cujus intelligentia not. consuetudinem, in quantum importat frequentiam actuum communi civium consensione per longum tempus usurpatam, non obtinere vim legis *naturâ suâ*, & *ex vi* talis frequentiæ etiam diu continuatæ (nam hoc explicat solùm de materiali consuetudo) sed ex vi, & legali voluntate Principis, ei tribuentis formaliter hanc virtutem; ut expositum est superiùs *nu.* 1685. quo posito: 1723.

Certum videtur, à communitate, etiam destituta jurisdictione ferendi legem, poni posse talem frequentiam actuum communi consensu liberè, ac diu continuatam animô, ut, ubi perfecta fuerit, secundùm ea, quæ dicit de materiali, ex legali voluntate Principis recipiat formam, seu vim obligandi, aut tollendi legem priorem; quo casu utique vim legis, vel novæ, vel etiam prioris abrogativæ obtinebit: atqui totum hoc fieri potest, quin talis communitas gaudeat jurisdictione ferendi leges; ergo. 1724.

Ex dict. collig. 1. consuetudinem juris indu- 1725.

induci non posse nisi *à majori parte communitatis*. Nam cùm consuetudo juris supponat frequentiam actuum *ex consensu communitatis* continuatam tempore debito; hoc autem contingere non possit, nisi consentiat saltem major pars de tali communitate, consequens est, consuetudinem juris induci non posse, nisi à majori parte communitatis. Sufficit autem major pars absolutè, intellige habilium, & legis capacium. Nam quòd requirantur duæ medietates, speciale est in quibusdam electionibus, non in consuetudine.

1726. Collig. 2. consuetudinem inductam *à privatis*, nullatenus esse consuetudinem *juris*; sequitur ex *num. præced.* Nam sine consensu majoris partis de communitate per talem consuetudinem, velut legem ligandâ, non stat consuetudo *juris* vel novi, vel etiam prioris abrogativi ex *num. priori*. Hinc Domini, qui titulô consuetudinis inductæ cogunt subditos ad quædam onera, quæ ipsi, vel majores ipsorum induxerunt sine consensu majoris partis de illâ communitate, quam gravant, injustum exigunt, cùm justitiæ fundamentum, quod ponunt in consuetudine, nullum sit.

1727. Dices: hoc ipso, quòd per tot annos jam præstiterint ea onera, præsumi posse illorum consensum. Resp. id verum esse, quoties ea præstituerunt *liberè*; non autem *coacti*, & sæpiùs *interposita reclamatione*, qua non obstante *metu potentiæ, carcerum, & graviorum malorum* tacere compulsi sunt, & per patientiam tolerare, sine ullo animo per ejusmodi actus inducendi obligationem, cui non poterant mederi ipsi, etiam destituti ope Judicum, qui sæpius talium oppressionum rei sunt.

1728. Collig. 3. consuetudinem quantumcunque diuturnam, non habere vim legis, & nullum tribuere jus, quæ inducta est *directè in commodum privatum*; vel *renitente communitate*, vel *vi, & potentia majorum*, vel *metu injusto*, ex quo communitas iniquè & graviter se vexandam meritò præsumi potuit. Nam lex naturâ suâ directè respicere debet bonum commune subditorum; ergo & consuetudo, quæ pro lege recipitur. 2. quia consuetudo petit frequentiam actuum ex consensu libero communitatis ex dictis; at hic deficit, cùm ea inducitur renitente communitate, vel coactâ, vi, potentia, injusto metu gravi.

Confirmatur; quia nulla consuetudo habet vim juris ex natura sua, sed dependenter à legali consensu Principis, ut constat à *num.* 1685. sed hic deficit, nisi frequentia actuum, qui exercentur à communitate, procedat ex concordi subditorum consensu expresso, vel tacito, eoque libero, & continuato ex intentione inducendi obligationem; ergo etiam deficit consuetudo juris: at ubi consensus est ex gravi metu injusto, aut ex vi, & potentia Dominorum, vel in privatorum duntaxat commodum directè extortus, deficit ratio consensûs liberi cum ea intentione, ut manifestum est; cùm reverâ potiùs graviter inviti sint, & reluctantes; ergo. 1729.

Collig. 4. consuetudinem *jure reprobatam*, tanquam corruptelam, seu perversam, vel ut irrationabilem, bono communi noxiam, nullatenus esse posse consuetudinem juris; nam nulla consuetudo habet, aut habere potest vim inducendi novum jus, vel abrogandi præexistens, nisi rationabilis, nempe talis, circa cujus materiam spectatô communi bonô Reipublicæ meritò, seu justè constitui posset lex, ut diximus *num.* 1645. at circa materiam consuetudinis, sic reprobatæ à jure, non potest meritò, seu justè constitui lex, ut ex se liquet; ergo. 1730.

Collig. 5. nullam consuetudinem habere posse vim juris relatè ad communitatem, *incapacem obligari à Principe*, à cujus consensu legali frequentia actuum formaliter accipit vim legis, seu quòd recipiatur pro lege. Contradictionem enim implicat obligare inobligabilem; ex quo colliges, ut consuetudo obtineat vim legis, requiri in eadem communitate, à qua inducitur, passivam capacitatem obligationis ab illo, à cujus consensu pendet in obtinenda vi legis. 1731.

Collig. 6. non tantùm non esse consuetudinem *juris*, quæ à laicis, quà talibus, exercetur contra immunitatem Ecclesiasticam, non modò in personis, sed & in bonis Ecclesiasticis, contra exemptionem Clericorum, & immunitatem Ecclesiasticam; sed omnia etiam acta, quæ 1732.

fun-

fundantur in eo jure, prætextu talis consuetudinis, esse nulla, & irrita, imò & injusta, & iniqua. Ratio est ex *præced. num.* Nam exemptio, & immunitas, quæ afficit personas; & bona Ecclesiastica, tollit illis passivam capacitatem obligationis à jurisdictione laica, quà tali, ut constat ex dict. à *num. priori*: ergo nullum jus, aut jurisdictionem laicis adversus ea tribuit; actus autem jurisdictionis exercitus à carente jure, seu jurisdictione, nullus est, imò injustus, & iniquus; ergo.

1733. Accedit, quòd talis consuetudo, seu praxis (quam dicunt jam receptam) careat omnibus propè conditionibus ad substantiam consuetudinis legalis, necessariò requisitis; inter quas est consensus communitatis per eam obligandæ, & quidem *liber*, *non extortus* vi, potentiâ, injuriis; *continuatus*, seu non interruptus, *commune bonum directè quæsitum*, &c. Hæc autem in communitate Ecclesiasticorum obliganda per talem laicorum consuetudinem nullatenus reperiri, plus, quàm certum est, ut constat orbi; ergo.

## ARTICULUS IV.

### *De legitimâ consuetudinis effectu.*

1734. INter effectus consuetudinis, quæ nimirum rationabilis est, & legitimè præscripta, numerantur *obligatio*, *novæ legis inductio*, *præexistentis abrogatio*, aut etiam *actuum irritatio*, ac demum etiam *juris interpretatio*. Hanc porro vim inesse tali consuetudini apertè constat ex c. *fin. h. t.* ibi: licèt longævæ consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen est usque adeò valitura, ut juri positivo (nimirum humano,) debeat præjudicium generare, *nisi fuerit rationabilis*, *& legitimè præscripta*; de jure etiam civili constat ex dictis à *num.* 1634.

### §. I.

### *An, & qualem obligationem pariat consuetudo?*

1735. CUm legitima consuetudo pro lege recipiatur, ex *num.* 1634. lex autem habeat vim obligandi naturaliter ex *num.* 233. vis eadem tribuenda est consuetudini legitimæ. Quæstio autem est. 1. an possit dari consuetudo juris *merè* pœnalis, nimirum obligans ad solam pœnam determinatam? affirmativam meritò tenet Suarez *l.* 7. *de legibus c.* 16. *à. n.* 2. Nam obligare ad pœnam tantùm, eamque determinatam ex se nullam formaliter, aut illativè continet repugnantiam, cùm id reperiatur in lege, quæ dari potest *merè* pœnalis; ergo communitas per tempus jure definitū liberè poterit continuare frequentiam actuum animô; ut si quis secus egerit, teneatur ad certam pœnam.

Altera quæstio est, an consuetudo unius communitatis obliget aliam ab illa penitus distinctam? Resp. negativè cum Suarez *tit. num.* 6. Nam sine animo obligandi, seu inducendi obligationem in communitatem dependenter à legali consensu Principis, non stat consuetudo juris, seu obligans ex *num.* 1683. hic autem animus esse non potest in una communitate in ordine ad alios, qui non sunt membra talis communitatis, tum quia sic intenderet obligare alios, ab ipsa inobligabiles; tum quia legalis consensus Principis non tendit ad aliam communitatem, ac eam, quæ consuetudinem illam introduxit. 1736.

Quæstio 3. est, an Judex alicujus loci, vel civitatis sequi possit in decidendis causis sui fori, consuetudinem alterius loci, vel civitatis; quando in proprio ad ejus causæ decisionem non suppetit lex, statutum, aut consuetudo propria? Resp. affirmativam approbari c. *Cum olim*, *de consuetud.* ubi dicitur: *in attribuendis officiis novæ dignitati, servandam esse consuetudinem vicinarum civitatum; & si hæ diversæ fuerint, eligendam magis rationabilem, & aliis non præjudicantem*; ac in c. *Super eo*, 22. *de censibus*, ibi: *tibi duximus respondendum, quòd illud observare tenetur* (nimirum in Provincia Compostellana, de novo ad jurisdictionem Ecclesiæ Archi-Episcopi Compostellani conversa) *quod in vicinis Provinciis observatur.* 1737.

Not. tamen, ad hoc non obligari dictos Judices necessitate legis, sed convenientiæ, ac æquitatis, ut observat Salas *D.* 19. *sect.* 14. *num.* 102. Nam consuetudo unius loci, aut communitatis non extenditur ad diversum locum, vel personam 1738.

ex *n.* 1736. & quando in c. *super eo, cit.* Archi-Episcopus remittitur ad sequendam consuetudinem vicinarum civitatum in visitandis locis, quæ noviter Ecclesiæ suæ accesserunt, factum erat, ut consuetudinem propriæ Ecclesiæ, quæ ignorabatur, investigaret inspectis aliis civitatibus, & disquireret, an non sit consuetudo communis totius diœcesis?

## §. II.

### *An, & qualiter consuetudo abroget legem præexistentem?*

1739. QUæstio 1. est, an consuetudo possit abrogare legem præexistentem, & *præceptivam* actûs sub obligatione ponendi actum, v. g. audiendi missam in Parochia, dicendi horas etiam extra chorum certo tempore, abstinendi à lacticiniis in jejunio Ecclesiastico, &c. Resp. affirmativè. Nam de jure canonico in c. *fin. h. t.* de quo superiùs, *num.* 1684. indefinitè tribuitur consuetudini, quæ est rationabilis, & legitimè præscripta, vis prævalendi adversus jus positivum, nempe humanum; quod etiam procedit de jure civili ex *num.* 1683. præsertim, cùm evenire etiam sæpe possit, quòd utilis sit bono communi, auferri talem obligationem; cùm rectæ rationi, & gubernationi valde consonum sit, ut Princeps populo tam frequenter contravenienti tali legi, cujus oppositum hìc, & nunc conducibilius, aut æquè conveniens est, conniveat, & consensum legalem pro consuetudine contra legem tribuat.

1740. Altera quæstio est, an consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta, prævalere possit adversus legem *merè pœnalem*, ubi scilicet actus immediatè præscriptus non est sub obligatione, sed tantùm tolerantia pœnæ, si non ponatur actus? adeoque facere, ne quidem ampliùs maneat obligatio ad pœnam? Responsio est affirmativa; nec enim est major obligatio legis ad pœnam, quàm ad actum, ubi etiam hìc directè præcipitur; sed obligatio ad actum, ubi is directè præcipitur, abrogari potest per consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam ex *num. præced.* ergo etiam obligatio ad pœnam tantùm.

1741. Tertia quæstio est de lege *pœnali mixta*, ubi non tantùm pœna, sed etiam ipse actus est sub obligatione, an per consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam abrogari possit. 1. obligatio ad pœnam, manente obligatione ad actum? 2. an obligatio ad actum, manente obligatione ad pœnam? quoad 1. negativa suadetur ex eo, quia si manet obligatio legis ad actum, omissione actûs, lege debiti, committitur culpa, quæ est obnoxia pœnæ; ergo non potest abrogari obligatio ad pœnam manente obligatione ad actum, cujus omissio inducit culpam.

1742. Sed distinctione quæstio, & ratio negantium dissolvitur. Quamvis enim culpa trahat reatum pœnæ, vel legalis, vel arbitrariæ; quia tamen reatus pœnæ tam legalis, quàm arbitrariæ ex se non determinat qualitatem, nec quantitatem pœnæ; imò nulla statui poterat, certum videtur, obligationem legis ad actum stare posse sine obligatione ad pœnam aliquam determinatam; ergo hæ duæ obligationes non sunt ex natura rei inseparabiliter connexæ; ergo poterit dari consuetudo, quæ abroget obligationem pœnæ determinatæ, manente obligatione actûs, & viciſſim etiam, quæ abroget obligationem ad actum, manente obligatione ad pœnam; modò hæc talis sit, quæ non supponat culpam Theologicam, seu peccatum, ex quo patet etiam ad 2. & rationem in contrarium; solùm enim probat, eum, qui violat legem, quæ obligat naturaliter ad actum, manere obnoxium pœnæ, non determinatæ; sed si quam Judex imponendam arbitratus fuerit.

1743. Quarta quæstio est, an consuetudo abrogare valeat legem irritantem? Resp. affirmativè, si consuetudo rationabilis sit, & legitimè præscripta; sic Suarez *l. 7. de legibus, c. 19. nu.* 14. Sanchez *de matrim. l. 7. D. 4. à nu.* 11. & alii. Nam talis consuetudo pro lege suscipitur; ergo cùm lex irritans abrogari possit per aliam legem, ut manifestum est in pluribus exemplis, ubi per Tridentinum complura impedimenta matrimonii (saltem quoad extensionem) olim irritantia, nunc sublata sunt; idem fieri poterit per consuetudinem rationabilem, ac legitimè præscriptam. Quid verò consuetudo possit quo-

ad

ad vim abrogandi impedimenta matrimonii, constabit ex *lib.* 4. *à nu.* 1892.

## §. III.

### *An consuetudine abrogari possit lex prohibens consuetudinem contrariam?*

1744. QUidam affirmant, quando lex contrariam consuetudinem præcisè prohibet, non autem reprobat; secus, si etiam reprobat, de quo V. dicta *n.* 1645. ita Suarez *cit. c.* 7. *à n.* 9. *& c.* 19. *n.* 18. & alij. Cæterùm *l.* 4. *decret. à. n.* 1248. amplexi sumus sententiam tenentem, per consuetudinem non posse abrogari legem, quæ contrariam consuetudinem reprobat, tanquam corruptelam, *quamdiu talis manet*; quia tunc non potest esse rationabilis, sine quo consuetudo non habet vim abrogandi legem ex *n.* 1688. Dixi: *quamdiu talis manet*; quia si mutarentur circumstantiæ, ut nunc Reipublicæ conducibiliùs, vel saltem æquè conducibile foret oppositum dictæ legi, sicut non rarò contingit, lex illam abrogans meritò constitui posset, cùm res humanæ rarò diu maneant in eodem statu; consequenter sic tunc etiam consuetudine legitimè præscripta abrogari valeret, ut pluribus exposuimus *cit. l.* 4. *à. n.* 1256. *& seq.*

1745. Quæstio autem est, an inter legem, quæ *prohibet* consuetudinem contrariam, ac eam, quæ illam *reprobat*, facienda sit aliqua distinctio? affirmandum videtur solùm in casu, quo consuetudo reprobatur, ut dissona rectæ rationi, seu ut irrationabilis, vel contraria legi divinæ, vel naturali. Et in hoc sensu verum est, nullam consuetudinem prævalere posse adversus legem, eam sic reprobantem; nisi quoad pœnam nitentibus in contrarium lege statutam juxta *n.* 1742. Quia tamen plures consuetudines prohibentur solùm ex eo, quòd Reipublicæ, vel Ecclesiæ minùs conveniant, inter legem hoc titulo eam *prohibentem, & reprobantem*, non videtur opus distinctione; sic enim important idem.

1746. Præter hæc not. quando lex reprobat, vel prohibet consuetudinem contrariam cum clausula: *non obstante contraria consuetudine*, probabiliùs intelligi non tantùm de præterita, sed etiam futura, ut monuimus in præmissis; nam talis dispositio directè intendit favere legi constitutæ, consequenter latam interpretationem recipit contra correctionem, vel abrogationem, quæ odiosa est. Et Doctores communiter de utraque intelligunt textum c. *Ad nostram*, 3. *de consuetud.* & c. *cùm inter*, *eod.* eoipso enim, quòd prohibeatur, in ejus usu aliquid reperitur minus conveniens disciplinæ Ecclesiasticæ, consequenter rectæ rationi, prout considerat commune bonum. Nec obstat, quòd sola consuetudo, cùm adhuc imperfecta est, contrarietur legi; hoc ipso enim, quòd Legislator velit legem suam firmã, consuetudinem etiam imperfectam prohibet, ut ejus perfectio impediatur.

## §. IV.

### *An consuetudo possit inducere vim legis irritantis?*

REsponsio est affirmativa; quia certum videtur, quòd communitas possit, ex fine inducendi obligationem, in certis casibus observandi formam aliquam (sine quâ non valeat actus) continuare etiam per longum tempus aliquos actus, qui, ubi decennium continuationis completum fuerit, obtineant consensum legalem Principis; sed hoc posito: talis consuetudo obtinet vim legis irritantis; ergo. Major est ex c. *fin. h. t.* de quo *n.* 1684. & jure civili, *n.* 1683. ubi nulla additur limitatio. Et hujus ulterior ratio est ex jure sic disponente. Quia consuetudine quis fieri potest inhabilis ad beneficium, c. *cùm olim*; *de Cleric. conjugat.* ubi filius Sacerdotis Græci ex uxore genitus, inter Latinos licitè promovetur, *si regionis consuetudo non obstet.* Deinde licèt filij duorum compatrum, per quorum neutrum deventum est ad compaternitatem, licitè invicem contrahant matrimonium; secus tamen est, *si subest consuetudo impediens, vel dirimens talia matrimonia*, ut dicitur in c. *Super eo*, 3. *de cognat. spirit.* idem colligi potest ex c. *Cumana*, 50. *de elect.* & c. *Cùm Ecclesia*, 3. *de caus. possess.* ubi habetur, per contrariam consuetudinem fieri posse, ut jus eligendi ad Ecclesias Cathedrales, quod regulariter ad Clericos earundem pertinet, quoad hoc minui possit, ut nimirum etiam alij interveniant. 1747.

## §. V.

### *An, & qualiter consuetudo sit interpres legis?*

1748. COmmunis Doctorum sententia est, consuetudinem habere vim interpretandi legem, uti constat ex c. *cùm dilectus*, 8. *h. t.* ubi dicitur, per consuetudinem induci posse, quòd una Ecclesia, de gremio alterius, teneatur sibi Prælatum eligere; *cùm consuetudo sit optima legum interpres*, id, quod etiam habetur in L. *minimè*, & in L. *de interpretatione*, *de elect.* Et quoniam consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta pro lege suscipitur, quæ vim suam habeat non à virtute introducentium, sed legali consensu Principis, talis consuetudo habebit vim authenticæ interpretationis, de qua dictum est *à n.* 912. Ubi verò non est legitimè præscripta, esto sit rationabilis, habebit quidem vim interpretationis, sed merè doctrinalis, & probabilis; cùm consensus communis fundet prudens judicium de lege in tali sensu accipienda, quem exhibet consuetudo rationabilis, licèt non præscripta.

1749. Si quæras, an quælibet consuetudo rationabilis, & præscripta, habeat vim interpretationis authenticæ? Resp. si propriè loquamur, id habere solam consuetudinem juxta legem; hujus rationem dedimus *n.* 1641. Cæterùm, quando L. *Nam Imperator*, *ff. de legib.* dicitur: *in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, vel rerum perpetuò similiter judicatarum authoritatem, vim legis obtinere debere*, de consuetudine legitimè præscripta intelligendum est, juxta dicta in *præcedentibus*.

1750. Præter hæc not. 1. ut consuetudo solùm probabiliter interpretetur legem, sufficere consuetudinem tam antecedentem (nam leges frequenter secundùm præexistentem consuetudinem conduntur, quin illi derogent, nisi hoc exprimant) quàm consequentem; hoc enim, ut alibi diximus, intelligitur, quando dicitur leges firmari, *cùm moribus utentium comprobantur*. Not. 2. arbitrum, in quem partes compromittunt, in casu, quo aliud habet lex, aliud consuetudo, debere dicere sententiam secundùm legem, ubi consuetudo non est legitimè præscripta; si secus, juxta consuetudinem, quia tunc per eam lex abrogata est; quod verum est, licèt in eum compromisserint, ut sententiam dicat *secundùm jura*; nam & consuetudo præscripta jus est.

Si quæras, an, & qualiter consuetudo possit abrogari? Resp. quòd communis 1751.
teneat, consuetudinem præexistentem abrogari posse alia consuetudine, priori contraria, si hæc rationabilis sit, & legitimè præscripta, sicut lex abrogari potest alia lege, prout colligitur ex L. *Pacta novissima*, *C. de pactis*; & L. 2. *C. de inoffic. dotibus*. Cùm talis consuetudo recipiatur pro lege. Neque, ut detur consuetudo abrogans priorem, majus tempus exigit, quam decennium, quod sufficiebat, ut legitimè induceretur illa. Not. autem. 1. consuetudinem generalem non abrogari per sequentem nisi generalem ei contrariam; si enim hæc duntaxat particularis sit, nimirum in uno duntaxat loco, vel certa communitate, pro hoc illam tollet; sed non pro aliis; cùm non inducatur nisi usu & facto talis communitatis. Not. 2. sicut lex affirmativa, quæ obligat ad positionem actûs, abrogatur consuetudine, seu frequentatis omissionibus; & negativa, quæ petit omissionem alicujus actus, consuetudine, seu frequentatis actionibus, & factis contrariis; sic cum proportione dicendum, ubi consuetudo prior abrogatur per posteriorem; V. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 4. *q.* 7. Rebellum *p.* 1. *l.* 1. *q.* 5. *nu.* 23. & alii.

## ARTICULUS V.

### *Qualiter probetur consuetudo?*

RESp. ubi consuetudo legalis non est 1752.
notoria, regulariter probandam esse ab ipsam allegante, cùm consistat in facto. Dixi *regulariter*; si enim respicit ordinem judicij, aliunde nota esse debet Judici; quo tamen casu, si dubius esset, ipse teneretur se informare; cùm hoc pertineat ad munus Judicis. Si autem dubium sit de sola qualitate consuetudinis, v. g. an sit rationabilis, an honesta, an præscripta? hæc pertinent ad quæstionem

juris

juris. Ubi consuetudo probanda fuerit, consequenter ut ex ea rectè procedatur, non est dubium plenè probandam esse. Ex hoc sequitur nec plenè, nec semiplenè probari per unum duntaxat testem, ut tradit Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 3. p. 6. n. 7.* cùm enim pendeat ex facto *plurium, ac eorum in idem consensu*, pluribus nota esse debet; aliàs unius depositio meritò suspecta erit, nisi consuetudo esset valde antiqua, ut vix sit, qui illius recordetur; sic Mascardus de *probat.* V. *consuetudo, concluf.* 423. *àn.* 21. *ex authent. Sed cùm testator, C. ad L. Falcid.* & L. *si arbiter, ff. de probat.*

1753. Quæstio autem est. 1. quid probandum sit à probaturo allegatam consuetudinem? Resp. quòd usus populi, frequentia actuum, temporis diuturnitas; hæc enim omnia pertinent ad substantiam ejus. Unde & testes, qui adhibentur ad eam probandam, super iisdem deponere debent, testificandò, quòd viderint sic observatum præsentibus, & scientibus multis, etiam repetitis actibus, & quidem à tanto tempore, quod ad præscribendam consuetudinem legalem requiritur; quamvis, ubi immemorialis est, sufficiat, si deponant, se ita vidisse, & à majoribus suis accepisse, quin viderint, vel audiverint aliquid in contrarium fieri.

1754. Quæstio altera est, an consuetudo probetur per assertionem alicujus excellentis Doctoris, de ipsa in scriptis suis testificantis? Hæc quæstio multùm utilitatis habet; cùm sæpe plures constitutiones afferantur, de quibus Doctores ajunt, eas usu receptas non esse, imò contraria consuetudine abolitas, præsertim quoad pœnas. Variæ sunt in hac quæstione Doctorum opiniones, quas refert Sanchez *lib. 7. de matr. D. 17. nu. 8.* Mascardus *de probat. concluf. 426. à num. 1.* censet, illius testimonio credendum esse *præsumptivè*, non autem *concludenter*. Cujus probationes videri possunt apud Castropalaum *cit. p. 6. num. 9.* in foro tamen interno, si sit omni exceptione major, prudenter dari potest fides, cùm præsumi meritò possit, eum non procedere temerè in assertionibus suis. At, ut ex depositione testium plena probatio fiat, & concludenter ex ea procedatur in judicio, requiritur, quòd sint jurati, *c. Tuis, de testibus* c. *fin. de juramento calumniæ*, & non testentur in scriptura, c. *Testes*, 3. *q. 9. L. 3. §. idem Divus, ff. de Testib.*

## ARTICULUS VI.

### *De reliquis pertinentibus ad consuetudinem.*

INter consuetudines quædam sunt validæ, ac in specie jure canonico approbatæ; quædam verò invalidæ, ac eodem reprobatæ; de his certum videtur, quòd, quamdiu tales manent, nullum jus tribuant; sic enim, quamdiu tales sunt, sunt irrationabiles, consequenter ineptæ, ut sint materia legis, pro qua recipiatur consuetudo. Illud etiam hìc annotandum, in materia feudorum non attendi leges generaliter disponentes, sed proprias consuetudines, ut dicitur in L. *unic. de feud. cognit.* ibi: *legum Romanarum non vilis est auctoritas, sed non adeò vim suam extendunt, ut usum vincant, aut mores*, quibus positis: 1755.

#### §. I.

#### *An consuetudine rei dominium acquiri possit, sine corporali ejus apprehensione?*

QUæstio procedit etiam de acquirenda rei possessione; ad eam affirmativè respondit Innocentius III. quia etiam per leges, constitutum est, hoc fieri posse per apprehensionem duntaxat fictam, quæ juris dispositione sit signum apprehensionis realis, ut constat ex L. *clavibus* 74. *ff. de contrahend. empt. L. 1. C. de donat.* &c. ergo non est, unde id fieri nequeat consuetudine; sic habetur c. *ex literis*, 2. *h. t.* ubi, cùm Archi-Episcopus, & Capitulum Lugdunense quæsivisset ex Innocentio III. *an ex consuetudine introduci possit actus, sive solennitas, per quam sine apprehensione reali transferatur possessio rei absentis*; puta, si quis possessiones aliquas claustris, vel aliis religiosis locis, in bona valetudine, vel ultima voluntate, pro suorum vult remedio peccatorum conferre; & utitur consuetâ in eo loco formâ, quòd in hujusmodi donationibus modicum terræ consuevit 1756.

suevit in manu accipere, vel in extremitate palii, quod manu Prælati Ecclesiæ sustinetur, aut super altare ponendum sub testimonio videntium, & audientium? respondit Pontifex: *quatenus donationes eorum*, quæ sub obtentu *consuetudinis* clausis, Ecclesiis, vel quibuslibet locis religiosis piè conferuntur, etiam sunt collata, *faciatis irrevocabiliter observari, cùm hujusmodi signum, quod scotatio dicitur, non tam factæ donationis, quàm traditæ possessionis sit evidens argumentum.* Ex hoc colliges, possessionem veram, ac propriam, absque ullo actu corporali, ex legis dispositione, seu Principis potestate dari posse, intellige, quoad civiles effectus juris, qui tribuuntur vero possessori; & ulteriùs probatur ex c. *contingit* 19. *de dolo*, ubi missus in possessionem ex primo decreto, elapsô annô statim legis imperiô verus possessor constituitur; sic enim *cit. c.* 9. quod desumptum est ex Concilio generali, loquitur Innocentius III. contingit interdum, quòd, cùm Actori ob contumaciam adversæ partis adjudicatur (causâ rei servandæ) possessio: propter Rei potentiam sive dolum, Actor intra annum rem custodiendam nanciscì non potest, vel acquisitam amittit: & sic (cùm secundùm multorum assertionem verus non efficeretur post lapsum anni possessor) reportat commodum de malitia sua Reus. *Ne igitur contumax melioris, quàm obediens, conditionis existat: de Canonica æquitate sancimus, ut in casu præmisso, Actor verus constituatur elapsô annô possessor.* Et ideo etiam verior, & in praxi recepta opinio eorum est, qui docent, illis, in quos possessio, *legis ministerio*, transfertur, remedia possessoria tam retinendæ, quàm recuperandæ competere; sic Menochius *Remed.* 1. *recup. num.* 397. & alii.

## §. II.

*An valeat consuetudo, ut quis liberetur ab actu, alteri jure communi debito?*

1757. Responsio est affirmativa; nam licèt jus commune canonicum assistat Capitulo, ut sine ipsius consilio Episcopus non procedat ad correctionem subditorum, consequenter resistat huic sine illo procedere volenti; consuetudo tamen legitimè præscripta contra jus Capituli, ut Episcopus, etiam non requisito Capituli consensu, solus procedat, jure canonico approbatur in c. *Non est*, 3. *h. t. in* 6. ibi: non est (dum tamen aliàs sit præscripta canonicè) consuetudo, quam allegat Episcopus, probanda: quòd in inquirendis, puniendis, & corrigendis subditorum excessibus, consilium sui Capituli requirere minimè teneatur. *Quia tamen hìc intervenit præscriptio propriè dicta*, quæ scilicet diminuit, vel tollit jus Capitulo, meritò censet Layman in c. *Non est*, *num.* 2. requiri etiam bonam fidem in præscribente, ac titulum. Ex hoc colliges, per consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam, tolli posse solennitatem, quæ juris positivi dispositione, ad alicujus actus valorem requiritur. Nam sicut ea solennitas sola legis dispositione requiritur, sic etiam sola legis dispositione tolli potest; cùm ergo consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta pro lege recipiatur, non est, unde illi talis effectus denegetur; colligitur ex cit. c. *Non est*, *junct. gloss. fin.*

Dices: vel Episcopus, qui allegavit 1758.
consuetudinem præscriptam contra jus Capituli, scivit ejus consilium de jure requirendum esse, vel ignoravit? at in neutro casu præscribere potuit; probatur; nam in primo caruit bona fide, in secundo interceßit error juris, qui in usucapionibus non prodest per L. *Juris ignorantia*, 4. *ff. de juris*, & *facti ignor.* Deinde per actus irritos non potest introduci consuetudo præscripta; at sententia Episcopi sine consilio Capituli nulla fuit, saltem antequam ea consuetudo completa est quoad tempus requisitum; ergo. Resp. etsi verum sit, quòd ignorantia juris clari non prosit præscribere volentibus seclusô titulô, qui talem ignorantiam, seu errorem reddat injustum; secus tamen esse, si sit oppositum. Successores autem in Episcopatu, qui audiêrunt Antecessores processisse Capitulo non requisito, nec contradicente, meritò præsumere poterant, eos sic egisse ex indulto Papæ, esto id fortasse obreptitium fuisset, nixi hoc titulo, processerunt ex errore justo. Ad alterum Resp. id verum esse, quando nullitas oritur ex defectu solennita-

nitatis naturali, non autem solius juris positivi.

## §. III.

### *An valeat consuetudo optandi meliores præbendas?*

1759. CAsus hic proponitur in c. *fin. h. t. in* 6. ubi Pontifex mandavit, ut Titio provideretur de præbenda proximè vacatura in tali Ecclesia, executione mandati commissa Cajo. Evenit autem, quòd vacaret una ex melioribus præbendis; Cajo autem mandatum providendi Titio executioni dare volenti opposuerunt se Canonici, allegantes consuetudinem, quòd ubi in sua Ecclesia vacaret melior præbenda, Canonicis antiquioribus liceret eam optare, seu eligere secundùm ordinẽ, ut si primus nollet eã optare, posset secundus, & sic deinceps. Re ad Pontificẽ delata *consuetudo approbata est*, cum mandato, ut Titio provideretur de præbenda, quæ post Canonicorũ optiones remanserit, modò illa huic alio titulo debita non fuerit, ut constat ex textu ibi: *si mandamus alicui provideri de præbenda, nulli alii de jure debita, proximo inibi vacatura: hujusmodi non obstante mandato, poterunt ipsi antiquiores juxta consuetudinem eandem optare, cùm præbenda vacabit, & illa, quæ optata non fuerit (si nulli sit debita) erit illi, pro quo scripsimus, conferenda.*

1760. Circa hujus facti contingentiam, & jus desuper firmatum, notandum cum Layman in cit. c. *fin. num.* 6. huic consuetudini non esse locum, quando contingit, præbendam vacare in Curia Romana, vel ubi est reservata. Nam inferiores sicut per legem, ita nec per consuetudinem à se introductam juri Summi Pontificis derogare possunt, c. *Inferior*, 14. *dist.* 21. & c. *Innotuit*, 20. *de elect.*

1761. Not. 2. dictam consuetudinem obtinere in beneficiis ad Papam devolutis. Nam hæc devolutio relinquit ejusmodi beneficia in sua natura, & qualitate; ergo si optioni eorum ex consuetudine locus erat seclusa devolutione, obtinebit etiam eâ suppositâ; ita D. Antoninus in cit. *fin. num.* 12. Francus *num.* 7. & alii. Not. 3. ne prætextu dictæ consuetudinis provisiones auctoritate Apostolica faciendæ, ultra debitum differantur, statui, ut executores super ipsis provisionibus deputati, optare volentes, per viginti dies duntaxat exspectent: quibus elapsis liberè in non optatis ad exequenda sibi mandata procedant præfata consuetudine non obstante.

## §. IV.

### *De quibusdam consuetudinibus jure canico in specie reprobatis.*

EX illis prima est consuetudo, quæ 1762.
per se, ac directè magnum gravamen imponit Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis; tales enim esse irritas, & ut tales declarandas esse, constat ex c. 1. *h. t.* ibi: *consuetudines, quæ Ecclesiis gravamen inducere dignoscuntur, nostra nos decet consideratione remittere.* Unde etiam Urbanus VIII. in sua constitutione incip. *Romanus Pontifex*, 5. Julij, 1641. apud Fagnanum in c. 1. *h. t. à n.* 60. reprobat, & irritas decernit *omnes consuetudines, tam Ecclesiis, quàm Ecclesiasticis personis, eorúmque juribus, ac bonis, & fructibus præjudicantes.* Nam ejusmodi consuetudines, vi quarum Laici prætendunt jus aliquod in bona etiam temporalia Ecclesiarum, vel in personas Ecclesiasticas, earumque possessiones, perpetuò reprobatæ sunt sub gravissimis pœnis, & non solùm juri humano tam canonico, quàm civili, sed etiam divino adversantur, ut manifestum est ex dictis. *à n.* 616. V. infra *n.* 1767.

Secundò reprobatur consuetudo, ut in 1763.
causis Ecclesiasticis decidendis, ubi quæritur, *quid juris sit?* admittantur etiam illiterati, seu minùs intelligentes cum jure suffragij, quod vim obtineat ad decidendam causam post utriusque partis querelas hinc inde auditas, c. 3. *h. t.* ubi Innocentius III. sententiam, quæ taliter fertur, vocat latam à Judice non suo, quæ nullam habet firmitatem; & consuetudinem, ut tales in ejusmodi quæstionibus admittantur resolvendis, nullius momenti, quòd canonicis obviet institutis.

Reprobatur 3. consuetudo, quòd Su- 1764.
perior Ecclesiasticus in causis, saltem civilibus, debeat judicare juxta consilium, aut sententiam populi sibi subjecti. Et ideo populus, dum se subjectum profitetur, nulla consuetudine, vel præscriptione obtine-

obtinere potest, ut à Superiore suo tam in legibus, quàm præceptis, & pœnis *omnino* exprimatur, ut colligitur ex c. *non liceat*, 12. *de præscript.* Nam ea potestas est de substantia legitimæ superioritatis.

1765. Reprobatur 4. consuetudo, etiam immemorialis, qua Clerici non Episcopi velint sibi competere jus exercendi ea, quæ sunt de potestate ordinis Episcopalis, ex jure divino, ut dicitur c. *quanto*, 4. *h. t.* difficultas autem est de his, quæ per legem reservata sunt Episcopis? respondetur, eum, qui per legem incapax est alicujus juris, aut potestatis, per solam consuetudinem, seu exercitium; & usum, quantumvis diuturnum, non posse reddi capacem; ita Suarez *l. 7. de legib. c. 19. n.* 17. Rationem reddit Layman in cit. c. 4. *num.* 2. quia nemo potest per consuetudinem, vel præscriptionem acquirere jus, cujus possidendi non est capax, ut dicitur *reg.* 3. *de reg. jur. in 6.* at nullus etiam Clericus non Episcopus capax est possidere jus, quod competit Episcopo, quà tali ex ordinatione divina, vel ex legis dispositione, *quamdiu durat talis lex ipsum inhabilitans*; ergo. Min. videtur certa, quia impossibile est, aliquem esse habilem ad acquirendum jus aliquod pro sensu composito in eo stantis inhabilitatis ad illud.

1766. Dices: potest quis ex privilegio habere jus exercendi quosdam actus, qui ex sola dispositione juris sunt ordinis Episcopalis; ergo etiam consuetudine immemoriali. Quod enim obtineri potest privilegio, id etiam potest consuetudine, etiam immemoriali. Resp. dato ant. N. conseq discrimen est, quia concedens privilegium, ipso actu concessionis, à privilegiato tollit incapacitatem, sua lege aliàs in ipsum inductam; hoc autem non potest inferior per usum suum, ad quem lege inhabilis est. Et hoc sensu verum est, quod dicitur, *privilegium fortius esse consuetudine.* Unde neganda etiam est universaliter probatio conseq. Aliud est de consuetudine, observata sciente eo, qui privilegiare potest; tunc enim vim privilegii habet ex tacito ejus consensu; sed sic non exercetur ea potestas *ob solam consuetudinem* (quod reprobatur in dict. c. *quando*) sed in vi privilegii, sublata inhabilitate subjecti.

Ex hoc confirmantur dicta *num.* 1762. 1767.
Nam cùm posita incapacitate personæ locum habere non possit usucapio, quantocunque tempore, etiam immemoriali continuata sit, etiam locum habere non potest consuetudo: sed laici sunt incapaces ullius juris in Ecclesias, Ecclesiasticas personas, earumque bona exercendi; ergo nulla unquam consuetudine, nulla præscriptione id acquirere potuerunt. Ma. est regula comuniter approbata per Jurisconsultos in c. *Causam*, & c. *Accedentes*, *de præscript.* Minor certa est utroque jure ex dict.

Reprobatur 5. consuetudo, tanquam 1768.
invalida, qua disciplina Ecclesiastica solvitur, c. *Cùm inter*, 5. *h. t.* taliter reprobata fuit consuetudo, vi cujus Canonici S. Petri de Curia in Civitate Cenomanensi dicebant, licere sibi celebrare officia divina alta voce, pulsatis campanis, & apertis januis, modò excluderentur excommunicati, & interdicti personaliter, licèt civitas illa generali interdicto supposita esset. Ex quo colligitur, non valere consuetudinem, per quam sententia interdicti legitimè lati, aut cujuscunque censuræ Ecclesiasticæ violatur. Unde consuetudo *juris* in contrarium induci non potest; si autem sit *facti* tantùm, rescindenda, & tollenda est per cit c. *Cùm inter.*

Reprobatur 6. consuetudo, ut Prælatus, immediatè subjectus Papæ, absque licentia summi Pontificis (vel alterius, qui id potest ex ejus concessione) petitâ, & obtentâ dimittat suam Ecclesiam, eique renuntiet, & ad aliam transeat, ut habetur in c. *Cùm venerabilis*, 7. *h. t.* Ex hoc c. colliges, non posse induci ex consuetudine, ut quis possit dimittere dignitatem sine Superioris licentia, vel ut possit electus administrare, non habita confirmatione à Superiore; rationem reddit Innocentius III. in *cit. c.* 7. & simul statuit dicens: *cùm hæc non tam consuetudo, quàm corruptela meritò sit censenda, quæ profectò sacris est Canonibus inimica, ipsam mandamus de cætero non servari.* 1769.

Reprobatur 7. tanquam *corruptela*, 1770.
consuetudo etiam jurata, & quantumcunque immemorialis, vi cujus Canonicus in Ecclesia sua, unà cum præbenda sua Canonicali, duas dignitates, aut duos per-

personatus, aut duo officia, sive administrationes, vel dignitatem, vel personatum, & officium, absque Sedis Apostolicæ concessione obtineat; *c.* 1. *h. t. in 6.* Ex hoc colliges, consuetudinem à sacris Canonibus reprobatam, vires acquirere nunquam posse, etiamsi jurata sit; sic cit. *c.* 1. & Layman ibid. *nu.* 2. quia *juramentum non est vinculum iniquitatis*; ut dicitur c. *quanto* 18. *de jurejurando.* Ex quo ulterius sequitur, cùm hæc ipsa ratio in *cit. c.* 1. afferatur ad reprobandam illam consuetudinem, etiam juratam, ipsam omnino *iniquam* esse.

1771. Reprobatur 8. tanquam non consona rationi consuetudo, etiam immemorialis, qua liceat vel valeat ab Officiali seu Vicario generali Episcopi ad eundē Episcopū appellare, ut dicitur *c.* 2. *h. t. in 6. junct. glos. V. quantocunque tempore*, & V. *officiali*; cùm utriusque sit unum, idemque tribunal. Et ideo talis consuetudo est contra substantiam actûs appellationis, qui petit provocationem ab inferiori ad Superiorem.

Reprobatur denique 9. consuetudo impediens, ne Legati Sedis Apostolicæ recipiantur, ut habetur in Extravag. *unic. h. t. inter communes*; & impedientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt; & quælibet loca, sic impedientibus subjecta, tam diu subjacent interdicto, quamdiu in pertinacia perstiterint. 1772.

# QUÆSTIO V.

## IN TITULUM V. DE POSTULATIONE PRÆLATORUM.

1773. ABsolutis iis, quæ tanquam prælimi-naria ad totum jus, exponere oportebat, transitus fit ad modos, quibus acquiritur jurisdictio, & potestas Ecclesiastica. Et quoniam inter personas Ecclesiasticas primum, ac præcipuum locum obtinent Prælati, penes quos, veluti capita, est jurisdictio, & administratio Ecclesiarum, sive sæcularium, sive regularium; hi verò tribus modis ad Prælaturam assumantur, postulatione, electione, & translatione; de primo agemus hic, de duobus aliis sequentibus titulis. Quare non agimus hic de provisionibus beneficiorum universim (sic enim etiam veniunt sub eo nomine præsentatio, nominatio, institutio, collatio, &c.) & de illis ex professo agitur *lib.* 3.

### ARTICULUS I.

*Quid, & quotuplex sit postulatio?*

1774. *Postulatio*, de qua hoc tit. agitur, tripliciter accipitur. 1. *latissimè*, & sic cum electione confunditur, eamque sub se comprehendit. 2. *latè*, prout indifferens est ad licitam, & illicitam, & sic definitur: *est gratiæ petitio, à Superiori facta, de promovendo aliquem ad prælationem, ad quam de jure communi propter aliquem defectum, vel aliud impedimentum eligi, seu promoveri non potest.* 3. *strictè* pro licita tantùm, & juxta Abbatem in Rubro, *de postulat. Prælat.* & Hostiens. *in Summa, eod. tit.* sic definitur: *est simplex quædam à collegio Canonicorum facta apud Superiorem petitio, qua petitur, ut aliquis certæ Ecclesiæ vacanti præficiatur, qui per impedimentum canonicum, quod non est animi, vel corporis vitium, eligi jure non potest.*

Postulatio, prout accipitur *h. t.* duplex est juxta Sylvest. V. *eodem*; altera *non solennis*, per cujus admissionem non comparatur postulato jus prælaturæ: ut si porrigatur ei, qui *dispensare* non potest, sed *consentire* debet, ut si postulent filiumfamilias à patre, vel monachum ab Abbate, ut eis concedat eligendum in Episcopum. Altera *solennis*, per cujus admissionem dictum jus acquiritur. Nempe quia porrigitur ei, qui potest super omni impedimento postulati dispensare; hinc patet distinctio inter electionem, & postulationem: nam electio *juri* innititur, postulatio *gratiæ*; 2. hæc nullum jus tribuit postulato, antequam à Superiore admittatur, secus electio; *per glos. in c. unic.* V. *electio, de postul. in 6.* deinde postulatio est personæ jure impeditæ ad dignitatem; secus electio: electio indi- 1775.

get solùm *confirmatione;* postulatio *admissione* Superioris. Electus in electionem absolutè potest consentire; postulatus in postulationem solùm sub conditione, si à Superiore admittatur.

## ARTICULUS II.

### *Quid requiratur, ut postulatio sit valida?*

1776. REspond. ad substantiam, consequenter ad valorem postulationis tam solennis, quàm simplicis, requiri tria. Primum est potestas in postulantibus; secundum, ut dirigatur ad illum, qui postulationem admittere potest; tertiò ut postulatio fiat de illo, qui admitti possit à legitimo Superiore. Quidam addunt quartum, ut postulatio sit *concors.* Sed Resp. sufficere illam esse factam *à majori, & saniori parte;* ita Zoësius hìc *num.* 4. excipe, nisi electio cum postulatione concurrat, & unus postuletur; alter eligatur. Tunc enim pro postulato duplò major numerus requiritur. Nam electio jure fit, postulatio solùm gratiâ, adeoque fortior esse debet, ut illam vincat, c. *Scriptum, de elect.* Sed de hoc infra à *nu.* 1794.

## ARTICULUS III.

### *Qui possint, vel non possint postulari?*

1777. REspond. generaliter loquendò, illos tantùm solenniter postulari posse, qui ob impedimentum canonicum eligi non possunt. Hinc *eligendus* non debet postulari; nec *postulandus* eligi, c. *fin. h. t.* ibi: *cùm eligi nullo jure potuerit, sed potiùs postulari.* Loquitur autem de Episcopo electo ad aliam dignitatem, V. gloss. in c. *unic. de postul. in 6.* V. *eligo postulando.* Ex hoc tamen non sequitur, quòd omnis ineligibilis sit postulabilis; sed tantùm *ineligibilis ob defectum dispensabilem,* in quo scilicet Superior possit, & soleat dispensare; ut colligitur ex *c.* 1. *§. Nos igitur, junct. gloss. V. personam.* Tales defectus sunt, de quibus dicam *in seqq.* Hujusmodi autem defectus manifestari debent Superiori; aliàs postulatio est irrita, c. *innotuit,* 20. *de elect.* & Abbas in c. *ult. h. t. n.* 9.

In specie autem postulari non potest. 1. 1778.
*perjurus in judicio; inobediens,* qui non paret voluntati, & sententiæ suorum Prælatorum, *c.* 1. *de postul. Prælat.* ibi: Nos igitur, qui secundùm Apostolum prompti sumus *inobedientiam omnem ulcisci* ejusdem Episcopi Altissiodorensis *inobedientiam* attendentes, ne nil obedientia prodesse videretur humilibus, si contemptus contumacibus non obesset: cùm juxta canonicas sanctiones quædam sint culpæ, in quibus culpa est relaxare vindictam, *postulationem hujusmodi,* non propter postulantem Ecclesiam, sed *propter postulatam personam, repulimus ut indignam.* Deinde postulari non potest in Prælatum regularem, qui nec tacitè, nec expressè professus est, c. *cùm causam,* 21. *de elect.* ubi non obstante, quòd plures Regimini Ecclesiæ regularis, B. Petri Lucanensis præfuerint non professi, *electionem Presbyteri* B. ad eandem, regularem observantiam non professi, Pontifex *mandavit irritandam;* quia non debemus attendere solummodo, quid factum sit; sed potiùs, quid sit faciendum; & c. *cùm ad nostram* 37. *eod.* ibi: cùm ad nostram notitiam pervenisset, quòd H. qui se pro Abbate Lexovienſi gerebat, *non fuit antè Monachus, quàm electus:* nos attendentes, quòd contra regulares traditiones illud fuerat attentatum, *cùm nullam spem, vel promissionem habens, ut Abbas fiat, debeat monachari,* electionem de ipso factam curavimus irritare. Sed limita, nisi sit necessitas, & paratus sit edere professionem, c. *cùm monasterium,* 13. *de elect.* ubi alicujus non professi postulatio fuit admissa, ob defectum aliorum in eo monasterio ex dissoluta, & rejecta religionis observantia. & c. *officij tui,* 38. *eod.* ubi religionem primùm ingressus permittitur assumi in Abbatem, postquam instructus fuit in regula monachali, postulante id evidenti, ac urgente necessitate ipsius monasterij, carentis subjectò cæteroquin habili.

Tertiò postulari non potest, qui labo- 1779.
rat infamiâ morum, & ruditatis; ut si quis omnino illiteratus, vel in aliquo crimine notatus sit, & in eo perseveret; quia sic nec est eligibilis; Hostiensis hìc in *Summa, n.* 2. Idem dicendum, si defectus, seu inhabilitas sit talis, in qua dispen-

pensari non solet, ut si quis sit *bigamus*, *spurius*, seu natus ex damnato coitu, c. *ísti cùm pridem*, §. *personæ verò*, *de renunt.* Quartò postulari non potest *epileticus*, nisi fortè liberatus sit per annum, c. *cùm inter*, *de elect.* c. *communiter*, *dist.* 33 *Mutilatus*, c. *Expostuisti*, *de corpore vitiat.* Huc etiam pertinet is, qui interdictum loci *scienter*, ac *temerè* violavit, c. 1. *de postulat. Prælat.* talis enim indignus est, ut pro eo postuletur; licèt ex hoc, quòd postulatio facta sit in loco interdicto, non sit invalida, ut notat Barbosa inc. 1. *h. t. n.* 2.

1780. Prætr hæc not. 1. prohibitam esse postulationem eorum, qui 27. ætatis annum non attigerunt, sed solùm ad Ecclesias Cathedrales &, si postulati (intellige, *si sæculares sint.*) in Romana Curia postulationem per se, vel Procuratores prosecuti sunt, usque ad 35. annum ineligibiles, & impostulabiles fiunt ad omnes dignitates Ecclesiasticas, & beneficia quælibet obtinenda inhabiles. Et postulatio aliter facta, vel attentata, est irrita; & scienter postulantes talem, pro ea vice potestate postulandi sunt privati, ac per triennium suspensi ab omnibus beneficijs, quæ obtinent in illa Ecclesia, ad quam hujusmodi postulationem fecerunt; Extravag. *unicâ*, *h. t. inter communes.*

1781. Not. 2. Religiosos professos, cujusvis ordinis mendicantium, sic postulatos ad Ecclesias Cathedralibus minores, vel ad monasteria extra suos ordines, & suam postulationem prosecutos, in perpetuum ineligibiles, & impostulabiles esse, & inhabiles ad omnes dignitates Ecclesiasticas, vel beneficia obtinenda; Extravag. *cit.* Not. 3. Episcopum unius Ecclesiæ, si confirmatus est, ad aliam Ecclesiam, seu Episcopatum eligi non posse, c. *ult. de postul. Prælat. junct. gloss. V. permissione* (idem dic de Archi-Episcopo, & Prælatis Episcopô superioribus) posse tamen postulari c. *fin. h. t.*

1782. Not. 4. hoc procedere de Episcopo, etiam confirmato, esto nondum consecrato, c. 2. *de translat. Episc.* non autem *de tantùm electo*, esto in electionem consenserit; cùm ante confirmationem Papæ possit electioni renuntiare, quo posito evadit eligibilis, si nihil aliud obstet, c. *Cùm inter*, 16. *de elect.* Not. 5. postulandum non posse eligi, esto omnia vota habeat; quia hæc non tollunt *defectum* postulandi, c. *fin. h. t.* Hinc nec electio ejus, qui secundùm canones postulandus est, valet. Et quamvis in cit. c. *fin.* Pontifex dicat, talem electionem esse irritandam; intelligitur tamen irritanda *declarativè*, non *rescissivè*; quia statim subjungitur ratio: *cùm eligi nullo jure potuerit*; Fagnanus in cit. *ult. nu.* 5.

Not. 6. cùm alij Prælati Episcopô inferiores, etiam Regulares, nullo jure prohibeantur, quo minùs cum licentia suorum Superiorum ad Ecclesiam Cathedralem assumantur, ac eligantur, eos non esse postulandos *solenniter*, sed eligendos, c. *Si Abbatem*, 36. *de elect. in 6.* si tamen subjecti sint immediatè Papæ, transire de monasterio non possunt sine licentia Papæ, vel Legati à latere; si non exempti, proximi Superioris; ita Layman in *cit. c.* 36. *num.* 1. & Clem. 1. *eod.* ubi dicitur, Religiosum eligi non posse ad Prælaturam, non Episcopalem, alterius religionis, vel habitûs; & si contra fiat, irritum esse: imò nec alterius Monasterii ejusdem ordinis, in quo vel non est professus, vel canonicè translatus, per c. *Cùm singula*, 32. *de elect. in 6.* §. *Prohibemus.* 1783.

## ARTICULUS IV.

### *Quibus competat jus, seu potestas postulandi?*

REspond. potestatem postulandi competere omnibus, qui habent eligendi. Sumitur ex c. *Bonæ* 14. §. *Cæterùm*, *h. t.* Ut autem postulatio admittenda sit, quando non conjungitur electioni (de quo casu dictum est *num.* 1776.) sufficit, quòd facta sit à majori parte Capituli. Nam ordinariè ad gesta Capituli sufficit; ut major pars consentiat, c. 1. *de his*, *quæ fiunt à majori parte Capituli.* Et quod major pars Curiæ effecit, habetur pro eo, ac si omnes egerint, *L. quod major*, 19. *ff. ad mancip.* quibus positis: 1784.

Quæres 1. an postulantes possint variare, seu recedere à postulatione? Resp. posse, antequam postulatio subscriptionibus postulantium munita, & Superiori præsentata sit; non autem post; quod 1785.

verum est, esto scrutinium apertum sit, esto nuntius ad Superiorem destinatus. Utraque pars sumitur ex c. *Bonæ* 4. *h. t.* ibi: *si enim, postquam postulatio suprascriptionibus postulantium roboratur, & præsentatur Romano Pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes, nobis frequenter illuderetur, & judicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur.* Aliud est de electione, per quam acquiritur jus electo, quod ei per inconstantiam eligentium auferri non debet, c. *publicato, de elect.*

1786. Quæres. 2. an postulatio facta non vocato eo, qui est in possessione juris eligendi, vel postulandi, sit irrita? Resp. non esse *irritam*, sed *irritandam* ad ejus petitionem, qui, cùm debuisset, vocatus non est; sumitur ex c. *Bonæ*, 4. *junct. gloss. V. eis contemptis*, ubi id statuitur in casu non vocati ad electionem, & certè extenditur ad postulationem, cùm electio, & postulatio in jure æquiparentur, & quod de uno statutum est, censeatur etiam statutum de altero regulariter; fallit enim in aliquibus. V. *n.* 1791.

## ARTICULUS V.

### *A quo Superiore facienda sit postulatio? seu ad quem pertineat postulationem admittere, vel rejicere?*

1787. REsp. cùm admissio postulationis vim confirmationis habeat, ut ex communi tradit Abbas in c. *fin. h. t. num.* 10. ab eo esse faciendam postulationem, à quo aliàs fieri deberet confirmatio, si præcessisset legitima electio; modò super impedimento, & defectu electionis potestatem habeat dispensandi.

1788. Ex hoc colliges 1. Episcopum ad alium Episcopatum à solo Papa postulandum esse. Nam cessio, seu translatio Episcoporum censetur inter causas graviores Papæ reservatas, c. *quod translationem, de offic. Legat.* c. *majores, de Baptismo*, c. *ut debitus, de appellat.* Colliges 2. si minor 22. annis ad dignitatem (cui animarum cura est annexa, v. g. ad Præposituram sæcularem) fuerit postulatus, postulationem non posse admitti ab Episcopo; cùm non possit dispensare in defectu ætatis requisitæ jure communi ad ordines, vel beneficia, c. *unic. de ætat. & qualit. ord. præsc. in 6* & Trid. *sess. 24. de reform. c. 12.* ibi: nemo deinceps ad dignitates quascunque, *quibus animarum cura subest*, promovetur, nisi qui saltem 25. ætatis suæ annum attigerit, & in clericali ordine versans, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate, commendetur, juxta constitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit, *cùm in cunctis*

Not. autem, quòd Superior postulationem sibi præsentatam possit rejicere absque injuria postulati, quantumvis dese digni, & vel unanimiter, vel à duabus partibus Capituli ad Prælaturam postulati; cùm hic per postulationem nullum jus acquisiverit; sumitur ex c. *Bonæ*, 2 *h. t.* & c. *postulationem*, 5. *eod.* ibi: *Licèt ergo per postulationem* hujusmodi, *nullum jus sit alicui acquisitum, ideóque sine præjudicio alicujus postulationem potuissemus repellere memoratam:* ut tamen vobis de speciali gratia consulamus, ita duximus providendum, quòd per procuratores idoneos, ad omnia sufficienter instructos, nostro vos conspectui præsentetis, quatenus utraque parte præsente, quod justum fuerit, decernamus; ita Innocentius III. ad Capitulum Strigoniense; qui eidem, ut habetur c. *Bonæ* 14. *eod.* cùm aliqui pro Metropolitana Strigoniensi Ecclesia, quibusdam postulantibus Archi-Episcopum Colocensem, aliis postea Episcopum Quinque-Ecclesiensem, rescripit: *etsi esset neutra postulatio admittenda*, juxta tenorem tamen posterioris rescripti ad nos de cætero Strigonensis Ecclesiæ provisio pertineret. Quia verò non plenam de personis illius regni notitiam habeamus, ideóque non poteramus salvâ conscientiâ eidem Ecclesiæ in alia persona, quæ de Regno Hungariæ originem duceret, congruè providere, nec vellemus ei præficere alienum, quamvis honestius videretur, si Suffraganeus ad Metropolim suam accederet, quàm Archi-Episcopus ad Metropolim transferretur, partem tamen eligimus potiorem. Et eundem Archi-Episcopum, *in quem omnes, quorum consensus in electione, vel postulatione Pastoris requiritur*, licèt diversis temporibus convenerant, à vinculo, quo tenebatur Colocensi Ecclesiæ, absolventes, ad Metro-

1789.

po-

polim Strigonensem transferimus, & ei licentiam tribuimus transeundi: pallium ei ad nomen, & usum ejusdem Ecclesiæ, transmissuri.

1790. Ex hoc apparet, quòd tota admissio sit gratiæ, non justitiæ, ut dicitur c. *Bonæ cit.* præsertim cùm contineat gratiam dispensationis. Tenetur tamen ex debito officii admittere postulationem factam *ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ*, vel concorditer, vel à duabus partibus Capituli. Quia tenetur non impedire bonum publicum Ecclesiæ. Hinc si Prælatus inferior tali casu postulationem rejiceret, postulantes possunt implorare officium Judicis superioris, ut compellat eum ad admittendam, intellige, si concors sit, & ex legitima causa, gloss. in c. *Bonæ*, V. *gratia*, *arg. c. nullus*, *de jure Patronat.*

## ARTICULUS VI.

### *De forma postulationis.*

1791. QUæstio est, an forma, seu solennitates, quæ præscribuntur in electione, ut fiat per scrutinium &c. de quibus titulo sequenti, etiam de necessitate servandæ sint in postulatione solenni? nam in simplici eam non requiri, communis tenet. Affirmativam sequitur Innocentius, & alii, negativam Hostiensis, Franc. us, & alii apud Pirhing *h. t. nu.* 31. Resp. licèt tutius sit eas servari, non esse tamen de necessitate; quia sic postulantes tam parum possent à postulatione recedere, antequã Superiori præsentetur, quàm possint recedere ab electione rite peracta, & quoad hoc in jure non æquiparantur, cùm ratio solennitatum in electione, electo det jus, non autem postulatio postulato.

1792. Not. tamen 1. requiri, ut vitetur verborum, & orationis confusio, per quam postulatio fieret incerta, v. g. *eligimus postulandô, postulam⁹ eligendô &c. eligo postulandũ, postulo eligendũ.* Itẽ *eligo in postulandũ, vel postulo in eligendũ.* Nam sic electio, vel postulatio facta, ipso jure irrita est, c. *un. h. t. in 6.* Similiter prohibetur hæc forma: *eligo, & postulo, prout de jure melius videbitur:* excipe, nisi quis rationabiliter dubitet, & hujus justam causam reddat. Nam eo posito, & soluto dubio, licebit ei, acceptô optationis instrumentô intra mensem, alterutram viam eligere; Barbosa in c. *perpetuò h. t.*

Not. 2. etiam necessarium esse, ut postulatio fiat collegialiter, vel *capitulariter*, à duabus partibus, vel majori parte; Fagnanus in c. *Bonæ*, 3. *h. t. n.* 46. item, ut insinuetur postulato, &, habito ejus consensu, Superiori. Postulatus autem consensum dare debet intra mensem, nisi causa plus temporis tribuat; ita Zoësius *h. t. num.* 10. & consensus debet esse talis, ut non dicat: *consentio*, vel, *neque consentio; neque dissentio*, sed *me dispositioni Summi Pontificis* (vel ejus, à quo pendet admittere) *committo*; ne scilicet notetur ambitione; Pirhing *cit. n.* 38. 1793.

## ARTICULUS VII.

### *De postulatione mixta cum electione.*

CUm quandoque contingat, in provisione Prælaturæ vacantis, esse aliquem, in cujus Personam inclinent plures electores, qui tamen non est eligibilis; sed tantùm postulabilis; alios autem in alium, qui passivè eligi capax est; adeoque à majori parte unum *postulari*; à minori verò alium *eligi* ad Prælaturam vacantem; quæstio est, quid sit dicendum, an major numerus postulantium minori eligentium præferri possit, aut debeat? vel econtra? pro sententia, quæ affirmat, postulationem in ejusmodi casu præferendam esse electioni, citatur Passerinus *in tract. de elect. canonic. c.* 24. *n.* 61. cui videtur consonare glossa in c. *Scriptum* 40. *de elect. V. confirmes*, ibi: ubi duæ partes postulant aliquem, licèt jus non acquiratur postulato, ut agere possit: tamen potest petere gratiam, & injuria fit ei, si non fiat illi gratia. *Et idem crederem, si major pars postulat, quòd gratiam deberet habere*; licet enim c. *scriptum* loquatur de duabus partibus, non credo necessarium; *hoc enim in eo puncto non continet jus commune; sed tantùm quandam provisionem de consensu partium*, prout colligitur ex illis verbis: *si partes consenserint, hoc modo procedas.* 1794.

Deinde communis sententia Canonistarum est, quòd à tempore S. Generalis Concilii Lateranensis, anno Christi 1215. celebrati sub Innocentio III. Pontificatûs sui anno 18. *nulla electio canonica* reputari, aut confirmari valeat, nisi celebrata fuerit *à majori parte Capituli*; sic enim loqui- 1795.

loquitur Pontifex c. 24. *quia propter diversas electionum formas, quas quidam invenire conantur, magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus* &c. *ut is collatione habita eligatur, in quem major, & sanior pars Capituli consenserit,* &c, *aliàs electio non valeat.* Quæ Conciliaris dispositio cùm sit novi juris inductiva, expressè statuens; eam *solam* electionem valere, *quæ à majori parte Capituli celebrata fuerit*, & post hujusmodi Conciliarem dispositionem nulla in hanc usque horam alia emanaverit constitutio declarans, *electionem à minori Capituli parte factam, ullo unquam excogitabili casu, pro canonica esse reputandam*: hinc inconcussa remanet sententia, nullam dari posse electionem canonicam soli minori parti innitentem. Hoc ipsum variæ constitutiones subsecutorum SS. Pontificum c. *Cumana*, 50. c. *In genesi.* 55. c. *Ecclesia vestra*, 57. *de elect.* confirmant; suffragantúrque Concordata Germaniæ in verbis: *item placet nobis, quòd in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis fiant electiones Canonicæ, quæ ad dictam sedem deferantur, & si canonicæ fuerint, eas confirmabimus.*

1796. Verùm his non obstantibus communis tenet, *ut postulatio concurrens cum electione, huic prævaleat, requiri, quòd suffragia postulantium duplô plura sint, quàm eligentium;* ita Layman in c. *scriptum*, 40. *de elect. n.* 4. Gonzalez in c. 3. *de postul. Præl. n.* 15. Hostiensis in c. *Scriptum*, §. *utrum jus*, *n.* 13. Abbas *ibid. n.* 14. Philipus Braun *h. t.* & alij communiter. Decisio sumitur ex cit. c. *scriptum*, 40. *h. t.* ubi agitur de hoc casu, & deciduntur sequentia: Primò, quòd, *ubi postulatio cum electione concurrit, postulatio admittatur rejecta electione, si numerus postulantium est duplô major, & postulatus dignus.* Secundò, *si postulatus sit indignus, postulationem, & electionem reprobari, si hoc major pars postulantium ignoravit.* Tertiò, *si major pars postulantium scivit, postulatum esse indignum, & electus, licèt à minori parte, sit idoneus, electionem confirmari*, quod etiam faciendum est, si numerus postulantium non sit duplô major. Ex hac autem decisione clarè habetur, postulationem non prævalere electioni, quando cum illa concurrit, nisi habeat duplô majorem numerum postulantium, quàm sit numerus eligentium. Confirmari potest exemplô recenti, ubi Innocentius XI. postulationem Cardinalis Fürstenbergij ad vacantem Ecclesiam Coloniensem rejecit, & electionem Serenissimi Principis Josephi Clementis, ex Bavariæ Ducibus confirmavit, licèt postulatus, ex 24. suffragiis Electorum habuerit 13. electus autem tantùm 9. duobus reliquis in alios dispersis, ut patet ex Brevi confirmatorio Electionis Coloniensis dato apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimo Septembris, anno M. DC. LXXXVIII. Pontificatûs Innocentii XI. anno duodecimo: ejus autem tenor is est:

* * *

# DILECTO FILIO JOSEPHO CLEMENTI EX DUCIBUS BAVARIÆ, ELECTO COLONIENSI INNOCENTIUS PP. XI.

1797. Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Apostolatûs officium, meritis licèt imparibus, Nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium solicitudinem gerimus, salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes, solliciti corde reddimur, & solertes, ut cùm de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores præficere studeamus, quorum præsidio, & auctoritate, providaque directione, illæ non solùm præserventur à noxijs, sed etiam, adspirante superni favoris aurâ, felicibus proficere valeant incrementis.

Sanè Metropolitana Ecclesia Coloniensi, cujus pro tempore existens Archi-Episcopus, etiam S. R. I. Princeps, Elector existit, & cui b. m. Maximilianus Henricus ex Ducibus Bavariæ, dum viveret, Archi-Episcopus præsidebat, per obitum ejusdem Maximiliani Henrici, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persolvit, Pastoris solatiô destitutâ, cum dilecti

lecti Filij Capitulum; & Canonici dictæ Ecclesiæ, ad quos occurrente illius Vacatione, electio Personæ idoneæ, illi ad electionem hujusmodi per Romanum Pontificem pro tempore existentem præficiendæ, juxta Concordata dudum inter Sedem Apostlicam & inclytam Nationem Germanicam inita, spectare dignoscitur, pro futuri Archi-Episcopi Colonienſis electione celebranda, vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt, Electioni hujusmodi commodè interesse, die ad id præfixâ, ut moris est, convenientes in Unum, alij quidem *Te, qui Canonicatum, & Præbendam dictæ Ecclesiæ Colonienſis ex dispensatione Apostolica obtines*, ac dilecti Filij Nobilis Viri Maximiliani Emmanuelis utriusque Bavariæ Ducis, S. R. I. Principis Electoris, fratet Germanus, & *in decimoseptimo ætatis Tuæ anno constitutus existis, quiq; Ratisbonenſi, & Frisingenſi Ecclesijs, ex concessione pariter, & dispensatione Apostolica, munere Consecrationis nondum susceptо, præesse dignoscеris*, & fidem Catholicam, juxta articulos pridem à Sede Apostolica propositos, emisisti; *ac cum quo per alias nostras in simili forma Brevis expeditas literas super ætatis defectu præfato, & super eo, quod memoratis Ecclesiis Ratisbonenſi, & Frisingenſi præesses, aliisq; impedimentis, seu defectibus, ad hoc, ut illis non obstantibus, in Archi-Episcopum, & Pastorem dictæ Ecclesiæ Colonienſis eligi liberè, & licitè posses, sub certis modò, & formâ tunc expressis, dispensaveramus, per viam scrutinii in Archi-Episcopum Colonienſem, collatis in Te suffragiis, tertiam ipsorum Capitularium partem excedentibus, elegissent:* alii verò ex dictis Canonicis, *quorum proinde numerus duplò major non fuerat*, dilectum Filium nostrum Guilielmum Ægonem S. R. E. Presbyterum, Cardinalem de Fürstenberg nuncupatum, Ecclesiæ Argentinenſis ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsulem, in sum, & prædictæ Ecclesiæ Colonienſis Archi-Episcopum postulâssent, & *Tu electioni præfatæ de Tui persona, sicut præmittitur, factæ, legitimè consensisses*, atque electionis, & postulationis hujusmodi authenticum instrumentum à Capitulo, & Canonicis prædictis, Venerabili Fratri, Sebastiano Antonio Archi-Episcopo Damascено, ad Tractum Rheni, & partes inferioris Germaniæ nostro, & Apostolicæ Sedis Nuntio, per eorum Syndicum traditum, ad Sedem prædictam transmissum fuisset.

Nos instrumentum electionis, & postulationis præfatarum, totumque petitæ confirmationis, & admissionis respectivè negotium ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium, rebus consistorialibus præpositam, discutiendum commisimus, ipsaque Congregatio, omnibus maturè, & diligentissimè perpensis, *unanimi omnium sententiâ, præfata postulatione de persona ejusdem Gulielmi Ægonis Cardinalis, & Præsulis repulsâ, electionem suprà dictam de Tui persona, ut præfertur, celebratam, confirmandâ, ut infrà, censuit; Nosq; ejusdem Congregationis sententiam, factâ Nobis relatione, approbavimus.*

Hinc est, quòd Nos eidem Ecclesiæ Colonienſi, ne diuturnioris vacationis exponatur incommodis, quantùm Nobis ex alto conceditur, salubriter providere cupientes, ac sperantes in Domino, Te, cui præter generis splendorem, & Majorum tuorum, ac præcipuè memorati Maximiliani Emanuelis Ducis, & Electoris Fratris Tui, novis indies clarissimis decoribus cumulatoria semper in Catholicam Religionem, & Sanctam Sedem merita, eximia pietas, egregiæque virtutes, cum ætatis tusúque rerum accessione plurimum incrementi, Domino benedicente, susceptura suffragantur, dictæ Ecclesiæ multum utilitatis allaturum, omnesque sedulí Administratoris, & suo tempore religioſi, circumspectique Præsulis partes impleturum esse, *Teq; horum intuitu, specialis favore* gratiæ prosequi volentes: ac Tui, nec non Venerabilis Fratris Joannis *Henrici* Episcopi Hieropolytani, moderni dictæ Ecclesiæ Colonienſis Suffraganei, ac Canonici, singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, qua vis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes: nec non omnia, & singula monasteria, etiam consistorialia, prioratus etiam conventuales, Canonicatus, & Præben-

bendas, cæteraque beneficia Ecclesiastica, quomodolibet qualificata, quæ etiam ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis, in Titulum, Commendam, vel administrationem, aut aliàs quomodolibet obtines, & exspectas, ac in quibus,& ad quæ jus Tibi quomodolibet competit, *quæcunque*, *quotcunque*, & *qualiacunque* sint, illorumque fructuum, redituum,& proventuum veros annos valores, ac hujusmodi concessionum, & dispensationum, literarúmque nostrarum præfatarum tenores, & alia quæcunque, etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes: *motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostra, deq. Apostolicæ potestatis plenitudine, Electionem de persona Tua in Archi-Episcopum Colonienſem, sicut præmittitur, factam, tenore præsentium Apostolica authoritate confirmamus, ac quatenus opus sit, omnes & singulos tam juris, quàm facti, & solennitatum etiam substantialium, & de jure, vel consuetudine, seu aliàs, quomodolibet requisitarum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.*

1798. Neque obstant in contrarium allata. Nam authoritas Passerini ex ordine Prædicat. relatè ad alios, qui talem postulationem electioni postponunt, nec ratione,nec lege intentum evincit, & fortè Passerinus non loquitur *loc. cit.* de postulatione aliter, quàm observetur jure privato sui Ordinis, cujus ratio sumi potest ex eo, quod allegat Barbosa in cit. c. *scriptum*, *num.* 3. ubi ad ea verba cit. c. *majorem facerent numerũ*, notatur, inquit, ad hoc, quòd, quando concurrunt electio, & postulatio, data identitate electi, & postulati, præfertur postulatio, si est facta à duabus partibus de tribus; quia illa, quæ fit à duplo majori numero, nititur juri, & gratiæ, ut dicitur per Jul. Lavor. *Var. lucubr. tomo* 1. *tit.* 4. *c.* 14. *num.* 9. ubi tamen ex Castellin. *de elect. c.* 2. *num.* 8. observat, *in Ordine Prædicatorum legitimè postulatum illum dici, qui à majori parte eorum, ad quos electio spectat, postulatus fuit;* hæc Barbosa *loc. cit.*

1799. Neque obstat glosa, de qua *nu.* 1794. Negandum enim est, in c. *scriptum*, ut postulationi contra electionem locus sit, requirente duplo majorem numerum postulantium, quàm sit eligentium, etiamsi postulatus aliàs idoneus sit, non contineri jus commune, sed tantùm provisionem specialem. Nam huic glosæ oppono alteram, c. *Bonæ, elig.* 1. *de elect. V. in tanta discordia*, ubi habetur: *ut postulatio præjudicet electioni, requiritur, ut numerus postulantium sit duplò major numerò eligentium.* Nec etiam ratio, ex qua glossa nobis contraria procedit,fundamentum habet. Nam licèt ibi dicatur: *etsi partes consenserint, hoc modo procedas*, malè tamen dicitur, *modum procedendi*, vel in postulatione admittenda, vel in electione confirmanda *fuisse affixum, consensui partium sic*, ut in hoc concursu delegatus illum modum in definienda causa teneat, in quem ipsæ partes consenserint; nam hujus expositionis nullum habetur fundamentum, & textûs explicatio longè rectiùs redditur, tenendô, quod dicunt cit. Laymann, & Gonzalez. Si enim verba Canonis bene attendantur, Pontifex ibidem scribens ad proximum Notarium suum, & mandans, ut post diligentissimam commissorum inquisitionẽ, eo modo,quem subjungit in eadem decretali, procedat, *si partes in eum consentiant*, per hæc verba nihil aliud voluit,quàm *ut, si partes in eum ut Judicem consenserint, non recusandô illum, juxta præscriptum modum procedat*, ut rectè observat Laymann *in paraphrasi ad cit. c. scriptum*;aliam etiã expositionẽ V. apud Gonzalez in cit. c. *scriptum*, ubi refert totum Canonem.

Ad alia contrariorum fundamenta, de quibus à *num.* 1794. Resp. ab his immeritò confundi quæstionem *electionis puræ, seu simplicis* (quin cum ea concurrat postulatio) *cum electione mixta*, seu concurrente simul postulatione; nec enim, quod jura statuunt de electione simplici, eo ipso etiam procedit in electione mixta; cùm de hac extent jura prorsus alia, ut constat ex dictis *num.* 1796. quod affertur ex Concilio Lateranensi, sub Innocentio III. in c. 24. & habetur in c. *quia propter*,42. *de electione*, manifestè loquitur *de electione simplici*, seu facta non concurrente postulatione; sed sic nihil facit ad intentum. Nec etiam reliqui Canones allati *nu.* 1795. aliud probant. Nam c. *Cumana*, 50. *de elect.* ut liquet ex toto textu, agit solùm de pura, & simplici electione sine ullius postula- 1800.

stulationis concursu. Nec aliud habet *c. in genesi* 55. *& c. Ecclesia vestra* 57. *eod.* Verba autem, quæ afferunt ex Concordatis Germaniæ, nullam apicem continent sententiæ contrariæ faventem. Minus autem subsistit, quod in principio argumenti suprà *num.* 1795. dicitur, communem Canonistarum sententiam stare pro postulatione contra electionem, si plures sint postulantes, quàm eligentes. Nam si hoc dicerent de electione simplici, verum haberent; sed non de electione mixta cum postulatione, ut constat ex dictis *nu.* 1796. præterquam, quòd valde probabiliter ex *num.* 1790. nec Passerinus illis patrocinetur.

1801. Nec obstat, quòd post c. *scriptum*, conditum sub Innocentio III. subsecuta sit dispositio Capituli *quia propter*. Nam etiam ante conditum c. *scriptum*, ab Innocentio III. per Alexandrum III. in Concilio Lateranensi statutum fuit, de majori numero in quibuscunque Capitularibus actibus præferendô regulariter minori, quin huic per c. *scriptum* derogaretur, propterea, quòd loquantur de diverso casu: sed sic etiam est de eo, quod habetur in c. *scriptum*; ac illo, quod in c. *quia propter*. Hoc enim disponit de *electione simplici tantùm*, illud de *mixta*: illud, ubi est electio cum postulatione, istud, ubi sine. Ineptè igitur inducitur jurium correctio, quando tam aperta eorum conciliatio habetur, præsertim etiam in decisione Summorum Pontificum fundata, ex *num.* 1797. Deinde Innocentius IV. Innocentio III. & Concilio Lateranensi posterior, ut videri potest apud Panormitanum c. *scriptum V. confirmes*, ad eandem contrariæ sententiæ objectionẽ (*nulla valet electio, nisi facta à majori parte Capituli*) post Concilium Lateranense IV. sic respondet: *hìc habes notabile, quòd, quando contingit fieri unam postulationem, & electionem, non servetur illa regula, qua is eligitur, qui à majori parte.*

1802. Si autem quæras, quis sit effectus postulationis? Resp. præcipuum ejus effectum esse, quòd, si admissa sit, det idem jus postulato, quod confirmatio electo. Unde sicut electo confirmato datur administratio, sic etiam datur postulato admisso; Zoësius hìc *n.* 14. & Abbas in c. 1. *h. t. n.* 34. Nam per postulationem etiam solennem, antequam admittatur, nullum jus acquiritur postulato, c. *per postulationem*, 5. *h. t.* ibi: *licèt per postulationem hujusmodi nullum jus sit alicui acquisitum, ideóque sine præjudicio alicujus postulationem potuissemus repellere memoratam.* Diriguntur enim tantùm vota ad Superiorem, ut de gratia velit admittere postulatum; sic Zerol. *in praxi Episcop. p.* 1. V. *Jus ad rem*, §. 14. Garcia *de benefic. p.* 4. *c.* 3. *n.* 7. Ex hoc sequitur, quòd postulatus, ante postulationem admissam, non possit suscipere administrationem Ecclesiæ; aliàs enim privatur omni commodô postulationis; & admittentes illum ad administrationem privantur jure suo pro illa vice, illudque ad Papam devolvitur; Cardin. Tuschus *lit P. conclus.* 459.

## ARTICULUS VIII.

### *De pœna postulantium indignum.*

1803. QUæstio est, an qui *scienter* postulant indignum (cum scilicet, qui laborat vitio, seu defectu indispensabili, vel non solito dispensari) pro ea vice, ipso jure, seu facto privati sint potestate postulandi? respondet Zoësius *h. t. n.* 5. esse, qui negent eò quòd hæc pœna (quæ non est laxanda, sed restringenda) sit inducta contra *eligentes*, non autem *postulantes* indignum. Sed probabilius est oppositum ex *c.* 40. ubi rejecta postulatio, & ea pœna *postulantibus* imposita est, quia *indignum* postulârunt; non autem, quòd postulatio indigni concurrerit eo casu cum electione, id, quod etiam colligitur ex *c.* 1. *h. t.* ibi: *licèt autem ex eo, quòd hominem, qui vestro non conveniebat proposito, postulâstis, cùm vos interdicti sententiam servaretis, ipse tamen eam contemneret observare, permissa vobis abusi fueritis potestate, ac ideo vos eâ non immeritò privare possemus, cùm juxtà divinæ legis edictum, non liceat vestem induere de lana, linóque contextam*: ne tamen &c.

1804. Eandem pœnam incurrant ij, qui postulationem personæ indignæ temerè factam, & ob vitium personæ à Superiore cassatam renovant, aut repetunt, c. *gratum*, 2. *h. t.* cùm enim plures è Canonicis Senonensibus, *postquam Pontifex postulationem ab eis factam cassavisset, postulationem cassatam denuo niterentur innova-*

*re;* Hostiensis Episcopus Apost. Sedis Legatus, *cùm illi elegendi privilegium hoc ipso amiserint*, quia concessâ sibi ex Apostolicæ Sedis benignitate abuterentur temerè potestate, ac ideo ad alios, licèt pauciores numerô, quantùm tamen ad hoc pertinet, consiliô saniores, eligendi, vel postulandi devolutam esse licentiam, prædictum Cameracensem ad eorum instantiam in Pastorem authoritate Apostolica providit, & deputavit ad regimen Ecclesiæ Senonensis: Pontifex factum ejus gratum, & acceptum habuit; subjungens: nos igitur tantò id magis gratum, & ratum habentes, quanto in ejus promotione de mandato nostro, & beneplacito potiùs processisti, à solicitudine Cameracensis Ecclesiæ ipsum reddimus absolutum, ut liberiùs gerat curam Metropolis Senonensis, quod à te factum est, auctoritate Apostolica confirmantes. Ex quo sequitur, quòd si aliqui, licèt pauciores, tali postulationi expresè contradicant, ad eos devolvatur potestas providendi Ecclesiæ, ut in præsenti. Nam in delictis, quod *à majori parte* fit, non censetur factum *ab omnibus;* Abbas in cit. *c.* 2. *n.* 6.

1805. Hinc esto tantùm unus esset, qui toti electioni, vel postulationi non consentiret, ille solus Prælatum eligere, vel postulare posset; glossa communiter recepta in cit. *c.* 2. *V. pauciores*, & sumitur ex L. *Sicut*, §. *in Decurionibus*, *ff. quod cujusque*; ubi habetur, quòd *nomen Universitatis conservetur etiam in uno.* Seipsum tamen non potest eligere, vel postulare, ne notetur ambitionis vitiô, quo fieret indignus, c. *per vestras*, *de jure Patronatus*; c. *in scripturis*, 8. *q.* 1.

Not. autem, quando pœna propter delictum à majori parte commissum, non potest cadere, nisi in totam communitatem (ut extinctio totius ordinis, eversio civitatis) tunc ob crimen atrox majoris partis pœnæ, subjici etiam minorem partem, licèt innocentem; non autem si potest cadere in singulos; Bartolus in L. *aut facto*, 16. *§. ult. ff. de pœnis*, *n.* 2. & Abbas in *c.* 2. *h. t. n.* 7.

1806. Not. 2. postulationem, factam à minori, quàm tertia parte, non debere admitti ex c. *Bonæ*, 3. *h. t.* nec obstat textus in c. *Scriptum de elect.* ubi, cùm disceptetur causa inter quemdam electum, & alium postulatum, deciditur, ut si duplô major fuerit juventus numerus postulantium, quàm eligentium, postulatus admittatur; ex quo habetur hoc argumentum: ad postulationem desideratur, ut postulatus habeat duplô majorem partem Capituli: ergo non sufficit major pars Capituli; respondetur enim in textu non agi de postulato utcunque, sed de postulato concurrente cum electo; tunc enim non pars major, sed pars duplô major desideratur, c. *bonæ*, 3. *h. t.* sic docet Bosquetus ad Innocentiũ *lib.* 3. *epist.* 44. *regest.* 15. Unde cùm in hoc textu postulatus non concurreret cum electo, sufficit major pars Capituli, ut electio admittatur.

Not. 3. quando superiùs *n.* 1777. di- 1807.
ximus, eos, qui jure sunt ineligibiles, postulandos esse, posse opponi contrarium ex textu c. *In Ecclesia vestra*, 57. *de elect.* ubi vacante quadam Ecclesia Canonici elegerunt sibi in Episcopum Cardinalem quendam; & talis electio non cassatur à Pontifice, imò supponitur, Cardinalem eligi posse in Episcopum. Sed Resp. nos *loco cit.* non locutos de Cardinalibus, non Episcopis; nam Canonici, & Cardinales non Episcopi non contrahunt Spirituale matrimonium cum Ecclesia; hinc eligi possunt, & non est necessaria postulatio: textus autem in cit. *c.* 57. expresè loquitur non de *Cardinali Episcopo*; sed *Cardinali Canonico* Catalaunensi. Aliam responsionem dat Gonzalez *in c.* 4. *h. t. n.* 16. sed videtur violenta; quamvis etiam procedat, supposità privilegiô, quod ibidem allegat *n.* 1. V. *Clericis*, ubi ait: nonnullarum Ecclesiarum Canonicis indultum à Pontifice, ut appellentur *Clerici Cardinales* per *c. illud*, *dist.* 33. *& glos.* in c. *Pudor*, 32. *q.* 2.

1808. Neque dicas: ut Episcopus *eligatur* ad aliam Ecclesiam, non obstat illi nexus, & alligatio cum sua Ecclesia. Nam Clericus alligatus est Ecclesiæ parochiali, adeò ut inconsultô Episcopô ea dimittere non valeat, c. *admonet*, *de renunt.* & potest eligi ad aliam dignitatem, c. *inter canonicos*, *de elect.* similiter Abbas immediatè subjectus Romano Pontifici, qui sine ejus, vel Legati licentia dimittere eam dignitatem non valet, c. *cùm venerabili*, *de consuet.* tamen potest eligi in Prælatum alterius monasterij, c. *Abbatem*, *de elect. in*

6. er-

6. ergo ut Prælatus unius Ecclesiæ transferatur ad aliam, non est necessaria postulatio, sed sufficit electio. Resp. enim cum distinctione ant. non obstat nexus, & alligatio *qualiscunque*, C. alligatio, quam habet *ex vinculo conjugij spiritualis* cum sua Ecclesia, N. ant. & conseq. Et ex hoc solvitur etiam probatio. Verum quidem est, Parochum alligatum Ecclesiæ posse eligi, non verò postulari in Prælatum, dict. c. *Si Abbatem*: docent Turriscremata, & Acunna in c. *Osius*, 61. *dist.* Abbas in præsenti, *n.* 6. & 8. quia inter Parochum, & Ecclesiam non datur verum matrimonium spirituale, quia Parochus non habet perfectum pastorale officium, nec vinculum perpetuum, quod est de substantia matrimonij: unde fit, quòd licèt Episcopus non possit ingredi religionem sine consensu Pontificis, c. *nisi cùm pridem, de renuntiat.* Parochus tamen potest sine consensu Episcopi religionem profiteri, c. *duæ*, 19. *q.* 2. D. Thomas 2. 2. *q.* 184. *a.* 9. *in corpore*: unde eligi potest in Prælatum, non verò postulari necesse est.

# QUÆSTIO VI.

## IN TIT. VI. DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE.

1809. HUjus tituli potissimus usus est in Germania; nam in plerisque alijs Regnis, & Provincijs, Principes ex indulto Pontificis, tum ad Episcopatus, tum ad omnes primas dignitates Ecclesiasticas nominant personas habiles, & Pontifici confirmandas, vel instituendas præsentant. *Electio* in genere significat personarum delectum ad beneficia, dignitates, vel functiones Ecclesiasticas; in hac significatione tripliciter accipitur. 1. *latissimè* pro quacunque vocatione, approbatione, vel institutione personæ ad beneficium, facta per sedulam inquisitionem: & hoc sensu etiam postulatio, nominatio, præsentatio, collatio, *electio* dicitur; 2. *latè*, pro eo actu, quo alicui jus tribuitur per suffragia, & alterius confirmationem: 3. *strictè*, & canonicè, pro idoneæ personæ ad Ecclesiam, suô Præpositô viduatam, servatâ juris formâ, ritè, & legitimè facta optione; sic Hostiensis *in Summa, de elect.* breviùs autem definiri potest, *alicujus hominis ad Ecclesiam, Pastore destitutam, canonicè facta vocatio.*

1810. Ex data definitione electionis strictè, seu propriè acceptæ deducitur 1. electionem differre à *Nominatione*; nam hæc contingit, quando unus, vel plures, tanquam idonei ad Prælaturam, proponuntur à Capitulo, quamvis Capitulares possint etiam alium â nominatis eligere, ut colligitur ex c. *sicut h. t.* & hæc est nominatio *non solennis*, quæ interdum præmittitur electioni: *solennis* autem est, qua Collegium, vel Capitulum duos, vel tres, aut etiam plures, cæteris præstantiores, deligit, & eorum nomina scripto solenniter inserta, Summo Pontifici, vel alteri inferiori Antistiti mittit supplicandô, ut unum aliquem ex iis Ecclesiæ vacanti præficere velit; Streinius *p.* 6. *tit.* 6. §. 3. *num.* 9. illa porro *nominatio*, qua unus nominat certam personam ad vacantem Ecclesiam, vel beneficium; alius verò præsentat, ita, ut alium à nominato præsentare non possit, re ipsa, & in effectu à præsentatione non differre videtur. Nam talis præsentatio nihil aliud est, quàm executio nominationis priùs factæ, quæ est præsentatio mediata, sicut posterior immediata.

Deducitur 2. electionem differre à *præsentatione* 1. quia jus præsentandi, seu jus patronatûs, quod spirituale est, ex gratuita Ecclesiæ concessione, ad laicos etiam pertinet, qui Patroni sunt, id est, fundatores, constructores, aut dotatores Ecclesiarum, & beneficiorum: at verò jus eligendi laicis Ecclesia non concedit. 2. per electionem publicatam acquiritur jus electo, saltem remotè, ut ejus consensus requirendus sit: non ita verò per præsentationem. Nam si Patronus laicus aliquem collatori ordinario præsentavit instituendum, non prohibetur alterum præsentare; ita ut in optione collatoris sit, quem illorum instituere malit. Tametsi verò in patronatu Ecclesiastico talis optio concessa non sit, sed qui priùs præsentatur, institui debeat, si idoneus sit; tamen differentia adhuc est inter 1811.

electionem, & præsentationem. Nam si Capitulum v. g. jus præsentandi habeat, & capitulariter consentiat in præsentationem Titij, re integra, seu præsentatione nondum Superiori oblata, resilire potest, & alium præsentare: at verò electionis scrutinium, posteaquam in Capitulo publicatum est, revocari non potest. 3. electio intimanda est electo, antequam ad Superiorem deferatur; ut appareat, utrum consentire, an repudiare velit. Ad præsentationem autem, quippe quæ directè ad Superiorem dirigitur, nihil interest, utrum præsentatus ante consenserit: cùm per ejusmodi consensum nullum ipsi jus acquiratur, ut dictum est.

1812. Deducitur 3. electionem differre à *collatione*, seu libera provisione; quia per illam non acquiritur jus *in re*, & quasi dominium beneficii; sed tantùm jus *ad rem*, postquam electio acceptata est: sed per collationem, seu provisionem acquiritur quasi dominiū,& jus reale in beneficio,v.g. Episcopatu, sive à Pontifice, v. g. propter reservationem, aut propter devolutionem liberè alicui collatus fuerit. Hinc existit 1. si electus ante confirmationem moriatur, quòd beneficium vacare censeatur per mortem non hujus, sed prioris Prælati. Existit 2. quòd electus ante acceptam confirmationem beneficio, seu Prælaturæ liberè, non requisito Superioris consensu renuntiare possit. Sin autem beneficiatus, præsertim Ecclesiæ Prælatus, habeat jus in re per collationem,aut quamcunque institutionem, renuntiare validè nō potest, nisi in manu Superioris,vel ordinarij collatoris. Existit 3. quòd electus ante confirmationem beneficiū administrare non debeat.

## ARTICULUS I.

### *Quid sit Electio Canonica?*

1813. ANte resolut. not. multos, & varios esse modos, quibus ad beneficii Ecclesiastici adeptionem pervenitur; nimirum electionem, confirmationem, postulationem, renuntiationem in favorem alterius, translationem,Papæ provisionem, nominationem, collationem, admissionem, institutionem, investituram &c. nullum tamen horum aliquid operari,sine *canonica institutione*, juxta reg. *beneficium* 1. *de reg. juris in* 6. Pro hujus regulæ intellectu not. 2. per canonicam institutionem hìc non intelligi *institutionem*, tantùm *strictè* sumptam, prout relatè dicitur *ad præsentationem*; sed quamvis provisionem beneficij, adeóque etiam electionem, confirmationem, postulationem, admissionem, præsentationem, collationem, & similia; quæ, *si secundùm Canones, & more ab his probato, facta est*, canonica dicitur. Hinc *canonicè institutus* is dicitur, qui *jure* provisus est. Quare, qui beneficium impetrat contra id, quod sacri canones præscribunt (nisi aliud habeat legitima consuetudo) non dicitur illud habere *per canonicam institutionem*. Beneficium porro esse impetratum sine canonica institutione,ex variis capitibus colligi potest. 1. si per simoniā quis ingressus est, c. *ad decimas, de restit. spoliat.* 2. si impetravit,dum esset excommunicatus, c. *eum,qui, de præbend. in* 6. 3. si sit *intrusus*, hoc est, si per vim occupavit beneficium, c. *avaritiæ,de elect. in* 6. 4. si institutus est à laico, carente ad hoc speciali privilegio. Nam potestas instituendi spiritualis, quæ laicis (seclusô speciali privilegiô) competere non potest &c.

Not. 3. quando dicitur, *beneficium Ecclesiasticum sine canonica institutione non posse licitè obtineri*: institutionem, seu provisionem, sive per electionem,sive collationem, aut alio modo factam, triplici modo considerari, & *canonicam* dici. 1. *largè*, in qua non sunt servata substantialia, & solennitates *à jure positivo* præscriptæ, sed solùm ea, quæ *jure naturali* requiruntur, ut est consensus eorum, quorum interest; *strictè*, quando servantur illa, quæ sunt tam de substantia, quàm de solennitate. *Strictius* denique, in qua omnia interveniunt, quæ sunt de substantia, & solennitate; quibus positis: 1814.

Quæstio est 1., an valeat impetratio beneficij facta cum canonica institutione *strictius* accepta? Resp. affirmativè. Nam taliter institutus, quantum pertinet ad institutionem, est legitimè ingressus. Quod etiam dicendum venit (*quantum ad valorem*) de institutione canonica *strictè* sumpta; cùm, ut ponit casus, interveniant omnia, quæ sunt de substantia legitimæ institutionis etiam spectato jure sacro. Dixi, 1815.

xi, *quoad valorem.* Nam licèt collatio beneficij v. g. seu institutio talis canonica, *strictè* sumpta, non sit *ipso jure nulla*; venit tamen *annullanda*, juxta c. *quod sicut*, *de elect.* ubi dicitur, electionem celebratam, sine his, qui ad electionem vocari poterant, & debebant, *infirmandam esse.* Denique si institutio canonica sumatur *largè*, non tenet provisio taliter facta, si quæ jure Ecclesiastico, tanquam substantialis forma, requisita prætermissa sint, ut constat ex *tit. de elect.* & alijs passim.

1816. Quæstio est 2. an regula procedat solùm de institutione canonica *specificè* sumpta? ante resolut. suppon. ex dict. *n.* 1809. *electionem* esse optionem, seu vocationem alicujus, rectè factam ab eo, ad quem pertinet, ad beneficium Ecclesiasticum; *confirmationem* autem, esse juris per electionem quæsiti corroborativam declarationem; 2. per *postulationem* intelligi petitionem Capituli, vel Collegij, factam apud Antistitem de persona, quæ aliquo defectu canonico, & ab eo dispensabili impeditur, quò minus secundùm juris communis dispositionem ad regendam, vel administrandam Ecclesiam assumamatur: per *administrationem* autem, dicti Antistitis consensum in impedimento, quo laborat, dispensativum; 3. *nominationem* hic sumi pro determinatione, quæ Imperatori, Regi, Principi, aut alteri permittitur apud eos, penes quos est electio, vel alius modus providendi Ecclesiæ vacanti, de pluribus personis idoneis nominandis ad dignitatem, vel etiam Ecclesiam curatam vacantem; 4. *collationem* beneficij esse gratuitam beneficij vacantis assignationem, factam Clerico ab illo, qui jus habet illud gratuitò assignandi: *præsentationem* autem esse personæ alicujus Ecclesiasticæ, Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, per Patronum legitimè factam exhibitionem, ut sic præsentato de tali beneficio vacante provideatur: 5. *institutionem*, non generaliter, sed *specificè sumptam* esse translationem juris *non liberam*, à Superiore factam, in eum, qui per Patronum ad Ecclesiam vacantem præsentatus est; quo differt *à collatione*, quæ est translatio juris *libera*, nisi præcedat mandatum Papæ de alicui providendo. Institutio enim principaliter concernit personam præsentati, cui (si tanquam idonea probata sit) Superior negare non possit translationem juris; nihilque confert, nisi titulum, & jus in re, quibus positis:

Ad quæst. Resp. etsi aliqui velint, dictam regulam hìc procedere solùm *de institutione canonica, specificè sumptâ*: probabilius tamen esse, institutionem hìc sumi generaliter, ut comprehendat & electionem, & postulationem, & collationem, aliosque modos canonicè providendi Ecclesiæ vacanti. Nam & electus, & postulatus, & collatarius beneficium licitè non obtinet, si ea, quæ sacri canones pro substantiali forma exigunt, in collatione, postulatione, vel electione observata non sint; cùm sine his nulla fiat juris translatio in collatarium, postulatum, vel electum. 1817.

Ex dict. collig. 1. beneficium Ecclesiasticum non obtineri licitè *per transactionem*, nisi in casibus jure permissis. Nam in transactione intervenit datio alicujus rei pro spirituali, quæ ob periculum simoniæ in beneficijs, seclusa legitimi Superioris authoritate, prohibetur c. *Si quando*, 8. *de offic. deleg.* & c. *constitutus*, 4. *de transact.* ibi: *quia igitur hujusmodi transactiones* (nimirum inter solos Clericos, sine Superioris authoritate, etiamsi juratæ sint (*speciem continent simoniæ*, &c. Amica tamen quædam, & æquabilis compositio super expensis factis admittitur; ut, si concordiæ causâ, amicis fidem suam interponentibus, juris contentioſi examinationem, nulla interveniente datione, committant, & sic manus porrigant, c. *Super eo*, 7. *de transact.* ibi: *transigi super re sacra, & litigiosa non potest*; etenim res sacræ, *ut possideantur aliquo dato, vel retento, seu promisso, speciem credimus habere simoniæ.* Aliàs *si gratis, & amicabiliter inter se litigantes componant, sacris canonibus nequaquam dicimus obviare*; sic Alexander III. *loc. cit.* 1818.

Collig. 2. nec obtineri licitè *per præscriptionem*; ita Peckius *ad 1. reg. in 6. n.* 18. causam reddens, quia, ut præscriptio legitima sit, bona fides, & justus titulus necessariò requiritur; qui autem contra canones ad beneficium pervenit, bonam fidem non habere præsumitur. Sed cùm reverà contingat, quòd in Prælato successore adsit bona fides, qua sibi citra ullum dubium persuadeat, beneficium à 1819.

suo

suo Monasterio, vel Collegio legitimè hactenus esse possessum, ea ratio in tali casu locum non habet. Cæterùm, ut tenet glossa magna *ad med.* in c. *Contingit*, *de dolo*, & gloss. in *cit. reg.* 1. *V. beneficium*, iste casus specialis est, *in quo præscriptio non currit*. Unde, à principio canonicam institutionem non habentes, beneficium Ecclesiasticum non præscribunt, quamvis cum titulo colorato, & bona fide possideant; sic Covarruvias *ad regul. Possessor*, *p.* 2. §. 10. *n.* 9. & alij, quos citat, & sequitur Barbosa hìc *n.* 6. Ratio est, quia ingressus in beneficium sine canonica institutione, *vitiosus est* per dict. *reg.* 1. talis autem ingressus prohibetur in c. *unic. de eo*, *qui mittitur in possess. in* 6. deinde beneficia Ecclesiastica licitè non obtineri sine canonica institutione, est *juris publici*; jura verò publica non præscribuntur, l. *præscriptio*, C. *de operibus publ.* ibi: *juri publico non debet obsistere.*

1820. Collig. 3. Clericum, licèt sit in quieta possessione sui beneficij, teneri ostendere *titulum possessionis*, si requiratur ab ordinario Superiore; sic Covarruvias *cit. n.* 9. Navarrus *de offic. ordin. consil.* 4. & quàvis per regulam *de triennali possessore* excludatur tertius ejusmodi Clericum inquietans in beneficio; non tamen excluditur ordinarius, ut notat Zerola *in praxi Episc. p.* 1. *V. Bullæ*, V. *ad quintum*, & alij; quibus præmissis, procedendo ad electionem canonicam, seu strictè sumptam, quæ scilicet definitur personæ idoneæ ad Ecclesiæ vacantis Pastoralem dignitatem, seu Prælaturam, per eos, quibus jus eligendi competit, canonica vocatio, prout sumitur ex c. *cùm in cunctis*, & c. *quia propter*, *h. t. junct. gloss. in c. unic. de postulat. in* 6. V. *vera postulatio*; per singulas partes exponenda venit.

1821. Dicitur 1. *ad Ecclesiæ vacantis pastoralem dignitatem.* Nam electio strictè sumpta solùm fit ad Ecclesias vel sæculares, vel Regulares *vacantes*, hoc est, viduatas pastore suo, qui tanquam caput, vel per modum capitis, seu Prælati cum jurisdictione ordinaria, seu generali præsit, & cui omnes, qui in eadem Ecclesia sunt, subjecti sint. Colligitur ex c. *quia propter*, *cit.* ibi: *Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore*, V. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 14. *q.* 2. & 5. Observandum autem. 1. quòd si electus *ante confirmationem* moriatur, beneficium non *vacet* per illius, sed per obitum præcedentis possessoris; Streinius *p.* 1. *tit.* 5. §. 2. *n.* 2. deinde non censeri Ecclesiam *vacare*, seu viduari per obitum inferiorum dignitatum, personatuum, &c. quia habentes ista non sunt caput, seu Prælatus talis Ecclesiæ cum jurisdictione ordinaria, & generali; sic Pirhing *de elect. n.* 1. §. *dicitur primò.*

Dicitur 2. electio, *vocatio canonica*, 1822. seu solennis, in qua scilicet servatur forma eligendi à sacris canonibus præscripta, de qua dicam in *seqq.* advertendum autem, dici *vocationem* potiùs, quàm *institutionem*, ut distinguatur à reliquis modis acquirendi tum inferiora beneficia, tum dignitates ac Prælaturas. Nam alijs modis, quàm per electionem acquiri posse beneficia tam duplicia, quàm simplicia, constat ex dictis. Nec enim omnia sunt electiva, sed multa collativa; collatio enim acceptata confert jus *in re* ipsius beneficij collati; electio autẽ acceptata solùm jus *ad rem*, ante confirmationẽ; Extrav. *ad regimẽ*, *de præbend. inter communes.* Secundò beneficia electiva non vacant ante confirmationem per obitum electi, non confirmati. Tertiò electus ante confirmationem potest liberè renuntiare beneficio, seu prælaturæ etiam sine consensu Superioris; & ante confirmationem non potest administrare; de quibus plura in sequentibus.

## ARTICULUS II.

### *De his, qui habent potestatem eligendi.*

JUs eligendi penes Collegium est, c. 1. 1823. *de elect.* ubi dicitur, quòd in Ecclesia, seu Congregatione Ecclesiastica Prælatus, per congregationem, seu Capitularium electionem præfici debeat: sin verò aliter quis Ecclesiam assecutus sit, tanquam qui per cupiditatem, & contra canonicæ regulæ disciplinam ingressus, removendus sit, & *si quis aliter*, *quàm per canonicam electionem ad Prælaturam assumatur*, nimirum ab his, qui jus eligendi non habent, *nulla*, *& invalida sit promotio*, & habeatur pro *intruso*, atqueadeò debeat removeri; quia non per legitimam viam in Ecclesiam est ingressus: si autem quæras,

quid

quid sit *Collegium?* Resp. ex communi placito juxta L. *Neratius*, *ff. de verb. signific.* statui, *collegium*, esse congregationem, quam ad minus tres facere possunt. Nam duo faciunt *congregationem; Collegium*, tres; *populum*, decem; *turbam* 25. *gregem*, quinque porci, vel decem oves, ut notat Bernard. *c.* 1. *de elect. Vid.* gloss. *in c.* 1. 10. *q.* 1. Cæterùm per *Collegium* hìc intelligitur *cœtus Clericorum*, qui ut fratres, seu membra, constituunt unum corpus Ecclesiasticum, seu congregationem, cujus caput sit Prælatus à congregatione, seu collegio eligendus, vocanturque Canonici, seu Capitulares. Collegium dicitur *Ecclesiasticum*, si major pars fuerit Clericorum, imò data æqualitate juxta Panormitanum in *c. ex literis, de constit.* quia magis dignum trahit ad se minus dignum, *c. quod in dubijs, de consecr. Eccles.* Differre *Collegium* à *Societate*, tradit Sylvester *V. Collegium num.* 2. *ex L.* 1. *ff. quod cujusque universitatis nomine*; ubi dicitur, quòd socij alicujus congregationis possint facere collegium; ergo societas non est collegium. Accedit, quòd societas morte unius socij solvatur, L. *adeo pro socio*: at collegium in uno residere potest, *L. Sicut, ff. quod cujusque universitatis.* Unde sicut grege legato, si unum solùm animal remanserit, peti potest, *L. Si grege, ff. de legat.* 1. sic si unus tantùm Canonicus remaneat, potest à Superiore petere, ut Ecclesiæ provideatur; Baldus in L. *ult. ff. de negotijs gestis.* Collegij appellatione veniunt etiam monasteria, & conventus religiosorum, ut tradit Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell.* gloss. 8. *nu.* 5. Licèt autem Collegium Canonicorum in se non habeat prælaturam Episcopalem, potest tamen dare non auctoritate propria, sed ex potestate officij sibi concessi à jure canonico, vel vi ejus à Papa; Abbas *in c.* 1. *de elect. n.* 9.

1823. Ex dictis colliges, Clericis, qui non sunt membra Capituli, de jure communi, non competere jus eligendi Prælatum, juxta glossam communiter receptam in *c. penult. de Cleric. non residen.* V. *Assissios*; & Abbatem *in c.* 1. *h. t. n.* 2. & 11. Barbosa *de offic. Episcopi, p.* 1. *tit.* 1. *c.* 3. *n.* 16. *Capituli* enim appellatione non continentur Clerici, quantumvis beneficiarij, sed soli Canonici, ut tenet Abbas in *c. Scriptum, n.* 4. *de elect.* & Rota *in Romana Concord.* 3. *Aprilis*, 1609. *coram Cardin. Cavallerio impressa per Farinaciũ decis.* 183. *n.* 1. id, quod colligitur etiam ex *c. Cumana* 50. *h. t.* ita Layman *in cit. c.* 50. nam illi per se non faciunt unum corpus, seu Collegium; sed ministrant Ecclesiæ duntaxat ut personæ singulares, sicuti annotavit gloss. recepta in *c. penult. V. Assissios, de Cleric. non resid.* & constat ex *c. dilecta*, 14. *junct.* gloss. *V. nec sint unum corpus, de excess. Prælator.* ubi habetur, quòd *ejusmodi Clerici, servientes Ecclesiæ, non possint habere sigillum in communi.*

Collig. 2. etsi Collegium sive Ecclesiasticum, sive civile, ab initio constitui non possit, nec ejus jura conferri, nisi saltem tres sint, qui congregentur: si tamen semel constitutum sit, ejus jura conservari posse in duobus, imò etiam in uno, *c. nullus*, 1. *de elect.* ibi: *in Ecclesia, ubi duo, vel tres fuerint in Congregatione, nisi eorum electione canonica, Presbyter eligatur*, sic Lucius Papa, & Barbosa in *c. nullus cit.* sed si sit tantùm unus, se ipsum eligere non poterit, *argum. c. per nostras*, 26. *de jure Patronatus*, ibi: nullus se potest ad personatum alicujus Ecclesiæ præsentare quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studijs, & meritis adjuvetur.

Quæstio nunc est 1. an omnes, qui 1824.
sunt de Collegio, vel Capitulo, habeant vocem activam, seu jus eligendi? Resp. habere eos tantùm, qui sunt *in sacris, ex Trid. sess.* 22. *c.* 4. *de reform.* ibi: quicunque in Cathedrali, vel Collegiata, sæculari, vel regulari Ecclesia divinis mancipatus officijs, *in Subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in hujusmodi Ecclesiis non habeat in Capitulo, etiamsi hoc sibi ab alijs liberè fuerit concessum.* Sufficit tamen, quòd Canonicus in principio *electionis*, esto non initio *vacationis, sit in sacris*, gloss. *in Clem.* 2. *de ætate, & qualit. V. constitutus.* Et sic Canonicus non constitutus in sacris electioni intersit, electio ob id non est irrita, sed ejus suffragium non est numerandum, secundùm Azor *cit. l.* 3. *c.* 11. *q.* 20. quia vox ejus est vox non habentis facultatem eligendi. Et ideo Canonicus, qui nondum est constitutus in sacris, non est exspectandus, licèt ordinari velit infra terminum eligen-

di à jure præfixum; id, quod etiam dicendum est de Capitulari impubere, cujus pubertas citò finiretur; & absente, qui alioquin vocatus venire non potest, aut non vult: & de excommunicato, parato absolutionem procurrare; & de Novitio, in brevi professuro; sic glossa *in Clement. 2. cit. V. constitutus*, Vid. Azor *p. 2. lib. 6. c. 14. quæst. 6. in fin.* Unde si initio vacantis Ecclesiæ nullus è Canonicis, seu Capitularibus esset in Sacris, jus eligendi ad Superiorem devolveretur, sed obligatum exspectare terminum electioni præfixum, ita, ut si ad illum terminum interim aliqui eorum susciperent Ordinem Sacrum, devolutioni non esset locus, *argum. c. comissa, de elect. in 6.* de quo Laymann *lib. 3. Theolog. Moralis tract. 4. c. 16. num. 12.*

1825. Quæstio est 2. an ex consuetudine, vel privilegio, illi etiam, qui de Collegio non sunt, interesse electioni possint? Respond. quòd sic, ex c. *Cumana 5. de elect. junct. gloss. V. consuetudine*, quod maximè procedit de Principibus, & Patrono, ac eo etiam, qui est in quasi possessione juris eligendi, aut præsentandi. Hinc ulteriùs dicendum, quòd ejusmodi præsumptus Elector (qui scilicet est in quasi possessione juris eligendi) validè eligat, ac præsentet, licèt postmodum in judicio causâ cadat. Nam prædicti actus eligendi, vel præsentandi censentur fructus beneficii, aut patronatus. Unde sicut possessor *bonæ fidei* fructus validè alienat; sic præsumptus Elector validè eligit; Streinius *p. 1. Jur. Can. tit. 6. §. 2. n. 4.*

Dixi *ex consuetudine* eos etiam, qui de Collegio non sunt, interesse electioni posse, prout apertè constat ex cit. c. *Cumana*. Verùm interesse *cum jure suffragii*, non dat, nisi consuetudo legitimè præscripta; nec ex eo, quòd tales duabus Episcoporum electionibus priùs interfuerint, ritè constat, id eis competere de consuetudine præscripta, licèt eorum vota fuissent inquisita, vel ipsi aliquos elegissent. Hujus ratio est, quia textus expresè loquitur de *consuetudine præscripta*; & quamvis aliàs nomen *consuetudinis* absolutè prolatum non necessariò, & indefinitè debeat intelligi *præscripta*; si tamen versemur, ut in præsenti, circa materiam acquisitæ facultatis, seu juris, aut natæ obligationis, nomine consuetudinis intelligenda est legitimè præscripta: quia per eam solam jus nascitur, aut obligatio alteri imponitur. Vid. Suarez *de legib. l. 7. c. 8. à nu. 17.*

Ex eodem c. *cumana* sequitur, eum, 1826.
qui est in possessione unius juris eligendi, non eo ipso esse in possessione alterius à priori separabilis, constat ex casu in cit. c. proposito: nam licèt Clerici, qui non sunt de Capitulo Ecclesiæ, de cujus Prælati electione agitur, probent se consuevisse cum aliis *eligere Scrutatores*; ex hoc tamen non satis censebantur probâsse, se per illam consuetudinem obtinuisse, *jus dandi suffragia pro Prælato.* Cùm enim hoc sit contra jus commune, ac exorbitans, certa etiam postremi juris requiritur probatio, ut habetur ex c. *constitutis*, 47. *h. t.*

Dixi 2. valere electionem, factam ab Electore *præsumpto*, ex possessione, vel quasi possessione juris eligendi; quod intellige, si possessio sit bonæ fidei. Nam secus est, si sit malæ fidei. Tunc enim suffragium ejus non valet; quia malæ fidei possessor nullum ex possessione sua commodum, seu fructum percipere debet, L. *mala fide*, C. *de condictione ex lege.* Quamobrem etiam ipso contradicente utiliter fiet protestatio, quod ejus suffragium valere nolint, nisi de jure, vel consuetudine præscripta valere debeat, uti hìc Innocentius tradit *num. 4. V. protestatione.*

1827. Quæstio est 3. penes quos sit jus eligendi in sæcularibus? Resp. esse penes Canonicos, puberes, & sanæ mentis. Nam impuberes (sine distinctione, an malitia suppleat, vel non suppleat ætatem, cùm Canones non distinguant) carent suffragiô, c. *ex eo*, 32. *h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. cuidam Ecclesiæ Cathedralis Canonico, *in pupillari ætate constituto*, & conquerenti, quòd cum aliis Canonicis ad electionem Episcopi non fuerit vocatus, respondit: ex eo, quòd ad electionem Episcopi, *quæ te in pupillari ætate*, in tua Ecclesia extitit celebrata, cum cæteris ejusdem Ecclesiæ Canonicis non fuisti admissus: *de contemptu conqueri, aut electionem eandem impugnare non potes.* Cùm tam juris, quàm rationis existat: *ut tales* (cùm discretione careant) *ad præstandum in electione suffragium nullatenus admittantur.* Ex quo vides, non obstare, non esse vocatos; Zoësius *in tit. de elect. num. 3.* in Regularibus autem penes Monachos, vel expresè

presbè, vel tacitè professos, *cit. c. ex eo*; non tamen penes laicos, seu conversos, cùm hi non sint in Sacris; Zoësius *cit. num.* 7. & patet ex textu *cit. c.* 32. ibi: in Ecclesiis quoque Regularibus, vel monasteriis, ij, *qui non sunt tacitè vel expressè professi*, non debent cum professis, vel *conversi laici cum Clericis* electionibus interesse, nisi consuetudo diuturna aliud præscripserit; quando autem in c. *Massana*, 56. *eod.* reprobatur consuetudo, qua laici cum Clericis electionem faciant, sermo est de *laicis sæcularibus*, non Regularibus, & conversis.

1828. Quæstio est 4. an, si habeantur sufficientia suffragia electorum habilium, electio vitietur ex eo, quòd inter electores sit unus inhabilis, v. g. excommunicatus? Respond. quòd non, *argum. c. cùm Wintonenſis* 25. *h. tit.* ibi: nos igitur attendentes, quòd isti post primam electionem admiserant illos, ad celebrandam secundam, & quòd decretum Concilij memorati decrevit hujusmodi præsumptores una vice duntaxat eligendi potestate privatos, quoniam electio, quam coram nobis celebrare volebant, non jam secunda, sed tertia concurrebat: ad eligendum illos censuimus admittendos. Nam utile per inutile non vitiatur; intellige, quando separari possunt; sed hoc intellige, si excommunicatus sit *ignoranter* admissus ad electionem; Zoësius *cit. num.* 8. sermo autem est de excommunicatione majori: si autem *scienter*, & *voluntariè* sit admissus, censet Zoësius *cit. num.* 9. in praxi non esse recedendum à communi opinione, docente, illo casu electionem vitiari; quod tamen limitat jure novo ad casum excommunicati scienter & voluntariè admissi, *qui non sit tolleratus*, juxta Extravagant. Martini V. *ad evitanda*; quia valor electionis tali casu non est tam in favorem excommunicati, quàm communitatis. Idem procedere vult in excommunicato *occulto*, arg. L. *Barbarius*, *ff. de offic. Prætoris*, & in excommunicato denuntiato, sed ignorato; Abbas *in c. ad nostram de jurejurando.* Cardinalis tamen etiam nominatim excommunicatus, seu denuntiatus, repelli non potest ab eligendo Papa, per *Clementin.* 2. §. *caterùm de elect.* ut evitetur schisma; & confirmatur ex constitutione Gregorij XV. incip. *Æterni Patris* Anno 1621. *XVII. Kalend. Decemb.*

Quæstio est 5. an suspensus sit inhabilis 1829.
ad eligendum? Resp. quòd non, intellige, nisi sit suspensus ab officio, & denuntiatus; sic Abbas *in c. cùm inter, h. tit. n.* 6. Zoësius *cit. num.* 15. Nam suspensio ab officio intelligitur non tantùm quoad potestatem ordinis, sed etiam jurisdictionis; idem dic de suspenso simpliciter. Similiter interdictus non privatur jure eligendi, quia hæc pœna est solùm quoad divina officia, nec extendi debet; excipe, nisi violaverit interdictum personale, vel locale, *c.* 1. *de postulat. Prælat. c. is, qui*, 2. *is verò de sentent. excommunicat.* Pari ratione valida est electio facta ab irregulari; nam licèt irregularitas faciat inhabilem ad beneficia obtinenda, non tamen privat ipso jure obtentis, nec fructibus, inter quos numeratur potestas eligendi; Zoësius *cit. n.* 17.

Quæstio est 6. quæ sit pœna scienter e- 1830.
ligentium indignum? Resp. eos, qui scienter indignum elegerunt, pro illa vice privatos esse facultate eligendi, & tali casu jus eligendi esse penes alios Capitulares, qui in electionem indigni non consenserunt, licèt numerò pauciores sint, ex *cit. c. Wintonenſis*, & Abbas ibidem *num.* 2. Vid. *num.* 1805. quod verum est, etsi tantùm unicus supereſſet, qui non consensit in indignum, glossa in *c. perpetuò*, 7. *hoc tit. in* 6. sed hoc accipe, *si sequatur electio*: non autem, si secus, ut constat ex textu hujus *c.* 7. ibi: perpetuò sanctionis oraculo declaramus, quòd *scienter in electionibus nominantes indignum, propter suffragium in scrutinio præstitum (nisi adeò in eo perstiterint, quòd ex votis eorum communis electio subsequatur) nequaquam eligendi potestate privantur.* Licèt pro eo, quòd indignum nominandò, scienter contra conscientias suas agunt: & divinam vindictam, & Apostolicæ ultionis metum (quem qualitas facti suaserit) possint non immeritò formidare.

In quæstione autem, an quis *præsuma-* 1831.
*tur scienter* indignum elegisse? negat Molina *de jure primogenit. l.* 2. *c.* 4. *n.* 48. affirmat verò Sarmiento apud Zoësium *cit. n.* 19. *per L. qui cum alio*, 19. *ff. de reg. juris*, ubi, qui cum alio contrahit, gnarus esse debet conditionis ejus, & per *c. fin.* §. *si quis*

*Clandest. desponſ.* ubi in ſimili præſumitur ignorantia affectata; & ideo in *c. innotuit*, 20. *de elect.* ejusmodi ignorantia probanda eſt, ſecundùm dicta alibi. Et quamvis verum ſit, quòd præſumatur ignorantia, ubi ſcientia non probatur, *reg.* 47. *in* 6. hoc tamen non procedit, quando quis ex officio tenetur inquirere de alieno facto *c. quamvis*, 10. *de reg. juris*: ibi: *non poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit*; & ideo eadem pœna procedit in ſcienter confirmante indignum *c. poſtquam*, 3. *& c. nihil* 44. *h. t.*

1832. Quæſtio eſt 7. an electio Epiſcopi, vel Prælati Eccleſiaſtici, facta ſive à ſolis Laicis, ſive ſimul cum Clericis, teneat, in quantum eſt à Laicis? Reſp. quòd non; & quidem ſic, ut electioni per eosdē ſe factæ conſentiens hoc ipſo ſit inhabilis, c. *quisquis*, 43. *h. t.* ibi: *quisquis electioni de ſe factæ per ſæcularis poteſtatis abuſum conſentire præſumpſerit, contrà canonicam libertatem: & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec abſque diſpenſatione ad aliquam valeat eligi* (dignitatem) *qui verò electionem hujusmodi, quam ipſo jure irritam eſſe cenſemus, præſumpſerint celebrare, ab officijs & beneficijs penitus ſuſpendantur, per triennium eligendi tunc poteſtate privati*, & c. *Maſſana*, 56. *eod.* ibi: edicto perpetuo prohibemus, *ne per Laicos cum Canonicis Pontificis electio præſumatur.* Quæ ſi fortè præſumpta fuerit, *nullam obtineat firmitatem, non obſtante contraria conſuetudine, quæ dici debet potiùs corruptela.* Quod verum eſt etiam de electione Prælati inferioris, licèt in cit. c. fiat mentio ſolùm de electione Epiſcopi. Nam ratio deciſionis ibi data, quia *jus eligendi non cadit in Laicum*, communis eſt etiam illis electionibus; intellige autem, ſi Laici admittantur *ad coëligendū*; non autem, ſi præcisè *ad intereſſendum* propter utilitatem Eccleſiæ, &c. per Laicos autē hìc intelliguntur ſæculares, cit. c. *quisquis*, *h. t.* Nec ejusmodi Laicos juvat conſuetudo, aut præſcriptio; cùm hæc requirat poſſeſſionem, cujus ſunt incapaces Laici, ut nec poſſit ijs concedi per Capitulum, c. *Sacroſancta*, 15. *h. t.* nam compoſitio, à quibusdam Abbatibus Cluniacen. facta cum Comite de Varenna, *ut in optione Comitis eſſet*, unum de duobus, quos Abbas duxerit nominandos, ad Prioratum Eccleſiæ, cujus ipſe Patronus erat, à Pontifice *reprobata eſt*, ut habetur in *cit. c.* ibi: attendentes itaque, quòd *jus eligendi in Collegiata Eccleſia non cadit in laicum*, & ideo id eſſet pernicioſum exemplo, & redundaret in diſpendium Eccleſiaſticæ libertatis: volumus, ut dictum Prioratum liberè poſſis (non obſtante compoſitione ipsa) ſicut alios Prioratus tibi ſubditos ordinare, denuntiando ordinationem factam Patrono, ut ſuum, ſi voluerint honeſtum impartiatur aſſenſum. Nec obſtant, quæ leguntur in Decreto de jure olim Imperatoribus conceſſo, eligendi ſummum Pontificem; hodie enim illis hoc adēmptum eſt, ut pluribus oſtendit Zoëſius *loc. cit. n.* 22. Advertente tamen juxta Pirhing *de elect. n.* 18. electionem factam à Clericis ſimul & Laicis, probabiliter valere ex ſolis ſuffragijs Clericorum, ſi non conſentiant in ſuffragia Laicorum, vel ignorantet illos admittant, vel quia prohibere non poſſunt, vel quia per gravem metum coacti ſunt illos admittere; quia (ſaltem in caſu proteſtationis contrariæ) utile per inutile non debet vitiari, quando ab invicem ſeparari poſſunt, *arg. c. fin. de procurat.* Et ideo hodie jus eligendi ſummum Pontificem eſt penes Cardinales, à quibus electus, non aliàs, pro Pontifice habendus eſt, quàm ſi duæ præſentium partes in eum conſentiant, c. *licèt*, 6. *h. t.* & pluribus *c.* 3. *eod. in* 6. *cum Clem.* 2. *eod.*

Quæſtio eſt 8. an etiam electio, vel inſtitutio Canonici in Eccleſiis Cathedralibus ſit penes Capitulum? Reſp. creationem, vel collationem Canonicatuum in Eccleſijs Cathedralibus de jure communi ſpectare vel ad Epiſcopum ſimul, & Capitulum, ut tradit gloſſa in c. *cùm Eccleſia*, 31. *h. t.* V. *poſtulavit*; vel ad ſolum Epiſcopum de conſilio Capituli, c. *cùm ex injuncto, de hæretic. c.* 1. *de Capell. Monach. arg. c. Novit, de his, quæ fiunt à Prælat.* Si præbendæ Canonicales ſint creatæ, vel inſtitutæ ex communibus bonis Eccleſiæ, æquum eſt, ut collatio Canonicatuum fiat cumulativè ab Epiſcopo, & Capitulo; & ſic eſſe inſtitutas, præſumitur, ſi præbendæ non ſint patronatæ; ſi autem habeant Patronum, præſentatio ad hunc, inſti- 1833.

institutio ad Episcopum pertinet; Abbas in c. *Ecclesia cit. n.* 4. Dixi: *de jure communi.* Nam, *de consuetudine* ad solum Capitulum pertinere potest, c. *cùm Ecclesia, cit.* ibi: absolvere studeas Canonicos sæpe dictos, maximè, *si sit notorium, quòd in Thuscia generalis consuetudo servetur, ut in cathedralibus Ecclesiis solum Capitulum, irrequisito Episcopo, eligendi Canonicos habeat facultatem.*

Not. autem, si Ecclesia sit non numerata, hoc est, si in ea non sint distinctæ præbendæ, nec certus, nec determinatus numerus Canonicorum, seu Conventualium, & per negligentiam eorum intra sex menses non provideatur, potestatem providendi non devolvi ad Superiorem ipso jure (quia tales præbendæ non censentur vacare, c. *ex parte*, 10. *de conceff. præbend.*) neque ipsum posse supplere negligentiam Canonicorum; glossa hic V. *longo*, id, quod breviter exponit Rubrica cit. c. *Ex parte*, ibi: *in Ecclesiis non numeratis vacatio præbendarum*, seu Canonicatuum *possibilis non est: nec sit ibi devolutio ad Superiorem ex negligentia semestri in non providendo Ecclesiæ de ministris*: posse tamen à Superiore, v. g. Episcopo, certum tempus assignari Canonicis, intra quod Ecclesiæ de necessariis Ministris provideant, alioquin eo elapso poterit ipse providere, *arg. c. irrefragabili*, 13. §. *Excessus, de offic. ordin.* ubi Pontifex loquens de negligentia Capituli in corrigendis excessibus Canonicorum, ait: excessus tamen Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, qui consueverunt corrigi per Capitulum, per ipsum in illis Ecclesiis, qui talem hactenus consuetudinem habuerunt, *ad comonitionem, vel jussionem Episcopi corrigantur intra terminum competentem ab eo præfigendum*: alioquin ex tunc Episcopus, Deum habens præ oculis, ipsos, ut animarum cura requirit, per censuras Ecclesiasticas corrigere non postponat.

## ARTICULUS III.

### *De qualitatibus requisitis in elegendo ad Prælaturam.*

1834. DE his agitur in c. *Cùm in cunctis*, 7. *h. t.* quod desumptum est ex Concilio Lateranensi, ubi Alexander III. sic loquitur: cùm in cunctis sacris ordinibus, & Ecclesiasticis ministerijs, sint *ætatis maturitas, gravitas morum,* & *literarum scientia* inquirenda: multò fortiùs in Episcopo hæc oportet inquiri: qui ad curam aliorum positus, in se ipso debet ostendere, qualiter alios in Domo Dei oporteat conversari. Eapropter, ne, quod de quibusdam pro necessitate temporis factum est, trahatur à posteris in exemplum: præsenti decreto *statuimus*, ut nullus in Episcopum eligatur, *nisi qui jam tricesimum annum ætatis exegerit*, & *de legitimo matrimonio sit natus*, qui etiam *vitâ & scientiâ commendabilis demonstretur.* Ex quo vides legalem ætatem ad consequendum Episcopatum requisitam, esse annum trigesimum completum, quod in Episcopo est speciale. Nam in alijs dignitatibus inferioribus, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, sufficit, annum à lege, vel canone præfixum, esse inchoatum, ut notat gloss. c. *Cùm in cunctis*, V. *exegerit.* Sed plura de qualitate ætatis dicentur infra, *tit.* 14. *de ætat. qualit. in ord. præficiend.* Quamvis autem gloss. in c. *unic. de ætat. & qualitate, in 6. V. compleverint*, asserat Episcopum esse posse, qui trigesimum *ingressus est* annum, eò quòd verbum *exegerit*, cit. c. *cùm in cunctis*, non judicet *perfectum tempus*; tamen requiri completum, seu *annum trigesimum expleviſſe*, expressis verbis declaravit Gregorius XIV. constitutione suâ publicâ, 15. Maij, 1591. apud Barbosam in cit. c. *cùm in cunctis*, à *n.* 16. ubi eandem ætatem requiri in promotione ad Cardinalatum, deducit ex Tridentino *sess.* 24. *de reform. c.* 1.

### §. I.

### *De Scientia literarum, requisita in promovendo.*

CIrca istam qualitatem multa salubria 1835.
præscripta sunt. Jure communi in *citat. c. cùm in cunctis*, in promovendo ad Episcopatum, exigitur *scientia conveniens*, nimirum statui, & muneri, licèt non sit *eminens*, c. *nobis* 19. modò *sufficiens.* Tridentinum etiam *de reform. sess.* 22. *c.* 2. ait, talem ejusmodi scientiâ pollere debere, *ut satisfacere possit necessitati muneris sibi imponendi.* Et quamvis absolutè loquen-

dô, nullus sit idoneus ad Episcopatum; vel ejus administrationem, nisi præter Theologiam Juris Canonici peritiam habeat; &, cæteris paribus in concursu Theologus puro Canonistæ præferendus sit, cùm talis ex vi scientiæ purè canonicæ, absque Theologia, vix aliquid sciat in iis, quæ pertinent ad doctrinam in fide, Sacramentorum administratione, & pertinentibus ad forum conscientiæ, ut rectè notat Laymann *cit. c. cùm in cunctis à num.* 5. hodie tamen in oppositum multa fiunt; *modò imperfectum scientiæ suppleat perfectio charitatis*, juxta *c. nisi* 10. *§. pro defectu de renunt.* ibi: pro defectu quoque scientiæ plerumque potest quis petere cessionem: quia cùm ipsa circa spiritualium administrationem sit potissimùm necessaria, & circa curam temporalium opportuna, Præsul, qui commissam sibi debet Ecclesiam regere in utrisque, salubriter ei renuntiat, si scientiam (in qua ipsam regat) ignorat. Tu enim (inquit Dominus) scientiam repulisti, & ego Te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi. Quamquàm, etsi desideranda sit *eminens* scientia in Pastore, in eo *tamen sit competens tollerandа*: quia secundùm Apostolum, scientia inflat, charitas autem ædificat: & ideo *imperfectum scientiæ, potest supplere perfectio charitatis.* Cæterùm electio non habentis sufficientem scientiam, cassatur per *c. qualiter*, 17. *h. t.* ibi: præcipuè, *quia nec donum scientiæ, Pontifici conveniens, fuerat assecutus.* Postquam nobis præsentâstis eundem, sufficienti examinatione præmissa, electionem de ipso factam duximus irritandam, quicquid ex ea, & ob eam factum est, denuntiantes penitus non tenere. Et licèt in *c. cùm nobis* 19. *eod.* dicatur, electum *pro defectu scientiæ non esse excludendum*; non intelligitur tamen pro defectu scientiæ *convenientis*, ut clarè patet ex textu, ibi: *illius quoque literatura, licèt non eminens, tamen convenienter electus existit*; ubi vides, sermonem solùm esse de defectu literaturæ eminentis.

## §. II.

### *De morum probitate requisita in promovendo.*

1836. IN promovendo ad beneficia morum probitas illi necessaria, cumprimis exigit, ne sit *criminosus*, quo intelligitur tale delictum, quod depositione dignum est, vel infamiâ notatur, vel censuram, aut irregularitatem inducit; vel ad Judicem per accusationem, denuntiationem, aut inquisitionem est delatum; vel quodlibet aliud peccatum grave publicum, ob quod delinquens in aliorum offensionem incurrit, si necdum publicè emendatum sit, *c. unum*, §. *unus autem*, & ibi glossa *V. unde dist.* 35. V. Azor *p. 2. lib. 6. c. 7. q.* 1. *&* 11. Ex quo vides, si crimen sit occultum, electionem non esse jure irritam.

Secundò, ne sit *infamis*, jure, aut facto. Nam talis infamis est jure inhabilis, *c. inter dilectos, de excessibus Prælatorum; infamibus enim portæ dignitatum patere non debent, L. unic. C. de infamibus.* Dignitas autem hìc significat quodlibet beneficium; Garcia *de benefic. c.* 8. *num.* 3. & alii. Qui autem jure sint infames, dicitur *c. infames* 16. *q.* 1. *& L.* 1. *ff. de his, qui notantur infamiâ.* Limita tamen, ut infamia non impediat à consequendo beneficio simplici, & non curato, sic, ut ejus provisio, vel collatio sit ipso jure nulla, nisi annexam habeat aliam inhabilitatem; esse tamen irritandam ab eo, qui potestatem habet, *c. inter dilectos, de excessibus Prælat.* & Lessius *lib. 2. c.* 34. *nu.* 126. Dixi à beneficio *simplici*, nam secus est de *curato*, *cit. c. cùm in cunctis*, §. *Inferiora.* Sed nota, nullitatem collationis, vel provisionis factæ indigno esse pœnam, natam ex delicto *conferentis*; adeóque taliter provisum, si perfectum improbitatis tollere possit, ac velit, & lis nulla illi moveatur, in conscientia tutum esse, nec beneficium dimittere teneri ante sententiã, vel declarationem Judicis secundùm dicta. 1837

Not. 2. si provisio, vel collatio facta criminoso, vel infami, vel, ut loquuntur alii, facta indigno, sit irrita ipso jure, beneficium censeri vacare, ab alio impetrari posse, & Episcopum posse fructus à tempore institutionis ab illo perceptos repetere, tanquam ab eo, qui nunquam canonicè institutus fuit. Cæterùm inter eos, qui defectu probitatis à promotione ad beneficia, etiam electivè, rejiciuntur, inter Canones Apostolorum numerantur deservientes aleæ, ac ebrietatibus, nisi desinant; *c. Episcopus* 1. *distinctione* 35. afflu-

entes delicijs, epulis, & lascivijs; c. *Ecclesiæ* 14. *eod.* Gulosi, c. *Sexto* 8. *eod. &c.*

## §. III.

### *De legitimis natalibus requisitis in promovendo.*

1837. ILlegitimè natus, etsi postulari possit, si morum probitas, & literarum scientia maculam eluat; tamen eligi non potest: habetur c. *Cùm in cunctis*, 17. *h. t.* ibi: *& de legitimo matrimonio sit natus*; cui consonat c. *innotuit*, 20. eod. ( ibi: *quamvis autem canon Lateranensis Concilij non legitimè natos adeò persequatur, quod electionem talium nullam esse*, &c. ) quamvis si postea legitimè dispensetur super tali defectu, electio convalescat, cùm nullitas in hoc casu sit solùm juris positivi, & jure naturali teneat. Et hoc verum est, etiam sine novo consensu Capitularium, modò talis dispensatio non cedat in præjudicium alterius. Not. autem, censeri legitimè natum, consequenter eligibilem ad Episcopatum, non tamen Cardinalatum, per subsequens matrimonium legitimatum; tales enim à tempore nativitatis fictione juris habentur legitimi, ut diximus *l.* 4. *tit. qui filij sint legitimi*; & tenet Covarruvias *de sponsal. p.* 2. *c.* 8. §. 2. *nu.* 30. De Cardinalibus autem constat *ex constit.* Sixti V. *incip. Postquam.* Et quamvis morum probitas, literarum scientia, personæ honestas, ac bona fama multùm conducat, illegitimitatis tamen defectum non supplet, nec Pontificis dispensationem inducit, ut constat ex verbis c. *innotuit*, ibi: nam licèt multa hoc casu dispensationem inducere videbantur, literarum scientia, morum honestas, vitæ virtus, fama personæ, &c. electionem tamen irritam declaravit Pontifex, ut notat Barbosa ibid. *nu.* 10. licèt ille defectus sit penitus occultus, ut notat Covarruvias in Clement. *si furiosus*, *pag.* 2. §. 3. *n.* 4. & ideo necessaria est dispensatio, ad quam obtinendam multùm juvant merita personæ, juxta Tiraquel. *de pœnis temper. causâ* 51. *n.* 21. *&* 150. Not. tamen ejusmodi electionem, factam ab Electoribus solùm improvidè, juvari posse ob merita electi, & eligentium ( esto erraverint *eligendò*, cùm postulare debuissent ) & humilem confessionem electi, qui maluit confiteri maculam natalium, quàm læsâ conscientiâ thronum conscendere pastoralem; non quidem ut electio valeat in vim *electionis*; vel ut dispensetur in defectu electionis: sed, ut Electores non puniantur pœnâ carendi pro ea vice potestate providendi Ecclesiæ vacanti; sed *postulare* permittantur, quem improvidè elegerunt; sic *cit. c. innotuit.*

## §. IV.

### *An, & qualiter eligibilitati passivæ obstent censuræ?*

RESP. excommunicatum excommu- 1838.
nicatione majori nulliter eligi; cùm beneficium sit propter officium, ad quod talis inhabilis est, c. *postulâstis*, 7. *de Cleric. excom.* ibi: *Clericis excommunicationis vinculò innodatis, Ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea retinere licitè, nisi forsan cum eis fuerit misericorditer dispensatum, cùm ea non fuerint canonicè consecuti.* Illi verò, qui scienter illa beneficia talibus contulerunt, tamdiu debent à beneficiorum collatione suspendi, donec super hoc veniam consequi mereantur, ut puniantur in hoc, in quo delinquere præsumpserunt. Excipe, nisi fortè collatum sit post appellationem legitimè factam. Tunc enim non ligat, c. *ad præsentiam nostram*, 16. *de appellat.* ubi habetur, quòd excommunicatus pendente cognitione appellationis, absolvi possit ad cautelam: & si appareat eum legitimè appellâsse, non puniatur pro eo, quòd interim celebraverit divina. Si quæras, an idem procedat, si sit excommunicatus *toleratus*? Resp. excommunicato per Extravag. Martini V. ( qua licèt fidelibus cum illo communicare, ac ejus ministerium petere, & illi ad eorum petitionem hoc præstare ) nihil favoris concedi, adeóque inhabilem esse, ac vitandum, juxta Zoësium *n.* 27. videri tamen posset eo casu eligibilis, quo per ejus electionem directè quæreretur favor eligentium; sed huic consuli per postulationem posset. Et quamvis Zoësius *cit.* velit, non convalescere electionem secuta obicis ablatione, cùm in principio fuerit nulla, esto absolveretur ab excommunicatione, qua stante electus est; probabiliter tamen dicitur

tur oppositum paritate sumpta à matrimonio nulliter contracto propter impedimentum dirimens jure positivo ; cùm hoc valde probabiliter convalescat impedimento per dispensationem ablato, habitualiter perseverante priori voluntate contrahentium, de quo agimus *l.* 4.

1839. Si quæras 1. an electio excommunicati excommunicatione majori sit ipso jure nulla? Resp. probabilius dici affirmativè, ut ostendimus *l.* 5. *à n.* 1946. quamvis alij probabiliter velint, solùm esse irritandam; ita Zoësius, *n.* 30. & quamvis etiam probabile sit, quòd, ut in c. *fin. h. t.* habetur, ubi talis electio dicitur irritanda, ly *irritanda* idem sit, ac *irrita*, eò quòd ad susceptionem eorum eligatur, à quorum perceptione à S. S. Patribus est privatus: quia tamen casus pœnalis est, interpretatio stricta facienda est, & à propria significatione verborum non recedendum, juxta dicta *tit.* 2. ubi egimus *de legis interpretat.* Similiter dicendum de excommunicato excomunicatione minori, non esse eligibilem, electione saltem firma; cùm debeat esse habilis ad susceptionem eorum, ad quæ eligitur, qualis non est taliter excommunicatus, c. *fin. de Cleric. excom. ministrante*; & Zoësius *cit. n.* 29. hinc similiter ejus electio est irritanda, juxta Zoësium: etsi *loco cit. l.* 5. probabilius irrita ipso jure dicatur.

1840. Si quæras 2. quid? si eligentes ignorent electi excommunicationem, vel vinculum censuræ? Resp. adhuc esse irritam, vel saltem irritandam. Nam inhabilitas subjecti non oritur tantùm ex culpa eligentium, sed maximè ex qualitate subjecti, & natura censuræ; ita Zoësius, *n.* 32. Nec obstat, quòd in c. *fin.* dicatur, *si talem eligant scienter.* Nam ibi ponitur potiùs ad augendum, quàm limitandum, ut sensus sit: electionem esse irritandam, non solùm quia facta est ab ignorantibus censuram; quia sic defuit voluntarium; sed etiam, si scienter, quia scientia non tollit obicem ex censura, & potiùs respicit factum eligentium, cui statuitur pœna, si *scienter* talem elegerunt; sic glossa *in c. fin. V. scienter.*

1841. Si quæras 3. an suspensus ab ordine, beneficio, & officio eligi possit? Resp. negativè, ob rationem datam in *n.* 1838. ejus tamen electionem non esse irritam, sed ipso jure irritandã, docent aliqui, & confirmant ex c. *per inquisitionem*, 26. *h. t.* ubi malè electus dicitur *privandus officio*; ibi: *quatenus eum ab officio Præposituræ penitus amoventes*; ergo non est privatus ipso facto; & textus non loquitur de electo, sed scienter indignum eligente, qui propter hoc suspenditur; & si tali electo in beneficio, quod prius habuit, substitutus sit, dicitur penitus removendus. Personaliter etiam interdicti eligi non possunt ad Prælaturam, vel aliud beneficium Ecclesiasticum promoveri, arg. c. *cùm dilectus, de consuetud.* c. *fin. de Cleric. excom.* Sylvester *V. Electio. 1. q.* 14. Idem dic quoad electionem tam activam, quàm passivam, de violatoribus interdicti tam localis, quàm personalis, *c.* 1. *de postul. Prælat. c. is, qui, & is verò, de sent. excom.*

Quæstio ulterior est 4. an irregularis sit eligibilis? Resp. quòd, licèt irregularitas non privet ipso facto beneficijs obtentis (Abbas c. *nisi, de renunt. n.* 4.) ponat tamen inhabilitatem ad obtinenda munia Ecclesiastica. Et quamvis aliqui velint, quòd irregularitas subjecti non reddat sic affecti electionem passivam de rigore juris nullam; affirmativa tamen securior est, & in praxi recepta, ut notat Zoësius *cit. n.* 36. Et quia inter irregulares numerantur hæretici, apostatæ, & schismatici, de his idem dicendum venit. 1842.

Quæstio 5. an ad Prælaturam inhabilis sit, habens liberos; Resp. negativè, quia nullus textus juris eos inhabilitat. Nec obstat c. *de Syracusanæ, dist.* 28. Nam ibi hæc circumstantia non ponitur, ut inhabilitas, sed tantùm datur consilium, ne facilè tales admittantur, ut propter liberos bona Ecclesiastica non deperdantur, quem metum facilè sanat personæ qualitas, & c. *sunt*, 12. *q.* 1. & Abbas. in. *c.* 1. *de testam. n.* 2. Not. tamen in petitione confirmationis, eam qualitatem esse exprimendam; quia cùm posset ponere impedimentum, faceret confirmationem surreptitiam; sic Zoësius *de elect. n.* 38. quod maximè procedit, si habeat liberos illegitimos. 1843.

Quæstio est 6. an ambitiosi eligi possint? Resp. eorum electionem prohiberi. Hinc si electus absolutè consentiat in electionem sui ipsius, non ut faciendam, sed ut factam, ante Capitulare decretum electionis formatum, & publicatum, irrita censetur 1844.

setur electio propter ambitionem, c. *cùm post petitam*, 46. *h. t.* & ideo glossa ibid. V. *requisitum*, docet: si quis consentiat, priùs quam electus fuerit, etsi requisitus, cassatur electio propter ambitionem. Hinc, qui seipsum eligit, ambitiosus censetur, ideóque indignus, *c. scripturis*, 8. *q.* 1. cujus rubrica, seu summa c. sic se habet: *locus regiminis sicut desiderantibus est negandus, ita fugientibus est offerendus*: &, qui professionem in Religione edit ob spem assequendæ Prælaturæ, eoipso indignum se ostendit, ut proinde eligi non debeat; & electio reprobari possit; ita sumitur ex textu *c.* 38. *h. t.* ubi Pontifex purgationem exigit, quòd *nulla ambitione inductus fuerit*; & tradit Abbas hìc, *n.* 2. Ambitionis autem satis apertum argumentum est, si quis ipse, vel per Amicos Electores, precibus solicitat, ut in ipsum sua suffragia dirigant, ut habetur *c.* 26. *h. t.* id, quod hodie frequenter evenit, sed non bene.

1845. Quæstio est 7. an eligibilitati obstet retentio plurium beneficiorum? Resp. eum, qui plura beneficia curata, vel plures personatus, seu indignitates tempore electionis absque dispensatione sedis Apostolicæ simul tetinet, ad Prælaturam, vel aliam dignitatem eligi non posse, & electionem ipso jure irritam esse, tanquam electionem *indigni, c. dudum*, 54. *de elect.* §. *nos igitur*, ibi: nos igitur dictam excusationem, utpote frivolam, nullatenus admittentes, vobis dedimus in mandatis, ut, si constaret, *quòd idem post receptum Archidiaconatum prædictum, curam animarum habentem, præfatas parœciales Ecclesias, electionis tempore retineret, nec ostenderet secum per sedem Apostolicam super hoc dispensatum, electionem illius auctoritate Apostolica cassaretis.* Not tamen eum, qui ita deliquit, sine dispensatione retinendo plura beneficia, habilem esse electionis, si tempore electionis beneficia incompatibilia dimisit, nec cassandam ejus electionem; quia crimen per pœnitentiam purgavit. Nam ad meliora conversum, nequaquam prior vita commaculavit, c. *nunquam*, *dist.* 56. sed hæc intellige jure antiquo; nam jure novo per Extravag., *Execrabilis*, §. *porrò*, *de præbend.* Joannis XXII. *ipso jure* privatus est non tantùm utroque beneficio priùs obtento, sed etiam *ineligibilis est ad quodcunque beneficium Ecclesiasticum obtinendum.* Nec obstat, quòd Pontifex dicat: vobis dedimus in mandatis, ut electionem illius (qui nimirum plura simul beneficia incompatibilia tempore electionis retinebat) *cassaretis*; hoc enim intelligendum est, de cassatione per declarationem electionis nulliter factæ.

1846. Quæstio est 8. an eligi possit extraneus, seu qui non est de gremio talis Ecclesiæ? Resp. 1. quando in Collegio adest persona idonea, non posse *obtrudi* extraneum invitis Canonicis, c. *Bonæ*, 4. *de postul. Prælat.* ibi: *non poteramus, salvâ conscientiâ, eidem Ecclesiæ in alia persona, quæ de Regno Hungariæ originem duceret, congruè providere, nec vellemus ei præficere alienum, quamvis honestius videretur, si Suffraganeus ad Metropolim suam accederet, quàm Archiepiscopus ad metropolim transferetur, partem tamen eligimus potiorem.* c. *nullus*, 13. *dist.* 61. ibi: *nullus invitis detur Episcopus; tunc autem alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius Clero, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus* (quod evenire non credimus) *poterit reperiri.* Primùm enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesijs meritò præferantur. Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat: nec alij debitam alter sibi vindicare audeat mercedem. Sit facultas Clericis retinendi, si se viderint prægravari, & quos sibi ingeri ex transverso agnoverint, non timeant refutare. Qui etsi non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos recturus est, debent habere judicium; sic Cœlestinus Papa in *cit. c. nullus*. Ex quo sequitur, si nullus è Collegio idoneus reperiatur, posse eligi extraneum ad Episcopatum, vel aliam Prælaturam sive regularem, sive sæcularem, *c. cùm nobis*, 19. *h. t.* ut colligitur in integra lectione; & concluditur à fortiori, præsertim, cùm tali casu adsit necessitas; quod etiam suadetur, si utilitas Ecclesiæ major speratur ab extraneo, ut si ob singulares virtutes, & qualitates majus Ecclesiæ profuturus existimetur.

1847. Resp. 2. validam esse electionem extranei, etsi è gremio æquè idoneus haberi possit, factam vel à toto, vel à majori, & saniori parte Capituli, modò non obstet aliud impedimentum Canonicum. Nam nullibi talis electio reperitur cassanda; & eligendi *de gremio* principaliter in favorem Capituli introductum est, cui ipsum renuntiare potest, constat ex c. *cùm nobis*, 19. *& c. cùm inter*, 21. *de elect.* ubi, licèt contra electum *ex Ecclesia extranea* quidam opponeret, non oportere ex alia Ecclesia quempiam eligi, si idoneus in Ecclesia (cui providendum est) reperiatur; *Pontifex nihilominus illam electionem confirmavit, factam à majori, & saniore parte Capituli*; ex quo sequitur, licèt honestius esse videatur, si Canonici Prælatum ex propria Ecclesia eligant, dumodo aliquis idoneus adsit, tamen id necessariù non esse; cùm juri suo in hoc renuntiare possint: ideóque validam fore electionem extranei, si fiat à majore parte, uti contra Gloss. hìc V. *aliam*, Imolam *nu.* 4. tradit Antonius *nu.* 25. Abbas *nu.* 8. & sumitur ex c. *à nobis*, 19. *h. t.* & ex hoc textu: quando Pontifex omnes contra electum factas objectiones, præter eam de morbo epileptico, tanquam frivolas rejecit.

1848. Sequitur 2. Episcopum alterius Ecclesiæ non posse *eligi*, sed debere *postulari*; Prælatum autem inferiorem Episcopô, pariter alterius Ecclesiæ, non debere postulari, sed posse eligi ad Episcopatum alterius Ecclesiæ. Nam hic non est spirituali matrimonio copulatus Ecclesiæ, in qua est; secus ille; sic Abbas in c. *cùm inter*, *cit. n.* 1.

1849. Dices: vis, seu potestas Capitularis residet in duabus partibus Capituli, *L. nulli*, 3. *cum. seq. ff. quod cujusque univers. nomine*; ergo ut valeat electio extranei, non sufficit factam esse à majori parte. Resp. per dictam legem aliud non intendi, quàm duas partes Collegij debere *esse præsentes*, ut Collegium censeatur esse congregatum; postquam autem est congregatum, & Capitulares non concordant, potestatem Capitularem esse penes majorem partem; sic Abbas *cit. n.* 6. imò interdum etiam penes minorem, ut dicemus *in seqq.*

* * *

## ARTICULUS IV.

### *De his, quæ præcedunt electionem.*

1850. ANtequam ad electionem procedatur, requiritur, Ecclesiam, de cujus eligendo pastore agitur, *vacare*, seu verè viduatam esse suo Pastore, c. *quia propter*, 42. *h. t.* ibi: *Ecclesijs viduatis.* Hinc amissio beneficij fit per *vacationem*, quæ à Latinis dicitur *cessatio.* Sicut enim apud Cæsarem 4. *bell. Gall. agri vacare* censentur, quando nihil proferunt, nec excoluntur; ita beneficium in jure *vacare dicitur*, quando omni possessore destitutum est, proindéque nemini prodest. Sic *vacans locus* appellatur, qui caret corpore, quo repleri solebat: in quo sensu Martianus *L. qui cætu*, §. *ult. ff. ad legem Juliam, de vi publ.* mulierem viduam dixit *vacantem*; aliud est *vacare*, & aliud *finiri*: nam Beneficiarij obitu beneficium *vacat*, quia non perit, sed possessore caret: pensio verò morte pensionarij non vacat, quia *finitur*, ac desinit.

1851. Not. autem 1. *vacationem* beneficij esse triplicem, seu, beneficium *vacare* dici tribus modis, scilicet aut facto tantùm, aut jure tantùm, aut facto simul, & jure. *Facto tantùm* vacat beneficium, quando beneficiarius amittit possessionem, sed non titulum: ut si vi ab illius possessione dejiciatur; *jure tantùm* vacat, quando quis authoritate canonis, aut juris ita beneficiô privatus est, eò quòd quippiam fecerit, ut sine monitione, sine citatione, & sine ulla alia sententia privationis, possit illud Ordinarius conferre; quanquàm is, qui ipso jure privatur, possideat facto beneficium. *Facto simul, & jure* vacat, cùm obitu beneficiarij vacat: vel cùm quis illud deponit, & nondum est alteri collatum. V. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 15. ubi multos alios modos sub prædictis ponit.

1852. Not. 2. *vacationis* appellatione juxta Felinum in c. *Licèt undique*, *sub num.* 2. *de offic. delegati*, *& gloss. V. vacabunt*, *in c. si propter*, *de rescript. in* 6. contineri omnem vacationem, seu vacandi casum. Ideo beneficium dicitur vacare tum per mortem, tum per resignationem, tum per privationem, ut docet Flamin. *de resig. l.* 1. *q.* 5. *nu.* 4. *& l.* 8. *q.* 7. *nu.* 136. Ampliatur etiam in materia pœnali per Staphil.

phil. *in litteris gratiæ tit. de varijs mod. vacan. num. 6.* & Menochium *de arbitr. casu* 201. *n.* 100. & in odiosis, qualia sunt rescripta ad beneficia propter ambitionē, ut tenet Nicolaus Garcia *de beneficijs p.* 11. *c.* 1. *n.* 84. Quare si in supplicatione fiat simpliciter mentio *de vacatione*, non expresso *vacandi* modo, continetur omnis modus vacandi, atque adeò impetrans beneficium *vacans*, illud consequitur, quocunque modo vacet, ut ex Baldo tradunt Mandos, *ad Lap. alleg. 6. nu. 5.* & Barbat. *cons. 82. col. fin. V. non obstat, resol. 4.* Item expectativa de beneficio *vacaturo* complectitur omnem vacandi modum, juxta Garciam *p. 11. c. 1. n. 3.*

1853. Not. 3. Ecclesiam viduatam in jure dici illam, quæ vacat morte pastoris; sic sumitur in c. *ne pro defectu, de elect.* ubi æquiparantur Ecclesia Cathedralis, & Regularis, statuiturque, ut ultra tres menses Prælato non vacet. Notat verò ad hunc locum Sylvester V. *electio*, 2. *n.* 3. vocem *viduata* in stricta significatione accipi pro Ecclesia destituta sponso, qualis est sola destituta Episcopo: nam solus Episcopus vocatur sponsus: at in citato loco sumi minùs strictè, utpote in materia favorabili.

Not. 4. Ecclesiam, seu beneficium *vacare de jure* primò per *naturalem* pastoris ejus mortem, ut est commune, vel *civilem*, seu juridicam. Hæc contingit 1. per ejus depositionem factam ob aliquod crimen, v. g. *ob simoniam*; 2. ob crimen falsi; 3. ob crimen læsæ Majestatis. Contingit. 2. per renuntiationem Pastoris; 3. per ejus translationem ad aliam Ecclesiam: 4. per ejus transitum ad Religionem cum licentia summi Pontificis, &c. Si autem Ecclesia vacet non de jure, sed solùm *de facto* (ut siquis vi dejectus sit) alius subrogari non potest; Tholosanus *de elect. c.* 13. *nu.* 1. Sede autem, vel Ecclesiâ *non vacante*, prohibita est electio, ne detur occasio desiderandi mortem ejus, in cujus locum quis novit se successurum, *c.* 2. & 3. *de concess. præbend.* & Trident. *sess.* 24. *de reform. c.* 19. Ex eadem ratione, pactum, de futura successione, reprobatur, *L. fin. C. de pactis*; quibus positis, cùm, antequam ad electionem procedatur, plura præmitti debeant, de singulis dicendum venit *in seqq.*

## §. I.

### *An vivente Prælato, liceat Canonicis collegialiter tractare de Successoris electione?*

RESP. negativè, ex c. *Bonæ*, 36. *h. t.* §. *electionem*, ibi: *electionem autem Archipresbyteri* (quamvis laudabile testimonium perhibeatur de ipso) justitia exigente *cassavimus*, tum *quia corpore dicti Episcopi, nondum tradito sepulturæ, habuerunt de ipsa electione tractatum contra canonicas sanctiones*: tum quia inventus est H. fuisse contempus, licèt unus solus extiterit; cùm plus in talibus consueverit contemptus unius obesse, quàm multorum contradictio in præsenti. Nec prædicta debet dici citatio valuisse; quia cùm Episcopi mortem prævenerint, temeraria nimis extitit: & ideo non potuit arcere citatum; sic Innocentius *in cit. c. nu. 2.* & 3. 1854.

Censetur autem *collegialiter* tractare de successoris electione, citando, seu vocando electores absentes, vel statuendo aliquid circa personam eligendam, vel circa tempus, aut locum, quo electores convenire debeant. Nam hæc potestas illis non competit, vivente Prælato. Et ideo ejusmodi tractatus est ipso jure irritus, quia factus est à non habentibus potestatem quicquam *collegialiter* tractandi, pertinens ad electionem successoris vivente Prælato, & constat ex Concilio Bonifacij VIII. relato in c. *nullus*, 7. *dist.* 79. ibi: *nullus, Pontifice Romano vivente, aut Episcopo civitatis suæ, præsumat loqui, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis ejus, adunato Clero, & filijs Ecclesiæ: & tunc electio fiat.* Et citatio ad faciendam novam electionem, si emissa sit ante mortem Prælati, ipso jure irrita est; & ideo non constringit citatum: quia prodijt à non habentibus citandi potestatem. Quare perinde est, ac si nondum constitutus Judex aliquem citet ad diem, in quo jurisdictione præditus erit, invalida est citatio; quia facta à non habente potestatem: itaque in talibus initium spectare oportet: *quod* enim *initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, reg.* 29. *ff.* Hinc quando in c. *uxore*, 17. *de sepultur.* dicitur, *dispositionem factam tempore inhabili, subsistere posse, si conferatur in tempus habile*, non proce-

procedit, si tempore inhabili disponens careat facultate disponendi. Electio tamen post mortem Prælati facta, subsequens ex tali tractatu, non est irrita ipso jure (cùm hoc jure cautum non reperiatur) est tamen irritanda, cùm sit facta contra juris dispositionem, ut colligitur ex c. *Bonæ, cit.*

1855. Advertendum autem per *tractatum*, hìc reprobatum, eum intelligi, qui *collegialiter* fit, quasi ordinandò, aut statuendò, sive circa personam certam eligendam, sive circa tempus, aut locum, ad quem electores in proxima electione venire debeant. Talia enim decerni non possunt, sede nondum vacante. At verò prohibitum non est *extra Capitulum*, seu collegialem Conventum; vel etiam in ipso Conventu Capitulari, sed incidenter tantùm, ac veluti per accidens, mentionem facere de certa persona substituenda post mortem Prælati admodum senis, aut infirmi; cùm talis mentio non fiat in ordine ad decretum definitivum, aut ordinativum, ideóque non habeat rationem *tractatûs Capitularis*. Cavendum tamen est, ne mutua promissio, aut pactum intercedat de certâ eligendâ personâ: tales enim pactiones reprobantur. Quare cassari poterit electio postea facta, si ex ejusmodi pactione originem cœpisse appareat.

1856. Cæterùm Prælatus, adhùc vivens, cum suis Capitularibus tractare potest de sui successoris electione, etiam propositâ certâ personâ eligendâ; Innocentius in c. *Bonæ, nu.* 3. *V. tractatum*; & colligitur ex c. *fin. dist.* 79. *junct. gloss. V. non possit*; talis tamen consultatio non ligat electores, quin possint alium eligere, cùm non habeat vim electionis, utpote facta Ecclesia non vacante; nec Episcopus potest sibi successorem constituere, licèt ad exitum vitæ pervenerit; nam licèt olim Episcopo licuerit sibi successorem eligere, ut dicitur c. *si Petrus*, 8. *q.* 1. tamen secus postea constitutum est, ut habetur c. *Episcopo, cum seq.* 8. *q.* 1. ibi: *Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere*, licèt ad exitum vitæ perveniat. Quòd si tale aliquid factum fuerit, irritum sit hujusmodi constitutum. Servetur autem jus Ecclesiasticum, id continens, non oportere aliter fieri, nisi cum synodo, & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent, eum, qui dignus extiterit, promovere.

## §. II.

### *An Capitulares validè successorem eligant ante defuncti sepulturam, vel diem tertium depositionis?*

RESp. esto decens sit, ut non fiat ante sepulturam Prælati defuncti, c. *Bonæ*, 36. *h. tit.* vel ante tertium diem depositionis, c. *nullus*, 7. *dist.* 79. absolutè tamen, valere; quia Ecclesia *vacat* statim post obitum Prælati, & Capitularibus competit potestas eligendi, c. *Episcopo*, 3. *cauf.* 8. *q.* 1. unde ibi solùm dicitur, *non licere*. Si autem necessitas exigeret electionis acceleratione, etiam licita foret; *gloss. hìc, V. tractatum*, in cit. c. *Bonæ*. Nec obstat, quòd in c. *Bonæ*, cassata fuerit electio Episcopi, *quia tractatus de illius electione factus est ante eius sepulturam*. Nam hæc causa fuit tantùm impulsiva; non motiva. Cassatio enim principaliter est, quia tractatus ille fuit *ante illius mortem*; & unus ex electoribus contemptus fuit, nec legitimè vocatus; ut notat glossa communiter recepta in c. *Bonæ*, V. *tractatum*. 1857.

1858. Si quæras, an, si electio fieri non posset ante sepulturam Prælati, tempus trium, vel sex mensium à jure præscriptum ad novum Prælatum eligendũ nihilominus curreret? Resp. quòd non; quia sic non deberet computari à die, vel hora mortis; gloss. in c. *postquam* 11. *V. tres menses*, *dist.* 50. sed potiùs à die sepulturæ; quia non valenti agere, non currit præscriptio, *L.* 1. §. *fin.* C. *de annali præscript.* & absurdum est, tempus illis currere, qui eligere non possunt, c. *quia diversitatem* 15. *de concess. præbend.*

1859. Si autem quæras, quid agendum sepulto Prælato? Resp. antequam ad electionem procedatur, si non urgeat necessitas statim faciendi electionem, debere Electores, seu Capitulares, qui præsentes sunt (quales etiã censentur non longè distantes) convenire *in Capitulo*, & diem electionis celebrandæ constituere capitulariter, eumque Electoribus absentibus per literas, vel nuntium, specialiter ad hoc deputatum, intimare. Colligitur, ex c. *cùm inter*, 18. *h. tit.* & ibid Layman *nu.* 1. excipe, nisi alicubi sit consuetudo, ut Decanus, aut senior Capituli, terminum, intra quem, vel diem, quo electio

ctio instituenda sit, decernat, ac designet. Not. autem illi mandato, quo citantur Capitulares absentes, ut constituto die, horâ, & loco, conveniant, adjici clausulam: *si non adfuerit in termino constituto, præsentes nihilominus processuros ad negotium ipsius electionis, non obstante ipsorum absentiâ, & ipsis ulteriùs non vocatis, esto electio ad alium terminum fuerit prorogata*; ita Tholosanus *in tract. de elect. c. 14. n. 1.*

Si quæras 2. an ad electionem vocari
1860. debeant omnes Capitulares? Resp. vocandos esse omnes absentes, ac etiam præsentes, qui debent, ac volunt, commodéque possunt interesse; sic Innocentius III. in Concilio Lateranensi relatus, c. *quia propter*, 42. *h. tit.* illi nimirum, qui vel jure, vel consuetudine, vel speciali privilegio, aut alio titulo jus eligendi habent; gloss. in c. *quia propter*, V. *qui debeat*; sic enim textus habet: *statuimus, ut cùm electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse.* Excipe notoriè impeditos, vel prohibitos ab eligendo, de quibus egimus supra. Si autem adsit aliquis notoriè prohibitus, & ad eligendum inhabilis, nec excludi possit sine periculo scandali, vel metu violentiæ; admitti non debet, saltem sine protestatione, quòd ejus suffragium valere non debeat; Tholosanus *cit. nu.* 10. Si quis autem sit in quieta possessione eligendi, vocandus est, licèt illi postea moveatur quæstio de proprietate, seu jure beneficij Canonicalis, c. *in genesi*, 55. *h. t.* Similiter Canonici Capitulares, absentes studiorum causâ, & existentes in loco, unde congruè vocati possint, vocandi sunt, Abbas in c. *Bonæ*, *h. tit. num.* 3. quia jus eligendi numeratur inter fructus Canoniæ; Tholosanus *cit. nu.* 3. Et quoniam in *cit. quia propter*, 42. *h. tit.* specialiter agitur *de solennitatibus*, quæ ante electionem præmitti solent, & si per consuetudinem receptæ sint, omitti non debent, quin omissæ electionem vitient, loquendo de his, quæ solùm accidentales sunt; secus, si substantiales: Not. alias esse, quæ sunt de substantia electionis, quæ fit per scrutinium; alias, quæ sunt de substantia electionis, quæ fit per compromissum: alias demum, quæ per viam Spiritûs sancti; de quibus omnibus *in seqq.*

1861. Inter substantialia electionis, quæ fit per scrutinium, primum est, quòd omnes jus suffragij habentes congregati esse debeant, si velint, & commodè interesse possint. Cujus requisiti duæ partes sunt; *prior*, quòd Electores collegialiter convenire debeant ad electionem celebrandam; sicut & ad alium omnem tractatum collegialem, sive Capitularem: quia non dicitur universitatis, aut Collegij consensus, aut commune decretum, nisi unà convenientes tractârint, & consenserint; secus, si sensim, aut separatim, c. *in Genesi*, 56. *h. t.* & docet gloss. in L. *Sicuti*, 7. V. *non debeat*, *ff. quod cujusque Universitatis nomine gestum*: *Posterior*, quòd omnes Electores, sive jus suffragij habentes, qui volunt, & commodè interesse possunt, vocandi sint; quod intelligitur, dummodò absentes nesciant, electionem eo die futuram. Qui autem certus est, certiorari ulteriùs non debet, *reg.* 31. *in 6.* quibus positis:

Quæstio est 1. an non tantùm omnes, 1862.
qui habent jus suffragij, & commodè adesse possunt, vocandi sint, sed etiam *qui commodè interesse non possunt electioni*? Resp. si hi sine periculo vocari non possint, non esse vocandos, cit. c. *quia propter*, junct. gl. V. *commodè*; quo casu reliqui, his etiam non exspectatis, ad electionem procedere possunt, c. *sicut*, *h. t.* ibi: *si tamen sine periculo poterunt convocari*, junctâ gloss. V. *sine periculo*; periculum autem censetur, si interim, dum exspectaretur, nasceretur schisma, vel intrusio laicæ potestatis, &c. Nam commune bonum prævalere debet bono privatorum.

Quæstio est 2. an valeat electio non vo- 1863.
catis Capitularibus, qui commodè venire non possunt intra tempus electioni faciendæ præscriptum à jure? Casus esse potest in his, qui à loco, ubi facienda est electio, tantùm distant, ut intra illud tempus commodè venire non possint. Resp. valere, esto numerus Electorum præsentium esset minor. Quia si deberent ultra illud tempus exspectare, exspiraret in illis potestas eligendi, quod damnosum est, & Ecclesiæ, & Electoribus, c. *cùm inter*, 18. *de elect.* Si autem quæras, quanta loci distantia esse debeat, ut licitè non vocetur *distans*? Alij volunt sufficere distantiam ad duas dietas; alij, si sit extra provinciam; alij rectiùs dicunt, attendendam loci consuetudinem in similibus actibus, & ubi non foret

in hoc puncto consuetudo specialis, vocandum esse distantem, modò sciatur, ubi sit, & utrum intra tempus à jure præfixum electioni faciendæ, adesse possit?

1864. Quæstio est 3. an electio facta, uno ex Electoribus contempto, sit irrita? vel solùm irritabilis ad instantiam contempti? Resp. non esse irritam, sed irritabilem; ex c. *quod sicut*, 28. *h. t.* eos tamen, qui sic elegerunt, non propterea privari potestate pro illa vice eligendi; quia hæc pœna privationis, & devolutionis ad alios, nullo jure est expressa. Unde ad quæstionem: an cassata electione propter contemptum unius, possint Capitulares, unâ cum contempto procedere ad aliam electionem? &, priùs electum, iterum eligere? Resp. posse; ratio primæ partis est, quia propter illum actum non sunt vel ipsi, vel contemptus: privati potestate eligendi, ut dictum est, ratio secundæ partis est, quia prior electio non fuit cassata propter *vitium electi*; ergo manet eligibilis. Colligitur ex c. *Bonæ*, *junct.* gl. V. *exspectare*, quamvis Pontifex ejusmodi electores, in pœnam dicti contemptûs, privare possit facultate eligendi; gloss. *hic* V. *eod.*

## §. III.

### *An, & qualiter ab Electore contempto impugnari possit electio?*

1865. ANte resolutionem not. *contemptum* hìc dici, qui, cùm vocari potuerit, & debuerit, vocatus non est; vel non ita tempestivè, ut commodè venire potuerit; quod verum est, licèt vocatio eorum Capitularium absentium, qui vocari debent, non pertineat ad formam substantialem electionis; quia, ut dictum est *n.* 1863. aliquibus etiam non vocatis, subsistit electio, quamvis ea rescindi debeat, si contempti prosequantur contemptum; c. *quod sicut*, 28. §. *si autem*, *de elect.* ibi: *si autem* Miridinensis Episcopus, & Abbas Mellifontis, *qui interesse debuerant, non contempti fuerunt, sed ad electionem vocati* (si tamen sine periculo potuerint convocari) sive nequiverint, sive noluerint ad electionem celebrandam accedere: *ipsorum absentia non potuit electionem impedire.* Quòd *si eos vocatos non fuisse, constiterit, sed contemptos: infirmanda erit electio penitus; taliter celebrata, nisi postea, propter bonum pacis curaverint consentire.* Quibus positis:

Resp. si confirmatio nondum sit facta, contemptos debere prosequi suum contemptum, *intra tempus ipsis datum ad eligendum*; Abbas *in cit. c. quod sicut*, *n.* 3. sumens argumentum *ex c. 2. de concess. præbend.* ubi contemptus in collatione beneficij, potest contemptum prosequi *intra sex menses*, datos ad conferendum; quamvis rubrica c. *quod sicut*, expresè dicat, contemptum posse prosequi contemptum *etiam confirmata electione.* Et ideo etiam Layman hic *n.* 9. ait, contemptum petere posse, ut electio, sine ipso facta, *non obstante, quòd confirmata sit, rescindatur*, colligi ex hoc c. id, quod etiam tenet Joannes Andreas hìc *n.* 17. & Innocentius *n.* 4. *ex. c. cùm dilectus*, 32. *eod.* quia confirmatio innititur electioni, tanquam canonicè, & egitimè peractæ: si itaque electio ob aliquem defectum rescindenda sit, cadet etiam confirmatio exinde secuta; *arg. c. qualiter*, 17. *h. t.* Veruntamen si ij, qui contempti fuerant, quando publico edicto ante confirmationem moniti sunt, juxta c. *ult. h. t. in 6.* se non opposuerunt, censeri debent juri suo renuntiâsse, ut postea audiendi non sint.

Ex hoc deducitur, quòd contemptus 1866.
petere possit cassationem electionis, etiam postquam electio confirmata est, imò etiam post consecrationem electi; nam ut habetur *in cit. c. quod sicut*, licèt Archi-Episcopus Armachanus jam electus, & confirmatus, & consecratus fuerit, tamen decretum est, ut electio cassaretur ob contemptum aliquorum; electio enim valida, sed infirmata, trahit etiam infirmationem confirmationis, & consecrationis.

Quæres 1. quid dicendum, quando 1867.
Capitularis contemptus, post publicatum scrutinium adveniens, adjiciat suum suffragium? Resp. quòd non augeat numerum eligentium; per hoc tamen censeatur renuntiâsse juri suo, ut non possit ampliùs prosequi contemptum agendo ad irritandam electionem: at si post publicatum scrutinium, sed ante promulgatum electionis decretum adveniat, potest petere novum scrutinium, & audiri debet, modò sit unus ex his, qui volunt, & possunt commodè interesse electioni.

Quæres 2. an mortuo contempto, suc- 1868.
cessor

cessor in beneficio, possit agere de contemptu? Resp. 1. posse, si jus eligendi competat ratione dignitatis v. g. Prælaturæ, quia sic contemptus censetur illatus Prælaturæ, quæ cum Prælato non extinguitur, c. *si gratiosè, de rescript. in 6.* igitur jus vindicandi contemptum, atqueadeo petendi cassationem electionis ob contemptum, cum dignitate transit ad Successorem; non autem, si jus eligendi contempto competebat ratione Canonicatûs, vel præbendæ Capitularis. Nam jus Canonici, eo mortuo, vel resignante, transit ad Capitulum, c. *relatum*, 12. *de testam.* Neque dicas: ergo saltem Capitulares eo casu poterunt contemptum prosequi, ad rescindendam electionem; Resp. enim, si sic agerent, proprium factum condemnarent, quod jura non permittunt; condemnarent enim electionem à se factam; secus est in casu electionis ab alio.

## §. IV.

### *An contemptus possit renuntiare contemptui?*

1869. Resp. quòd possit; quia quilibet renuntiare potest juri suo, L. *Si quis, C. de pactis*, facta hac renuntiatione potest postea nihilominus ob bonum pacis consentire electioni, ac eam ratam habere, c. *quod sicut*, §. *Si autem, h. t.* intellige si priùs valuit electio. Ejusmodi tamen renuntiatio non erit licita, si bonum Ecclesiæ postularet, ut contemptus ad cassationem electionis ageret; Sylvester V. *electio* 1. *q.* 5. *dicto* 5. suppositâ autem legitima remissione contemptûs, non potest Judex, vel Superior, ad quem confirmatio spectat, vel ex officio, vel ad petitionem adversarij, electionem rescindere. Quia quando non agitur de favore publico, sed privato, Judex non potest vel ex officio supplere, vel exhibere officium, si is, cujus interest, jus suum non prosequatur, sed remittat, L. *dies*, 4. §. *hoc autem, ff. de damno infecto.* Jus autem prosequendi contemptum, petendô cassationem electionis, inductum est in favorem privatum. Favori enim publico, seu juri inducto in favorem publicum, renuntiare non licet, c. *si diligenti*, 12. *de foro compet.* Si tamen contemptus renuntiaret *ex fraude*, illicita foret talis renuntiatio, & Judex ex officio posset rescindere electionem non obstante tali renuntiatione, ne illi fraus sua patrocinetur. Neque dicas: glossa in c. *in Genesi, h. t. V. nec præmissi duo*, docet, Judicem posse ex officio rescindere electionem, etiam supposita renuntiatione contemptûs; Resp. enim, intelligi, si facta est cum fraude; non autem secus. Sed:

Quæres 1. an Capitularis, qui electioni non vult interesse, cùm possit, compelli valeat, ut intersit? Resp. negativè, nisi specialiter intersit Ecclesiæ, ut omnes adsint, qui possunt. Nam quisque juri suo renuntiare potest, nisi vergat in præjudicium tertij, communitatis, vel Ecclesiæ, Sylvester V. *electio, q.* 5. *dicto* 3. & Abbas *in c. quia propter, h. t. n.* 4. Quia tamen Capitulum sede vacante, imò etiam non vacante, habet potestatem faciendi statuta quædam de rebus, quæ propriè ad ipsum spectant, v. g. de ratione, & modo congregandi Capitulum, distribuendi reditus, ut colligitur ex c. *cùm omnes, de constit.* fieri potest per consuetudinem, vel etiam statutum, ut omnes vocati venire teneantur, seclusô impedimentô justô. Hinc in casu, quo Capitulares, legitimè vocati, venire nolunt, aut justa ex causa non possunt, ipsorum absentia non impedit electionem; quia sic absentes non censentur in numero Electorum, sed alieni, c. *cùm omnes, junct.* gloss. V. *alienos, h. t.* 1870.

Si autem quæras 2. penes quos in dato casu sit potestas eligendi? Resp. penes præsentes, ex c. *quod sicut*, 28. *h. t.* & colligitur etiam ex c. *cùm omnes, cit.* quod verum est, licèt præsentes sint pauciores absentibus; imò licèt tantùm unus præsens esset, ut constat ex *dict. in præced.* Tametsi verò in dato casu, quo tantùm unus præsens esset, talis se ipsum eligere non possit, propter notam ambitionis, quam incurreret; posset tamen alium habilem, & dignum nominare, ac Superiori confirmandum præsentare; vel jus eligendi cedere alteri, sive alij Clerico, uni, vel pluribus, quo casu etiam ipse ad Prælaturam eligi poterit; Layman *de elect. Prælat. q.* 36. 1871.

Quæres 3. an vocatus, sed recusans interesse tractatui de die electionis faciendæ, rursum vocandus sit ad ipsam diem electionis? 1872.

onis? Resp. Capitularem citatum ad diem electionis constituendum, sed venire recusantem, non esse rursus citandum ad ipsam electionem, notificandô illi diem electionis faciendæ, si de hoc jam aliunde habet notitiam; secus, si hunc nesciret; ratio primæ partis est, quia eum, *qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet*; Innocentius *in c. Ecclesia, h.t. num.* 1. ratio secundæ partis, quia *statuere diem* electionis, & *eligere*, sunt diversi actus; unde renuntiatione illius, non censetur renuntiatum huic; excipe, nisi in fraudem noluerit venire ad primum actum, scilicet, ne dies electionis ad ejus notitiam perveniret; tunc enim debet haberi pro vocato etiam ad electionem, gloss. recepta, *in c. Ecclesia*, V. *vocato*. Excipe 2. nisi prima vice citatus sit ad totum negotium electionis; tunc enim alia citatione opus non est juxta gloss. *receptam in c. 2. de dolo & contumac. V. non teneris, in 6.*

1873. Quæres 4. an Capitulari, qui diem electionis aliunde scit, competat jus agendi de contemptu, si non sit vocatus ad ullum actũ ex prædictis? Resp. negativè. Nam quando denuntiatio alicui facienda est præcisè, *ut ei notificetur* res aliqua, tunc non debet necessariò fieri *scienti, juxta reg. juris*, 31. *in 6.* & tradit Bartolus *in L. Emptor*, 8. *C. de evictionibus*: sed in hoc casu denuntiatio electionis faciendæ Capitularibus est præcisè, ut illi, qui volunt, & commodè possunt, electioni interfint, c. *quia propter*, 42. *h.tit.* ergo. Dixi *præcisè*. Nam si ei, cui aliquid denuntiandum est, ex ea notitia incumbit aliquid faciendum, non obstat, jam sciri. Sic Emptor venditori denuntiare debet, *sibi motam esse litem* super re vendita, esto venditor sciat; quia debet ei denuntiari, ut sciat, qui se defendat, *L. 1. de periculo, & commodo rei venditæ.*

## §. V.

*An Capitulares præsentes, possint absentibus præfigere certum terminum electionis, etiam breviato termino juris?*

1874. Resp. posse, si adsit justa causa, & saltem duæ partes Capituli in hoc conveniant. Quia quando Collegium, seu Capitulum est in congregando, vis, seu potentia Capitularis consistit in duabus partibus, *L. nulli, 3. cum seq. ff. quod cujusque universitatis nomine*; & jus, certum tempus electioni præfixit, *in favorem Collegij*; Abbas in c. *cùm nobis, h.t. nu.* 9. Sed hoc intellige, quando jus convocandi est penes Capitulum; nec extat consuetudo in contrarium; qualiter esset in casu receptæ consuetudinis, quòd Decanus, vel Senior Capituli, convocare soleat. Not. tamen, quòd in casu talis consuetudinis, nec Decanus, nec Senior sine consensu Capituli possit abbreviare terminum electionis jure definitũ, cùm præfixus sit in favorem Capituli. Neque dicas, in dato casu consuetudo dat illi jus congregandi absentes; ergo etiam breviandi tempus jure definitum. Resp. enim, N. conseq. quia consuetudo dans facultatem in uno casu, ad diversum extendi non debet. Quibus positis:

Quæstio est 1. an tempus electionis, jure definitum, possit *prorogari*? 1875. Resp. posse, si aliqui ex Capitularibus, ob justum impedimentum, venire non possint intra illud tempus, vel ob Ecclesiæ utilitatem longius absint, arg. c. *ne pro defectu, h.t.* ibi: *justo impedimento cessante*, Layman, c. *cùm inter, num. 2. h. tit.* Si autem præsentes, absentibus vocatis, dederunt certum terminum comparendi ad electionem, his non exspectatis non possunt procedere ad electionem terminô nondum elapsô, nisi exspectando Ecclesiæ damnum, aut præjudicium aliquod evenerit. Nam licèt illos vocare non tenerentur ampliatô terminô, vocando tamen cesserunt huic juri suo, sed sine præjudicio Ecclesiæ; & gratia absentibus facta, intempestivè revocari non debet, c. *unic. de commodat.*

1876. Quæstio est 2. an, si qui Capitularium discedant ex Capitulo jam congregato, & revocati redire nolint, reliqui possint ad electionem procedere? Resp. 1. posse, si remanentes faciant duas partes Capitularium, vel saltem majorem partem respectu digressorũ, gloss. in c. *cùm inter, h.t. V. Capituli.* Nam postquam Capitulum semel est legitimè congregatum, & inter congregatos oriatur dissensio, stari debet judicio eorum, ubi est major pars Capitularium legitimè congregatorum, c. 1. *de his, quæ sunt à majori parte Capituli.* Unde nota, in dato casu non requiri, ut vocentur iterùm,

rum, à Capitulo sponte digressi; *paris* enim *contumaciæ est, legitimè vocatum non venire, & post adventum discedere*; intellige, sine necessitate, c. *certum*, 11, *q.* 3. *&* c. 1. *de judicijs*. Hinc tali casu, abeuntes ex Capitulo, non censentur, nec numerantur inter Capitulares, Pirhing *nu.* 137. *de elect.* Si autem remanentes non faciant duas partes, vel majorem partem Capituli, non possunt procedere ad electionem, vel cœptam prosequi. Nam sic potiùs censentur conventum dissolvere; cùm ibi sit Capitulum, ubi est major pars; sic Abbas in c. *cùm nobis*, *h. t. nu.* 10. excipe tamen 1. nisi appropinquet terminus electioni à jure præfixus; 2. nisi sit speciale periculum in mora. 3. nisi aliud habeat consuetudo, vel statutum; Innocentius in cit. c. *cùm nobis*, *nu.* 6.

## §. VI.

### *An Elector possit mittere Procuratorem, qui suo nomine eligat?*

1877. REsp. non posse, nisi tria concurrant. 1. nisi sit absens, & aliàs vocandus esset; 2. nisi justô impedimentô ipse venire non possit, de quo etiam juratus, si exigatur, fidem faciat: 3. nisi uni de Collegio, non autem extraneo, vices suas committat, c. *quia propter*, 42. *§. illud autem*, *de electione*, ibi: *illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, justóque impedimento detentus venire non possit: super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramentô: & tunc, si voluerit, uni committat, de ipso collegio, vicem suam.* Excipe, nisi obstet proprium Ecclesiæ statutum, juramentô Capitularium confirmatum, quo contrarium sit decretum; tunc enim etiam tribus illis concurrentibus non potest mittere Procuratorem. Quæ autem in dato casu censeantur justæ causæ impedimenti, definiendũ est arbitrio viri prudentis; cujusmodi sunt infirmitas gravis, vel metus ob capitales inimicitias, &c.

1878. Quæres 1. quid dicendum in casu, quo Elector quidem adest, sed ob infirmitatem in loco electionis comparere non potest? Resp. quòd tunc possit constituere Procuratorem ad eligendũ loco sui; sic Layman, *de elect. Prælat. q.* 43. Nam ubi justum habet impedimentum, non est privandus usu juris sui, & constat ex c. *si quis*, 46. *h. tit. in* 6. ibi: *si quis justô impedimentô detentus* in electionis negotio nequeat commodè interesse: *potest nedum uni* (prout dicitur in Concilio generali) *sed & pluribus committere vices suas*, dum tamen eorum cuilibet det in solidum potestatem: & erit tunc melior conditio occupantis. Si autem ipse malit per se dare suffragium, scrutatores tenentur ipsum accedere, & votum ejus requirere. Tenentur enim inquirere vota *præsentium*; præsens autem est, & censetur, qui propè in hortis est, vel in civitate, vel in continentibus ædificijs, hoc est suburbijs adjacentibus, *L. præsens*, 5. *cum seq. ff. de Procurat.* Sylvester, V. *electio* 1. *q.* 5. *dicto.* 1.

1879. Quæres 2. an, si quis egrediatur à loco, ex quo vocandus erat ad electionem, ejus Procurator rejici possit? Resp. posse; quia principalis, procuratorem constituens, debet impedimentô detineri in eo loco, à quo debet avocari, & vocandus fuisset, dum ipsius nomine Procurator agit; Greg. Tholosanus *de elect. c.* 6. *nu.* 7. & gloss. in c. *penult. h. tit. V. detentus*, *in* 6. Hoc tamen videtur intelligendum de tali egressu, ex quo meritò præsumi possit, quòd ipse ad locum electionis venire non impediatur. Cæterùm principalis in dato casu procuratori suo tenetur dare *speciale* mandatũ faciendi fidem juratam, seu jurandi in animam suam, de justo ipsius impedimento. Nam aliàs, si Capitulo exigente juramentũ, jurare non posset, repelleretur, ut non sufficienter instructus, gloss. V. *detentus*, *c. penult. h. t. in* 6. hoc tamen juramentum reliqui Electores possunt procuratori remittere, si velint; tum, quia in favorem eorum inductum est; tum quia in extraneum possunt totum jus eligendi transferre, c. *causam*, 8. *h. t.* ubi electio in Abbatissam, facta per Episcopum, in quem Moniales electrices electionem activam contulerant, approbata fuit ab Alexandro III. ergo multò magis possunt unius suffragium extraneo concedere, loco unius ex Capitularibus; Tholosanus cit. *c.* 6. *n.* 8. sed ad hoc requiritur, ut fiat unanimi præsentiũ consensu nullo discrepante, arg. c. *cùm omnes*, *de constit.* & Tholosanus *cit. c.* 6. *nu.* 8.

1880. Quæres 3. an Procurator absentis, &

impediti Electoris possit esse extraneus? Resp. posse de consensu Capituli, si aliunde sit idoneus, arg. c. *scriptum*, 40. *h. tit.* ibi: si constiterit, de mutuo conveniisse consensu, quòd ad electionem Patriarchæ septem admitterentur Præpositi, sive per se ipsos, sive per alios, & duo alij ex parte universitatis pro cæteris conventualium Ecclesiarum Prælatis, totque tunc temporis conventuales Ecclesias habuisse Prælatos, quòd cum septem Præpositis, & novem Canonicis, quos quidem Canonicos constat in postulatione præfati Archi-Episcopi convenisse, duplo majorem facerent numerum, quàm sexdecim Electores Plebani: tu vice nostra postulationem admittas; & ratio est ex *num.* 1879. Capitulum tamen ad hoc non tenetur; cùm compelli non possit, ut extraneo secreta sua pandat L. *Mercatores*, 4. *C. de commerc. & mercator.* ubi sermo est de quavis universitate, seu Collegio, etiam in alijs actibus gerendis.

1881. Quæres 4. quid dicendum, si nullus de Capitulo vult suscipere officium procuratoris pro absente impedito? Resp. quòd nec tunc de necessitate teneatur admittere extraneum, sed solùm ex honestate, & æquitate. Nam eo casu sibi absens imputare debet, quod nullum invenire de Capitulo possit, qui velit; gloss. in ℈. *illud*, *V. venire*, in c. *quia propter*, 42. *h. t.* Nam *nemo invitus Procuratoris officium suscipere cogitur*, *L. invitus*, *C. de Procuator.* Et tali casu absens (licèt nullus de collegio velit esse procurator ejusdem: nec ipse nolente capitulo extraneum valeat deputare) non poterit aliquatenus per literas exprimere votum suum, quod non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secretè, & sigillatim tantummodò exprimendum.

1882. Quæres 5. an Elector absens, & legitimè impeditus, constituere possit sui loco plures procuratores? Resp. posse, etiam plures in solidum, sic, ut singulis committat in solidum, eligendi potestatem, adeóque unus possit eligere sine altero; quamvis omnes simul non sint admittendi, sed is, qui prævenerit. Si autem simul omnes admitti velint, is admittendus est, quem Capitulum, vel major pars designârit: si Capitulum non consentiat, is præferendus erit, qui priùs in literis, seu instrumento procuratorio scriptus est: si verò nullus in solidum procurator constitutus est, neuter admittendus est, quia possent vota dare diversis, & sic vitiare electionem; c. *si quis*, 46. *de elect. in* 6.

1883. Quæres 6. an procurator constitutus possit alium eligere nomine suo? alium nomine principalis? quæstio procedit, si procurator constitutus, sit Capitularis, seu de gremio, & consequenter jure suo habeat votum activum? Resp. non posse, nisi habeat mandatum speciale de certa persona, c. *si quis, de elect. in* 6. ibi: porro cùm unus est *procurator simpliciter* constitutus: *si is unum suo, & alium Domini sui nomine, in scrutinio nominandum duxerit, nihil agit: nisi de certa eligenda persona sibi Dominus dederit speciale mandatum*; tunc enim in illam ejus, & in aliam suo nomine licitè poterit consentire, gloss. ibidem, *V. nihil agit.* Cæterùm procurator, generaliter constitutus, alteri delegare non potest; secus ille, qui habet mandatum *speciale.* Nam quando eligitur procurator, cum mandato generali, censetur electa industria personæ, ejusque discretio; secus cum mandato speciali, de certa persona; Tholosanus *cit. cap. 6. num.* 12. & gloss. in c. *si quis*, cit. *V. de certa, juncta gloss. marginali, h. t.*

1884. Quæres 7. an procurator possit consentire in electionem sub pluribus formis? Resp. quòd Procurator cum generali mandato possit compromittere & sub alijs etiam formis, quàm scrutinij, consentire; secus, cum mandato speciali. Nam ille est indefinitè constitutus *ad eligendū*, totúmque jus mandantis in eum translatum videtur, arg. *c. Venerabile, in fine de offic. Jud. deleg.* at in mandato speciali *sola forma scrutinij* intelligitur demandata, gloss. in c. *penult. h. tit. V. de certa.* Potestas autem utriusque Procuratoris, tam generalis, quàm specialis, exspirat morte mandatis, etiam civili, si ea mors civilis sit talis, ut privetur jure eligendi, tempore electionis faciendæ; ex Clement. *fin. de Procurat.* Tholosanus cit. *c. 6. num.* 13.

1885. Quæres 8. quid agendum, si nullus Capitularium velit mandatum suscipere; nec Capitulum extraneum admittere? Resp. in dato casu absentem, & impeditum non posse suum suffragium dare per literas; quia suffragia danda sunt non ante, *sed in ipso scrutinio*, & quidem secretè, ac sin-

gilla-

gillatim, c. *quia propter*, *h. t.* & c. *si quis*, §. *ult. eod. in* 6. qui autem dat per literas, dat *ante scrutinium*. Sed not. 1. hoc solùm in illis electionibus procedere, in quibus forma scrutinij præscripta est in cit. c. *quia propter*; & accuratè servari præcipitur: non autem in alijs. Hinc in electionibus Regularium, quæ fiunt per schedulas obsignatas, in urnam projectas, potest absens, vel infirmitate detentus, suum suffragium ita scriptum ad Capitulum mittere; Layman in c. *penult. de elect. in* 6. *nu.* 3. Not. 2. non procedere, si, quòd nemo Capitularium velit subire munus Procuratoris, fieret ex fraude, vel conjuratione. Tunc enim locum habet querela contemptûs; Tholosanus cit. *c.* 6. *num.* 9. Nam omnis fraus ab electione procul abesse debet, c. *cùm dilectus*, *de elect.* Si autem Procurator constitutus, ex aliquo improviso casu ad diem electioni constitutum adesse non possit, terminus non ideo est prorogandus; quia sufficit, absentes semel legitimè vocatos esse, licèt non velint, aut possint adesse; sic Tholosanus cit. & deduci potest ex dictis.

## ARTICULUS V.

### *De forma electionis.*

1886. UT electiones ritè fiant, quædam solennitates jure canonico præscriptæ sunt, servandæ tum ante, tum in ipso actu electionis. Ex his quædam sunt *præparatoriæ* electionis, quæ, ubi consuetudine receptæ sunt, servari debent; omissæ tamen electionem non vitiant; & ideo pertinent ad electionis formam solùm accidentalem. Hæ autem sunt 1. ut in die electionis celebretur Missa de Spiritu S. & Electores sacram Synaxin sumant; 2. ante horam electionis celebrandæ campana pulsetur ad Capitulum congregandum, ut dicitur c. *in causis*, 30. *h. t.* 3. ut ante tractatum electionis invocetur Spiritus S. recitato hymno: *Veni S. Spiritus*; 4. ut ab aliquo fiat protestatio nomine totius Capituli, quòd nolit ullum admittere ad electionem, vel ejus suffragium valere, cui non competit de jure jus eligendi; 5. quòd omnes absolvantur à censuris ad effectum electionis canonicæ tantùm, si adsit aliquis habens talem potestatem; 6. quandoque solet etiam præmitti tractatus, in quo plures in Capitulo proponuntur, qui digni videntur ad Prælaturam, ut dicitur c. *quod sicut*, 28. *h. t.* V. Layman, *de elect. Prælat. q.* 71.

Aliæ porro solennitates sunt substantiales, quæ per se, ac necessariò requiruntur ad electionem Prælati in Ecclesia viduata, præsertim per scrutinium. Tres enim modi sunt eligendi, nimirum, per inspirationem, scrutinium, & compromissum. Per *inspirationem* fit, cùm Electores nulla præcedente consultatione, quasi divini Spiritûs impulsu excitati, simul omnes in unum repentè consentiunt, ac simul eundem eligunt. Per *scrutinium* fit, cùm præsentibus omnibus, qui debent, volunt, ac possunt commodè interesse, tres de Collegio fide digni assumuntur, qui secretè, ac singillatim exquirant, & capiant suffragia cunctorum, ut pro ratione excessûs in suffragijs juxta Canones quis eligatur: est autem scrutinium idem ac investigatio: per *compromissum* fit, cùm plures idonei viri eliguntur, in quos omninò bene eligendi certo modo facultas & potestas transfunditur. Unde, si intra limites acceptæ facultatis elegerint, id manebit adeò ratum, ut etiam, electione minimè secuta, re tamen non integra, potestas sibi demandata revocari jure non possit; c. *quia propter*, *de elect.* Quid sit *concors* electio, quæ habetur *Clem.* 1. *de jure*, §. *non eodem*, exponit Alexan. ad L. *fuum*, §. *hodie*, *ff. de pactis*, distinguens duplicem *concordiam*. Nam altera dicitur plena, & vera re ipsa; quando omnes consentiunt, ita ut nemo dissideat: altera dicitur fictione juris, quando secundùm Canones, & leges in electione alicujus requiritur, & sufficit major pars eligentium. Major pars, quamvis dici possit, quæ majori innititur rationi, c. *multis*, *dist.* 17. tamen attenditur quoad numerum, sicut sanior quoad zelum Judicum. Et ideo electio, quæ alio modo, quàm uno ex prædictis peragitur, irrita censetur; & qui ita elegerunt, pro ea vice potestate eligendi sunt privandi, ut dicitur c. *cit.* his positis.

#### §. I.

#### *De electione per scrutinium.*

FOrma eligendi per scrutinium, ex plurium Doctorum sensu continet 1888.

hos actus partiales 1. ut omnes, jus suffragij habentes, congregati sint, si adesse velint, & commodè possint, non utcunque, sed ad actum, pro quo vocati sunt, *collegialiter*, seu capitulariter *celebrandum*; 2. ut eligantur tres Scrutatores è Capitulo; 3. ut scrutinium, seu suffragiorum secreta collectio fiat per scrutatores à Capitulo electos; & hæc est *electio privata*; 4. ut fiat scrutinij publicatio; 5. suffragiorum collatio; 6. decretum Capitularis, seu communis electionis, ac ejus promulgatio; de his porrò singulis in *seqq.* & quoniam de vocandis Electoribus jam in præcedentibus actum est:

1889. Quæres 1. qui, & quot esse debeant Scrutatores? Resp. debere esse *tres Viros*, fide dignos, electos ex, & à Collegio, seu Capitulo legitimè congregato; ita habetur in c. *quia propter*, ibi: *assumantur tres de Capitulo, fide digni.* Sed not 1. numerum, ut scrutatores sint *tres*, aliquorum opinione non pertinere sic ad formam, ut si eligerentur plures, vel pauciores, electio eo titulo irrita foret, vel irritanda, modò electi tales sint, ut fraus impediri possit, vel fieri non possit, ut ait gloss. in c. *quia propter*, *V. sanior*, quod videtur intelligendum quoad numerum ternariô pauciorem *in casu, quo totum Capitulum consistit in personis paucis*; non autem, quoad numerum majorem propter periculum, vel fraudis, vel secreti; idque ex communi sententia, & praxi in consulendo, & judicando. Not. 2. etiam esse probabile, *extraneum* quoque, modò non sit laicus, posse scrutatorem constitui. 1. quia extraneus de consensu Capituli potest admitti ad eligendum, esto jure communi Electores debeant esse de Collegio; 2. quia sic usu receptum est in pluribus Ecclesijs Germaniæ; gloss. in c. *quia propter*, *V. sanior*, & V. *Viris*. quamvis autem aliqui velint contrarium expressum esse in c. *quia propter*, & pateat ex isto textu, ibi: *tres de Collegio*; consuetudo tamen obtinuit, saltem in aliquot locis, ut scrutatores non ex Capitulo, sed aliunde sumantur exactô juramentô de fide, & taciturnitate; sic Laymann *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *nu.* 6. & si justa causa subsit, etiam re non integra mutari possint scrutatores; sic Abbas in c. *quia propter*, §. *vel saltem*, *nu.* 1. ut si viderentur esse valdè inhumani, aut partiales; aliàs ab illis adjectâ causâ appellari posset; ita Pirhing cit. *de elect. nu.* 164. Juramentum porrò illud, ubi in usu est, in manibus ejus, qui Capitulo præest, aut ab eo mandatum habet, præstandum est, ut notat Rodriquez *tom.* 2. *qq. regul. q.* 52. *a.* 3. quibus adde, scrutatorem, qui electioni interest, non hoc ipso jus suffragij habere; potest enim fieri, quòd quis præscripserit jus electioni *interessendi*, sed *non suffragandi*; hæc enim jura separabilia sunt; sic Layman in c. *Cumana*, 50. *h. t. n.* 5.

Quæres 2. quo ordine scrutinium fieri 1890.
debeat? Resp. quòd hôc, ut scrutatores secretè, singillatim, ac diligenter ipsos Electores scrutentur, hoc est, vota cunctorum exquirant, ut habetur in textu c. *quia propter*, vel ut singuli seorsim coram scrutatoribus, & ab eis interrogati, eum dicant, quem electum volunt, & unus scrutatorum id annotet: vel verò, si unusquisque eligentium in schedula votum suum scribat secretè, & scriptum clausum tradat scrutatoribus, ita ut neque ipsis notum fiat. Dixi, *eum dicat*, seorsim ab alijs, qui nimirum sunt de Capitulo; non autem alijs, qui necessariò, vel utiliter interesse possunt. Durante autem hoc scrutinio à scrutatoribus adhiberi possunt testes, & Tabellio, ad tollendam omnem fraudis suspicionem, ut notat Innocentius hic *num.* 1. & Abbas *nu.* 14. *Diligenter*, quod fiet, si, ubi scrutinium fit voce, ipsi scrutatores, vel unus ex ipsis deputatus, vel Tabellio, unà cum illis adhibitus, vel loco ejus duo testes (qualiter fit in judicijs, c. *quoniam*, *de probat.*) vota singulorum Electorũ in scriptum redigant, c. *quia propter*, ibi: *& in scriptis redacta.* Not. autem, quòd Tabellio, seu Notarius adhibitus non necessariò debeat esse Clericus, sed possit esse laicus; quia scribendo nullam potestatem exercet, sed nudum ministerium temporale; Abbas in c. *quia propter*, *nu.* 6. & hæc pertinent ad scrutinium, ut fiat *diligenter*, ut dicitur in c. *quia propter*, de quo *supr. Ordinatè*, nimirum ordine servato, collectionem votorum, seu suffragiorum incipiendo ab illo, qui præest Collegio; deinde, si scrutatores sint de Collegio, à se ipsis mutuò; & sic ordine ab alijs, secundùm prærogativam, & gradum dignitatis. Si duo essent paris gradûs, præcedit, qui antiquior est, vel prout fert consuetudo; vel

rectiùs

rectiùs, si scrutatores (ex suppositione, quòd habeant jus suffragij) priùs dent sua vota; postea is, qui præest Collegio, ac tandem reliqui secundùm ordinem. Ubi sunt tres; reliqui duo exigunt à tertio, postea is cum altero, ab alio; ac tandem ab ultimo priores duo. Si autem sint tantùm duo, unus vicissim alterius suffragium scrutabitur.

1891. Not. autem 1. non obstare, constituí à Capitulo alios, qui exprimant Scrutatorum suffragia; ut docet Tholosanus *de elect. c.* 16. Not. 2. postquam exquisita sunt suffragia omnium præsentium Electorum in loco Capituli, seu electionis, teneri Scrutatores, si qui ex Electoribus sint in eadem domo, civitate, sed infirmi, ut locum electionis accedere non possint, eos adire, ac illorum suffragia exquirere, iisque exquisitis statim ad locum electionis redire, nisi illi loco sui malint Procuratorem constituere; aliàs enim censerentur contempti; aut electio non esse ab omnibus præsentibus; quia tales ex dictis pro præsentibus habentur. Not. 3. si propter multitudinem suffragiorum uno die scrutinium absolvi non posset, non obstare, & unum fore scrutinium, esto sequenti die reliqua exquirantur; ita Pirrhing *de elect. num.* 168. *in fine*; si autem ante absolutum scrutinium aliquis scrutator moriatur, vel discedat, alius subrogari potest, qui illud perficiat; sic Tholosanus *cit. c.* 16. *num.* 9. an autem, & qualiter ante scrutinium ab Electoribus juramentum exigi possit, aut debeat? dicemus *infrà*.

1892. Quæres 3. quid agendum absolutô scrutiniô, seu receptis jam votis omnium? Rz. in *c. quia propter* 42. *h. t.* dispositum esse, ut primùm habentur omnium Electorum suffragia collecta, & in scriptum redacta, *mox* (nullo scilicet alio actu extraneo interposito) *faciendam esse eorum publicationẽ coram omnibus, à scrutatoribus, vel uno nomine omnium* (aut, his impeditis, ab eo, vel eis, quos Capitulum constituit) *suppressis tamen eligentium nominibus, ut appareat, quisnam, vel qui electi sint.* Hæc publicatio pertinet ad formam substantialem electionis sic, ut eâ omissâ, electio corruat; sic Innocentius in c. *quia propter*, *de elect. num.* 6. Dicitur: *nullo actu extraneo interposito*; si enim secus, electio esset irrita, ut dicitur *c. quia propter*; excipe, nisi hoc fieret ex industria, & in fraudem Canonis, ut scilicet electio ex intervallo facto, irrita declaretur; quia tali casu valida esset, licèt non facta in continenti, c. *publicato* 58. *h. tit.* ibi: *publicatô scrutiniô, variare nequeunt Electores*, cùm sit facienda collatio, & electio celebranda, ad quod per Superiorem, si oportuerit, compellantur. Ex quo habetur, Electores compelli posse, ut statim procedant ad collationem votorum, & reliqua; & quidem ab eo, ad quem spectat confirmatio, si moniti procedere velint. Quapropter, si scrutinij publicatio differatur, is, qui electum se arbitratur, aut alius quilibet è Capitulo petere potest, ut scrutinium publicetur, *arg. cit. c. publicato.* Et ideo statutum fuit, ut suffragia, postquam in scriptum redacta sunt, suppressis nominibus suffragantium, *mox*, sive in continenti, id est, nullo actu alio interposito, publicentur; quia ante publicationem Electores ab electione sua recedere possunt, non item post publicationem, *c. publicato* 58. *h. tit.*

Quæres 4. quem effectum pariat publi- 1893.
catio suffragiorum? Resp. quòd post publicatum scrutinium Electores variare non possint, hoc est, suffragium datum revocare, & alteri dare; sic Layman in c. *Postquam*, 3. *h. t. n.* 2. Statim igitur ad votorum collationem progredi debent, & electionem communem celebrare. Quia post scrutinij publicationem censentur Electores functi officiô suô, ipsis à jure concesso. Secus est in his, qui eligunt ex jure proprio, & libero; & non ex potestate Superiori specialiter concessa, c. *publicato, de elect.* Ratio sumitur *ex cit. c. quia propter*, ibi: *& in scriptis redacta mox publicent in communi: nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto: ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major & sanior pars Capituli consentit.*

Circa hoc, quod diximus, *Electores, publicatô scrutiniô, non posse variare*, not. intelligi 1. tam de singulis seorsim, quàm omnibus collegialiter in Capitulo congregatis; sic Innocentius, & Hostiensis *in c. publicato*, V. *nequeunt*; deinde etiam de his, qui post publicatum scrutinium in locum abeuntium, vel discedentium sunt substituti. Tenentur enim eum eligere, cui per publicatum scrutinium est jus quæsitum, ut alius eligi non possit ante

consensum ejus requisitum; Fagnanus *in cit. c. n.* 22. demum etiam de Superiore, ad quem ob negligentiam, vel contumaciam Electorum, post publicatum scrutinium, intra præfixum tempus non eligentium, devoluta est potestas eligendi; sic Joannes Andreas hìc *n.* 29. Si autem post publicatum scrutinium advertitur, erratum esse in forma, nullo jure cautum est, quòd cassata priori electione teneantur ad eundem eligendum; sed potiùs, eos potestate eligendi pro ea vice privandos esse, c. *quia, propter, cit.* §. *qui verò*; ibi: *qui verò contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur.*

1894. Not. 2. doctrinam hanc (quòd *Electores publicatô scrutiniô non possint variare*) limitari, ut non procedat 1. si publicatô scrutiniô (sive facta, sive non facta collatione) appareat, antequam facta, & promulgata est electio communi nomine, quòd plures habeant æqualia suffragia, vel nullus numerum requisitum. Nam tali casu iri potest, vel ad secundum scrutinium, vel in aliquos compromitti, vel minor pars majori accedere; Tholosanus *de elect. c. 16. n. 15.* & c. *cùm in jure, 53. de elect.* sed hìc est sermo de electione per Compromissum; limitari debet 2. ut locus sit variationi publicatô scrutiniô, sed ante communem electionem promulgatam, si appareat indignum, seu laborantem defectu canonico electum esse. Nam pœna privationis lata in scienter eligentes indignum eo casu à nullo est contracta adhuc, cùm nascatur solùm, cùm electio est perfecta, & completa, c. *perpetuò, 7. de elect. in 6.*

Cùm enim dubitatum fuisset, utrum pœnas decretas in c. *Cùm in cunctis, de elect.* incurrant Electores, si in personam indignam vota sua scienter dixerint, sed electio communis secuta non sit, quamvis scrutinium publicatum? hanc quæstionem definiens Gregorius X. *in eodem Concilio c. 6.* respondit: tametsi hi graviter peccârint, & ob id etiam ab Apostolica Sede puniri possint; pœnas tamen c. *cùm in cunctis*, decretas contra indignum eligentes in hoc casu Capitulares non incurrunt: ideóque ad aliam electionem procedere possunt, imò debent; ratio responsionis est, quam hìc affert Joannes Andreas, quia pœna intelligi debet cum effectu, c. *relatum, de Clericis non residentibus*: isti autem non processerunt ad electionem, quippe quæ post publicatum scrutinium nomine Capituli communiter fieri debet: ergo non incurrunt pœnas decretas contra eligentes indignum. Textus sic habet: perpetuô sanctionis oraculô declaramus, *quòd scienter in electionibus nominantes indignum, propter suffragium in scrutinio præstito (nisi adèo in eo perstiterint, quòd ex votis eorum communis electio subsequatur) nequaquam eligendi potestate privantur.* Licèt pro eo, quòd indignum nominandô, scienter contra conscientias suas agunt & divinam vindictam, & Apostolicæ ultionis metum (quem qualitas facti suaserit) possint non immeritò formidare.

Si quæras, quid dicendum, si in aliqua 1895.
Ecclesia consuetudine, vel privilegio obtentum sit, ut per suffragia a singulis præstita, & publicata in Capitulo electio perficiatur ejus, qui majorem Collegij præsentis partem habet? Resp. in hoc casu Electores incurrere pœnas, c. *cùm in cunctis cit.* si tali modô indignum scienter elegerint; quia ea constitutio ab Alexandro III. generatim edita est *contra eligentes indignum*, antequam forma electionis ab Innocentio III. in c. *quia propter*, constituta esset.

Limitari debet 3. si per publicatum 1896.
scrutinium nominatus, juri suo expressè, vel tacitè renuntiet; quia tunc ei nullum fit præjudicium, cui cavendo cæteroquin Electoribus variatio non licet publicatô scrutiniô; id, quod etiam procedit in compromissariis procedentibus ad electionem viâ scrutinij, in Patronis Ecclesiarum, & in postulatione. Electores tamen ante publicationem scrutinij variare posse, colligitur per contrarium sensum ex c. *publicato*; quia singulorum electio nondum publicata coram Capitulo, facta solùm coram Scrutatoribus, nondum est completa, & collegialiter facta, quod verum est, esto ante publicationem Scrutatores à loco Scrutinij recesserint.

Not. 3. si post publicatum scrutinium 1897.
comperiant, aliquem contemptum esse, seu non vocatum, qui vocari debuisset, Electores non posse novum scrutinium inchoare, sed teneri procedere ad collationem votorum, & electionem nominati; quia

quia suffragatio fuit valida; licèt irritari possit ad petitionem, non quidem eligentium, sed contempti. Et si hic scrutinium petat irritari, novum scrutinium fieri debet, si nondum ad electionem cōmunem sit processum, c. *Ecclesia*, 48. *de elect.* Cæterùm hæc scrutinij forma *in cit. c. quia propter*, præscripta, non in omnibus Ecclesiis exactè servatur, propter consuetudinem in illis contrariam. Nam in quibusdam, etiam Cathedralibus, satisfactum judicatur, si post juramentum de idoneo, secundùm conscientiam suam eligendo, aliquem Scrutatoribus nominent, quin exquiri soleat, quibus rationibus, seu quo Zelo moveantur; sic Layman *in cit. c. quia propter*, *n.* 6. *&. veruntamen.*

1898. Quæstio est 5. an, & qualiter facienda sit collatio suffragiorum? Resp. quòd post publicatum scrutinium, statim fieri debeat collatio suffragiorum, c. *quia propter*, ibi: *collatione habita*; hæc collatio fieri debet ideo, ut appareat, quis sit electus à majori, & saniori parte Capituli; si omittatur, electio irritanda est, c. *Cumana*, *de elect.* & Electores pro illa vice privandi sunt potestate eligendi, cùm egerint non servatâ formâ substantiali, ad quam pertinet collatio suffragiorum; fieri debet vel à Scrutatoribus (si ad hoc acceperunt, aut novum mandatum, aut saltem tacitum consensum Capitularium) vel alijs per Capitulum deputatis; Layman *de elect. Prælat. q.* 76. Antequam autem resolvamus, qualiter in specie facienda sit collatio suffragiorum, quæri potest 6. qualia debeant esse Electorum suffragia? Resp. de hoc agi *c.* 2. *de elect. in* 6. ubi dicitur: *suffragia in electione per scrutinium, quæ sunt conditionata, vel alternativa, & incerta, ipso jure irrita esse, & pro non datis haberi sic, ut omnis deinde vis suffragandi penes alios resideat, qui legitimè suffragati sunt.* Ratio autem hujus constitutionis esse videtur; quia, cùm isti actus præstentur à Prælatis Ecclesiasticis ex officij necessitate, ut Ecclesijs, & beneficijs, ex vacatione longiori, detrimentum caveatur, & statim provisum sit; numerantur inter actus legitimos, qui conditionem non recipiunt, neque diem, juxta *reg.* 50. *in* 6. adeóque *purè* præstari debent, de quo V. *l.* 4. *tit.* 5. *à n.* 770. Et ex hac ratione nec datio Tutoris conditionem, vel diem recipit *per reg.* 78. *ff. de reg. jur.* Et quoniam non tantùm electio, quæ fit per formam scrutinij; sed etiam alium modum, compromissi, &c. item postulatio, est ejusmodi actus legitimus, etiam de suffragijs in istis idem dicendum venit.

Præter hæc not. 1. siquis dicat in suo 1899.
suffragio: *eligo Titium, si etiam Cajus eum eligat*, suffragium esse conditionatum; si: *eligo Cajum, vel Titium*, esse alternativum; si: *eligo illum, in quem Cajus consenserit*, esse incertum, ut notat glossa *in cit. c.* 2. Secundò, excludi suffragium conditionatum sub conditione non tantùm de futuro, sed etiam de præsenti, vel præterito, si id Electoribus sit incognitum; quia tunc continet incertitudinem: si tamen adjiciatur conditio, quæ tacitè, seu suapte naturâ inest, votum non rejicitur; ita gloss. *in cit. c.* 2. *V. incerta*; quia hæc conditio solùm exprimit, quòd in actu per se continetur; nec eū suspendit, aut incertum reddit; intellige, si exprimitur, sicut inest, propter dicta *l.* 4. *à nu.* 772. *de natura harum conditionum.* Et in specie reprobatur hoc suffragium: *eligo Titium, si ipse consenserit*; quia electus consentire debet *electioni de se factæ*, seu *puris suffragijs* de se datis; quod in hoc casu fieri non posset, ut rectè notat Joannes Andreas *in cit. cap.* 2. *n.* 6. Not. 3. cùm dicitur, suffragia conditionata, alternativa, & incerta rejici, & jus eligendi tunc residere penes alios, qui sua suffragia legitimè dederunt, intelligi de suffragijs *in scrutinio* datis, & postea *publicatis.* Nam *ex his jus oritur celebrandi electionem capitularem, seu solennem.* Hinc ante publicationem illi possunt errorem suum emendare, *arg. c. publicato*, 58. *h. t.* Si autem ex puro consensu aliorum non haberentur sufficientia suffragia ad electionem ex eo scrutinio, & eundum esset ad secundum scrutinium, ad hoc admittuntur ii, quorum vota priùs rejecta sunt, quia fuerunt conditionata, incerta, vel disjunctiva; gloss. *ad c.* 2. *de elect. in* 6. *V. Residente*; ubi autem illa sufficiunt, non videntur Capitulares novum scrutinium inchoare posse; cùm (ut hic *cit. c.* 2. dicitur, *junct. c. publicato*) habitis sufficientibus votis electio mox celebrari possit, ac debeat; his præmissis, loquendô de collatione facienda, & ijs, quæ in specie observanda sunt:

Inter

1900. Inter quæ primum est, quòd facienda sit collatio *numeri ad numerum*, cùm sciri debeat, quis electus sit à majori parte; hæc enim consistit in numero, *per n.* 1888. & habetur ex c. *in Genesi*, 55. *de elect.* ubi dicitur, *quòd irrita sit electio, quam collatio non præcessit*, vel quæ facta non est *à majori parte Capituli*, vel quæ non fuit *communis*. Ex quo c. prætetea colligitur, in electione Canonica Ecclesiastici Prælati (non autem in electionibus ad alios personatus, vel beneficia) non sufficere consensus singulares, seu singulorum Capitularium, sed subsequi debere *communem electionem* modo collectivo enuntiatam: *Ego nomine meo, & omnium consentientium eligo, &c.* ita *cit. c. in Genesi, & in c. quia propter*, 42. *h. t. c. sicut*, 21. *cod in* 6. Ratio est; quia ita visum fuit Sacrorum Canonum conditoribus, ut Prælati electio, sicuti non fit à personis particularibus, sed à congregatione, sive collegio; ita etiam verbis explicaretur. Verùm id duntaxat locum habet in Ecclesiasticis electionibus Prælatorum, in quibus necessariò observari debet forma præscripta *in cit. c. quia propter*; non autem in Capitularibus electionibus ad alios personatus, vel beneficia, in quibus sufficit, si consensus à singulis, secundùm majorem præsentis Capituli partem, explicentur; cùm neque naturali jure, aut consideratâ naturâ electionis secundùm se, plus requiratur; & hæc est doctrina glossæ à pluribus receptæ *in cit. c. sicut*, V. *formam.*

1901. Sed not. *majorem partem* Capituli, seu eligentium hìc non dici eam, quæ est *major comparatione aliarum partium minorum*, quæ diversas personas eligunt; gloss. in c. *sicui*, V. *minorum de elect. in* 6. sed quæ est *major totius Capituli præsentis*, ut constat ex c. *in Genesi*, *cit.* Facienda est 2. collatio *Zeli ad Zelum*, quo innuitur expendendas esse intentiones, & motiva, quæ exposuerunt eligentes, ob quæ hunc potiùs eligant; si enim attendatur, quo affectu, ex quibus causis in hanc personam consentiant, facilè colligitur, quæ pars *saniùs* elegerit, c. *in Genesi*, *cit.* Facienda est 3. etiam collatio *meriti ad meritum* ipsius electi. Nam ex hoc etiam apparet idoneitas electi, vel quis ex electis sit magìs idoneus, & Ecclesiæ utilis futurus, cit. c. *in Genesi.*

Not. autem 1. si duæ partes eligentium consentiant in unum, licèt in alium pars minor vota sua dirigat, opus non esse collatione Zeli, & meriti, ut dicitur c. *Si quando*, 9. *de elect. in* 6. ibi: si quando contigerit (duabus electionibus celebratis) *partem alteram eligentium duplo majorem numero* inveniri: contra Electores, qui partem reliquam sic excedunt, ad extenuationem Zeli, meriti, vel auctoritatis ipsorum, reliquis vel electo ab eis, aliquid opponendi omnem præsenti decretô interdicimus facultatem. Si quid autem opponere voluerint, quòd votum illius, cui opponitur, nullum reddere ipso jure: id eis non intelligimus interdictum. 1902.

Ex hoc nascitur quæstio, quæ pars alteri præferenda sit; si una eligentium pars sit major numero, altera vero dicatur esse sanior? Resp. distinguendum esse; nam vel una pars in numero valde notabiliter excedit alteram? vel non excedit multùm? si primum? pro illo pronuntiandum, modò electus sit absolutè idoneus, non obstante, quòd altera, sed notabiliter minor numero, sit sanior. Nam in casu, quo alterutra electio admittenda est, præferri non potest ea pars minor, quæ tertiam eligentium partem aut non excedit, aut vix; id, quod etiam dicendum est, si pars in numero minor, alteram modicum superat spectato merito electi, & eligentium authoritate; nam propter modicum excessum recedi non debet à communi regula, quæ statuit, rata esse debere, quæ à majori parte Capituli gesta sunt, *c. 1. de his, quæ fiunt à majore*: si autem multùm excedat, non propterea valet horum electio activa; cùm propterea censeri non possit à majori, & saniori parte Capituli facta; quamvis tunc nec altera confirmari debeat, ex eadem ratione; & pars minor numero, sed sanior, contra illam agere possit, ut altera irrita pronuntietur. Et ideo in casu, quo una pars numero, non tamen multùm major staret pro uno; altera verò minor numero, sed sanior, hoc est, spectato merito electi, & eligentium authoritate major, sed non multùm, nulla electio valeret; sed procedendum foret ad novum scrutinium. 1903.

Not. 2. si unus tantùm electus fuit, non tamen à duabus partibus eligentium, faciendam esse collationem numeri, Zeli, ac meriti. *Numeri*, an adfuerit sufficiens 1904.

numerus eligentium, an omnes habuerint vocem, &c. *Zeli*, an recta intentione, &c. *meriti*, an electus non habeat impedimentum Canonicum, &c. Abbas *in c. quia propter*, *nu.* 10. in quibusdam tamen Ecclesijs, præsertim Regularibus, non alia fit collatio, quàm numeri ad numerum; reliqua enim ob statum eligentium præsumuntur, & multa ex privilegio non observant in forma scrutinij; *Clem.* 1. §. *demum*, *de Verb. signif.* & Layman *in c. quia propter*, *h. tit. nu.* 8. Hinc si post publicationem scrutinij, circa electum, nulla moveatur quæstio, sufficit collatio generalis, v. g. *iste habet tot suffragia*; *Electores processerunt bono Zelo*; *electus propter suas dotes dignus est*; sic Innocentius in c. *in Genesi*, *num.* 2. & Abbas, *nu.* 7.

1905. Dixi: *si post publicationem scrutinij nulla quæstio moveatur*, v. g. an omnes, qui debebant, & poterant, ac volebant, præsentes fuerint? an fortasse hujus, vel illius votum fuerit validum? vel quia datum ab existente in censura, vel quia fuit dubium, & incertum, &c. an electus non laboret aliquo inhabilitatis vitio, v. g. natalium, defectu scientiæ, morum, Ordinis, &c. Nam tali casu priùs, quàm fiat communis electio, exacta discussio fieri debet, non quidem per modum judicij, sed solùm causâ veritatis cognoscendæ ad præsens negotium ritè peragendum; cujus ratio est ex generali doctrina Abbatis in c. *in Genesi*, *h. t. n.* 2. dicentis: si in Capitulo inter Capitulares controversia oritur, eam à Capitulo definiri non posse; tametsi ponamus Capitulum jure speciali (v. g. præscriptæ consuetudinis) jurisdictionem in singulos exercere: præterquam si causa (v. g. alicujus Capitularis injuria) admodùm notoria sit; alioquin enim Capitulum in causa propria judex esse non potest, L. *unic. C. ne quis in sua causa judicet.*

## §. II.

### *An in omnibus Prælatorum electionibus forma scrutinij servanda sit?*

1906. LOquimur de illa, quæ præscribitur in c. *quia propter*, §. *statuimus*, ibi: statuimus, ut, *cùm electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi: nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, ut is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel major, & sanior pars Capituli consentit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore. Aliter, electio facta, non valet: nisi fortè communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem absque vitio celebrata. Qui verò contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur.* Tridentinum autem *sess.* 25. *de Regularibus c.* 6. sic loquitur: In electione *Superiorum quorumcunque*, *Abbatum temporalium*, & aliorum *Officialium*, ac *Generalium*, & *Abbatissarum*, atque *aliarum Præpositarum* (quo omnia rectè, & sine ulla fraude fiant) inprimis sancta Synodus distinctè præcipit, omnes supra dictos eligi debere *per vota secreta*, ita ut singulorum eligentium *nomina nunquam publicentur.* Nec in posterum liceat, *Provinciales*, aut *Abbates*, *Priores*, aut *alios quoscunque Titulares*, ad effectum electionis faciendæ constituere, aut *voces*, & *suffragia absentium supplere.* Si verò *contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit*, *electio irrita sit*, & is, qui ad hunc effectum se in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis existat, facultatesque super his concessæ eo ipso abrogatæ censeantur, & si in posterum aliæ concedantur, tanquam surreptitiæ habeantur.

Circa hæc decreta not. 1. hanc formam, 1907.
quæ præscribitur in c. *quia propter*, pertinere ad electiones in Ecclesijs *Cathedralibus*, ut liquet ex rubrica c. *quia propter*, quamvis nigrum, seu textus expresse loquatur indefinitè *de Ecclesijs viduatis*; & eam esse de substantia electionis (cùm non servatæ statuatur pæna *nullitatis*) tenet communis cum Layma in cit. c. *quia propter*, *nu.* 12. & colligitur ex verbo: *statuimus*, quòd est novi juris inductivum, ut docet Garcia *de benefic. p.* 3. *c.* 1. *nu.* 9. excipitur tamen 1. privilegium eximens ab hac forma, vel in totum, vel in certis conditionibus; 2. nisi in contrarium præscriptum sit; 3. nisi Electores essent valde pauci, ut

servare non possint formam scrutinij ; 3. etiam consuetudo legitimè introducta in quibusdam Ecclesijs Germaniæ.

1908. Not. 2. hanc formam, juxta Imolam in *cit. c. 42. nu. 3.* & alios, servandam esse etiam in electione *Abbatum* ; 2. in electionibus *Prælatorum in Ecclesijs Collegiatis*, qui in illis habent jurisdictionem generalem ; item in electionibus *Prælatorum regularium*, v. g. Priorum, Guardianorum, & similium, juxta gloss. 1. hic & Abbatem *à nu. 7.* nec in his quidquam derogatum esse à Tridentino *sess. 25. de Regularibus, c. 6.* secundùm Azor *p. 1. l. 13. c. 10. q. 3.* non autem in electionibus inferiorum, quorum obitu, vel depositione officij, non viduatur Ecclesia, ut ex pluribus notat Barbosa in *cit. c. 42. nu. 7.* nam textus solùm loquitur *de electione, qua providendum est Ecclesiæ viduatæ.*

1909. Sed circa hanc formam in c. *quia propter* præscriptam, in alijs quoque Ecclesijs, præsertim Regularibus observandam, non æquè conveniunt Authores. Nam, post Tridentinum supra relatum, censent aliqui, hodie sufficere, quòd vota sint secretà ex dispositione prædicti decreti absque alia forma ; sic enim affirmat Miranda, *in Manual. Prælat. tom. 2. q. 23. à. 15.* asserens, dispositionem textûs in c. *quia propter de elect.* modò sublatam esse per Concilium in præsenti : ac rectiùs negat Azor cit. Zerola *in praxi Episcoporum p. 1. V. Abbatissa*, §. 6. & complures alij apud Barbosam *in cit. loc. Trid. nu. 18.* ex hoc enim, quòd Concilium dicat, omnes electiones Regularium debere fieri *per vota secreta*, non tollit formam cap. *quia propter* ; sed solùm ordinat, qualiter *deinceps* vota danda sint. Quare omnino etiam in his servanda est, nisi adsit una ex causis excusantibus, de quibus *n.* 1907.

1910. Not. 3. ad ea verba Tridentini (*per vota secreta ità, ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur*) discordare Doctores in assignandis casibus, quibus contingat, Electorum nomina *non manere secreta*, & consequenter irritô, ac nulliter electionem celebrari. Quidam enim volunt (ut videri potest apud Barbosam cit.) non officere, quòd sciatur suffragium unius, vel alterius, sive fiat per malitiam, sive per errorem ; sed requiri, palam fieri majorem partem de nominibus Electorum : sed obstare videtur textus : *singulorum* ; & ideo alij censent hoc decreto caveri, & obstringi tam Electores, quàm scrutatores, ac demum omnes, qui dant, & recipiunt secretò suffragia, ne permittant aliquid fieri, ex quo publicari possint nomina eligentium (& probabiliùs, etiam unius) & si tale quid factum fuerit, electionem non valere ; sic Frater Emanuel *2. 2. regul. tom. 2. q. 52. a. 9.* Nam id, quod Concilium cavere voluit, est satis commune periculum gravium malorum, sæpe nascentium ex notitia, quis consenserit, quis non consenserit in talem personam.

Censet autem Navarr. *de elect. in edit. nov. consil. 9.* electionem per *secreta suffragia* postulari, vi hujus decreti, solùm, quando fit per scrutinium ; non autem si per compromissum ; & in eo casu adeò strictè hoc decretum esse intelligendum, ut si post electionem factam in Bullis confirmationis, seu patentibus exprimerentur nomina eligentium, electio esset nulla, refert decisum Castellinus *de elect. c. 4. nu. 61*, & quidem semper, etiam electione confirmata, ut liquet ex textu ; ibi : *eligentium nomina nunquam publicentur.* 1911.

## ARTICULUS VI.

### *De electione communi, seu solenni.*

NOtandum, scrutinium, seu suffragationem eligentium coram scrutatoribus, esse quidem *electionem*, sed *in privato* ; nam ab hac primum fit suffragiorum collatio, & istâ debitè finitâ, *fit electio in publico*, per publicationem, & acceptationem, quæ vocatur *electio communis, Capitularis, & solennis*, prout sumitur ex sæpe cit. c. *quia propter*, & observat Streinius *p. 1. jur. Can. tit. 6. §. 2. nu. 3. & in c. 55. h. t. & §. fin. c. 42. eod.* reprobatur electio non communis, seu *clandestina*, per quam intelligitur ea, ut notat gloss. *fin. in loc. cit. quæ nondum est publicata in Capitulo* ; & nisi mox publicetur, non valet. 2. etiam illa, quæ fit clanculum, & in conventiculis ; hæc tamen, si non publicetur, non vitiatur, nisi Electores de ipsa non publicanda convenerint. Not. 2. si scrutatores publicationem scrutinij, seu electionis privatæ de quacunque causa differre vel- 1912.

vellent, quemlibet de Capitulo, maximè, qui se electum esse confidit, contradicere, aut litem intentare posse; *Trid. sess. 25. c. 6. Strenius cit.* quibus positis:

1913. Quæstio est, quid petat hæc communis electio? Resp. *ut*, ubi post suffragiorum collationem apparet, in quem major, & sanior pars, tanquam dignum consensit, *formetur decretum electionis*, quod omnium nomine, ab uno, vel eo, qui præest Capitulo, vel qui primam in eo voce habet, aut ab illo, qui ad hoc deputatus est, publicè promulgetur, ut dicitur, c. *quia propter*, ibi: *is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major pars Capituli consentit.* Et hoc decretum communis electionis requiritur in electionibus Prælatorum Ecclesiasticorum, in quibus necessariò servari debet forma eligendi præscripta in c. *quia propter*, *de elect.* in alijs autem Capitularibus electionibus ad inferiores dignitates, & beneficia, sufficit, si singuli Capitulares consensum præstent, si id habeat legitima consuetudo: secus procedendum erit juxta dicta *nn.* 1908. qualiter autem formandum, & promulgandum sit? V. apud Pirhing *h. t. à n.* 186. & tradit Layman in *c.* 42. *h. t. nu.* 9. sub hac forma: *Ego N. nomine meo, & aliorum eligentium, mihique consentientium, invocatâ S. Spiritûs gratiâ, in Episcopum*, aut in Abbatem, &c.) *hujus Ecclesiæ N. eligo, & electum pronuntio, & coram vobis publico, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, Amen.*

1914. Not. 3. decretum illud, ubi requiritur, *statim*, & in continenti, à collatione suffragiorum, *formari, ac publicari debere*; aliàs electionem esse irritam declarandam, c. *cùm post petitam*, 46. *de elect.* ubi Pontifex electo Lugdunensi referibens, quia tandem, inquit, examinato (sicut decuit) processu electionis tuæ, invenimus eam post publicationem consensuum, & collationis tractatum, *aliquamdiu fuisse protractam, assensumq; tuum prius, quàm electus fueris, requisitum: electionem eandem (ex ipsius duntaxat inordinato processu) justitia cassavimus exigente.* Dixi, *irrita declaranda*; nam esto in c. *quia propter*, electio aliter facta non valeat, non est tamen sensus, quòd ipso jure sit irrita, & nullo modo subsistat, sic, ut nec naturalis obligationis effectus sequatur: sed, licèt jure naturali subsistat (quia adest majoris partis consensus) non subsistat tamen jure positivo. Ex hoc collig. 1. ad formam substantialem processus electionis spectare, ut post collationem suffragiorum, & publicationem scrutinij, eodem contextu electionis decretum fiat, & publicetur, gloss. *in cit. c. post petitam*, V. *protractam*; excipe, nisi aliud postulet necessitas naturalis, ut si uno contextu, propter copiam eligentium, fieri non posset, ac cibus, aut somnus capiendus foret.

Collig. 2. si post publicationem scrutinij, & tractatum collationis, ante electionem communem consensus electi *absolutè* requiratur, dici electionem communem non esse factam *eodem contextu*; secus, si solùm peterent, an consentire vellet, si communiter eligeretur; sic Pirhing *de elect. n.* 188. §. *not.* 2. *& seq.* & habetur *ex cit. c.* 46. ibi: *quia invenimus assensum tuum prius, quàm electus fueris* (nimirum electione communi) *requisitum.* Si autem post suffragiorum collationem electo, vel Electoribus objiciatur aliquis defectus, & appelletur ad Superiorem, nec ulteriùs procedatur; procedi potest nihilominus ad communem electionem, etiamsi res non liquida, sed dubia sit; quia Capitulares non possunt de illo defectu judicialiter cognoscere: si tamen deinde cognoscatur justa de causa fuisse appellatum, electio rescindi debet; de quo plura *in seqq.* 1915.

## ARTICULUS VII.

### *De libertate electionis.*

INter ea, quæ publicatò scrutinio possunt opponi electo, electione privata, esse potest, quòd non sit permissa libertas in Electoribus requisita, in electione tam communi, quàm privata; pro qua not. 1. consuetudinem contrariam libertati in electione Prælati Ecclesiæ vacantis, non valere, ut dicitur c. *cùm terra*, *de elect.* nec illam, per quam tolluntur ea, quæ ad substantiam actûs pertinent; *arg. c. 2. de consuet. in 6.* Hinc jure eligendi, penes Capitulum manente, non valet consuetudo, ut electio sic pendeat ab arbitrio alterius, ut in hujus potestate sit, electum admittere, vel rejicere, c. *cùm terra*, *cit.* ubi reprobatur à Cœlestino III. *tanquam redun-* 1916.

*dans in gravamen, & perniciem Ecclesiasticæ libertatis consuetudo*, qua in terra Hierosolymitana, cùm Prælati electio celebranda erat, conventus, ad quem electio pertinebat, duas personas Patriarchæ, vel Principis auribus insinuabat, ex quibus ille unum deligere, vel si mallet, totam electionem rejicere posset.

1917. Not. 2. posse per consuetudinem legitimam jus eligendi, competens Capitulo, restringi, vel etiam auferri, & in alia v. g. persona Ecclesiastica, vel dignitate constituti, ut colligitur *ex c. 2. de integr. restit.* ubi Episcopo allegante possessionem juris eligendi Abbatē, & Monachis nihilominus electionem celebrantibus, electio nec confirmata, nec infirmata fuit pendente controversia super jure Episcopo competente; id, quod etiam colligitur *ex c. cùm dilectus*, 8. *de consuetud.* ubi in summa dicitur: *de consuetudine potest indici, quòd una Ecclesia de gremio alterius teneatur sibi Prælatum eligere.* Et consuetudo est optima legum interpres. c. *Abbati*, 25. *de verb. signif.* Hinc etiam per consuetudinem legitimè præscriptam induci potest, quòd Conventus eligat duos, quorum unus ab Episcopo approbetur; sequitur à fortiori ex priori numero. Illud tamen not. cum Layman *in c. cùm terra*, *nu.* 2. non posse induci consuetudinem, ut jure eligendi remanente penes Conventum, eorum electio sic pendeat ab arbitrio alterius, ut electus (aut si duo electi, & propositi sint) uterque ab eo rejici possit; nam talis dependentia jure eligendi, stante penes Conventum, est contrà substantiā libertatis Ecclesiasticæ in electionibus, ut dicitur *cit. c. cùm terra*, 14. *h. t.*

1918. Not. 3. valere consuetudinem, per quam electus intimari debeat Principi, vel Patrono laico *ex cit. c. cùm terra*, ibi: *quo facto* (nimirum, postquam Ecclesiæ vacanti de persona idonea est provisum) *non prohibemus, quin Regis, seu Patriarchæ, qui pro tempore fuerit, requiratur assensus: sed propter hoc ipsam electionem nolumus impediri. & c. quod sicut*, 28. *eod.* ubi dicitur: non simplicem nominationem, sed *solemnem electionem* debere Principi exhiberi, ut postulationi præstet assensum; ac c. *sacrosancta* 51. *eod.* ibi: attendentes itaqua, quòd *jus eligendi* in collegiata Ecclesia *non cadit in laicum*, & ideo id esset pernicioſum exemplo, & redundaret in dispendium Ecclesiasticæ libertatis: volumus, ut dictum Prioratum liberè possis (non obstante compositione ipsa) sicut alios Prioratus tibi subditos ordinare *denuntiando Ordinationem factam Patrono, ut suum, si voluerit honestum impertiatur assensum.* Ubi tamen nota, eos consensum negare non posse, nisi ostendant Canonicum impedimentum electi; & eo etiam non dato, electionem effectum sortiri; sic Tholosanus *tract. de elect. c. 19. nu. 15.* Layman *de elect. Prælat. q. 22. V. etiam, c. quia igitur, dist. 3.*

Not. 4. licèt olim mos fuerit, quòd, 1920.
cùm electio Prælati peragenda esset, vocatorum Laicorum mens, & consilium requireretur, ut testatur D. Cyprianus *l. 1. epist. 4.* hodie tamen non permitti, *ut Laici*, quantumvis *Patroni sint, tractatui electionis se immisceant, arg. c. 1. dist. 63.* ibi: *nullus Laicorum Principum, vel Potentum, semet inferat electioni, aut promotioni Patriarchæ, Metropolitani, aut cujuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confusio, vel contentio; præsertim cùm nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum, vel cæterorum Laicorum habere conveniat*; sic Adrianus Papa *in 8. Synodo* Constantinopoli sub ipso celebrata. Et ideo irrita est electio Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi *à Principibus facta*, ut dicitur *c. omnis electio, 7. dist. ead.* Hinc esto in c. *quod sicut*, 28. *h. t.* dicatur, *honestam quidem esse consuetudinem, ut electio à Clericis peracta, Principi insinuetur*; additur tamen, *esse abusum, & pravam Ecclesiasticæ potestatis usurpationem, si Principi proponantur aliqui, ex quibus unum eligere possit*; & c. *Sacrosancta*, 51. *eod.*

Quamvis autem Molina *tr. 2. de justit.* 1921.
*D. 75. n. 8.* dicat, electionem in Ecclesijs Collegiatis non pertinere ad Patronum, sed ad Capitulum, *nisi Patronus, qui Ecclesiam fundavit, aut dotavit, id in pactum deduxisset, fuissétque concessum*; Layman tamen *in cit. c. Sacrosancta, n. 2.* meritò censet, ibi à Molina sumi *electionem* latissimè, prout idem est, ac *præsentatio*, ut notavimus *n.* 1809. Rationem hujus desumit; quia Molina pro confirmatione suæ sententiæ adducit Tridentinum *sess. 25. c. 9. de reform.* quod expressè loquitur *de actu præsentationis*, non autem

tem *electionis specificè sumptæ*, juxta *n.* 1809. nam nulla consuetudine Patronus Laicus, jus eligendi Rectorem Ecclesiæ Collegiatæ acquirere potest, secundùm gloss. *in c. à nobis*, 25. *de jure patronat.* communiter receptam; sic Covarruvias *in regul. Possessor*, *p.* 2. §. 10. *n.* 3. ad hoc enim necessarium est summi Pontificis privilegium; ut constat ex dictis *n.* 1766. nec enim omnia, quæ acquiri possunt privilegio, possunt obtineri consuetudine; quibus positis:

1921. Quæstio est, an, si Electores, metu gravi, & injusto, cogantur, ut eligant unum ex pluribus, vel certo genere personarum, electio sit jure valida? Resp. esse quidem jure validam (quia non est sublatum illis voluntarium simpliciter) per sententiam tamen Superioris rescindi, & cassari posse, cùm careat plena libertate, c. *cùm terra*, 14. *h. t.* de quo *supr.* Layman *n.* 3. Sanchez *l.* 4. *matr. D.* 12. *n.* 20. cujus ratio est, quia per injustum metum injuriam passi, ab, vel contra injuriantem restituendi sunt in eo, quo iniquè spoliati sunt. Cæterùm ille, qui alios cogit, certam personam, quam ipse vult, eligere, incurrit excommunicationem latæ sententiæ ipso facto, c. *Sciant cuncti*, 12. *de elect. in* 6. Requiritur autem, quòd gravamen sit injustum, quod non contingeret, si quis Monasterio negaret eleemosynam, aliàs indebitam; quia non elegit eum, quem ipse voluit; Suarez *D.* 23. *de censuris*, *S.* 4. *n.* 3. Hæc pœna habet locum in casu, quo injustè gravantur non tantùm Electores, sed etiam postulantes, præsentantes, confirmantes, instituentes, &c. imò etiam, si eo titulo injustè vexentur Electorũ consanguinei, usque ad quartum gradum inclusivè; patet ex illis verbis: *seu alios injustè persequendo*, & glossa V. *consanguineos*: Excommunicatio tamen illa non est Papæ reservata, sed absolvi potest ab Episcopo diœcesano, arg. c. *Nuper*, *de sent. excom.* & gloss. *in c. sciant cuncti*, *cit. V. sententia.*

## ARTICULUS VIII.

### *Quomodo intelligatur electio facta à parte majori, & saniori?*

1922. QUæstio procedit de electione simplici, non concurrente scilicet postulatione. Nam quid dicendum in casu, quo à Capitularibus unus *postulatur*, alius *eligitur*, dictum est *à num.* 1794. quoad præsentem quæstionem notandum ex c. *quia propter*, *h. t.* ut quis eligatur (*electione* nimirum *simplici*) cum effectu, requiri, quòd sit, *in quem omnes*, *vel major*, *& sanior pars Capituli consenserit.* Hinc si electio facta sit solùm à minori parte, electio est irrita; quia potestas eligendi est penes majorem, & saniorem partem Capituli; & si confirmetur per decretum Capitulare, adhuc est irrita, licèt post hanc illi parti minori etiam accedant reliqui, c. *auditis*, 29. *h. tit.* secus est, si accederent ante electionem communem; quibus positis:

1923. Quæstio est 1. quæ censeatur *pars major Capituli*, juxta mentem Capituli *quia propter*, 42. *h. t.*? Resp. quòd illa, quæ est *pars major absolutè totius Capituli præsentis*, & non tantùm, quæ est pars major respectu aliarum partium minorum, c. *Ecclesia* 48. *h. t.* cùm enim vacante Ecclesia Rothomagensi, convenientes Canonici ad electionem, in diversas sententias, & suffragia divisi essent; & quidam eorum in Thomam consensissent, alij quidam in Cancellarium, cæteri singuli in certas alias personas vota sua direxissent: controversia hæc, seu discordia ad Honorium III. Pontificem delata est, & post multa coram eo proposita, repertum est inprimis, quòd non major pars Capitularium, *absolutè* loquendo, sed solùm comparatione partium minorum, sua vota in Thomam contulerit. Deinde compertum, quòd post suffragiorum publicationem, & electionis tractatum, ad electionem processum non fuerit; tametsi enim solemnitas deportationis ad sellam Episcopalem, sive inthronizatio, & quidem post appellationem interpositam, secuta sit, tamen ea pro electione reputari haud debet: eapropter Pontifex id, quod circa Thomam factum est, cassavit; sed neque petitionem eorum, qui in Cancellarium consenserunt, admisit. Unde si ex 30. Electoribus præsentibus, decem consentiant in Petrum, novem in Paulũ, undecim in Joannem, Joañes haberet quidem majorem partem *respectivè*, sed non *absolutè*, consequenter ejus electio nulla foret. Not. tamen non sufficere, ut quis legitimè electus censeatur, *quòd in eum consentiat absolutè major pars*, vel numerus Electorum

præsentium, sed etiam requiri. 1. quòd *præsentes sint saltem duæ partes Capitularium*, eorum scilicet, qui volunt, & possunt interesse, alioquin vis Capitularis ad eligendum cessat, ut constat ex L. *nulli*, 3. *ff. quod cujusque univers. nomine*; & tradit gloss. ad L. *major*, 19. *ad municip.* secundò, *quòd quis etiam electus sit à saniore parte*, ex c. *quia propter*, ibi: *in quem major, & sanior pars Capituli consentit.* Nam ideo cassata est electio Thomæ in cit. c. *Ecclesia*, quia non fuit à majori parte; & ideo ad validam electionem requiritur *copulativè*, quòd facta sit *à majori, & saniore parte Capituli*, c. *Ecclesia*, 57. *de elect.*

1924. Casus, ut eum dilucidè exponit Layman, hic erat: cùm Ecclesia Cathalanensis vacaret, convenerunt Canonici, atque diem electionis faciendæ statuerunt, absente G. qui ei conventui interesse noluit; postea adveniente die præstituto, & dicto G. cùm adhuc absens esset, non vacato, electionis scrutinium factum, & publicatum fuit, atque repertum, quòd quatuordecim N. Præsbyterum Cardinalem, septemdecim verò R. Canonicum Remensem elegissent, cui electioni postea adveniens dictus G. consensum suum addidit.

In hac discordia, ex utraque parte missi sunt Procuratores ad Sedem Apostolicam; & verò pro electione R. allegabatur, quòd quatuor suffragijs alteram electionem superans, majorem Capituli partem (annumerato etiam suffragio dicti G.) habebat; quæ proinde etiam sanior reputari debeat; cùm ubi major numerus est, major etiam Zelus præsumatur.

1925. Ex parte verò adversa oppugnabatur electio R. quòd is in ætate defectum pateretur; nec scientiam sufficientem ad Cathalanensem Ecclesiam regendam haberet: deinde apparere, cùm ii, qui Cardinalem elegerunt, meritis, & auctoritate alios superarent, meliorem eos Zelum habuisse, præsertim habito respectu ad electum, quippe qui maturæ ætatis, & eminentis scientiæ sit. Addebatur ex parte hac, quòd consensus dicti G. (quem pars favens ipsi R. contemptum asserebat, quamvis pars altera diceret, quòd potiùs ipse Capitulum non adveniendo contempserit) cùm non in scrutinio præstitus fuerit, sed postea accesserit, suffragiorum numerum augere non potuit. Denique verò perpendendum, quòd Concilium generale sub Innocentio III. Papa, quando decernit, electionem invalidam esse, si contra formam in eo præscriptam peccatur, non debet ad contemptum & alia, quæ ad formam spectant, extendi; quale est illud, quod ibidem dicitur, ut omnibus præsentibus, qui debent, volunt, & possunt comodè interesse, electionis processus instituatur: ne alioquin nimia jurium antiquorum immutatio introducatur; cùm credendum non sit, Romanum Pontificem, cujus est jura tueri, quod aliàs multis vigilijs excogitatum, & inventum est, quasi uno verbo evertere voluisse.

Postquam hinc inde utriusque partis audita sunt fundamenta, & pleniùs intellecta, quæstionem Pontifex ita resolvit: *Nos ergo*, quæ hinc inde fuêre proposita, pleniùs intellectis (*cùm* ex Lateranensi Concilio *in ordinationibus Ecclesiarum major, & sanior pars Capituli exigatur*, & statutum generalis Concilij contineat inter cætera, ut is eligatur, in quem omnes, vel major, & sanior pars consentit) electionem dicti R. non personæ, sed potiùs electionis vitiô (cùm major, & sanior pars non consenserit in eundem) de fratrum nostrorum consilio duximus sententialiter irritandam. 1926. 192

Quæstio est 2. quæ pars dici possit sanior? Resp. quòd ea, quæ eligit majori Zelô, qui desumitur ex animo, sive sincero affectu eligentium sine respectu sanguinis, amicitiæ, vel utilitatis, sine solicitudine precum, secundùm merita personæ eligendæ; item ex authoritate, prudentia, experientia, dignitate, & antiquitate eligentium, &c. In dubio autem illa præsumitur *sanior*, quæ major est numerô; sed contra hanc præsumptionem admittitur probatio; & si ex collatione suffragiorum clarè constet, ex una eligentium parte auctoritatem, & Zelum eligentium, & merita electi, alteram notabiliter excedere, ea præsumptio cessat, ut colligitur *ex c. Ecclesia*, 57. *de elect.* Quid autem dicendum in casu, quo una eligentium pars est *major numero*, altera verò dicatur sanior, seu sit *major auctoritate* eligentium? Resp. desumendum ex dictis *à nu.* 1922. 1927. 193

Ex dictis deducitur 1. etiam Cardinalem, non Episcopum, posse esse Canonicum 1928.

cum Ecclesiæ Cathedralis, prout fuit in casu *dicti c. 57. Ecclesia vestra*, ut notat Imola, Abbas, & alij, ibidem, qui volunt per assecutionem Cardinalatûs non vacare reliqua officia minora, quæ non sunt curata, vel personatus, nec exigunt residentiam; sic enim opus foret dispensatione.

Deducitur 2. non valere electionem factam à saniore Capituli parte, nisi etiam sit pars major; prout constat ex hoc ipso capitulo; quandoquidem ex parte G. Presbyteri Cardinalis non eo fine allegatum fuit, Electores ejus meritis, & auctoritate excelluisse, ut electio ejus à Pontifice confirmaretur; sed tantùm ut R. Canonici Remensis rescinderetur: quare etiam Pontifex nihil in sententia de illa electione expressit, satis indicans, post rescissam electionem ejusdem Canonici, de qua lis mota fuerat, ad aliud scrutinium accedendum esse.

## ARTICULUS IX.

### *De loco, & tempore Electionis celebrandæ.*

1929. QUantùm pertinet ad locum electionis Prælati *collegialiter* faciendæ, eam celebrari debere in *uno* loco, dicitur *in c. cùm terra*, 14. *h. t.* ibi: *Electores in unum locum, in quo fuerit electio celebranda, conveniant, & , invocatâ Spiritûs S. gratiâ, personam nominent*; electio autem Episcopi, si possit, fieri debet *in Ecclesia Cathedrali*, vel intra ejus ambitum, c. *quod sicut*, 28. ibi: *cùm juxta constitutiones canonicas, si fieri potest, in Cathedrali Ecclesia celebrari debeat*, c. *qua fronte*, 25. *de appellat.* & c. 1. *dist.* 23. vel in choro Ecclesiæ, c. *cùm nobis*, 19. *h. t.* vel etiam in alio conclavi honesto secundùm consuetudinem cujusque Ecclesiæ, &c.

1930. Quantùm autem spectat ad tempus, beneficia conferenda sunt ab eo, ad quem spectat provisio, *intra sex menses*, c. *nulla*, 2. §. *cùm autem, de præbend.* Nam dilatio est Ecclesijs damnosa, & animabus pernicioſa, c. *quàm sit*, 6. *de elect. in* 6. & hæc constitutio procedit non tantùm in collationibus, sed etiam electionibus, etiã beneficiorum Regulariũ, c. *dilectus*, 12. *de præb.* imò etiam in hospitalibus conferri solitis in titulum: non autem in Prælaturis principalibus Ecclesiarum Cathedralium, & Regulárium. Nam hæ *ultra tres menses* vacare non debent, propter majus periculum, c. *ne pro defectu*, 41. *de elect.* Quibus positis:

Quæres 1. an hoc tempus semestre currat impedito, quo minùs conferat; vel ignoranti vacationem? Resp. quòd non, intellige, quando hoc tempus præfixum est non in odium negligentiæ, sed in favorem alterius; & ideo in illo casu currit tempus etiam impedito, & ignoranti, *arg. L. Genero*, 8. *ff. de his, qui notantur infamiâ*: secus est in secundo. Hinc in secundo casu numerari debet non à tempore, quo beneficium *vacavit*, sed quo collator *scivit*, & conferre potuit, c. *quia diversitatem, de præbend.* quod procedit, sive sit impedimentum juris, sive facti, v. g. si collator sit suspensus; aut si suspensus post absolutionem adhuc maneat apud Sedem Apostolicam; ex quibus primum est impedimentum *juris*; alterum, *facti*; quia in secundo casu agitur de præjudicio tertij, cui executoris mora obesse non debet; Abbas *in cit. c. quàm sit, nu.* 3. Et not. quando dicimus, quòd *tempus non currat impedito*, intelligi etiam, licèt ob culpam propriam in tale impedimentum inciderit, modò culpa non sit ejus causa proxima, ut est in casu c. *quàm sit.* Porro tempus, quod currit etiam impedito, est *continuum*; quod autem non currit impedito, vocatur *utile*, gloss. *margin. in c. bene novit.* 18. *lit. B. dist.* 61. 1931.

Quæres 2. quid dicendum, si provisio non fiat intra præscriptum tempus? Resp. si ad Episcopum jure proprio spectet collatio beneficij vacantis, & hic illud non conferat intra debitum tempus, potestatem ejus conferendi devolvi ea vice ad Capitulum, jure sic disponente propter communionem, quæ est inter Episcopum, & Capitulum, tanquam inter Caput, & membra ejusdem Corporis; si spectet ad Capitulum, & similiter intra tempus præfixum non conferat, devolvi ad Episcopum: utroque negligente, ad Metropolitanum, *c. nulla, 2. si autem, de præbend.* Ex quo colliges, quòd potestas conferendi beneficia devolvatur gradatim ab inferiore ad proximum Superiorem, donec veniatur ad Papam. Dixi: si collatio spectet ad Episco- 1932.

Episcopum *jure proprio*, quatenus scilicet est illius Ecclesiæ Episcopus, in quo jure etiam Capitulum aliquo modo communicat; non verò, quando ad eum spectat *jure devoluto*; sic Azor *p. 2. lib. 6. c. 27. q. 2.* nam tali casu, Episcopo negligente, potestas devolvitur ad Metropolitanum.

1933. Et hoc procedit etiam in collatoribus Regularibus, in quorum negligentia potestas conferendi beneficia devolvitur ad Ordinarium, in cujus diœcesi ea sita sunt, si Prælati non sint exempti. Si autem sint exempti, Ordinarius ea conferet ut delegatus Papæ, juxta Clem. *unic. de suppl. neglig. Prælat.* Quamvis autem vi *c. 2. de conceff. præbend.* ut dictum est, in casu negligentiæ potestas conferendi beneficia vacantia devolvatur ad proximum Superiorem, hoc tamen intelligi debet de beneficijs vacantibus infra Episcopatum, & reliqua hoc superiora, c. *dilectus*, 12. *de præbend.* sive hæc minora dentur collatione, seu electione, ut notat Pirhing *de conceff. præbend. nu. 37. in fine*: postea tamen etiam circa Prælaturas principales quoad jus devolutionis aliter statutum est, ut dicemus infrà. Ei autem, ad quem devolvitur potestas conferendi beneficium, propter negligentiam inferiorum conceduntur *sex menses*, intra quos conferre debet, computandos non à die juris devoluti; sed à die, quo scivit illud jus esse ad se devolutum, quod procedit de singulis, ad quos gradatim fit devolutio; sic Azor *cit. q. 10. & 12.*

1934. Quæres 3. an elapso tempore, à jure præfixo, prosit purgatio moræ, ut tunc valida sit collatio beneficij à moroso facta? R. quòd non; quia potestas conferendi ipso jure jam ad alium translata est; quamvis Superior, ad quem devoluta est, inferiori concedere possit potestatem conferendi idem beneficium non jure proprio, sed concedentis; sic Rebuff. *in praxi benefic. Tit. de devolut. nu. 32.* Azor, *cit. c. 27. q. 16.* Potestas autem conferendi beneficia, per devolutionem ad alium transiens, cum iisdem conditionibus transit, quæ priùs annexæ illi erant: nam id, quod in alterius locum subrogatur, subit conditionem ejus, cui subjicitur, *L. 1. ff. de solut.*

1935. Quæres 4. an, si Episcopus beneficium, quod conferre ad ipsum solùm pertinet, propter aliquam censuram impeditus est à collatione facienda, potestas penes eum maneat, & tunc censeatur impeditus? R. quòd sic, ex c. *quia diversitatem, de conceff. præbend.* cujus textus multùm allegabilis sic habet: Conquerebatur inter cætera Eboracensis Archi-Episcopus, quòd, cùm ad eum in Ecclesia Eboracensi, & alijs suis Ecclesijs collatio pertineat præbendarum, *tempore suspensionis ipsius*, & postmodum etiam quidam præter ejus auctoritatem se intruserunt in ipsas: mandamus, quatenus eos, qui præbendas, vel dignitates Ecclesiæ Eboracensis, vel aliarum ad donationem ejus spectantes, præter auctoritatem acceperunt ipsius, ad eas resignandas monitione præmissa per excommunicationis sententiam, & subtractionem aliorum beneficiorũ, non obstante confirmatione à Sede Apostolica obtenta, sub forma cõmuni, qua confirmat beneficia & præbendas, sicut justè, & pacificè possidentur: appellatione remota compellas: nisi fortè aliquis ea vel speciali mandato Apostolicæ Sedis, vel auctoritate Lateranensis Concilij ab Eboracensi Capitulo sint adepti: sic tamen, *ut tempus suspensionis in sex mensibus nullatenus cõmutetur:* cùm illa Lateran. Concil. constitutio *contra negligentes* tantùm fuerit promulgata: & tunc, si voluerit, non tamen valuerit Archi-Episcopus ipse in conferendis præbendis uti propria potestate: à qua etsi fuerit suâ culpâ suspensus, non tamen ad ipsum Capitulum ex illa culpa præbendarum erat donatio devoluta: sed ad illum tempore suspensionis illius, præbendarum donatio pertinebat, qui præter ejus desidiam, & negligentiam poterat præbendas donare: *Tempus etiam, quo ad Apostolicam Sedem accessit, & apud illam permansit, vel recessit ab illa, intra sex menses nullatenus computetur.* Semestre autem tempus non à tempore vacationis præbendarum, sed *notitiæ ipsius potiùs* volumus computari.

Si autem spectet simul ad Episcopum, 1936.
& Capitulum, collatio erit penes Capitulum, *cap. unic. ne sede vacante, in 6.* ubi circa hanc materiam plura constituit Bonifacius VIII. dicens: si ad Episcopum, & Capitulum communiter pertineat collatio præbendarum: mortuô Episcopô, vel à beneficiorum collatione suspenso, poterit Capitulum vacantes conferre præbendas: etiamsi Episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi ut Prælatus.

latus. Idem poterit Episcopus, si Capitulum ab ipsa collatione suspendi contingat: vel singulariter omnes de Capitulo majoris excommunicationis vinculô innodari. Ubi verò ad *solum* Episcopum præbendarum spectat collatio: cum consilio sui Capituli, vel assensu: defuncto Episcopo, vel suspenso (nisi Episcopus in petenda relaxatione suspensionis hujusmodi sit in mora) Capitulum se non potest intromittere de eisdem. Demum, si de speciali alicujus Ecclesiæ consuetudine, vel statuto, beneficiorum collatio ad aliquem cum consilio Episcopi noscitur pertinere: sablato Episcopo de medio (cùm consilium nequeat tunc peti ab eo) non erit propter hoc vacantis beneficij collatio differenda: nec etiamsi egerit in remotis, ita quòd non possit ipsius præsentia in brevi haberi. Quia in petendo, vel exspectando ejus consilio, posset vacanti beneficio periculum imminere: jurisdictio tamen Suffraganei excommunicati ad Metropolitanum non devolvitur, *per c. 1. de suppl. neglig. Prælat. in 6.*

1937. Quæres 5. an devolutio non tantùm fiat in casu negligentiæ, sed etiam in casu collationis *factæ indigno*, & inhabili? R. quòd sic, ex c. *cùm in cunctis*, 7. §. *Clerici sanè, de elect.* ibi: Clerici sanè, *si contra formam istam quemquam elegerint: & eligendi tunc potestate privatos, & ab Ecclesiasticis beneficijs trienio noverint se suspensos*; dignum est enim, ut quos Dei timor à malo non revocat, Ecclesiasticæ saltem coërceat severitas disciplinæ: *Episcopus autem*, si contra hæc fecerit, aut consenserit fieri: in conferendis prædictis officijs & beneficijs *potestatem amittat*, & per Capitulum, aut per Metropolitanum (si Capitulum concordare nequiverit) ordinetur. Quæ postrema verba in Rubrica sic summantur: *per Capitulum, aut Metropolitanum* (si Capitulum concordare nequiverit) *ordinetur*. Et hoc etiam procedit de confirmatione, institutione, vel admissione indigni, *scienter* facta, ut colligitur ex glossa *in cit. c. V. fecerit*, Azor *c. 27. q. 3.* Superiori autem, ad quem fit devolutio, competit tunc jus conferendi beneficium devolutum, ac etiam mittendi in possessionem; quia hoc ad illud accessoriè se habet; sic Abbas *in cit. c. dilecto*, §. *præterea, de præbend. n. 2.*

Quæres 6. ad quem ergo devolvatur potestas conferendi principales dignitates in casu negligentiæ eorum, ad quos pertinet? Resp. sub Alexandro III. in hoc casu devolutionem non esse factam ad proximum Superiorem, ut constat ex c. *dilectus, de conceff. præb.* postea tamen sub Innocentio III. ut habetur c. *Ne pro defectu*, 41. *de elect.* decretum fuisse, ut propter negligentiam non egligentium (non autem ob electionem indigni, vel neglectæ formæ) intra trimestre, potestas eligendi Prælatum, in Ecclesijs Cathedralibus, & Regularibus devolveretur ad proximum Superiorem, ad quem pertinet confirmatio electionis; sic Abbas *in cit. c. dilectus, n. 3.* Et quia jus, confirmandi Episcopos, communiter jam pertinet ad Papam, ad eum in casu dato fiet devolutio. Quia verò Innocentius III. in constitutione Alexandri III. nihil mutavit, quoad alios duos casus, ubi scilicet electus est indignus, vel non servata forma; ideo in his manet dispositio c. *dilectus*; & devolutio in illis fit ad Papam. 1938.

Præter hæc not. si præbendæ Canonicorum non sint divisæ in aliqua Ecclesia, sed omnes reditus ad communem mensam pertineant, & numerus Canonicorum non sit determinatus, præbendam per mortem, vel renuntiationem Præbendarij propriè *non vacare*, consequenter non esse locum devolutioni propter negligentiam præbendæ intra semestre non collatæ alteri, c. *ex parte*, 10. *de conceff. præbend.* in talibus tamen Ecclesijs non numeratis (ubi scilicet non est determinatus numerus Canonicorum) potest Superior, v. g. Episcopus, Prælatum, & Capitulum compellere ad recipiendum eum numerum Canonicorum, quotus ali potest communiter secundùm facultatem redituum illius Ecclesiæ; & præfigere terminum, intra quem fiat receptio. 1939.

## ARTICULUS X.

### *A quibus electio impugnari possit?*

RESP. à *quovis* impugnari posse electionem factam, & faciendæ aliquid opponi *ex justa causa*, si ejus, vel proprio, vel alieno nomine interfit, c. *cùm inter*, 21. *h. t.* non autem ab alio, cujus non interest 1940.

tereſt, c. *cùm inter*, 16. *eod.* Ejus autem *intereſſe* dicitur, qui vel eſt Capitularis, vel Clericus, qui eſt membrum illius Eccleſiæ; non autem ab Electoribus, poſt electionem, vel ſcrutinium publicatum, c. *Nulli*, *eod. in* 6. ubi dicitur, quòd eligentes aliquam perſonam, *poſtquam electio publicata eſt*, audiendi non ſint, ſi eam oppugnare velint, objiciendo ipſi electo aliquod crimen, vel defectum: *niſi cauſa impugnationis poſtea acceſſerit*, v. g. quia electus adminiſtrationi ſe ſtatim immiſcuit: vel niſi cauſa oppugnandi priùs aderat, ſed probabiliter ignorata: quo tamen caſu, ignorantiam ſuam, juramentô confirmare tenetur, qui electionem oppugnare vult; & habet hæc conſtitutio etiam locũ in illo, qui electionem ipſo abſente factam, poſtea conſenſu ſuo approbavit; ita Gregor. X. *in Concilio Lugdun. c.* 7.

1941. Si autem accidat, electionem in diſcordia celebrari, decernit Gregor. X. *in eod. Concil. Lugdun. c.* 8. ut pars illa eligentium, quorum data ſuffragia in duplo minore numero ſunt, nihil alteri parti, pro qua ſtat numerus duplo major, objicere poſſit, quod ſpectet ad extenuationem Zeli, aut meriti, dicendo videlicet, eſſe Electores minoris auctoritatis, aut electum minùs dignum: at verò objicere poſſunt eligentibus, quòd ſuffragia eorum omnino vitiet, v. g. fuiſſe excommunicatos, & ſuſpenſos; ſic habetur c. *ſi quando* 9. *h. t. in* 6. Quibus poſitis:

1942. Quæſtio eſt 1. an, qui renuntiavit electioni, de ſe factæ, poſſit appellare ad impediendam electionem alterius Prælati? & negativè, ex c. *cùm inter*, 16. *de elect.* ibi: Nos attendentes, quòd, ex conſenſu compoſitionis receptæ, jus (ſi quod ſibi competiêrat) R. ſenior amiſſiſſet, ac per hoc, ne Monachi ad electionem procederent, de jure minimè appellare potuiſſet, cùm, *niſi quorum intereſt*, audiri non ſoleant appellantes: appellationem illam dicimus legitimam non fuiſſe: unde per eam electio non potuit impediri. Nam appellatio ab eo facta, cujus nihil intereſt, non valet, ut dicitur *in cit. cùm inter*. Not. tamen 1. quòd electio facta, poſt extrajudicialem appellationem, legitimè interpoſitam, non ſit irrita ipſo jure, ſed irritanda à Superiore; quia talis appellatio non inducit ſuſpenſionem, cit. c. *cùm inter*, *junct.* gloſſ. V. *appellationem.* Not. 2. ſi electio alicujus caſſetur, non ob vitium perſonæ electæ, ſed ex alio capite, id non obeſſe electo, ſed eum iterum eligi poſſe etiam in eadem Eccleſia, c. *Supereo*, 12. *h. t.* cùm enim quæſitum fuiſſet ex Pontifice Clemente III. ſi alicujus electio caſſata ſit, is autem poſtea ad aliam Eccleſiam eligatur, num confirmatio ipſi dari debeat? reſpondit Papa, *ſi prior electio caſſata fuerat non vitiô perſonæ, ſed ob formam electionis non ſervatam, nihil impedire, quò minùs ad aliam, imo verò etiam eandẽ Eccleſiam promoveatur*; præterquam, ſi ſimoniacæ pravitatis aliquid intervenerit: poteſt tamen Papa ob tollendum ſcandalum, & cauſam diſcordiæ, ne certa perſona, licèt aliàs idonea, eligatur, prohibere, niſi omnes Capitulares in eandem perſonam convenirent.

Quæſtio eſt 2. quando in electionibus 1943.
Epiſcoporũ, & Superiorum appellari poſſit ad Sedem Apoſtolicam? Reſp. poſſe, quoties adeſt cauſa probabilis, ſed tunc hæc cauſa in ſcriptis exhiberi debet, &, ſi probata fuerit, appellatio admittitur, quamvis partibus ab hac appellatione reſilire liceat, antequam Sedi Apoſtolicæ præſentetur, modò nulla pravitas, ſeu pactio, aut promiſſio ſimonica interveniat; ſic Greg. X. *in Concilio Lugdunenſi*, *c.* 9. an autem talis pravitas non intervenerit, inquirere pertinet ad Judicem, *à quo* appellatur; & ſi hac inquiſitione omiſſâ, electũ confirmet, confirmatio (non tamen electio) eſt nulla non quoad poteſtatem ordinis (ſi acceſſit conſecratio) ſed quoad executionem, c. *quamvis*, 10. *de elect. in* 6. nam licèt Alexander IV. Pontifex quaslibet appellationes, in cauſis Epiſcopalium electionum, ad Sedem Apoſtolicam, admittendas eſſe decreverit, propterea, quòd ejusmodi cauſæ, ſeu controverſiæ meritò inter majores numerentur, quarum cognitio Sedi Apoſtolicæ reſervatur, *c. majores*, *de Baptiſmo*, & c. *ut debitus*, 59. *de appellat.* Gregorius X. tamen ad reprimendam appellationum frequentiam, & appellantium temeritatem coërcendã, ſtatuit, ut, ſi in cauſa Epiſcopalis electionis appellatum fuerit, ei appellationi non deferatur, neque negotium ad Sedem Apoſtolicam devolvatur; niſi appellatio *in ſcripto* propoſita fuerit, adjecta cauſa rationabili, quæ, ſi probata ſit, legitima cenſe-

censeri debeat. Sin autem nulla causa adjecta sit, vel quæ frivola apparet, appellatio rejiciatur.

1944. Subjungitur : sed *tametsi appellationi deferatur*, nihilominus *liceat partibus* (nulla tamen simoniaca pactione intervenient) *ab ea recedere, priusquam Apostolicæ Sedi repræsentata fuerit.* Aque ipsi Judices, ad quos causa pertinuisset, nisi appellatum fuisset, diligenter inquirant, num simoniaca pravitas intervenerit; &, si interveniisse cognoscant, nequaquam se intromittant, sed ad Sedem Apostolicam causam ablegent, præfigentes partibus peremptorium temporis terminum, intra quem cum omnibus actis, & instrumentis, Apostolico se conspectui sistere debeant.

1945. Cùm aum in in c. *quamvis*, 10. *h. t. in* 6. ut dictum est, statuerit Gregorius X. si in causa electionis Episcopalis ad Sedem Apostolicam appellatum fuerit, sed partes postea ab appellatione recedant, quòd Metropolitanus, à quo appellatum erat, diligenter inquirere debeat, num simoniaca pactio intervenerit? & si interveniisse intelligat, causam ad Sedem Apostolicam ableget; nonnulli autem Metropolitani, amissa hac inquisitione ad Episcopi electi confirmationem, & consecrationem processerunt; decernit hìc Bonifacius VIII. eam confirmationem, & consecrationem, aliósque processus irritos esse debere; & confirmantem, ac consecrantem ab Episcoporum confirmatione, & consecratione, per annum continuũ, ipso jure suspensum: ut in eo ipso, in quo peccaverit, puniatur; sic habetur in c. *provida*, 44. *h. t. in* 6.

1946. Not. præterea 1. cùm aliquid opponitur per appellationem ad Papam contra electum ad dignitates, personatus, vel Canonicatum, partes vel per se, vel per procuratores debere venire ad Papam intra mensem à die objectionis, cognitæ Adversario, numerandum : si autem una parte præsente altera non advenerit, adhuc per 20. dies, post adventum alterius partis, exspectandam esse alteram; postea verò non obstante alterius absentiâ procedendum esse, prout debet de jure, c. 1. *de elect. in* 6. Ex quo etiam collig. electionem, postulationem, aut provisionem, vel institutionem, alicujus in beneficio Ecclesiastico, duabus de causis, oppugnari posse 1. quòd forma observata non sit, 2. quòd aliquid sit prætermissum, quod ex jure, seu justitia requiritur. Deinde Procuratorem admitti posse in causa impugnatæ electionis, postulationis, aut provisionis, licèt crimina, & defectus objiciantur personæ electæ; ad hoc tamẽ debere habere speciale mandatũ.

Not. 2. eum, qui apud Sedem Apostolicam alicui objicit aliquid contra formam, seu processum electionis, condemnari ad expensas parti, si non plenè probet; si autem aliquid contra personam electi, vel provisi, nec plenè probet, à beneficijs Ecclesiasticis, quæ in illa Ecclesia obtinet (juxta c. *si compromissarius*, 37. *h. t. in* 6.) per triennium esse suspensum, nisi manifestè ostendat, se ductum probabili ignorantia; hæc enim excusat succumbentem in probatione, non solùm ab expensis, sed etiam à pœna juris; sic Layman *in c. statuimus. h. t. n.* 3. 1947.

Præter dicta not. 3. electionis, aut postulationis rescissionem peti posse à quolibet contempto, deducitur ex c. *Bonæ*, 4. *de postulat. Prælat. junct.* gloss. V. *eis contemptis*; & c. *Bonæ*, 36. *de elect.* Nam electio, & postulatio quoad jus suffragandi æquiparantur in jure; quod verum est, si vel unus contemptus sit; Layman *in cit. c. Bonæ*, 4. *nu.* 6. *& c. quod sicut*, 24. *h. t.* & licèt electio talis jam confirmata foret; nam confirmatio innititur electioni, consequenter hac cadente, vel impugnata, cadit, vel impugnatur etiam illa; intellige tamen, modò contempti non cesserint juri suo; electionem tamen factam cum contemptu unius, non potest Judex *ex officio* rescindere; quia hìc, ut suppono, solum agitur de favore privato, non publico; sed intellige, si contemptus remittat. 1948.

Not. 4. eum, qui appellat causâ electionis, vel provisionis, teneri objicienda exprimere in instrumento cum juramento coram publica persona, vel Magistratu de veritate dicenda per c. *ut circa*, 4. *h. t. in* 6. seu, quòd credat vera esse omnia, quæ opponit; & se probare posse; secus, est repellendus, c. *Is, cui*, 19. *eod. in* 6. & quidem *omnia*; quod, cùm aliqui malè interpretarentur, & dicerent, sufficere (ad verificandum ly *omnia*) si Actor jurârit, se credere, vera esse objecta, & à se probari posse, saltem ea, quæ sufficiant ad causæ suæ victoriam, seu, ut electio infirmetur; hanc interpretationem rejecit Bonifacius VIII. dixitque *jurandum esse, sicuti Gregorius X. præscripsit, quòd credat* 1949.

*vera esse, quæ objecit, & se probare posse: alioquin nisi ita juraverit, omnino repellendum esse;* ratio autem, cur ita statuerit Greg. X. ea est, quam affert gloss. ibi: quia intentio illius fuit, Actoris calumniam reprimere, atque punire, quæ, uno etiam objecto falso, committi potest, atque mereri, ut tota accusatio rejiciatur. Et hoc procedit, si appelletur contra electionem jam factam, sive faciendam; sic Layman *in c. qui contra*, 20. *h. t. in 6.*

1950. Not. 5. ubi est votorum pluralitas, præsumi etiam, quòd vota sint saniora, donec contrarium probetur, *arg. c. 1. & 22. h. t.* adeóque volentem oppugnare electionem ex eo, quòd, licèt electus habuerit *majora*, non tamen *saniora*, teneri ad probandum in eo numero majori deficere, quòd requiritur, ut pariter dicantur *saniora*, de quo *V. nu.* 1922. Not. 6. quando electionem impugnans, objicit defectum manifestum, de hoc esse primò audiendum; per *c. quamvis*, 10. *h. t. in 6. & c. ab eo*, 31. *eod. in 6.* si autem in probatione defecerit, regulariter non esse audiendum in alijs *per cit. c. ab eo*; *& c. si fortè*, 11. *eod. lib. & tit.* quod verum est, licèt mutet consiliũ, aut electꝰ consentiat; quia mutare consilium non licet in alterius detrimentum, *per reg.* 33. *de reg. juris in 6.* & provisionem Ecclesiæ differre, donec talis rursum audiatur, damnosum est Ecclesiis.

## ARTICULUS XI.

### *De electione per compromissum.*

1951. QUid sit, & qualiter fiat electio per compromissum? constat *ex n.* 1887. Porro de Judice compromissario, qui à partibus sponte, & nulla lege cogente eligitur, vocaríque solet *Arbiter*, dicemus infra *tit.* 43. in præsenti agimus de compromisso, quod contingit, dum à Capitulo certis personis facultas datur eligendi, quem Prælatum dignum judicaverint, c. *quia propter* 42. §. *vel saltem, de elect.* Circa istum eligendi modum: quæstio est 1. an valeat compromissum, si vel unus de Capitularibus, habentibus jus eligendi dissentiat? responsio est negativa, ex c. *quia propter*, 42. *h. t.* ibi: *à singulis de Capitulo*; quamvis Layman apud Pirhing *de elect. n.* 204. probabile putet valere *compromissum*, si major, & sanior pars consentiat, esto unus, vel alter non consentiat, modò non contradicat positivè. Si autem unus compromitteret nomine omnium, alijs præsentibus, non contradicentibus, probabilius est, compromissum non valere; nam in re tam gravi, & onerosa, taciturnitas non habetur pro consensu. Et in hac electione, nisi caveatur in compromissione, forma scrutinij non est necessario servanda; nam in c. *quia propter*, §. *vel saltem*, compromissum proponitur, ut forma eligendi, *diversa* à forma scrutinij. Not. autem, compromissionem fieri posse vel absolutè, vel limitatè: in illa tota potestas, in ipsa solùm juxta præfixos limites in compromissarios transfertur; sic gloss. in c. *cùm dilectus*, *V. de gremio*, *de elect.* Hæc tamen forma compromissi (ut electus censeatur, in quem major numerus compromissariorum comparatione aliarum partium consenserit) non admittitur; ita Streinius *cit.* §. 2. *nu.* 3. ex c. *si cui*, 23. *de elect. in 6.* ubi expressè dicitur, *quòd si Compromissarius, secundùm traditam sibi formam, ut secretò, & singulorum voluntatibus in scriptum redactis, illum eligat, in quem non major pars Capituli, sed plures, aliorum comparatione, consenserint, irrita sit electio.* Ex hoc colliges, non requiri, quòd omnes Compromissarij in unum consentiant, sed sufficere, quòd in eũ consentiat pars, quæ est *absolutè major.*

Dices: Capitulares, communi omnium 1952.
consensu, in unam personam, v. g. Episcopum, compromittere possunt, ut ipsis Pastorem idoneum nominet, quem recipere teneantur, uti habetur in c. *causam*, 2. *extra*, *h. t.* ergo etiam communi omnium consensu compromittere possunt sub hac forma, ut, in quem major pars, comparatione aliarum partium consenserit, is in Prælatũ eligendus sit. R. N. conseq. discrimen est, qui ex c. *causam*, pro antecedente solùm evincitur, stare illud Compromissũ, *quando in unum, eumq; Superiorem, qui & confirmare potest, compromittitur, translata in illum eligendi facultate:* in casu autem c. *si cui*, agitur de compromisso in unum, vel plures, *non translata in eos facultate eligendi utcunque*, sed solùm excipiendi vota Electorum, ea redigendi in scriptũ, juxta c. *quia propter*, ac postea primùm eligendi; cùm ergo juxta c. *quia propter*, tali casu servandum, non sufficiat major respectivè, sed debeat esse major absolutè

numerus votorum, rectè dicitur, in hoc compromisso non valere electionem. Et hoc procedit universim, ubi electio Capitularis, sive per scrutinium, sive per compromissum (nam & hæc, cùm fiat vice Capituli, Capitularis est) fieri debet; cùm plus juris in Compromissarios transferre non possit Capitulum, quàm ipsum habeat; omnis autem electio capitularis requirit majorem simpliciter votorum partem, ut dictum est; ergo.

1953. Quæstio est 2. unde Compromissarij assumendi sint? Resp. quòd non nisi ex *Clero*; sic Abbas, c. *causam, de elect. n.* 8. nisi Laicis specialiter committatur à Papa. Non tamen requiritur, ut Compromissarij assumantur *ex Capitulo*, cùm possint esse etiam alij Viri idonei; ratio sumitur *ex n. priori.* In praxi conducet *numero impari* eligere Compromissarios, quamvis etiam numero pares esse possint; imò etiam in unum, præsertim Superiorem, compromissum fieri potest; ut constat ex c. *causam*, 8. *de elect.* Moniales autem, si velint eligere per compromissum in unam personam, possunt compromittere, etiam in unicum Virum, ut liquet *ex cit. c. causam*, ibi: *si sorores in Episcopum electionem contulerint*, promittentes, quòd illam, quam eis provideret, reciperent, *ipsam, quam providerit, facias ab eis* (si tamen existat idonea) *in suam recipi Abbatissam.* Cæterùm, si compromissio fiat in Superiorem, qui etiam habeat potestatem confirmandi electum, non potest simul eligere, & confirmare; sed debet priùs eligere, electum Capitulo proponere, & si in eo defectus non appareat, confirmare; quia sunt actus diversorum jurium; sic Pirhing *cit. n.* 207. *2. Not.* excipe, nisi eligat ex potestate devoluta.

1954. Quæstio est 3. an Compromissarii possint eligere unum ex suo numero? Resp. posse, nisi obstet prohibitio; cùm jure suo, per compromissum, non priventur, c. *cùm in jure*, 33. *de elect.* ubi dicitur: *si ex septem Compromissarijs tres eligunt quartum, & ille consentit, & est idoneus, confirmandam electionem.* Hinc si duo Compromissarij, tertium ex suo numero elegerunt, iste (si aliunde habeat jus eligendi) potest alijs accedere, consentiendo in se ipsum; sumitur *ex cit. c. cùm in jure*; & modò illi alius Canonicus defectus non obstet, electio valet. Ex hoc deducitur, si tres Electores essent, quorum unus Titium eligeret, is suffragium suum pro se addere posset, ita, ut per illa duo suffragia censeatur electus; similiter, si essent tantùm duo, potest unus alterum eligere, & hic illi accedere suffragio suo. Neque de ambitu hìc quærendum; cùm ambitiosus censeri non possit, qui aliorum de se, vero, & benigno judicio accedit; Streinius *cit. n.* 5. Si tamen in unum tota potestas conferretur, ordinariè se ipsum eligere non poterit, ne ostendat cæco sui amore se corruptum; si tamen se ipsum alijs proponeret, & hi eum acceptarent, non videretur rationi dissonum; sic fecisse dicitur Joannes XXIII. ut notat Streinius *cit.*

Quæstio est 4. qualiter finiatur compro- 1955.
missum? R. per se loquendo finiri 1. tempore præfixo 2. absoluta electione, quamvis irritâ 3. si aliqua conditio non sit servata: si tamen duo ex tribus indignum eligant, totam potestatem devolvi ad tertium innocentem, affirmat Abbas in c. *si Compromissarius, de elect. in* 65. quamvis probabilis sit, eam tunc devolvi ad Capitulum; cùm mens compromittentium præsumatur fuisse, electionem à pluribus fieri; sic Streinius *cit. nu.* 7. Cæterùm compromissum, communi consensu factum, regulariter revocari non potest 1. si tractatus jam est cœptus; secus, si sola præparatoia, c. *in cansis*, 30. *h. t.* ubi, ut summatur in rubrica, expressè habetur, potestatem datam Compromissarij ad eligendum Prælatum, *re non integra revocari non posse*: & desinere rem esse integram, postquam Compromissarij cœperunt habere tractatum. 2. si compromissio facta sit in gratiam Compromissariorum; sic enim se habet instar donationis, quæ non revocatur, nisi ex gravi causa.

Quæstio est 5. qualiter celebranda sit 1956.
*communis electio* post factam electionem à Compromissarijs? R. hanc electionem Compromissariorum per unum eorum esse publicandam, ut dicitur de communi electione per formam scrutinij; cùm electio fieri debeat capitulariter, ut habetur ex c. *sicut*, 12. *h. t.* Illud etiam hìc notandum, quòd, si Compromissarij constituantur cum conditione, ut certas personas in consilium adhibeant, teneantur eas monere

nere de tempore respondendi, permisso illis spatio; non tamen teneantur necessariò earum consilium sequi, nisi sint consultores in officio, vel administratione, *ex dict. alibi.*

1957. Quæstio est 6. an electus à medietate Compromissariorum, etiam facta publicatione, sed ante electionem solennem, mutato suffragio alteri priùs dato, illud sibi ipsi postea dare, & sic electionem suam, alijs consentiendo, complere, & corroborare possit? R. id licere non tantùm in electione per compromissum, sed in omnibus alijs electionibus, in quibus non servatur forma solennis scrutinij. Sed adverte, quòd, qui se ipsum coëligendo, aliorum suffragijs ad sui electionem accedit, non debeat dicere: *coëligo me ipsum*, sed: *consentio electioni de me factæ*; sic Abbas *in c. cùm in jure, cit. n. 6.*

1958. Quæstio est 7. an etiam in negligentia Compromissariorum locus sit devolutioni? R. si Compromissarij intra tempus à jure statutum (tres scilicet menses à die vacationis numerandos) per culpabilem negligentiam eligere intermittant, potestatẽ providendi devolvi ad proximum Superiorem, sibique compromittentes debere imputare, quòd eligendi potestatem in tales contulerint, c. *si Compromissarius*, 7. *de elect. in 6.* Si autem intra illud tempus eligant scienter, vel ignoranter indignum, potestas eligendi devolvitur ad compromittentes, nisi etiam ipsi sciverint indignum esse, c. *si Compromissarius, cit. §. porrò.* Si denique intra tempus eligant dignum, sed electus acceptare renuntiat, similiter potestas eligendi redit ad compromittentes; quia ipsi jam functi sunt officio suo. Quid porro dicendum sit, si solùm aliqui elegerunt indignum, constat ex jam dictis in præcedentibus, *n.* 1830.

## ARTICULUS XII.

### *De electione per viam Spiritûs Sancti.*

1959. Hic modus eligendi etiam dicitur *quasi inspiratio*, & fit, quando Electores omnes, nullo præcedente tractatu de certa persona eligenda, nullo etiam tractatu fraudis, vel simoniæ, quasi Spiritûs S. impulsu, uno corde, & ore, in certam personam consentiunt, ut dicitur sæpè cit. c. *quia propter.* Hinc vel uno contradicente non valeret; quia non censeretur facta *Deo inspirante.* Nam Spiritus Sanctus, qui ad electionem tam unanimem, & omni privato affectu carentem movisse creditur, omnem ordinem, & modum eligendi supplet. Hæc tamen electionis forma rara est, & vix cognita.

## ARTICULUS XIII.

### *De nominatione ad dignitatem, vel beneficium Ecclesiasticum.*

1960. Quid, & quotuplex sit *nominatio* alicujus ad vacantem Ecclesiam, constat *ex dict. à n.* 1810. ubi etiam *n. eodem* notavimus, nominationem, qua unus nominat certam personam ad dictum finem; alter autem præsentat, sic, ut alium à nominato præsentare non possit, in re non differre à præsentatione: differt autem ab electione, quòd per hanc, ubi acceptata est, acquiratur jus electo per c. *cùm inter*, 21. *h. tit.* non autem nominato per c. *quod sicut*, 28. *eod.*

1961. Quæstio est, an valeat consuetudo nominandi duos, vel tres, si fiat erga laicum, ut ille unum ex illis eligat, nomine proprio? R. quòd talis consuetudo jure reprobata sit, ut diximus *tit. de consuetud.* & constat ex cit. c. *quod sicut*, cùm juris eligendi incapax sit: ex commissione tamen, & speciali privilegio sumi Pontificis tale jus nominandi aliquem, vel aliquos ad Ecclesiam vacantem, Principi laico competere posse, constat ex concessione pluribus facta, ut notat Covarruvias, 4. *p. decret. c.* 3. §. 5. *nu.* 9. quamvis autem unus, penes quem manet jus Collegij in ordine ad providendum Prælaturæ vacanti, non possit se ipsum eligere in Prælatum, ut diximus *num.* 1957. conceditur tamen ei, quòd possit nominare aliam personam legitimam, & idoneam in Prælatum. Nam in tali casu jus electionis activæ in ipsum recidit, V. c. *Causam, h. t.*

1961. Quæstio est 2. an in fundatione Ecclesiæ Collegiatæ, tam sæcularis, quàm Regularis, constitui possit cum consensu, & acceptatione Episcopi, ut nominatio Prælati pertinere debeat, vel ad alterius Ecclesiæ Prælatum, vel ad ipsum Patronum, si Ecclesiasticus sit? R. quòd sic; colligitur

tur *ex c. dilectus*, 8. *de consuetud. junct.* glos. in c. *Nobis*, 25. *de jure Patron. V. nisi aliter.* Ejusmodi enim conditiones de se licitas, nec Ecclesiarum immunitati contrarias, admittit Ecclesia, ut fideles eò promptiores sint ad pias Ecclesiarū fundationes, c. *Præterea*, 23. *de jure patron. c.* 4. *Verum, de condit. Apposit.* Cæterùm, licèt olim consuetudo fuerit in Ecclesijs, ut ad electionem Episcoporum plebs universa cum Clero convocaretur, ut constat ex *epist.* 1. *cap.* 2. *Cælestini* 1. ad Episcopos Galliæ; & Leonis 1. *epist.* 87. ad Episp. Viennensem, jus tamen plebis non fuit ad eligendū, sed ad ejus testimonium exquirendum de probitate electi, juxta Scriptur. 1. *Timoth.* 3. ibi: *oportet autem illum & testimonium habere bonum*, vel etiam ad aliquem *nominandum*, deponendo simul de illius probitate, quem Clerus eligeret.

1963. Quæstio est 3. an Prælatis, Papâ inferioribus, conveniat potestas Laicis concedendi etiam in fundatione Ecclesiarum, ut ipsis competat jus eligendi, vel nominandi Prælatum Ecclesiasticum? R. quòd non; Laici enim spiritualia tractare non possunt, *c.* 2. *de Judic.* hoc enim cederet in grave præjudicium Ecclesiasticæ immunitatis, cui Prælati Papâ inferiores derogare non possunt: at jus eligendi, vel nominandi Prælatum Ecclesiasticum, est jus spirituale; ergo Laicis tale jus concedere non possunt; V. glos. c. *nobis*, 25. *de jure Patron.* V. *aliter*, c. *Sacrosanctæ*, 51. *h. t.* cum Abbate *ibid. nu.* 2. Dixi: *Prælati Papâ inferiores.* Nam aliud est de auctoritate Sedis Apostolicæ, per quam utique etiam Laicis tale jus concedi potest; glos. c. *Imperium*, 5. *dist.* 10. *& c. super summa*, 16. *q.* 7. *V. Ecclesias*; & constat concessum Regibus Hungariæ jus nominandi Episcopos, & alijs, de quibus V. Layman *c.* 1. *de elect. in* 6. *nu.* 4. Quòd autem *c.* 22. *dist.* 63. Gratianus dicit, Carolo Magno concessum esse, omnium Ecclesiarum investituram, *& c.* 23. *dist. ead.* Ottoni 1. à Leone VIII. concessam esse potestatem investiendi Episcopos, fabulosum esse, rectè probat Layman *loc. cit.* §. *Obiter hic moneo.*

1964. Dices: ex hoc sequitur contra dicta, quòd Laici possint hoc jus, saltem per immorialem consuetudinem acquirere: nam Laici ex *præced. num.* possunt tale jus obtinere *privilegiò* Papæ; sed quod obtineri potest privilegiò, potest etiam obtineri consuetudine præscripta, saltem immemoriali. Nam hæc habet vim, aut saltem præsumptionem privilegij obtenti, *per L.* 3. §. *ductus aquæ, ff. de aqua quotid. & æstiv.* Sed contrarium omnino dicendum est; est enim clari juris, *quòd jus eligendi non cadat in Laicum*, ut dicitur c. *cùm terra*, 13. *c. quòd sicut*, 28. *c. quisquis* 43. *& c. Sacrosancta*, 51. *h. t.* ne quidem consuetudine, cùm potiùs sit *corruptela*, per c. *Massana*, 56. *eod.* Cujus ratio est, quia *incapax possessionis, etiam incapax est præscriptionis, per regul.* 3. *de reg. jur. in* 6. ibi: *sine possessione præscriptio non procedit*; Laicus autem jura spiritualia possidere non potest per c. *causam*, 7. *de præscript. cit. c. Massana, & c. Sacrosancta*; ergo nec præscribere; at jus eligendi, vel nominandi, instituendi, & destituendi, est jus spirituale; ergo.

Nec obstat ratio in contrarium. Nam 1965.
N. sequelam; ad probat. distinguo min. quod obtineri potest privilegiò, potest etiam obtineri consuetudine præscripta, saltem immemoriali, *si præscribens sit sine privilegio capax illud possidere*, C. secus, N. min. ita Joann Andreas *c.* 2. *de præbend. in* 6. *prope finem*; Felinus c. *dilecto, de testibus, nu.* 1. & alij. Aliud est, si per famam, vel alia documenta legitima (seclusò titulò præscriptionis) legitimè docere posset de tali jure sibi competente ex vi privilegij concessi à Sede Apostolica, temporis vetustate excusante ab edictione illius. V. *dicta nu.* 1766.

## ARTICULUS XIV.

### *De confirmatione electi.*

POstquam aliquis ad Prælaturam Ec- 1966.
clesiasticam Ecclesiæ viduatæ legitimè electus est, confirmari debet à legitimo Superiore, ut dicitur c. *postquam*, 3. *h. t.* ibi: *confirmationem petentium desideria, si nihil est, quòd electum impediat, impleantur.* Ex quo colliges, electionem in principio esse liberæ voluntatis, sed confirmationem necessitatis; adeóque Superiorem ex officio teneri confirmare electū habilem, ac idoneum, ut habetur *c.* 3. *de elect.* & sapit *justitiam*; cùm per electionem

nem sit jus quæsitum electo, eique sit *debita* confirmatio, *per c. Cùm inter*, 3. *eod.* sic Fagnanus ad c. *Illa*, *ne Sede vacante*, *à n.* 12. & Joannes Andreas *in c.* 3. *n.* 2. Est autem *confirmatio* juris quæsiti per electionem corroborativa declaratio. Nam, ut diximus, electus ante confirmationem, potestatem Episcopalem, quoad jurisdictionem, seu administrationem in rebus, & juribus habet solùm in habitu, seu actu primo, sed vinculato, ut constat ex dictis. Quibus positis:

1967. Quæstio est 1. ad quem pertineat confirmatio electi? Resp. jure ordinario pertinere ad immediatum Superiorem, cui Ecclesia, vel dignitas electiva subjecta est, c. *cùm dilectus*; 32. *h. t.* in Germania tamen confirmationem Episcoporum, & Prælatorum *exemptorum* spectare ad Pontificem, ut patet ex Concordatis Germaniæ sub Nicolao V. *in Constitut. Ad Sacram*; ubi tamen adverte, etiam *canonicè electo* à Papa denegari posse confirmationem, *exigente id gravi causa*, *& publica necessitate*, ut persona dignior, & magis idonea, promoveatur, ut patet ex dict. Concordatis, §. *item placet*; de quibus agemus *lib.* 3.

1968. Quæstio est 2. quando confirmatio petenda sit? Resp. quòd *intra tres menses* (saltem per Procuratorem) à die consensûs præstiti, spectato *jure communi*; secus enim amittit jus acquisitum ex electione; brevius tamen tempus (nimirum *mensis*) *jure novo* requiritur in Exemptis; sic, ut intra illud tempus, electus, vel ejus Procurator, saltem ingredi Romanum iter teneatur, de quo plura in c. *Cupientes*, 16. *h. t. in* 6. Confirmatio tamen non debet dari, nisi priùs instituta inquisitione, de forma, & processu electionis, ac de merito, & conditione electi, c. *nihil*, 44. *h. t.* ibi: cùm quisquam ad regimen animarum fuerit electus, *is*, *ad quem pertinet ipsius confirmatio*, *diligenter examinet & electionis processum*, *& personam electi*: *ut*, *cùm omnia ritè concurrerint*, *munus ei Confirmationis impendat*: quia, *si secus fuerit incautè præsumptum*, *non solùm dejiciendus est indignè promotus*; *verùm etiam indignè promovens puniendus.* & hæc inquisitio cumprimis instituenda est apud eos, ubi est conversatus, ut dicitur cit. c. *postquam*, & colligitur ex c. *Scriptum*, 40. *eod.* infra referendo; nec tantùm de habilitate, sed etiam de moribus, & virtutibus confirmandi, cit. c. *postquam*, ibi: *vita*, *& actus inquirantur*; c. *cùm in cunctis*, 7. *eod. & c.* 2. *dist.* 32. ubi notat Layman in c. *postquam enim*, §. *dico* 2. non satis esse probationem per testes deponentes *ex præsumptione*, v. g. quòd sit *sobrius*, *misericors*, &c. quia nihil in contrarium adverterunt.

Notandum autem, quando S. Thomas, 1969.
2. 2. *q.* 60. *a.* 4. *in corpore*, ait, (ubi non apparent manifesta indicia de malo alicujus, debemus eum bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est) verum esse *de judicijs privatis*, ubi error, licèt contingat, ut non rarò fit, nec pernicioſus, nec malus est; non autem *in dandis testimonijs publicis*, præsertim in ordine ad assumendam Prælaturam Ecclesiasticam; nam talis error practicus est, pernicioſus, & Ecclesiæ noxius, juxta c. *nihil*, 44. *h. t.* In teste tamen deponente de probitate, & requisitis qualitatibus, ut legitimus sit, requiruntur saltem indicia, & conjecturæ, ex quibus probabiliter deprehendat, rem ita, ut deponit, se habere. Cùm enim major certitudo rarò possit haberi, sufficiet ea probabilitas, qualiter in c. *Unico*, *de scrutinio*, ubi agitur de testimonio promovendi ad ordines, significatur, ibi: *quantùm humana fragilitas nosse sinit*, *& scit*, *& testificatur*, *illum ad hujusmodi onus officij esse dignum.*

Quæstio est 3. *an Prælatus semel exa-* 1970.
*minatus*, *& approbatus ad unam Prælaturam*, *denuò examinandus sit*, *cùm iterum eligitur?* Resp. dicendum affirmativè, arg. c. *Scriptum*, 40. *h. t.* ibi: *per Apostolica scripta mandantes*, *quatenus super his*, *& alijs inquiras diligentissimè veritatem*, *de meritis electi*, *& postulati apud Venetias*, *ubi nati fuerunt*, *& diutiùs conversati.* De studijs autem eligentium & postulantium, & omnibus generaliter, quæ causam possunt instruere apud Constantinopolim, ubi hujusmodi postulatio, & electio celebratæ fuerunt; quod tamen videtur procedere solùm, cùm *ad majorem*, vel ad *diversam*, non autem *parem* rursum eligitur, ut notat gloss. *in cit. c. Scriptum* V. *præsumptione*; nisi ad primam approbatus esset cum limitatione, v. g. ut

in

in his, quæ tunc in eo non reperiebantur ad sufficientiam, se perficiat; vel verò interim notabiliter mutatus esset in vita, & moribus. Sed de hoc ex professo agitur *l. 3. tit. 7. de institution.*

1971. Not. præterea 1. si nullus electioni se opponat, ante confirmationem ad valvas Ecclesiæ edictum generale affigendum esse; si autem aliqui se opponant, vocandos esse, ut causas oppositionis, & confirmationis impediendæ, proponant; aliàs irrita est confirmatio, c. *fin. h. t.* Si quis autem, tali edicto proposito, nihil opponat, confirmatione subsecuta, non ampliùs auditur, nisi justas causas exhibeat, quòd priùs non potuerit; c. *ult. qui matrimonium accusare possint.*

1969.

1972. Not. 2. in casu, quo electus confirmandus est à summo Pontifice, decretum electionis, continens totam seriem, seu processum ejus, authenticè descriptum, Romam submitti debere, ut ait gloss. in c. *innotuit*, 20. *h. t.* V. *decreto*, unà cum examine de qualitatibus electi, per testes probatis: de quo examine plura statuit Greg. XIV. *in sua Constit. onus Apostolicæ*, 1510. 1. *Maij.*

1973. Not. 3. pluribus diversis electionibus ad eandem Ecclesiam electum, ad impetrandam confirmationem, non posse utrâque uti, c. *ut quis*, 25. *h. t. in* 6. ne confirmatio vagetur in incerto; hinc unam, qua uti velit, determinare debet. Confirmatio electionis non in Curia alicujus Principis sæcularis, sed in Ecclesia, vel palatio Superioris Ecclesiastici confirmantis, fieri debet; colligitur ex c. *quafronte, de appellat.* cùm requirat causæ cognitionem. Si autem confirmatio cassetur ob defectum aliquem canonicum, qui in ea intervenit, non propterea cassatur electio, c. *si confirmationem*, 39. *h. t. in* 6. quia utile per inutile non vitiatur, quando ab invicem separari possunt, *reg.* 37. *in* 6.

970.

1974. Not. 4. quando in c. *nihil est*, 44. *& cæterùm*, *h. t.* dicitur, quòd, qui ad Romanum Pontificem immediatè pertinent (loquitur de electis) ad percipiendam sui confirmationem officij, *ejus se conspectui* (si commodè fieri potest) *personaliter* repræsentent: aut personas transmittant idoneas, per quas diligens inquisitio super electionibus, & electis haberi possit: Panormitanus *in dict.* §. *cæterùm*, *n.* 3. *dicat*: nota, *in dicto* §. *exemptos* immediatè subjectos Papæ, teneri petere confirmationem electionis à solo Papa: *dic tamen, quòd etiam Legatus de latere possit istorum exemptorum electiones confirmare*; & statim subjungit: *procedit ergo iste textus* (quòd electi se vel *personaliter*, vel per idoneas personas Papæ præsentare debeant) *si legatus de latere non esset in partibus.*

1975. Ex hoc valde probabiliter deducitur, cùm etiam Vicarius generalis Episcopi *jure suo* possit confirmare electos sine speciali licentia Episcopi, *per n.* 2317. obligationem, ut electi se præsentent *conspectui Episcopi*, solùm procedere, quando Vicarius Episcopi non est in ea provincia, ubi confirmandus existit; id, quod contingere potest, si Episcopus sit extra provinciam Principis sæcularis, in ea tamen habeat Vicarium, & graves causæ obstent electo, quo minùs personaliter accederet ipsum Ordinarium.

1976. Not. 5. *ex c. nihil*, 44. *h. t.* eum, qui indignum ad Prælaturam electum approbat, seu confirmat, maximè, si defectu scientiæ, morum, aut ætatis laboret, ipso jure privatum esse, proximam confirmationem impendendi potestate; & à beneficio suspendendum, si per negligentiam id actum: sin verò per malitiam, vel dolum, egisse convictus fuerit, graviùs puniendum esse: ubi tamen nota, licèt tres præcipuè defectus sint, videlicet *scientiæ*, *morum*, *& ætatis* legitimæ, ob quas electio reprobatur, & pœnæ Electoribus, & confirmatori decernuntur, uti constat ex c. *cùm in cunctis*, 7. *h. tit.* esse tamen plures etiam alios defectus, seu inhabilitates, prout sumitur *ex cit. c. nihil*, ubi attende, verbum *maximè*, quod secundùm propriam significationem est inclusivum aliorum.

1977. Not. 6. eligentes, confirmantes, aut instituentes illegitimè natũ, sive alio defectu laborantem, aut indignum, non juvari allegando ignorantiam, quia præsumptio est contra illos, quòd *scienter* egerint; adeóque illis incumbere probationem ignorantiæ, ut colligitur ex c. *Innotuit*, 2. *h. tit.* junctâ gloss. V. *ignorantiam.* Neque obstat *reg. juris* 47. *in* 6. *ignorantia*, videlicet facti alieni, *præsumitur, ubi scientia non probatur*: excipi enim debet; nisi

nisi de eo inquirere, & notitiam capere alicui *ex officio* incumbat, uti hìc patet, & sumitur ex c. *quamvis, de reg. jur. cap. ult. de clandestina dispensat.* §. *si quis verò, L. regula*, 5. §. *sed facti, ff. de juris & facti ignorantia*, & videri potest Abbas *hìc nu.* 21. Sanchez *lib.* 3. *de matrim. D.* 42. *nu.* 1. *& lib.* 1. *Theol. moral. cap.* 20. *num.* 7.

1978. Not. 7. ex c. *sciant.* 12. *h. tit. in* 6. excommunicationis sententiam ipso facto incurrere, quicunque Clericos, aliásve personas Ecclesiasticas, ad quas in Ecclesiis, Monasterijs, aliisve pijs locis electio spectat, vel earundem consanguineos, in beneficijs, aut quibúsve bonis, gravare præsumpserint, per se, vel per alios spoliando, aut aliter injustè persequendo, propterea, quòd rogati, vel moniti, ut certam personam eligant, petitioni parêre noluerint. Intellige tamen, si gravamen sit injustum, seu cum injuria gravati, ut notat Navarrus in *Manual c.* 27. *nu.* 122. & propterea, quòd non sit electus v. g. vel electa, quem volebat is, qui gravamen infert, prout colligitur ex verbis dicti c. ibi: *pro eo, quòd*; & hoc procedit etiam de illo, qui, quia non est electus is, quem voluit, electum *injustè negat* confirmare; ita Suarez *D.* 23. *de Censur. sect.* 4. *nu.* 4. nam esto textus loquatur *de electione*; hæc tamen ibi solùm exprimitur, exempli causa.

1979. Not. 8. non posse confirmari electionem, quæ non subsistit; colligitur ex c. *quisquis*, 43. *h. tit.* quod enim non est, confirmari non potest; at quando electio est nulla, electio non est; nam perinde est, rem non esse, & inutiliter, ac nulliter esse. Hinc etiam fallit quorundam pronuntiatum, *quòd confirmatio purget vitium electionis*; hoc enim non procedit in casu confirmationis, factæ ab eo, qui est inferior Papâ. Nam si nullitas sit ex vitio intrinseco, nec purgatur confirmatione Papæ; si extrinseco, nimirum facto, vel omissione formæ substantialis, aut propter inhabilitatem subjecti, jure Ecclesiastico inductam, sicut Papâ inferior non potest condere; sic nec poterit solvere legem, tribuendo confirmationem.

1980. Not. 9. si contingeret, quòd quis ad eandem Ecclesiam, seu Prælaturam duabus electionibus electus sit, non posse utramque prosequendo confirmationem petere; etiam protestando, quòd non intendat, nisi ex ea, ex qua jus sibi competat, confirmationis effectum consequi. Quamobrem, ne cum Ecclesiæ, ad quam electus est, vel Adversarij, si quem habet, discrimine in incerto vagetur, eligere is debet, utram electionem prosequi malit, ejusdémque confirmationem petere: adeò, ut ad alteram deinde electionem, cui alteram præferendo renuntiâsse censetur, regressum habere haud possit; sic c. *Ut quis*, 25. *h. t.*

Not. 10. si contra electionem in Ecclesia Cathedrali, vel regulari, cujus confirmatio ad Ordinarium pertinet, videlicet Archi-Episcopum, vel Episcopum, ad Sedem Apostolicam ex causa probabili (quæ, si probetur, justa reputari debet) in scriptis appelletur; & Ordinarius nihilominus procedat ad confirmationem, eam irritam esse; præterquam si appellans ab appellatione recesserit, ex c. *si postquam*, 33. *h. tit.* Not. autem ex gloss. hìc V. *ad Sedem Apostolicam*, hoc esse specialiter constitutum in casu isto electionis ad Cathedralem, vel regularem Prælaturam, si ad Sedem Apostolicam extra, vel intra judicium appelletur; nam alioquin appelatio, facta ante sententiam definitivam, non impedit, quo minùs validè in causa procedi possit, atque exspectari, num Superior, ad quem appellatur, cognita veritate, acta rescindere velit, c. *non solùm*, 7. §. *illa, de appellat.* 1981.

Not. 11. confirmationem electionis esse irritam, si non citentur ante nominatim, vel generatim ii, quorum interest, c. *quoniam, fin. h. t. in* 6. siquis autem post generale edictum, & secutam confirmationem quid opponere velit, & absens fuit, ut probabilem edicti ignorantiam allegare possit, audiri debet. Sin verò non absens, aut non longè distans, ordinariè non auditur; nisi ignorantiam conjecturis astruat, & juramentô confirmet, arg. c. *ult. qui matrim. accus. possunt.* Cæterùm ad denuntiationem Canonicam, ut indigna seu inhabilis persona Ecclesiæ non præsit, ordinariè aliquis admitti debet etiam post confirmationem, & consecrationem ut docet Abbas in c. *nihil*, 44. *nu.* 6. *extrà, h. t.* 1982.

Not. 12.

1983. Not. 12. Archi-Episcopum, vel Episcopum electum, & confirmatum, ante consecrationem, posse beneficia conferre, & electos confirmare; quia potest ea præstare, quæ ad jurisdictionem spectant, licèt non ea, quæ ordinis sunt, juxta c. *Suffraganeis*, 11. *de elect.* & notat gloss. in c. *cùm ex illo*, 1. *de translat. Episcopi*, *V. confirmâsse*; per confirmationem autem secutam contrahitur vinculum spiritualis conjugij inter Episcopum, & Ecclesiam, *per cap. inter corporalia*, 2. *de translat. Episcop.* Et ideo non potest ampliùs suô arbitriô deserere suam Ecclesiam, per dicta *in præcedentibus.*

## ARTICULUS XV.

### *De consecratione electi, & confirmati.*

1984. *Consecratio* sequitur ad confirmationem; seclusô privilegiô non debet differri ultra *tres menses*, numerandos à die confirmationis; aliàs incurruntur pœnæ, de quibus Tridentinum *sess.* 23. *de Reform. c.* 2. ibi: Ecclesijs Cathedralibus, seu superioribus, quocunque nomine, ac titulo præfecti, etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, *si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur; si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesijs ipso jure sint privati.* Consecratio verò, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commodè fieri poterit, celebretur. Hoc intellige de tribus mensibus computandis à die confirmationis; ita Sanchez *in opusc. moral. l.* 7. *c.* 1. *d.* 15. *n.* 13. de hoc etiam agitur c. *cùm in cunctis*, 7. *h. tit.* §. *cùm verò*, ibi: cùm verò electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, & Ecclesiasticorum bonorum administrationem habuerit: *decurso tempore, de consecrandis Episcopis, à Canonibus definito, is, ad quem spectant beneficia, quæ habebat, de illis disponendi liberam habeat facultatem.* His junge glossam *ibid.* V. *tempore.* *Si autem statuto tempore consecratio non fiat, & per consecrandum stet, non fieri, reditus integri servari debent apud œconomum ejusdem Ecclesiæ, nisi terminum consecrationis prorogari contingat propter urgentem, & inevitabilem necessitatem*, *c.* 2. *dist.* 75.

Si confirmatus, statuto tempore consecrationem recipere negligat, plures illi pœnæ decretæ sunt. Prima est, de qua *præced. num.* altera, quòd privandus sit communione, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum offerre non differat, *ex cit. c.* 2. tertia, quòd, si per ipsius negligentiam contingat, Ecclesiâ ultra quinque menses viduatam manere, nec ibi, nec alibi consecrationem recipere valeat; imò sui Metropolitani judicio eâ cedat, ut dicitur *cap.* 1. *dist.* 100. quarta, quòd si intra tres menses munus consecrationis non suscipiat, ad fructuum preceptorum restitutionem teneatur; & si intra alios totidem menses id neglexerit, Ecclesiâ ipso jure sit privatus; sic *Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 2. 1985.

Not. autem, Episcopum de jure communi, consecrandum esse à tribus Episcopis, c. *fin.* §. *sed nec ille*, *dist.* 51. *c. Comprovinciales*, *dist.* 64. *& c. si Archi-Episcopus*, *de temporib. ordinat.* per dispensationem autem sufficit unus, assistentibus duobus Abbatibus, aut alijs in Ecclesiastica dignitate constitutis Presbyteris. Nam, requiri *tres Episcopos*, non est ex natura rei, vel divina lege; nec obstat sic constitutum esse ab Apostolis juxta c. *Porro*, *dist.* 66. nam Canones Apostolici non sunt *juris divini*; & quamvis, *cap.* 1. *dist. ead.* item c. *fin.* §. *sed nec*, *dist.* 51. *& c. si Archi-Episcopus*, *de tempor. ordinat.* dicatur, *Archi-Episcopum ab omnibus Suffraganeis, seu Comprovincialibus Episcopis, in Ecclesia Metropolitana convenientibus, & assistentibus, consecrandum esse*; id tamen hodie non servari docet Layman *de elect. Prælator. q.* 152. cùm propter locorum distantiam, aliásque causas, sæpe convenire non possint. 1986.

Consecratio Episcopi fieri debet inter Missarum solemnia, inter Epistolam & Evangelium, ut constat ex c. *quod sicut*, *referendo num. sequenti*; & quidem die Dominico, ex antiquissima traditione Apostolica, horâ tertiâ; *cap.* 1. *&* 5. *dist.* 75. hoc accipe, *quoad horam*, secundùm usum in praxi receptum. Quamvis etiam ex indulto Papæ fieri possit alio die; cùm sit tantùm juris humani; sic Azor *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 30. *q.* 3. *Forma*, seu potiùs ritus con- 1987.

secrationis, importat sequentes actiones 1. manuum impositionem, juxta Apostolum, 1. *ad Timoth. cap.* 4. *&* 2. *ad eundem, c.* 1. secundò, ut duo Episcopi super caput consecrandi teneant librum Evangelij; 3. ut unus super eodem manus benedictionis infundat; cæteri verò Episcopi præsentes caput ejus manibus tangant, *c. Episcopus, dist.* 23. *&* c. 1. *dist.* 75. quarto, ut ejusdem caput unà cum manibus sacro Chrismate ungant, *c. unic. de sacr. unction.* Cæterùm inter has actiones ad substantiam consecrationis sola manuum impositio; non autem libri Evangeliorum tentio super caput ejus requiritur, at notat glossa *in cit. c. Episcopus, V. Codicem*, & Azor *cit. c.* 30. *q.* 3. & hæc de natura dictæ consecrationis; verbalis autem forma est: *accipe Spiritum S.* de qua *in Rituali.* Ubi adverte, probabilius dici juxta *nu.* 1986. cæteros Episcopos, qui assistunt Principali, esse solùm adjutores hujus; illum verò, qui consecrat, principalem: peracta verò consecratione consecratus acquirit plenum jus exercendi ea, quæ sunt ordinis Episcopalis. Fieri potest etiam extra Ecclesiam Cathedralem in alia Ecclesia, præsertim, si intra provinciam, vel diœcesin sita sit, ut colligitur ex c. *ult. dist.* 51. *& Trid. sess.* 23. *de reform. c.* 2.

1988. Not. 2. consecratos sub Missarum solennijs, inter Epistolam, & Evangelium, eo die non posse conferre ordines, c. *quod sicut*, §. *super eo, h. tit.* ibi: *cùm solus Romanus Pontifex (qui ante hymnum Angelicum consecratur, & ipse postmodum Missarum solennia incipit, & perficit consecratus) in die consecrationis suæ valeat ordines celebrare. Cæteri verò, qui inter Epistolam, & Evangelium consecrantur; quia consecrati concelebrant, principaliter celebranti, ne dividatur mysterium unitatis, non debent tunc ordines celebrare;* & ita etiam tradit Layman *in cit. c. quod sicut, nu.* 10. quamvis Papa eis, dispensatione, ad id facere possit potestatem; cùm ab eo actu pro tali die prohibiti sint, non ex natura rei, vel jure divino, sed solùm Ecclesiastico; sic Barbosa *de offic. & potest. Episcopi, p.* 3. *alleg.* 5. *num.* 20. Nam Missa, cùm ordines conferuntur, non est de substantia eorum, ut notat Armilla V. *Ordo, nu.* 9. sed solùm de honestate, & usu; sic Barbosa *cit. p.* 1. *allegat.* 14. *n.* 16.

Ulteriùs deducitur ex *præmisso c.* quòd Vicarius, qui non est Episcopus, suffraganeos sui Archi-Episcopi, consecrare non possit, etiamsi haberet mandatum exercendi Pontificialia; sic gloss. *in c. quod sicut, V. sine pallio;* Archiepiscopus autem etiam consecratus, nondum receptô palliô, non possit Concilium convocare, Chrisma conficere, Clericos in sua provincia ordinare, Pontifices consecrare, vel Ecclesias dedicare, ut dicitur c. *quod sicut*, §. *præterea*, nec se *Archi-Episcopum nominare*; sic Quaranta in Summa Bullarij, V. *Archi-Episcopi auctoritas, vers.* 32. & ex illo Barbosa in c. *quod sicut, nu.* 9. 1989.

Not. 3. beneficia Episcopi, quæ ptiùs obtinebat, peracta illius consecratione, & possessione pacifica obtenta, & lapso tempore præscripto, perfectè vacare per c. *cùm in cunctis*, 7. §. *cùm verò. h. t.* ubi dicitur: *postquam in Episcopum electus confirmationem accepit, bonorúmque Ecclesiasticorum administrationem, tempúsque à sacris Canonibus accipiendæ consecrationis elapsum est, ipso jure vacare omnia ejus beneficia, quæ priùs habebat, ita, ut liberè conferri possint ab eo, cui de jis disponendi jus competit.* Quæstio autem est, si Pontifex cum Episcopo dispenset, ut non teneatur intra tres menses consecrationem suscipere, sed primò v. g. post annum, an priora beneficia vacent post trimestre, etiam nondum suscepta consecratione. Hostiensis in c. *cùm in cunctis*, §. *cùm verò, versu sed potest dici*, asserit, quòd, si Episcopus ante elapsum tempus trimestre, post obtentam confirmationem, consecrationem accipiat, priora ejus beneficia non statim vacent; sed tunc primùm, postquam tempus de consecrandis Episcopis à sacris canonibus definitum, decursum est, ut habetur in textu c. *cùm in cunctis, de quo in nu.* 1984. Contrarium docet glossa ibid. V. *ad quem spectat*, volens, si Episcopus citiùs, quàm elabatur trimestre, consecrationem accipiat, ejus beneficia statim vacare; quia tunc plenè quis assecutus est Episcopatum, ut colligitur ex c. *super his*, 16. *de accusat.* quo posito adest ratio, & fundamentum, cur alia ejus beneficia vacare debeant. Eandem glossæ opinionem sequitur Layman *in cit. c. cùm in cunctis, nu.* 4. dicens, textum c. *cùm in cunctis*, ibi: *postquam tempus à sacris Canonibus accipiendæ consecra-* 1990.

*tionis*

*tionis elapsum est*, non aliud velle, nisi, quòd non tantùm consecratio Episcopi, post adeptam pacificam possessionem faciat priora ejus beneficia vacare; sed etiam, si promotus in culpabili mora consecrationem accipiendi existat, cùm non deceat eum ex negligentia, & culpa suum commodum ferre.

1991. Similiter ad quæstionem: *an, si Episcopus à Papa dispensetur, ne post elapsos tres menses, sed primò post annum consecrationem accipere teneatur, ejus priora beneficia statim vacent, elapsò trimestri?* non idem est sensus Doctorum; nam Joannes Andreas hìc, tenet, *statim vacare*, si dispensatio facta est ad instantiam; secus, si motu proprio. *Illud*, quia continet odium; *istud*, quia *motus proprius* explicat purum beneficium; Layman *cit. à n.* 5. censet statim vacare, sive motu proprio, sive ad instantiam dispensatum sit. Hanc opinionem ut probabiliorem etiam sequitur Pirhing. *h. tit. nu.* 352. *Q. porro*, referens pro eadem P. Th. Sanchez *lib.* 8. *matrim. D.* 1. *num.* 24. Barbosam *in cit. cap.* 7. *Q. cùm verò*, *h. tit. nu.* 28. Cæterùm ea sententia, quam sequitur Hostiensis, de qua *num. priori*, videtur valde probabilis, propter apertum textum *in cit. c. cùm in cunctis*, quem ibidem retulimus; expressè enim dicitur, beneficia priora vacare, *postquam* electus accepit confirmationem, administrationem, *& elapsum est tempus accipiendæ confirmationis à sacris canonibus præscriptum*; ex quo solvitur etiam ratio in contrarium ibidem. Nam esto consecratione finita Episcopus plenè sit assecutus Episcopatum, hoc tamen solùm non est adæquata ratio, & fundamentũ, ex quo priorum beneficiorum vacatio inducatur; sed simul *cum lapsu temporis à jure definiti*. Ad 2. ibid. pariter Bz. valde probabile esse, dictam *motûs proprij* dispensationem extendi etiam ad priora beneficia, ne priùs vacent, quàm tempus, accipiendæ dispensationi præfixum, sit elapsum. Nam, ut dictum est, *motus proprius* denotat speciale beneficium concedentis, consequenter merum favorem, quod non haberet, si statim dimittere cogeretur priora beneficia; cùm potiùs videatur eò tendere, ut propter expensas in consecratione faciendas prioribus perfruatur.

1992. Nec obstat, quod opponit Layman cit. dicens: secundùm sacros Canones duo decreta esse; unum per se, ac principaliter (ut promoti ad Episcopatum beneficia vacent; quia non decet in altiore dignitate constitutos, inferioribus officijs, aut ministerijs deservire, arg. c. *ad aures*, 8. *de rescript.*) alterum accidentaliter, seu accessoriè, ut talis vacatio incipiat à tempore consecrationis, *vel* elapso tempore, quod consecrationi accipiendæ præscriptum est; ergo licèt dispensatio cadat in accessorium, ut non teneatur intra illud tempus accipere consecrationem; non tamen tollit principale, ut beneficia non vacent indepta consecratione cum pacifica possessione; nam principale non pendet ab accessorio. Hoc, inquam, non obstat; si enim consecratus ipso jure perderet priora beneficia, consequenter consecrati possessio pacifica ipso jure per se, ac principaliter induceret priorum beneficiorum vacationem, etiam nondum elapso tempore consecrationi accipiendæ à canonibus præfixo, is, ad quem spectant beneficia, quæ consecratus habebat, de illis liberam disponendi haberet facultatem; sed hoc non procedit; *cùm in cit.* §. *cùm verò*, expressè ad hoc acquiratur, *quòd elapsum sit tempus accipiendæ consecrationi à sacris canonibus præscriptum*; ergo. Quare negandum est, in textu §. *cùm verò*, duo præscripta esse, unum *per se*, ac principaliter; alterum duntaxat *accessoriè*, ut vult Layman *cit.* hoc enim nullo jure ostenditur; & textus *copulativè* ad illum effectum vacantium beneficiorũ expressè enumerat tria, nempe, *acceptam consecrationem*, *adeptam administrationẽ*, *& elapsum tempus à jure præscriptum*, ut patebit legenti textum. Nec obstat, quòd affertur ex c. *ad aures*, *de rescript.* nam illud solùm procedit, si fiat sine justa causa, vel Superioris indulto beneficio. Deinde ibi non dicitur, quod assumptum est; sed solùm improbatur eorum factum, qui, ut impetrent minora beneficia, tacent dignitates, & personatus, quos habent, & sic alios impediunt fraude, à consecutione illorum.

Ad extremum not. ex usu Curiæ Romanæ, omnia beneficia, priùs habita, statim vacare post confirmationem Episcopi, authoritate summi Pontificis promoti, etiam nondum accepta consecrati-

one, & pacifica Episcopatûs possessione, ut notat Azor *p. 2. l. 7. c. 16. q. 12.* quod tamen intellige 1. si promotus sit securus de possessione consequenda. 2. de fructibus inde percipiendis; quod non habent Episcopi titulares solùm in partibus, & terris infidelium, unde nihil percipiunt. 3. quando Papa in actu promotionis consistorialiter decernit, beneficia vacare; secus, si tale decretum vacationis non intervenit; sic Barbosa *in cit. §. cùm verò, n. 29.*

## ARTICULUS XVI.

### *De potestate electi.*

1993. CIrca præsentem materiam exponendam, quæstio est 1. an electus, sed nondum confirmatus, potestatem Episcopalem *quoad jurisdictionem*, seu administrationem in rebus, & juribus, tam spiritualibus, quàm temporalibus obtineat? Resp. solùm habere in habitu, seu actu primo; non in actu, seu quoad exercitium, c. *nôsti, 9. de elect.* ibi: *nosti, quomodo Linconen: electus, concedendi honores, vel præbendas, aut alias disponendi de rebus Ecclesiæ (cùm sua non sit electio confirmata) non habeat facultatem*: mandamus igitur, quatenus ei auctoritate nostra præcipias, ut *concessionem*, si quam fecit de prædictis, *studeat revocare*; & gloss. in c. *quantò, dist. 63. V. relatio*; idem est de alijs Prælatis similium Ecclesiarum; & si ante confirmationem, se administrationi ingerant, electio cassari debet de jure antiquo, c. *qualiter, 17. h. t.* & hoc titulo repulsus à Prælatura, non potest denuo eligi ad eam, vel aliam, ob vitium personæ c. *Super eo, 12. h. t.* ubi ad quæstionem, an si alicujus electione cassata, idem ad alterius Ecclesiæ regimen electus fuerit, ejus electio debeat confirmari? respondit Clemens III. hoc tuam volumus discretionem tenere, quòd *si prior electio non vitiô personæ, sed modô electionis cassatur, promotionem ejus fieri in eadem etiam Ecclesia* (nisi fortè simoniacæ pravitatis aliquid intercessisse constiterit) *non debeat impedire*; & exprimi debet vitium in supplicatione, pro promotione à Papa; Abbas in c. *qualiter, 17. h. t.*

1994. Quæstio est 2. an valeant, quæ Prælatus, taliter repulsus, gessit tempore administrationis ante obtentam confirmationem? Resp. omnia revocanda, & rescindenda esse; secus est, si alio titulo haberet jus administrationis; sequitur ex præmissis juribus; alterum autem intellige, si eum titulum habeat legitima Superioris authoritate. Cæterùm, electus ante confirmationem obtentam, nec titulo œconomi, vel procuratoris habet administrationem, c. *avaritiæ, de elect. in 6.* ibi: nonnulli siquidem ad regimen Ecclesiasticum electi: quia eis (jure prohibente) non licet se ante confirmationem electionis celebratæ de ipsis, administrationi Ecclesiarum (ad quas vocantur) ingerere: *ipsam sibi, tanquam procuratoribus, seu œconomis committi procurant.* Cum itaque non sit malitijs hominum indulgendum: nos latiùs providere volentes, hac generali constitutione sancimus, ut *nullus de cætero administrationem dignitatis* (ad quam electus est) *priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub œconomatus, vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus, vel temporalibus, per se, vel per alium, pro parte, vel in totum gerere, vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos, qui secus fecerint, jure* (si quod eis per electionem quæsitum fuerit) *decernentes eo ipso privatos.* Et ideo Capitulum, esto Sede vacante habeat administrationem, nequit eam, ante confirmationem, committere electo; licèt possit alteri, ne scilicet videatur agere in fraudem legis administrationem pro tunc prohibentis. Quamvis autem electus ante confirmationem immittens se administrationi vel in toto, vel in parte, privatus sit jure per electionem quæsito; & quidem *jure novo*, ipso facto, ut notat Pirhing *cit. §. not. 2.* rectè tamen observat, jus novum obtinere, si administret *colore quæsito*; antiquum autem, *si sine ullo prætextu*; V. c. *nôsti, cap. qualiter, h. t. c. avaritiæ, 5. h. tit. in 6. junct.* gloss. *ibid.* Si verò electus ante confirmationem permittat se installari, seu in stallo, sedeponi, vel in possessionem mitti, ex hoc præcisè non incurrit prædictam pœnam, quia non verificatur, *quòd administraverit.*

Præter hæc not. jure novissimo constitutum in extravag. *injunctæ h. tit.* inter communes, ut Episcopi, & alii Prælati 1995.

Supe-

Superiores, item Abbates, & Priores, & alij Monasteriorum Regimina exercentes; quocunque nomine censeantur, qui apud Sedem Apostolicam promoventur, vel confirmationem, consecrationem, vel benedictionem recipiunt, absque dictæ Sedis literis, hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, aut benedictionem continentibus; ad commissas eis Ecclesias, vel monasteria accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non præsumant, nullique eos ante dictarum literarum ostensionem recipiant, aut eis pareant. Et isti Episcopi, ac Prælati administrare possunt Prælaturam, etiam ante obtentam confirmationem, si immediatè subjecti sint Pontifici, & valde remoti ab ejus Curia, si in concordia sint electi, ne tales Ecclesiæ damnum patiantur diutiùs exspectata electionis confirmatione, *c. nihil, 44. & cæterùm, h. t.*

1996. Quæstio est 3. quid possit Episcopus electus, post confirmationem acceptam, licèt nondum consecratus sit? R. quòd possit omnia, quæ sunt jurisdictionis, non autem ea, quæ sunt ordinis, c. *transmissam, 15. h. tit. juncta gloss.* V. *de talibus.* Nam cùm ad Cælestinum III. delatum esset, quòd quidam Clerici, Episcopo *confirmato*, sed *nondum consecrato*, per contemptum correctionem Ecclesiasticam eludentes, ei se opponentes dicerent: *quòd potestatem non habeat, eos corrigendi*: respondit dicto Episcopo Pontifex; quòd, *ex quo electionis tuæ confirmationem accepisti, de talibus & consimilibus* (præter ea, quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant) *quod justum est, & Ecclesiasticæ convenit utilitati, statuendi habebas liberam facultatem*; quamvis Archi-Episcopus electus, & confirmatus, nondum tamen consecratus, antequam recipiat *pallium*, non possit exercere actus jurisdictionis, nisi in rebus minoribus, non gravioribus, c. *quod sicut 28. §. præterea.* de hoc V. plura *tit. 8. de auctor. & usu pall.*

## ARTICULUS XVII.

### *De electione, confirmatione, & benedictione Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium.*

1997. LOquimur de Prælaturis electivis, & de his quæstio est 1. quibus competat jus eligendi? Resp. de jure communi pertinere ad Collegium, seu conventum illius Ecclesiæ regularis, vel monasterii, cui de Prælato per electionem providendum est, *c. 1. h. tit.* ibi: nullus in Ecclesia, ubi duo, vel tres fratres fuerint in congregatione, *nisi eorum electione canonica* Presbyter eligatur; ubi nota ly *electione*, ergo non *per collationem*; & *c. 8. de consuetud.* ubi approbatur consuetudo inducta, quòd una Ecclesia de gremio alterius teneatur Prælatum *eligere*; excipe, nisi aliud concessione speciali, vel privilegio, vel approbatis constitutionibus ejus ordinis, aut monasterii constitutum sit.

Quæstio est 2. an in illis Conventibus, 1998.
ubi electio celebratur juxta jus commune, jus eligendi omnibus de illo conventu competat? Resp. quòd illis tantùm, qui sunt vel tacitè, vel expressè, saltem electionis tempore, professi, *c. ex eo 32. §. in Ecclesiis h. t. in 6.* ibi: in Ecclesiis quoque regularibus, vel monasteriis, *ij, qui non sunt tacitè, vel expressè professi, non debent cum professis, vel conversi laici cum Clericis, electionibus interesse*; quod tamen accipe, ut procedat de laicis conversis, nisi sint ex ordine militari, vel hospitali, ubi omnibus professis de jure competit jus eligendi, ex Ordinis instituto. Canonicis autem Regularibus per Clement. *2. de ætate & qualit.* non conceditur jus eligendi, nisi sint in sacris, saltem in subdiaconatu; ubi nota, quòd hæc constitutio expressè agat de Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, tam sæcularis, quàm Regularis. Hinc aliqui volunt, quòd hæc constitutio, defectu ordinis excludens Canonicum à jure eligendi, non debeat extendi ad Monachos, cùm sit correctoria juris communis; His accedit constitutio Clementis V. quæ habetur in Clement. *ut Professores, 1. de Regularibus* in qua dicitur, quòd *Professi Ordinum mendicantium*, etiam *licitè transeuntes ad non mendicantes*, licèt administrationes habeant, *non habeant vocem in Capitulo*, etiamsi alij de Capitulo id concedant: nec deinceps consequi possint administrationes, Prioratus, vel officia, etiam tanquam Vicarij: nec pro se, vel alijs animarum curam gerere; & hoc cum clausula irritante: ibi: *quidquid autem in contrarium attentatum fuerit, sit irritum ipso jure, quovis privilegio non obstante*: quo tamen non obstante statim ibidem ponit

ponit casum exceptum dicens : *ad illorum autem Mendicantium Ordines, quos Apostolica Sedes eo modo subsistere voluit, ut eorum professoribus, ita in illis remanere liceret, quòd nullum ex tunc admitterent ad professionem eorum, quibúsque concessit licentiam generalem ad approbatos alios ordines transeundi, præsentem nolumus constitutionem extendi.* Licèt autem Lessius *de just. lib. 2. c. 41. d. 13. nu.* 105. & Miranda *in man. Prælat. tom. 1. q. 31. art. 8. concl. 2.* existiment, affici jis pœnis etiam Mendicantes ad Carthusianam transeuntes, meritò tamen Sanchez *in decalog. tom. 2. lib. 6. c. 7. nu.* 110. & Fr. Barthol. *de Vecchis dub. 5. nu.* 13. hanc ampliationem non admittunt, quia textus in præsenti loquitur de jis, qui transeunt virtute alicujus privilegij ad laxiorem, sed transitus ad Carthusianam fit vi juris communis in Extravag. *viam ambitiosa de Regularib.*

1999. Quæstio est 3. an quilibet Professus ad Prælaturam Regularem, vel beneficia Regularia sui Conventûs eligi possit? Rz. negativè. Nam ad hoc requiritur, quòd sit *actu*, vel *expressè* professus, c. *cùm in Magistrum*, 49. *h. t.* ibi : *cùm in magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus, qui subesse non novit :* nos intellecto per te, quòd in quibusdã regularibus domibus jure tibi diœcesano subjectis, sunt quidam in Abbates, *non professi ordinem regularem, assumpti* : mandamus, quatenus, *cùm Abbates tales esse non debeant, qui professionem Monachi, & Regulares Canonici non fuerint, ad amotionem eorum, quos tales inveneris* ( sublatô appellationis impedimentô ) *procedas* ; sic Gregorius IX. & Bonifacius VIII. in c. *nullus*, 28. *eod. in* 6. ibi : *nullus Religiosus* ad Abbatiam, seu Prælaturam suæ, vel alterius religionis *de cætero eligatur, nisi ante fuerit ordinem Regularem expressè professus.* Quòd si secus auctũ fuerit : *eo ipso irritum habeatur.* Ad dignitatem verò Episcopalem ( ad quam novitij eliguntur interdum ) talem in sæcularibus Ecclesijs eligi minimè prohibemus.

2000. Nec obstat quævis, etiam longæva, consuetudo, c. *cùm causam*, 27. *eod.* ibi : quia *non debemus attendere solummodò, quid factum sit, sed potiùs, quid sit faciendum, irritetis electionem prædictam non professi, non obstante consuetudine contraria* ; & ideo etiam Clericus sæcularis non potest eligi in Abbatem, vel Prælatum regularem ; quamvis summus Pontifex ex plenitudine potestatis possit ei talem Prælaturam concedere in commendam, etiam perpetuam, ut notat Layman, *de elect. Prælat. q.* 183. & Fagnanus in c. *cùm ad nostram, h. tit. nu.* 4. ad beneficia tamen simplicia sufficit, quòd se obligent ad illum ordinem profitendum, esto actu eum professi non sint, cit. c. *cùm causam, & Trid. sess. 14. de reform. c.* 10. & nullus simul professionem facere in ordine, & in Abbatem eligi potest, c. *cùm ad nostram*, 37. *h. tit.* ibi : cùm ad nostram notitiam pervenisset, quòd H. qui se pro Abbate Lexovien si gerebat, non fuit antè Monachus, quàm electus : non attendentes, quòd contra regulares traditiones illud fuerat attentatum, cùm nullam spem, vel promissionem habens, ut Abbas fiat, debeat Monachari, *electionem de ipso factam curavimus irritare* : potest tamen non professus postulari in Abbatem, vel Prælatum regularem, c. *cùm Monasterium*, 13. *h. tit.* ubi talis postulatio per Cœlestinum III. fuit approbata, ibi : *nos illam, prout facta est canonicè, confirmamus* ; & etiam post professionem plenè factam, si necessitas, vel utilitas Ecclesiæ id postulet, statim eligi in Prælatum ; ordinariè tamen id fieri non debet, nec expedit, ut sumitur ex c. *officij*, 38. *h. tit.* ubi, postquam dictum est, in Abbatem eligi non posse, nisi instructum in regula monachali, subjungit Pontifex : *postquam fuerit in regula competenter instructus* ( si *urgens necessitas, & evidens utilitas ipsius monasterij postulaverit* ) *purgatione recepta, poterit in Abbatem assumi, ne monasterium opprimatur incursibus malignorum.*

Quæstio est 4. an Prælati Regulares eligi possint extra suum monasterium, vel ordinem? Resp. de hac quæstione agi in *Clement. 1. h. t.* ubi Clemens V. ita loquitur : cùm rationi non congruat, ut *homines disparis professionis, vel habitûs, simul in eisdem Monasterijs socientur* : prohibemus, *ne Religiosus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius religionis, vel habitûs de cætero eligatur*, quòd si *secus actum extiterit, sit eo ipso irritum, & inane* : per hoc autem, quin *Religiosus in Episcopum, sæcularis, vel cujuslibet regularis Ecclesiæ* licitè possit eligi, *non intendimus prohibe-* 2001.

*re*

*re.* Ex quo textu sequitur, Religiosum eligi non posse ad Prælaturam non Episcopalem, alterius Religionis, vel habitûs: & irritum esse, si contra fiat; secus ad Episcopatum Ecclesiæ tam sæcularis, quàm Regularis; de hac quæst. videri potest quoque c. *si Abbatem*, 36. *h. tit. in* 6. ubi nota, decisionem hujus textûs etiam locum habere in Monialibus juxta id, quod tradit Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 7. & illa verba: ejusdem Religionis, professionis, & habitus, juxta Barbosam in cit. *Clement. n.* 2. esse æquipollentia, solúmque posita ad majorem rei declarationem, vel expressionem.

2002. Quæstio est 5. an Religiosus possit eligi ad Prælaturam sui ordinis, sed alterius Monasterij? affirmativam docet Layman in c. *Si Religiosus*, 27. *h. t. in* 6. dicens, id haberi *in Clement.* 1. *eod.* quia licèt ibi solùm dicatur, *eligi* non posse ad Prælaturam, *Episcopali inferiorem diversi ordinis*; per contrarium tamen sensum etiam alterum deduci potest; quod tamen accipe, nisi aliud speciali jure certæ alicujus Religionis id cautum sit, prout est in Soc. JESU. verùm huic resolutioni Patris Layman opponi potest textus c. *cùm singula.* 32. *de Præbend.* §. *prohibemus*; de quo alibi. An autem hoc, quod tradit Layman *citatus*, procedat, si Religiosus eligeretur ad Prælaturam Ecclesiæ Collegiatæ sæcularis? dubari potest: Resp. tamen quæstionem fieri posse de Religioso ex ordine mendicantium, vel non mendicantium; quo supposito:

Dicendum de utroque casu negativè; 1. quia beneficia sæcularia sæcularibus Clericis conferenda sunt per c. *cùm de beneficio*, 5. *de Præbend. in* 6. deinde in c. *Super eo*, 19. *de Regularibus*, statuitur, *Religiosos non esse assumendos in Ecclesijs sæcularibus*, ne à suæ professionis regula declinent; ergo nisi per aliquam exceptionem ea constitutio limitetur, tenenda est; at per nullam exceptionem aliam limitatur, nisi de qua diximus *ex Clement.* 1. *n.* 2000. & illam, quæ habetur in c. *quod Dei timorem*, *de statu Monach.* ubi permittitur Canonicis Regularibus, ut ad præstandum officium prædicationis erga plebem, in Ecclesijs Parochialibus, in eorum commodum instituí possint.

2003. Accedit clara prohibitio *in Extravag.* *dispendijs*, *de postul. Prælatorum*, ne Religiosus ordinis Mendicantium ad inferiorem Cathedrali Ecclesiam postuletur; de alijs autem ordinum non mendicantium communis Doctorum sensus est (ut tradit Suarez *l.* 7. *de Relig. c.* 29. *à n.* 70.) hodie non permitti, ut ad beneficia quæcunque (præter Episcopatum) etiamsi curata sint, vel Prælaturæ alicujus Ecclesiæ Collegiatæ sine dispensatione Pontificis promoveantur. Et ideo Layman *l.* 4. *Theol. mor. tr.* 2. *c.* 4. *àn.* 2. expressè tradit, privilegio per c. *quod Dei timorem*, Canonicis Regularibus concesso, derogatum esse hodie per Concordata Concilij Lateranensis cum Leone Papa, significâsse plures sequentes Pontifices, apud Sanchez *l.* 7. *moral. c.* 39. *num.* 71 Garciam *p.* 7. *de benefic. c.* 10. *nu.* 31. & Cardinales *in declar. Trident. sess.* 14. *c.* 10. *de reform.*

Hinc ulteriùs deducit Layman cit. hodie absque Papæ dispensatione, Canonicum Regularem ad parochialem Ecclesiam promovendum non esse, quod etiam docet Miranda *in man. tom.* 1. *q.* 32. *a.* 5. & significat Sylvester *V. Religio*, 7. *q.* 6. & juxta hanc praxin Curiæ Romanæ, Episcopum Monachos, & Regulares Canonicos, si absque Papæ licentia ad parochias sæculares, suo monasterio non unitas, promoti sint, inde removere posse. 2004.

Videtur autem notanter loqui de parochijs suo Monasterio *non unitis*; nam, ut rectè tradit, *in c. si Religiosus*, 27. *h tit. in* 6. hodie adhuc Prælati Ordinum, Religiosos suos, cum potestate iterũ amovendi instituere possunt ad parochias, *Monasterijs eorum subjectas*; idque dubitari non debet de ea parochia, quæ in loco Monasterij sita, à prima institutione Regularibus commissa est: qua de re *Trident. sess.* 25. *de Regular.* sed & in ea parochia id locum habet, quæ postea Monasterio incorporata est, quòd Prælatus Ordinis, Regularem suum, idoneum, instituere possit, qui tamen ab Episcopo examinare, & parochia ejus visitari debeat: quia unio intelligitur, salvo jure Episcopali, uti deducitur *ex Concilio Trid. sess.* 7. *c.* 7. *junctis declarat. Cardinal. & sess.* 24. *c.* 3. *&* 18. *de reformat*: excipe, nisi Prælatus Ordinis *exemptus*, veluti Episcopalem in territorio illo jurisdictionem obtineat, ut Episcopus nihil juris sibi vendicare queat. 2005.

2006. Quæstio est 6. an Religiosus, absque licentia sui immediati Superioris possit consentire in electionem de se factam extra suum Monasterium etiam ejusdem Ordinis? Rz. quòd non; hoc sub pœna amittendi juris per electionem acquisiti, *c. si Religiosus*, 72. *h. tit. in* 6. ibi: si Religiosus (*cujus arbitrium non ex sua, cùm velle, vel nolle non habeat: sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit, voluntate dependet*) electioni de se ad prælationem aliquam, *extra suum Monasterium*, vel suam Ecclesiam celebratæ, *sui Superoris*, qui dare ipsam valeat, *non petitâ licentiâ, & obtentâ* præsumpserit consentire: *consensus sic præstitus non teneat, & in pœnam præsumptionis illius electio eadem, ipso facto, viribus vacuetur omnino.* Not. tamen, in hoc casu non requiri licentiam Conventûs, sed sufficere *solius Prælati*; non tamen generalem tantùm, sed particularem, & quæ electionem factam subsequatur; habetur *in cit. c.* §. *quia verò*, ibi: *quia verò, utrùm Religiosis* consentiendi electionibus de se factis: & ad Prælationes, ad quas electi fuerint, transeundi à suis Superioribus, *sine fratrum consilio licentia dari possit:* cùm jura super hoc sint varia, *dubitatur interdum*? *Nos*, ad hujusmodi dubitationem tollendam, & ut ordinationes Ecclesiarum, ac monasteriorum, in quibus tales electi extiterint, celeriùs, & faciliùs valeant expediri: *decernimus*, ut jidem Superiores) *suis irrequisitis conventibus*) electis hujusmodi consentiendi & transeundi, liberam dare valeant facultatem. His adde Clement. *ult. de elect.* ubi decernitur, non sufficere Prælati licentiam, *si generatim* alicui data sit, ut liceat consentire electioni, aut provisioni, si quam de ipso fieri contigerit, imò, etiamsi (ut gloss. ibi communiter recepta docet) particulatim alicui data sit, contingat, eum in tali Ecclesia eligi; sed opus est, *ut licentia electionem factam subsequatur.*

2007. Præter hæc not. 1. nullum Religiosum Mendicantium ad aliquam Prælaturam, extra suum Ordinem, in discordia electum, nullum jus acquirere, quamvis Prælatus ejus in illius electionem consentiat; imò nec in illam consentire posse, etiam cum licentia sui Prælati, c. *quorundam*, 24. *h. tit. in* 6. Forman autem electionis in Prælato Regulari eandem esse cum ea, quam dedimus *suprà*, nimirum per scrutinium, & secreta suffragia, nisi aliter alicubi observari soleat ex privilegio, concessione speciali, aut recepta Ordinis consuetudine; V. *Trid. sess. 25. de Regularib. c. 6.*

Not. 2. Prælatos regulares exemptos, confirmationem suam accipere debere à Papa, cui immediatè subjecti sunt, nisi aliud habeant ex proprijs constitutionibus, & ante illam nihil jurisdictionis exercere posse; secus eâ obtentâ; ac eos, etiamsi habeant jus infulæ, & baculi, *non consecrari*, sed soùm *benedici* per simplicem, & deprecatoriam manuum impositionem, ab Ecclesia institutam, idque ex commissione summi Pontificis, & assistentibus duobus alijs Abbatibus, die Dominico, vel alio festo, nisi aliud habeant Ordinis privilegia, vel consuetudo legitima; & *benedictionem semel collatam non repeti, esto semel benedictus ad aliam Prælaturam transferatur.* Reliqua de confirmatione, & electione ex dictis generaliter superiùs, resolvi possunt. V. *num.* 2818. 2008.

## ARTICULUS XVIII.

### *De electione, confirmatione, & benedictione Abbatissarum, & aliarum Præpositarum.*

DE harum personarum electione specialiter agitur in c. *Indemnitatibus*, 43. *h. t. in* 6. ubi sic loquitur Bonifacius VIII. Indemnitatibus monasteriorum monialium, quæ frequenter, *propter electiones in discordia celebratas*, in ipsis grandia in spiritualibus, & temporalibus dispendia patiuntur, occurrere desiderabiliter affectantes: statuimus, ut, cùm in eis fuerit electio facienda, *nulla monialis* (nisi *duodecim annos* peregerit, & *professa fuerit tacitè, vel expressè*) *ad eligendum cum alijs admittatur.* Nec in Abbatissam, aut Priorissam (ubi per Priorissam monasterium gubernatur) de cætero eligatur aliqua, *nisi tricesimum annum compleverit, & expressè professa fuerit ordinem regularem.* 2009.

Circa hunc textum not. 1. quòd jure antiquo Moniales non poterant sibi eligere Abbatissam, vel præpositam, nisi haberent 2010.

rent ætatem salem 12. annorum, ac essent tacitè, vel expresè professæ, ut constat *ex textu cit. c.* 43. jure autem novo Tridentin *sess. 25. de Regular. c.* 15. cùm ante annum ætatis 16. completum, profiteri non possint, nec priùs jus activum eligendi habent; ad quod tamen sufficit professio *tacita.*

2011. Not. 2. ut aliqua habeat jus passivum, seu habilitatem, ut eligibilis sit in Abbatissam, Præpositam, vel Superiorissam totius domûs, jure Tridentini plura requiri, ut constat *ex sess. 25. de Regular.* ibi: *Abbatissa, & Priorissa, & quocunque alio nomine Præfecta, vel Præposita* appelletur, eligatur *non minor annis quadraginta*, & quæ *octo annis post expressam professionem* laudabiliter vixerit. Qòud, si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio ejusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur, ex jis, quæ in eodem monasterio *annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis* post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur. *Duobus* verò *monasterijs nulla præficiatur.* Et, si qua duo, vel plura quocunque modo obtinet, cogatur uno excepto, intra sex menses cætera resignare. Post id verò tempus, nisi resignaverit, omnia ipso jure vacent; is verò, *qui electioni præest* Episcopus, sive alius Superior, *clausura monasterij non ingrediatur*, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat. In reliquis serventur singulorum Ordinum, vel monasteriorum constitutiones.

2012. Ex hoc decreto requiritur. 1. quòd eligenda sit *expresè* professa. 2. quòd habeat ætatem jure requisitam, ut constat ex cit. c. *Indemnitatibus*; ætas autem naturalis eligendæ, juxta jus commune debet esse 30. annorum completorum cit. cap. *Indemnitatibus*; jure autem *Trident. sess. 25. de Regular. cap.* 7. 40. annorum completorum, etsi olim Abbatissa debuerit esse sexagenaria, c. *Juvenculas*, 20. *q.* 1. sed hoc nunquam jure receptum fuit, ut notat Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 6. num.* 8. Præter annos naturales, in eligenda, *jure Trid. cit.* requiritur, quòd *octo años* post expressam professionem laudabiliter in Monasterio vixerit; & si in tali monasterio nulla his qualitatibus prædita, reperiatur, ex alio ejusdem Ordinis eligi posse; quamvis, si hoc ei, qui electioni præest, incomodum videretur, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligi poterit, quæ 30. *annum* excesserit & 5. *saltem annis* post professionem rectè vixerit; ita Suarez *cit.* Porro duæ prædictæ qualitates (nempe 30. annorum ætas, & octo professionis emissæ) non sic requiruntur, ut illis deficientibus electio sit irrita ipso jure; V. Pirhing *hic num.* 405. *2. Porro*, ex quadam Cardinalium declaratione; poterit tamen irritari ex causa.

Not. 3. præter prædicta in eligenda requiri 1. quòd sit *legitimè nata*, *gloss. in cap. indemnitatibus*, *h. t. in V. Canonica*; dispensare tamen in hoc posse Superiores, quibus tale monasterium subjectum est; V. Pirhing *h. tit. num.* 407. qui ibidem notat, hanc qualitatem non requiri ullo expresso jure, licèt fortè deducatur ex c. *1. de fil. presbyt.* Secundò, quòd sit *virgo*; hoc est, non vidua, non corrupta, *cap. si quis*, §. *novimus*, 1. *q.* 7. *& c. Juvenculas*, 20. *q.* 1. *junct. gloss. V. eodem:* posse tamen cum tali dispensari ab eo, qui electioni præest, si habeat jurisdictionem Episcopalem, tenet Suarez *cit. c. 6. num.* 16. & si quæ, *occultè corrupta*, eligeretur, probabiliùs est, ipsam non teneri, se infamare, confessione sui lapsûs; sic Layman *de elect. Prælat. q.* 229. 2013.

Not. 4. formam electionis esse eandem, quæ apud alios Prælatos Regulares, nempe *per scrutinium*, & *vota secreta*, juxta c. *quia propter*, 42. *h. tit. & c. Indemnitatibus* 43. *eod in* 6. Specialiter autem observandum, ut *eligentium nomina nunquam publicentur*, id, quod ex *Trid. sess. 25. de Regularib. cap. 6.* in omnibus electionibus Regularibus servandum est. Si autem quæras, an Episcopus, vel ejus delegatus electioni exemptarum Monialium unà cum Prælato Regulari interesse possit? R. affirmativè, *ex constitut. Gregorij XV.* quæ incipit: *Inscrutabili*; & probabilius est, etiam hodie fieri posse à Monialibus *per compromissum*, vel inspirationem. Nam jure antiquo id poterant, *c. causam*, 8. *h. tit. cit. c. indemnitatibus*, *c. quia propter*, 42. nec jure novo illis hoc ablatum est. Concilium enim Tridentinum in suo decreto loquens *de scrutinio*, non excludit alios 2014.

modos eligendi de jure concessos. Illi tamen, qui vota excipiunt, non debent monasterium ingredi, sed extra cancellorum fenestram ea excipere, ut dicitur *in Trid. loc. cit.* Hoc aliqui censent limitandum, ut non procedat, si Prælatus prudenter judicet, electionem non posse fieri *canonicè, ac in concordia* propter inquietudinem Monialium, & suspicionem subornationis votorum inter ipsas subortæ, vel alias causas similes, nisi ingrediatur Monasterium, & suffragia recipiat, ut videri potest in remissionibus *ad cit. c. 7. sess. 25.* His positis:

2015. Quæres 1. quid agendum, si electio fiat in discordia, seu votis in diversa sparsis? R. de hoc agi in cit. c. *indemnitatibus*, §. *Sanè*, ibi: Sanè si ad electionem per formam scrutinij procedatur: & (*votis in diversa divisis*) electiones per plures in discordia celebrari contingat: *ea, quæ à duabus partibus numero, fuerit celebrata* (exceptione, seu contradictione, aut appellatione quacunque partis alterius non obstante) *per superiorem* (*priùs tamen ex officio, prout spectat ad ipsum, diligenti examinatione præmissa*) si aliàs inventa fuerit canonica, *confirmetur*: *& confirmatæ electæ* (si Abbatissa extiterit) *benedictio impendatur.* Si autem nulla earundem electionum *à partibus fuerit celebrata duabus*: tunc (*non obstante*, quòd sit publicatum scrutinium, & ad electionem processum) possint Moniales, quæ in aliam, vel in alias direxerant vota sua, licitè per consensum (antequam ad actus divertant extraneos) omni pravitate cessante, ad illam accedere, quæ ab alijs majorem partem conventus numero facientibus est electa. Et si per accessum hujusmodi *ad duas partes* perveniri poterit: illis, quæ antea in eam consenserant, computatis, *confirmetur, & benedicatur*: acsi *duas partes ab initio habuisset*, ut in casu proximo est præmissum. Verùm, *si quæ fuerint moniales, quæ, postquam in præmissis casibus talis confirmata, & benedicta extiterit, ac possessionem suæ administrationis fuerit assecuta, voluerint in modum denuntiationis, vel accusationis* (ut à dignitate dejiciatur adepta) *proponere aliquid contra ipsam, eis per prædicta proponendi, minimè sit sublata facultas.*

2016. Et subjungitur: *Si verò ad illam, quæ à majori parte* (ut præmittitur) *est electa, noluerint aliæ accedere moniales*: vel, si *accesserint, non tot tamen, quòd cum alijs priùs in eam consentientibus faciant duas partes: tunc super objectionib⁹ partis alterius, si quæ fuerint, & super alijs, quæ in tali negotio sunt ex officio inquirenda, plenè, sine strepitu judicij & figura superiore*, inquiratur primitus, *antequam confirmetur electio, vel etiam infirmetur*: sed *interim, præsentis constitutionis auctoritate, in spiritualibus & temporalibus, liberè administret*: sic tamen, quòd de rebus monasterij nil penitus alienet: nec aliquam in monialem recipiat quoquo modo. Si qua verò, à minori parte conventûs numero, nominata fuerit, vel electa, ex nominatione vel electione hujusmodi (quas eoipso, quòd pars minor eas fecerit, vires aliquas nolumus obtinere) ipsi jus aliquod quomodolibet non quæratur: nec ad eam ab alijs per consensum in hoc casu valeat accessus haberi. Ut autem cùm per prædictam formam proceditur, faciliùs in hujusmodi monialium electionibus ad concordiam veniatur: decernimus, ut *non Zeli ad Zelum*, nec *meriti ad meritum*, sed solùm *numeri ad numerum* fiat collatio in eisdem.

Ex hoc textu sequitur, non obstante 2017.
minoris partis contradictione, vel appellatione, *quòd non sit idonea*, eam fore Abbatissam, quæ à *duabus partibus* Capituli electa fuit canonicè, & à Superiore confirmandam, & benedicendam, si Abbatissa fuerit, *præmissâ* tamen, prout ex officio tenetur, *diligenti examinatione.* Et ideo, si facto examine, deprehenderet, electam à duabus partibus esse indignam, electionem (utpote ipso jure irritam) nullatenus confirmandam.

Sequitur 2. si facto scrutinio non pro- 2018.
deat electa (ut, si nulla sit electa *habens duas partes Capituli*) tum *publicato scrutinio*, illas, quæ cum majori parte non consenserunt, mutatâ sententiâ, illi suffragijs suis posse accedere, si fiat in continenti, & sine pravitate simoniaca, antequam divertant ad alios actus extraneos; sic habetur *in cit. c. §. sanè*; ex quo per oppositum habetur, non valere electionem ejus, in quam viâ scrutinij non consenserunt *duæ ex tribus partes Capituli*, consequenter duæ tertiæ. Nam aliàs

publi-

publicato scrutinio, ex quo non prodit electa habens duas partes Capituli, illæ, quæ cum majori parte non consenserunt, non possent suis suffragijs accedere illi, speciali juris dispositione in *cit.* §. *sanè*; cùm hoc respiciat eum duntaxat finem, *ut habeatur Canonicè electa*, nimirum sufficienti numero suffragiorum. Et ideo, si sint electrices 24. vel 25. v. g. non censetur legitimè electa habens vota solùm 14. reliquis in alias sparsis. Nam 14. vota, non sunt *duæ partes Capituli* constantis 24. vel 25. personis eligentibus.

2019. Sequitur 3. si ad eam, quæ à majori parte electa fuit, aliæ accedere nolint, vel non usque ad duas partes, juxta Layman *in c. indemnitatibus*, §. *sanè*, *num.* 7. Superiorem, ad quem spectat confirmatio, debere audire objectiones illarum, quæ electioni contradicunt, facta inquisitione plena, sine strepitu judicij: interim verò electam in spiritualibus, & temporalibus administrare posse, ita tamen, ut nihil omnino alienet, nec monialem aliquam recipiat; sic *cit.* §. *sanè*, quod est speciale; illas autem, quæ votis suis fecerant majorem partem, licèt nondum sufficientem, *publicatô scrutiniô* non posse mutare suam sententiam, quia de illis in dicto c. nihil quoad hoc cautum est. Cæterùm, esto electa, etiam confirmata, & benedicta foret, imò possessionem suæ administrationis consecuta, volentibus aliquid contra illam opponere per modum accusationis, vel denuntiationis, ut à dignitate obtenta removeatur, licitum est per *cit. c. indemnitatibus*, §. *Verum*; dixi, *contra illam*, nempe *personam electæ*; non autem, *si contra formam electionis*; quia defectus in hoc commissus per secutam confirmationem purgatus est. Vitium enim formæ non nocet Ecclesiæ, sed vitium personæ; sic Innocentius in c. *quod sicut*, 28. *h. tit. nu.* 9. Francus *in cit.* §. *Verùm*, *num.* 2. Verùm hoc videtur intelligendum, si confirmans valeat dispensare in jure communi, non autem in electionibus pro istis, ut faciliùs ad concordiam perveniatur, sufficere *collationem numeri tantùm*; non item requiri collationem Zeli ad Zelum, & meriti ad meritum, tradit Layman *cit.* §. *sanè*, *num.* 9.

2020. Quæres 2. à quo Abbatissæ, seu Priorissæ Conventuales confirmandæ, & (si tales benedici soleant) benedicendæ sint? Resp. quòd à Superiore, cui monasterium, ad quod electa est, immediatè subjicitur, nimirum à Papa, si Sedi Apostolicæ immediatè subjectum sit; si Episcopo, ab isto: Si Religioso Virorum ordini, ab Ordinis Prælato; sic Azor *p.* 1. *l.* 13. *c.* 10. *q.* 3. requiri autem etiam hìc confirmationem, clarè habetur *ex cit.* §. *sanè*, ibi: *inquiratur primitus, antequam confirmetur electio, vel etiam infirmetur.* Hinc quando in cit. c. *indemnitatibus*, dicitur, electam per scrutinium à duabus partibus per officium Præsidentis, examinatione præmissa, confirmandam, & *benedicendam*, intelligendum *in monasterijs, in quibus solitæ sunt benedici*; cùm non ubique benedicantur. Et ideo monet gloss. *in Clement. Attendentes*, §. *statuimus*, V. *solitæ*, in hac re sequendum esse morem cujusque regionis, & colligitur ex ipso textu hujus Clementinæ, ibi: *statuimus, ut quævis ad regimen Abbatiarum assumptæ* in monasterijs, in quibus Abbatissæ sunt solitæ *benedici*, *intra annum à suæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis suscipiant, alioquin à jure suo* (*nisi subsit causa rationabilis*) *prorsus se noverint cecidisse, per illos, ad quos id pertinet, provisione de Abbatissis Monasterijs ipsis canonicè facienda.*

Quæres 3. quid dicendum, si monialis per compromissum electa fuerit, & minor pars Capituli se opponat? R. electam nihilominus esse confirmandam; secus, si opponat se major pars; confirmatio enim hoc casu differri debet, nihilominus tamen administrationem habebit, sicut diximus *num.* 2019. nisi pars se opponens sit duplô major; tunc enim etiam administratione carebit usque ad litis eventum per cit. *c. indemnitatibus*, §. *Cæterùm*, ibi: cæterùm, si per formam compromissi fuerit in electione processum, & electæ pars aliqua se opponat: si minùs, ipsius (ut in forma scrutinij statuitur) confirmetur electio, & eidem benedictio impendatur, partis ejusdem contradictione, vel exceptione, aut appellatione qualibet non obstante: sed per hoc denuntiandi, vel accusandi eam postmodum sibi via minimè sit præclusa: *Si major, ejus* (donec de objectis, & alijs, ut in eadem

2021.

forma scrutiniji præmittitur, fuerit inquisitum) *confirmatio, vel infirmatio differatur*: sed interim (ut prædicitur) liberè administret, *nisi forsan pars opponentium extiterit duplò major: tunc enim administrare ipsam nolumus, sed litis eventum potiùs exspectare.*

2022. Not. 5. si contingat in electionibus Monialium appellari, Moniales debere Procuratorem ad Sedem Apostolicam mittere, *cit. c. indemnitatibus*, §. *Porro*; in reliquis servandum est, quod præscribitur c. *ut circa, de elect.* Textus in §. *Porro*, sic habet: porro, si in hujusmodi electionum negotijs contigerit (in illis duntaxat casibus, in quibus oppositiones juxta præmissa fuerint admittendæ) ad Sedem Apostolicam appellari: appellantes formam constitutionis felicis recordationis Gregorij Papæ prædecessoris nostri editæ in Concilio Lugdunensi diligentiùs servare teneantur. Sed cùm eas, propter sexus verecundiam, suæque conditionis statutum, non deceat, nec ipsis expediat publico cætui demonstrari, aut extra sua monasteria evagari: nolumus, quòd electæ, vel etiam eligentes, aut appellantes, seu hæ, contra quas appellatum fuerit, ad eandem Sedem *personaliter* veniant quoque modo: *sed procuratores*, sufficienter instructos, juxta constitutionem piæ memoriæ Nicolai Papæ tertij, prædecessoris nostri, ad Sedem ipsam transmittant: per eos electionum, ac appellationum, & postulationum suarum prosecuturæ negotia, prout justitia suadebit, pœnam in dicta constitutione contentam ipso jure (si hoc non fecerint) incursuræ.

2023. Not. 6. eos, qui ad dirigendas monialium electiones destinantur, ipso jure excommunicari, si vel excitent inter eas discordiam, vel exortam componere negligant, ut habetur cit. c. *indemnitatibus*, §. *postremò*. Ea porro, quæ in constitutione *Inscrutabili* cira Monialium electiones decreta, etiam esse servanda in Conventibus mulierum, quæ Canonicæ vocari solent, eo excepto, quòd, *licèt professæ non sint*, nihilominus habeant vocem activam, & passivam, sic c. *Indemnitatibus*, §. *supra dicta*.

2024. Quæres 4. an valeat confirmatio electæ, quæ non habuit ex suffragijs duas tertias? R. quòd non; nam confirmatio electionis irritæ, nulla est, quia caret objectô, cui robur addat; sed electio Superioriss æ monialium, quæ non habet duas tertias, irrita est, *ex num.* 2015. Et ideo ex tripartito numero monialium, *duas partes* concurrere debere in electione Abbatissæ, nisi alia fuerit loci consuetudo, & si fuerint discordes, posse Episcopū nominare unam, quam magis idoneam judicaverit, refert decisum Piasecius *in praxi Episcop. p. 2. c. 3. n. 57. vers. in monasteriys*; & Aldanus *in Compend. Canonicar. resolut. lib. 1. lit. 28. n. 26.* ubi ait: resolutum per sacram Congregationem Episcoporum *in Assisien. 20. Novembris 1585.*

Huic resolutioni opponi posset ex Barbosa *in cit. c. 7. sess. 25. Concilij Trid.* quòd quædam decisio Rotæ coram *Duran. 232. n. 3.* dicat: quod verò ulteriùs deducebatur, in electione Abbatissæ *requiri duas ex tribus partibus Capituli*, per *text. in c. indemnitatibus*, §. *sanè, in princ. de elect. lib. 6.* Domini dixerunt, non esse verum; *sufficere majorem partem eligentium*, habito respectu ad Capitulum, ut dictum est ex c. *quia propter, 32. de elect. & inc. dudum*, cum alijs ejusdem *tit. de elect. lib. 6.* & deducitur *ex dict.* §. *sanè, vers. verùm si quæ, usque ad fin.* Navarrus *cons. 5. de elect.* & in specie Miranda *in man. Prælat. Regul. t. 3. q. 23. a. 27. concl. 2.* & idē *in tract. de Monial. q. 7. a. 4. Ant. Cuch. just. major. Can. l. 4. tit. 2. n. 291. Roder. t. 2. qq. Regul. q. 55. a. 4.* qui *ibid. a. 1. in princ.* dicit, hoc idem cautum esse in statutis Ordinis Cistercienss. Neque obstat *text. in dict.* §. *sanè, in princ.* quia, quod ibi dicitur *de duabus partibus*, procedit ad effectum, *ut electa à duabus partibus, possit confirmari appellatione remota*, etiamsi à minori parte, contra ejus personam, defectus objiciantur: non autem, ut propterea electio à majori parte facta non teneat, quia secus textus ille esset sibi contrarius *in dict. vers. verùm*, Mirand. *de monialibus*: ergo electio non est irrita, licèt electa non habeat *duas tertias.* 2025.

Verùm, non video, qualiter spectato jure communi dici possit, in electionibus Monialium, *non esse verum* (requiri *duas, ex tribus partibus* Capituli) sed sufficere *majorem partem eligentium*; textus enim apertissimus est in c. *Indemnitatib⁹*, §. *sanè*, cujus verba formalia retulimus *nu. 2015.* 2026.

Nec

Nec id, quod allegatur in contrarium ex c. *quia propter*, & c. *dudum*, hìc locum habet. Nam ibi non agitur *ex professo* de electione *mulierum*; secus in c. *Indemnitatibus*, ubi longè alia ratio est, ut notat Pontifex statim in principio suæ Constitutionis.

2027. Nec dici potest, ipsorum decisioni favere *in dict. cap. Indemnitatibus*, §. *sanè*, *vers. Verùm si quæ fuerint*, ibi enim (ut patet *ex num.* 2015.) solùm dicitur, quòd, si quæ fuerint Moniales, quæ, postquam in præmissis casibus talis confirmata, & benedicta fuerit, etiam obtenta possessione administrationis, contra illam nihilominus possint agere; ubi not. textum loqui de electa *in præmissis casibus*, nimirum, non obstante discordia, censendam electam, *quæ à duabus partibus numero* fuerit celebrata; 2. si nulla prodeat electa *per duas partes*, tum censendam electam, *si post publicatum scrutinium, illæ, quæ priùs non consenserunt, suis suffragijs accedant habenti majora; & sic fiat, quòd habeat duas partes, vel tertias:* verùm ex hoc non deducitur valere electionem, non factam *à duabus partibus*; ergo.

2028. Quæres 5. an si is, qui præest electioni Monialium, factæ in discordia, antequam confirmetur, vel infirmetur electio, *prætermisit* inquisitionem super his, quæ minor pars opponit contra electam etiam sine strepitu, & figura judicij, *confirmatio subsecuta nihilominus valeat?* R. quòd non. Nam hoc clarè evincitur primò ex decisione Rotæ, de qua *num.* 2075. deinde *ex* §. 1. c. *indemnitatibus*, *relato num.* 2015. apertè dicitur electam in discordia, *si habeat duas partes votorum*, non obstante contradictione minoris partis, *confirmandam esse, priùs tamen ex officio, prout spectat ad ipsum* (nempe: confirmantem, vel electionis Præsidem, qui confirmanti electionem factam significare tenetur) *diligenti examinatione præmissa*; ergo *ante confirmationem* hoc examen instituendum est, nec confirmanda, si non habeat duas partes, ut notavimus *num.* 2017. Demum in §. *si verò*, quem retulimus *num.* 2016. expressè requiritur, quòd in casu, quo aliqua est electa per majora; *quæ tamen non faciant duas tertias* ex toto numero electricum, talis electio in discordia facta nec confirmari, nec infirmari debeat, *nisi priùs super his*, quæ objicit adversa pars (ea nempe, quæ in illam non consensit) & super alijs, quæ in tali negotio sunt ex officio inquirenda, *plenè, sine strepitu judicij, & figura per superiorem primitus inquiratur*; ergo ubi hæc inquisitio confirmationi præmissa non est, talis electionis confirmatio subsecuta invalida est; sicut irrita foret ejus infirmatio.

Ad ea, quæ in contrarium afferuntur 2029.
*numero* 2025. ex decisione Rotæ, R. pro valore electionis factæ in discordia, quando electa non habet *duas partes*, seu *tertias*, nihil probari 1. *ex cap. quia propter*, *& c. dudum*, ut ostensum est *num.* 2026. sed nec ex §. *sanè*, rectè colligitur ad valorem dictæ electionis sufficere majorem partem, licèt major sit duabus tertijs; quia licèt ibi dicatur, ejusmodi electionem *nec confirmandam*, *nec infirmandam*, antequam debita inquisitio, de qua *suprà*, ritè fiat; non propterea insinuatur, aut dicitur, valituram, si facta sit *infra duas medietates votorum*, quæ cæteroquin in electionibus Monialium in c. *indemnitatibus* præscriptæ sunt, præsertim cùm nullibi in toto illo c. confirmanda dicatur electo, nisi quæ *à duabus partibus numero* fuerit celebrata. Accedit, quòd huic decisioni Rotæ advertetur alia ejusdem Rotæ apud Ascanium, Tamburinum *tom.* 3. *de Jure Abbat. decis.* 17. *nu.* 5.

Colliges præterea, si in electione, pu- 2030.
blicatô scrutiniô, nulla prodeat *à duabus partibus* electa, posse illi, quæ majorem Conventûs partem habet, eas suis votis accedere, quæ priùs in eam non consenserunt, modò id fiat, antequam ad alios actus divertant; & si per accessum istarum simul cum votis illarum, quæ priùs in eam consenserunt, acquirat duas votorum tertias, posse confirmari perinde, acsi eas in principio habuisset, ut constat *ex* §. *sanè*, *in n.* 2015. in casu tamen pendentis inquisitionis, & suspensa interim confirmatione, vel infirmatione electionis factæ in discordia à majori quidem numero, sed infra duas tertias, taliter electæ liberam in spiritualibus, & temporalibus administrationem concedi juxta dict. c. *indemnitatibus*, §. *Si verò*, *in n.* 2017. nisi pars opponentium foret *duplò major*; nam eo casu, etiam quoad dandam illi administrationem e-

ventus

ventus litis exspectandus erit, ut dicitur *in cit. c.* 43. §. *Cæterùm, infine.* Advertendum autem, quod dicitur, pendente lite, ubi major pars se opponit contra electam, nihilominus electæ, etiam dilata confirmatione, dari administrationem, debere intelligi, quando processum est *per viam compromissi;* si autem tali electioni per viam compromissi se opponat duplo major pars *Conventus*, etiam dilata confirmatione non dari electæ administrationem, sed litis eventum exspectari, ut notat gloss. *in dict. c.* 43. V. *Exspectare.*

2031. Præter hæc not. 1. *in Concilio Trid. sess.* 25. *de Regular. c.* 7. ubi agitur de electionibus, quæ celebrantur à Monialibus, postquam præscriptum est, quæ ætas requiratur in eligenda ad Superioratum, tam naturalis, quàm professionis; & ne una duobus Monasterijs præficiatur; is verò, qui electioni præest, ante cancellorum fenestellam (non autem Monasterium ingressus) vota singularum audiat, vel accipiat, subjungi: *in reliquis serventur singulorum ordinum, vel Monasteriorum constitutiones*; quorum verborum occasione dubitari potest, an (cùm hìc non fiat mentio, quòd, ut prodeat electa, opus sit, quòd habeat *duas partes*, seu *tertias* ex toto numero votorum) sufficiat, habere *ultra medietatem*, quando *in regulis* talis ordinis, Monialibus præscriptis dicitur, *censendam electam, quæ plura medietate vota habuerit*, ut dicitur in *regulis Ursulinarum c.* 7. *de electione Superiorissæ.* Ratio dubitandi desumi potest ex Bulla Pauli V. (quæ dictis regulis præfixa est) illius ordinis, ac legum confirmatoria, ubi agens de electione Superiorissæ, dicit electionem Superiorissæ celebrandam esse *de consensu majoris partis de Conventu*, & hoc *semper juxta præscriptum CC. Tridentini, & constitutionum Apostolicarum;* cùm ergo constitutiones Apostolicæ in electionibus Monialium exigant, quòd (ut electa prodeat, & confirmari possit (ea talis sit, in quam *duæ partes* consenserunt, ut dictum est; nec confirmanda sit, esto *majorem partem* votorum habeat, sed *infra duas partes*, videtur rectè deduci, *plura medietate*, in dicta regula, non intelligendum de pluribus solùm *materialiter* (ut si ex 24. votis habeat 13. vel 14.) sed plura *legaliter*, nimirum juxta constitutiones Apostolicas in ejusmodi electionibus (quas *semper* observari voluit Paulus V. ut dictum est) plura *per duas tertias*, seu *partes suffragiorum*, ut si haberet ex 24. vota sedecim. Quare juxta hanc Pauli V. constitutionem, cùm dicitur sufficere *plura medietate*, intelligi debet non merè *materialis*, sed *legalis pluralitas*, quæ non habetur quovis excessu medietatis; sed excessu, per duas tertias, seu partes ex toto numero votorum; id, quod satis probabiliter ostendit allata ratio dubitandi.

Addunt aliqui, ut ad Prælaturam, vel 2032.
Superioratũ Regularem in subjecto eligibili adsit eligibilitas passiva, requiri, quod vel sit professus *in tali monasterio*, vel *ad id canonicè translatus;* sic statuente Bonifacio VIII. in c. *Cùm singula*, 32. §. *prohibemus*, *de præbend. in* 6. ibi: prohibemus insuper, ne *Prioratus* vel *Ecclesiæ*, aut *administrationes*, seu *officia unius monasterij*, consueta per eosdem Monachos gubernari, committantur deinceps absque auctoritate Sedis ejusdem *alterius monasterij monachis gubernanda*, nec hactenus commissa dimittantur eisdem: sed per eos, ad quos pertinent, liberè ordinentur. Cùm illis non liceat habere locum *in diversis monasterijs*, quorum unum ab alio non dependet, nec aliorum monasteriorum (*nisi canonicè transferatur ad ipsa*) Prioratus, Ecclesias, administrationes, vel officia gubernare. Qui verò contra prohibitionem præsentem prædicta de cætero *alienis Monachis* commiserint, vel dimiserint jam commissa: ea vice ordinandi de ipsis sint potestate privati, & de eis per diœcesanos (si exempta non fuerint) alioquin per Sedem Apostolicam ordinetur; *ij autem, qui ea suscipere, vel suscepta præsumpserint detinere, reddantur inelligibiles ipso jure.* Sed de hoc ex professo *libr.* 3. *Decretalium* V. 2819.

* * *

QUÆ-

# QUÆSTIO VII.

## IN TITULUM VII. DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

2033. VEl, ut habetur in antiquis Codicibus, *de translatione Episcopi, vel Electi.* Nam *Electus* Episcopus, ante consecrationem non dicitur simpliciter *Episcopus*, sed cum addito: *electus.* Translatio autem est tertius modus providendi Ecclesijs, & acquirendi potestatem Ecclesiasticam, & idem est, ac mutatio, vel *dispositio personæ alicujus ab una Ecclesia ad aliam, facta legitimi Superioris auctoritate.* Pro quo supponendum. 1. aliud esse *translationem*; aliud, *permutationem*; permutatio, accepta in genere, prout accipitur c. 1. *ff. de rerum permut.* est certæ rei, ad alteram facta, mutua præstatio: in beneficijs datur, cùm duo vicissim sua beneficia dimittunt, ut alter beneficium alterius obtineat; unde à resignatione, in favorem facta, differt, tanquam species à genere: resignatio enim illa latiùs patet permutatione; cùm hæc sit talis resignatio, scilicet mutua, & reciproca dimissio beneficiorum, ut unius beneficiū alteri concedatur.

2034. Suppon. 2. *permutationis* appellatione venire propriam, & specificam; non genericam, & universalem, quæ deducitur in plures species; ita Cast. *cons.* 160. *num.* 2. *vers. & verba legis lib.* 1. quem refert Tuschus *tom.* 8. *lit. V. Conc.* 101. *nu.* 16. Resignationis appellatione continetur permutatio, ut tenent Flamin. *de Resign. lib.* 12. *q.* 5. *nu.* 19. Riccius *in praxi aurea resol.* 128. *num.* 1. & Gonzal. *ad reg.* 8. *Canc. gloss.* 14. *num.* 42. Permutatio enim nihil aliud est, quàm reciproca quædam resignatio, quæ invicem inter permutantes fit, ut habetur *c. unico de rerum permut. in* 6.

2035. Suppon. 3. *permutationem* parùm distare *à translatione*; hæc enim *est de Sede ad Sedem facta mutatio*, ut habetur *c. mutationes* 7. *q.* 1. & potest definiri: *ab una Ecclesia ad aliam facta transitio*, sive Ecclesia, ad quam datur transitus, sit major, sive minor, sive æqualis; in quo differt *à promotione*; hæc enim, ut detur in beneficario, requirit, quòd fiat translatio *de minori Ecclesia ad majorem*: inter *permutationem, & translationem* assignat discrimen Suar. *lib.* 4. *de simon. cap.* 32. *n.* 4. quòd permutatio fiat per modum contractûs; & ideo per se postulet, ut fiat inter duos, & ex consensu eorum, tendátq; proximè ad ipsorum commodum sine Ecclesiæ incommodo: at translatio nec est contractus, nec fit per modum contractûs: & ideo per se non requirit, quòd fiat inter duos: deinde per se respicit utilitatem Ecclesiæ, non translatorum: privatio autem beneficij, de qua Salas *de legibus Disp.* 15. *sect.* 3. *n.* 46. est *beneficij spoliatio, orta ex delicto, quæ per sententiam latam, vel ferendam infertur.*

### ARTICULUS I.

#### *A quo fieri possit translatio Episcopi, vel eo Superioris?*

2037. REsp. quòd à solo summo Pontifice de plenitudine potestatis (idque non tantùm *de jure*) ut dicitur *c.* 2. *h. t.* sed etiam *de consuetudine*, ut habetur *c. quanto, eod.* Nam translatio Episcoporum est inter causas Ecclesiæ majores, & arduas, *c. Mutationes*, 7. *q.* 1. *c.* 1. *& 2. h. t.* ejusmodi autem causas sibi reservâsse summum Pontificem, habetur *in c. Cùm ex illa h. t.*

Tales causæ sunt. 1. erectio, & constitutio alicujus Ecclesiæ in Cathedralem. Hoc enim spectat ad solum summum Pontificem, *c. Felix* 50. *c. præcipimus*, 54. 16. *q.* 1. Barbosa *de offic. & potest. Episcopi. p.* 3. *allegat.* 1. *nu.* 5. Azor *p.* 2. *lib.* 5. *c.* 29. *q.* 25. *& lib.* 6. *cap.* 30. *q.* 2. *&* 4. Deinde erectio Ecclesiæ Cathedralis in Metropolitanam; ita Barbos. *cit. nu.* 5. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 2. *dub.* 37. *num.* 7. Similiter, Ecclesiæ Cathedrali solus Papa dat administratorem; Barbos. *cit. n.* 7. *ex c. is, cui, de elect. in* 6. *c. Ecclesiæ Cathedrali, de suppl. neglig. Prælat. in* 6. Solus item Papa illi dare potest Curatorem, & ejus bonis, quoad effectum agendi, Barbos. *cit. nu.* 7. Episcopo autem nemo dat adjutorem, nisi Papa, Barbos. *cit. num.* 8. Quibus præmissis:

2037. Quæres, quis concedere possit, ut Monachus Laicus, vel sæcularis Clericus, in solis minoribus constitutus, creetur Episcopus? R. quòd solus Papa per cap. *miramur*, 61. *dist.* Barbosa cit. *nu.* 9. hinc etiam Episcoporum causas majores solus Papa cognoscit; Barbosa cit. *n.* 10. *ex Trid. sess.* 24. *de reform. c.* 5. solus Papa Episcopos è gradu dignitatis dejicit, *c. quamvis, & c. dudum.* 3. *q.* 5. deponit, & restituit, *c. ideo*, 2. *q.* 6. *& gloss. in c. quoad translationem, de offic. Legati, V. reservata*, Barb. cit. *nu.* 11. Episcoporum renuntiationes admittit Papa, *gloss. in Clem.* 1. *de Renuntiat. V. Manibus* Barb. *cit. nu.* 12. ab Episcoporum potestate solus Papa eximit; Barb. *de offic. & potest. Episcop. p.* 3. *allegat.* 1. *n.* 13. ex glossa *in cit. c. Frater*, 16. *q.* 1. *& in c. inferior, de majoritat. & obed. V. exemptum, & in c. quod translatione, de Legat. V. Reservata, & in c.* 1. *de privileg. in* 6. Inter graviores quoque causas numeratur, definire authenticè controversias Fidei, *c. quoties.* 24. *q.* 1. *c. Majores, de Baptism.* Concilium generale convocare, *c.* 1. *&* 2. *dist.* 17. absolvere à casibus reservatis, etiam jis dispensare &c. de his *V. gloss. in cap. translationem, de offic. Legat. V. Reservata, & in c.* 1. *de translat. Episc. V. pertineat; & in c. sicut, de excessibus Prælator. V. pertinere.* In causis igitur majoribus, & arduis, nihil possunt Archi-Episcopi, aut his inferiores; quia illa examini, & decisioni solius Papæ reservantur, ut dicitur c. 1. *h. t.*

Not. autem, datam responsionem in *num.* 2036. procedere. 1. de Episcopis *consecratis.* 2. *de electis, & confirmatis*, licèt nondum consecratis, *c. Inter corporalia, h. tit.* ubi advertendum, cùm *cit. loco* dicitur: spirituale matrimonium inter Episcopum, & ejus Ecclesiam, *non humana potestate, sed potiùs divina*, posse dissolvi, non intelligi, quòd sit insolubile *ex institutione divina imediatè*; sed solùm, *non aliâ*, quàm à Christo divinitus datâ suo in terris Vicario; hoc autem spirituale matrimonium cum Ecclesia contrahitur non tantùm ab Episcopo consecrato, sed etiam confirmato, licèt nondum consecrato *c.* 2. *& sicut enim h. t.*

2038. Ex hoc colliges, Episcopum consecratum, vel etiam solùm confirmatum, non posse, propria authoritate, relicta sua civitate, transire ad aliam, *cap.* 1. *h. t.* sic Pirhing. *hic nu.* 2. *ex c.* 1. *de Cleric. non resid.* Unde etiam nullus, nisi summus Pontifex, potest admittere, vel confirmare mutationes Episcopalium Sedium, ac ipsorum Episcoporum, Barb. *hic in c. nu.* 3. Cæterùm Episcopus electus (ante confirmationem) sine Superioris licentia potest juri suo cedere, in manibus eligentium, *c.* 2. *junct. gloss. V. renuntiavit, de in integr. restitut.* Idem probabiliter dicitur, esto in electionem consenserit, & confirmationem petierit; quia sic necdum habet perfectum matrimonium cum sua Ecclesia; colligitur *ex c.* 2. *h. t.* sic Parisius *lib.* 7. *de Resign. Benefic. q.* 1. *num.* 7. quamvis contrarium doceat *gloss. in c.* 16. *de elect. in* 6. *V. Renuntiat.* quia semel postulata confirmatione res fit *affecta*, hoc est, ad Superiorem delata; sed hoc non impedit eam cessionem.

## ARTICULUS II.

### *A quo fieri debeat tranlatio aliorum Prælatorum, Episcopis inferiorum?*

RESp. *non exemptos* debere transferri 2039.
authoritate sui proximi Superioris; colligitur *ex c. Abbas*, 18. *q.* 2. *c. si quis, cum seq. dist* 7. ibi: *si quis ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, in sua Ecclesia ordinare, cùm non habeat consensum illius Episcopi, à quo recessit Clericus, irrita sit hujusmodi ordinatio*: exemptos autem, & Sedi Apostolicæ immediatè subjectos, de speciali licentia Papæ; sic Abbas *in cap. fin. h. t. num.* 5. Quæstio præterea est, an Capitulum, Sede vacante, possit facere translationes Prælatorum, quas facere poterat jure ordinario Episcopus in vivis? affirmativa communis, & probabilior est. Nam Capitulum, Sede vacante, potest omnia, quæ jure ordinariæ jurisdictionis potest Episcopus, nisi in casibus expresè prohibitis, per *c.* 3. *de supplend. neglig. Prælat. in* 6. at facere translationes Abbatum, aut Beneficiatorum ad alias Ecclesias est ordinariæ jurisdictionis Episcoporũ; nec casus iste est ex prohibitis expresè; ergo.

Contrarium tenet *gloss. c. Cùm olim, de Majorit. & obed.* quia Capitulum, Sede vacante, non potest alienare *res Ecclesiæ*,

ut

ut dicitur 12. *q.* 2. *c.* 24. ergo nec *personas.* Nam personæ pluris sunt, quàm res, *ex cit.* 12. *q.* 1. *c.* 24. sed argumentum ex ratione *non necessaria*, relatè ad consequens æque ac antecedens, ratò bene concludit, nisi probetur ea ratio, à disponente *universaliter* intenta, ut alibi dictum est; aliàs jejunium in vigilijs aliorum Apostolorum extendi etiam deberet ad vigiliam SS. Philippi, & Jacobi; & dispositio, privans jure asyli Ecclesiastici propter crimen læsæ Majestatis *divinæ*; cujus tamen contrarium certum est. Quare dato anteced. N. conseq. quia de rerum alienatione extat dispositio limitans jurisdictionem Capituli Sede vacante; non de alienatione personarum.

2040. Not. autem 1. quòd, si Ecclesiæ, à qua, & ad quam fit translatio, sint sub diversis Superioribus, requiratur consensus *utriusque*, *c. admonet* 4. *de renunt.* ibi: *universis personis tui Episcopatûs sub districtione prohibeas, ne Ecclesias tuæ diœcesis, ad ordinationem tuam pertinentes, absque assensu tuo, intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconsultò.* Quòd si quis contra prohibitionem tuam venire præsumpserit, in eum Canonicam exerceas ultionem: & c. *fin. de Clericis peregrin.* ubi Honorius III. Episcopo Regin. *Te nobis, proponente*, inquit, *didicimus*, quòd quidam Prælati Ecclesiarum tuæ jurisdictionis, in Ecclesijs sibi commissis, *sine conscientia tua, Clericos de alienis Episcopatibus instituere non verentur*: attendentes igitur, *id eis nulla ratione licere*, (cùm sit honestati contrarium; & à Sanctorum Patrum institutionibus alienum) inquisitioni tuæ taliter respondemus, *quòd tibi licet eos exinde removere, nisi aliquos ex dispensatione in eisdem Ecclesijs duxeris dimittendos.*

Not. 2. Prælatos, Episcopis inferiores, non contrahere propriè matrimonium spirituale cum suis Ecclesijs; aliàs enim à solo Papa transferri possent. Et ideo, *de jure communi*, non debent deferre annullum; nec ad sui translationem egent speciali consensu Papæ: possunt tamen, in sensu latiori, vocari *sponsi suarum Ecclesiarum*, si suo collegio, vel Conventui præsint cum ordinaria, vel generali jurisdictione in suos. Nam per ipsorum mortem Ecclesiæ dicuntur, *viduatæ.* Pirhing hìc *n.* 10. *in fine.*

Not. 3. Ecclesiam, ante consecrationem sui Episcopi, dici *viduatam* non *simpliciter*, sed *secundùm quid*, ejus Episcopo confirmato, sed nondum consecrato; quia tunc iste necdum potest exercere ea, quæ sunt ordinis, sed tantùm jurisdictionis. gloss. *in c.* 1. *h. tit.* V. *confirmâsse*; & Abbas *in c.* 2. *eod. n.* 6. Simili modo *viduata* dicitur Ecclesia, habens Episcopum, sed inutilem ad obeunda munia Spiritualia. Nam paria censentur, *aliquid non esse, & esse, sed inutiliter*, ut habetur *c.* 2. *h. t.* §. *Sed neque illud.*

## ARTICULUS III.

### *Ad quæ teneatur legitimè translatus?*

QUæstio 1. est, an, & quæ liceat illi 2041.
transferre à priori Ecclesia ad novam? Respondet Barbosa *in c.* 1. *h. t. n.* 4. non licere Episcopo translato ad aliam Ecclesiam, libros, ornamenta, & argenteriam, quæ acquisivit ex reditibus prioris Ecclesiæ, secum auferre; secus est, de ipsis fructibus perceptis, & mobilibus non pretiosis. In illis enim alienationem facere prohibitus est, ex *l.* 3. *h. t. de reb. Ecclesiæ non alien.* secus de istis. Qualiter autem secum auferre possit *pallium*, si quod priùs habuit, vel eo uti in nova Ecclesia? dicemus *à n.* 2067.

Quæstio est 2. an Episcopus, translatus, 2042.
cogatur solvere debita, in priori Ecclesia contracta? Resp. non teneri ad ea, quæ contracta sunt in prioris Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem; colligitur ex c. *dilecti filij.* 17. *de foro compet.* Hinc, si Prælatus Ecclesiæ, hujus nomine, vel in ejus causa, accepit mutuum, eo mortuo, vel depositò (aut translato) conveniri potest Successor ejus, licèt in rescripto, ad ejusmodi causam impetrato, sit expressum nomen proprium prioris Prælati, qui mutuum accepit; sic Pirhing *de foro compet. n.* 44. & gloss. *in cit. c.* V. *contra.* Nam, ut notat Barbos. in c. *fin. de offic. ordinarij n.* 5. cum alijs, Successor in beneficio tenetur solvere debita sui prædecessoris realia, & contracta ob alimenta, vel pro utilitate Ecclesiæ; ut dicemus *lib.* 3.

2043. Quæstio est 3. an habens privilegium transeundi ad *majorem Ecclesiam*, vi ejus transire possit *ad minorem*, vel *parem*? R. negativè ex c. *licèt*, §. *hoc autem*, *h. t.* quia, cum tale privilegium sit contra jus commune, strictam interpretationem habere debet, nec extendi ultra expressa; 2. quia privilegium *ad majorem* fundatur in majori utilitate illius Ecclesiæ, quæ in minori non reperitur *c. 1. h. t. junct.* gloss. *ult.* V. *ad parem.* Et ideo, cùm, ut habetur *in dict. c. licèt*, & *hoc autem*, Episcopus Hildesheimensis argueretur, quòd temerè, ac authoritate propria ad Herbipolensem Ecclesiam transiverit, & facti excusationem afferret, quòd ab antecessore Innocentio gratiam acceperit, ut, si fortè contingat, eum ad *majorem* dignitatem vocari, illam assumere liceret, dummodo nihil obstaret, quod Canonicis institutis contrarium foret, hanc excusationem rejecit Innoc. ob duas causas: Prima est; quia tametsi potestas concessa fuerit transeundi ad dignitatem *majorem* (*cujusmodi dispensatio propter majorem utilitatem facilius concedi solet*) non tamen inde consequens est, quòd vi illius dispensationis transire potuerit *ad parem*, *videl. similem dignitatem* Episcopalem: altera tametsi ponamus, dispensationem illam se extendisse ad Episcopalem aliam dignitatem; quia tamen postulatio, sicut & electio, priùs examinari debet, imò in dispensatione illa Apostolica non tantùm postulationis, sed etiam personæ postulatæ inquisitio, & examen reservatum esse videtur, per verba illa (*dummodo nihil Canonicis obviet institutis*) ideo dictus Episcopus Hildesheimensis, Ecclesiam Herbipolensem, antequam postulatio ejus examinata fuerat ab eo, ad quem pertinebat, transire haud potuerit.

2044. Ex hoc colliges, translationem non posse fieri ad quamlibet Ecclesiam. Ratio sumitur *ex præced. num.* quare quoties translationem suadet Ecclesiæ necessitas, vel utilitas (aliter enim fieri non debet) facienda est *ad majorem*, *non minorem*, *c. 1. de Cleric. non resid.* nec ad *parem*, seu *æqualem*; cùm hoc minùs deceat, & nulla subsit utilitas Ecclesiæ hoc suadens, *c. 1. h. tit.* Colliges præterea, translationem fieri tribus modis 1. interveniente *postulatione* (ut si quis transferatur ad præfecturam electivam) 2. *collatione non libera*, scilicet ad alterius nominationem, vel præsentationem. 3. *collatione libera*, nimirum sine electione, vel præsentatione; & si fiat collatione non libera, intervenire debere absolutionem à vinculo prioris Ecclesiæ, & facultatem transeundi ad alteram Ecclesiam; sic Hostiensis *in summa hic n. 3.*

## ARTICULUS IV.

### *Qui transferri possint de una in aliam Ecclesiam?*

ANte resolut. not. non semper fieri posse dissolutionem vinculi ab eo, 2045.
qui ligavit, saltem in spiritualibus. Nam Episcopus solus alicui ordinem conferre potest; sed solus auferre, seu degradare non potest, juxta *c. 2. de pœnis in 6.* sed & Eiscopi à Metropolitanis consecrantur: cùm tamen non possint deponi, nisi à Rom. Pontifice, ex hoc fit, quòd, licèt Episcopus sua voluntate libera, cùm Ecclesia, ad quam assumitur, contrahat vinculum spiritualis matrimonij; tamen illud libera voluntate sua solvere non possit, renuntiando, vel transeundo ad aliam Ecclesiam; sed fieri hoc debere authoritate sumi Pontificis, ut dictum est. Et quamvis hoc etiam videatur excedere humanam potestatem, ut colligi videtur ex illis verbis in textu *cap. inter corporalia. 2. h. t.* ibi: *non enim humana, sed potiùs divina potestate conjugium spirituale dissolvitur*; id tamen intelligendum venit juxta dicta *num. 2037.* & dicenda *in seqq.*

Nam ad hoc ipsum respondet Innocentius *cit. c. 2.* quando Pontifices Episcoporum translationes, aut depositiones faciunt, & renuntiationes admittunt, non fieri potestate *merè humana*, sed potiùs *divina*, nimirum divinitus immediatè concessa Vicario Christi; nec tam per potestatem ipsi à Conciliorum Canonibus concessam, quàm ex Christi institutione, & privilegio, quod Petro, & Successoribus concessum est. Hinc valde probabiliter dici potest, ibi supremam Pontificis potestatem non humanam, sed *divinam* dici; quia immediatè provenit non ab hominibus, sed à Deo ex Christi promissione, Math. 16. Joann. Ult. Quo etiam sensu Apostolicæ traditiones v. g. jejunium quadragesimale, admixtio aquæ ad vinum

con-

consecrandum, interdum à Patribus vocantur *divina mandata*; quia etiam Apostolicorum decernendi potestas immediatè à Christo provenit.

1046. Hinc quoniam Episcopus, etiam confirmatus, cum Ecclesia sua spiritualis conjugij vinculum contrahit, non nisi summi Pontificis authoritate illud solvi poterit, quantumvis ad aliam Ecclesiam postuletur (eligibilis enim ad aliam non est) vel renuntiare contendat, aut transire ad aliam; & quamvis nullibi cautum reperiatur *de Episcopo non consecrato*, quòd absque summi Pontificis voluntate suam Ecclesiam deserere non possit: respondet tamen Innocentius, ut liquet ex textu c. 2. *h. t. idem de similibus*, propter expressam rationis identitatem, judicium esse oportere: atqui Episcopus *consecratus*, ideo sine licentia Papæ Ecclesiam relinquere non potest, *quia cum ipso spirituale matrimonium contractum est*, quæ ratio etiam procedit in electo post acceptam confirmationem. Cùm consecratio Episcopalis nihil addat ad vinculum erga Ecclesiam contractum.

2047. Neque dicas: sæpiùs à nobis in prædictis, rejectam esse regulam communiter aliàs usurpari solitam, qua dicitur, *ubi est eadem ratio, ibi esse eandem juris dispositionem; & quod in uno dispositum est, censeri etiam dispositum in altero, ubi est identitatis ratio*; ergo hæc solutio data non valet; R. enim, dictam regulam, seu potiùs brocardicum à nobis non esse rejectum indefinitè, ac universaliter; sed solùm limitandum, ut non procedat indefinitè, ut *in pœnalibus, & odiosis*; procedere tamen, ubi ratio communis pluribus necessaria est relatè ad contenta sub termino communi, ut diximus *titulo* 2. sic, quando Titio negatur secundum conjugium, stante primo, ideo, *quia pluralitas uxorum extra dispentationem divinam illicita est*, concedimus propter identitatem rationis idem etiam negari Cajo, actu conjugato; quia *ratio polygamiæ necessariò* porrigitur ad omnes conjugatos: cùm ergo etiam vinculum conjugij spiritualis æquè reperiatur in Episcopo confirmato, ac consecrato, & hæc necessariò, *stante lege Pontificia*, porrigat se ad omnes tali vinculo confirmatos, rectè propter rationis identitatem idem dicitur de Episcopo solùm confirmato, quod de consecrato, per ordinem ad indissolubilitatem illius vinculi, seclusa summi Pontificis authoritate.

Si quis urgeat: quamdiu Ecclesia manet viduata, non est inter ipsam, & Episcopum conjugij spiritualis vinculum; sed licèt Episcopus ad eam sit legitimè electus, quamdiu tamen non est confirmatus, eâ Ecclesia adhuc est viduata; ergo Episcopus ad eam legitimè electus, sed necdũ confirmatus non habet spiritualis conjugij vinculum cum illa; ergo sine summi Ponitificis authoritate potest ab illa recedere. 2048. Major est ex c. *quoniam*, 1. *dist.* 100. ibi; per hoc, quòd quidam Metropolitani usum pallij neque expetunt, neque percipiunt, *Episcoporum consecrationem viduatis Ecclesijs non sine periculo protelari*. R. majorem esse veram, quamdiu Ecclesia *simpliciter*, non autem *duntaxat secundùm quid*, & quoad aliquid, *manet viduata*; Episcopo autem ad aliquam Ecclesiam legitimè electo, & confirmato, sed nondum consecrato, dici *viduatam non simpliciter*, sed *secundùm quid*, ut exposuimus *supr.* & in hoc sensu Ecclesias dici *viduatas* in casu dicti *cap. quoniam*, qualiter etiam *viduata* dicitur Ecclesia, quæ habet Episcopum consecratum, sed inutilem ad exercenda munia Episcopalia.

Instabis: *in eod. c. quoniam*, habetur, 2049. quòd Metropolitanus Episcopum, si ultra sex menses consecrationem petere negligat, cogere possit, ut cedat Episcopatu; ergo Episcopus non consecratus vel nondum habet spirituale conjugium cum Ecclesia, quantumvis ejus ad eam electio confirmata sit; vel, si habet, vinculum ejus non est insolubile ab alijs, & tantùm solubile à solo Papa. R. C. ant. N. conseq. 1. quia ibi non dicitur, *id posse Metropolitanum authoritate sua*; cùm expressè illi hoc committatur solùm, ut *authoritate Pontificis* in pœnam illi imponat cessionem, quod utique non fit sine authoritate Papæ. Ex his patet responsio ad quæstionem initio propositam. Soli enim illi, qui cum Ecclesia sua habent spirituale conjugium, non possunt illam, sine summi Pontificis authoritate deserere; hinc sequitur transferri posse à suis Ecclesijs Prælatos, non Episcopos, cum licentia proximi Superioris; cùm enim inter alios

Prælatos, & Ecclesias suas matrimonium spirituale non ita contrahi censeatur, sicut inter Episcopum, & Ecclesiam suam, causa ista assignari debet, quia Sacri Canones non prohibent, illos ab Ecclesijs suis transferri; dummodo proximi Superioris licentia accedat.

## ARTICULUS V.

### *De translationis effectu.*

2050. PRimus translationis effectus est, dissolutio spiritualis vinculi cum priori Ecclesia *c. 2. h. t. c. Bonæ* 4. §. *fin. de postul. Prælat.* ibi: *à vinculo, quo tenebatur, Colocensis Ecclesiæ absolventes.* 2. quòd novæ jungatur ea potestate, acsi eam alio provisionis modo acquisivisset 3. quòd, consensu dato in translationem, prior Ecclesia vacet ipso jure, etiam ante acquisitionem novæ Ecclesiæ, ne sit Episcopus, seu sponsus duarum: inferiores autem Episcopo, promoti ad Episcopatum, priora beneficia retinent, donec possessionem, & plenum jus Episcopatûs acquirant; sic Abbas *consil. p. 2. Consil.* 101. *à n.* 3. Ex hoc deducitur, per translationem canonicam translato constitui novum jus in Ecclesia, ad quam transfertur, & extinqui in illo jus in Ecclesia, â qua transfertur; quod non contingeret, si retineret jus postliminij, relatè ad relictam.

Ad quæstionem porro, quando Episcopus translatus perdat alia jura prioris Ecclesiæ, respondet Barbosa *in c. 1. h. t. n.* 5. quòd ab eo tempore, quo ab illius vinculo absolvitur in Consistorio suæ Sanctitatis, etiam ante expeditionem literarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ, si habeat notitiam factæ absolutionis, etiam ex testimonio Secretarij sacri Collegij.

2051. Præter dicta, not. effectum translationis, propriè dictæ, solùm in *Episcopo* locum habere; nam hi soli, non autem inferiores Prælati, habent vinculum spiritualis conjugij cum sua *Ecclesia*, cujus dissolutio effectus est translationis propriè dictæ, sine quo non possint effectum alterum, quo explicat certum modum perveniendi ad Prælaturam, quam in alijs præstare potest sine illo, ex c. *fin. de postul. Præl.*

Not. 2. translationem *Episcoporum* esse reservatam soli Sedi Apostolicæ. Nam causæ majores, in signum privilegij specialis Apostolicæ Romanæ Sedi reservatæ sunt. c. *quod translationem*, 4. *de offic. Legati c. majores* 3. *de Baptismo.* Causæ autem majores, & summo Pontifici specialiter reservatæ, sunt fermè istæ: *fidei controversias authenticè definire, cit. c. majores, c. quoties*, 12. *causâ*, 24. *q.* 1. *Episcopos transferre, deponere, renuntiationes eorum admittere, c. 2. h. t. c. quamvis* 7. *causâ* 3. *q.* 6. *c. cùm pridem, de renuntiat. Generale Concilium congregare, c.* 1. & 2. *d.* 17. *Irregularitates, matrimonij impedimenta dirimentia statuere, in casibus reservatis dispensare, & absolvere*, &c.

Et ideo, nec Legatus, *etiam à latere*, translationem Episcoporum facere potest, sine speciali mandato Papæ, ut colligitur ex c. *Gratum* 2. *de Postulat. Prælat.* ibi: *quod à te, de mandato nostro, factum*; ex quibus verbis sequitur, quòd Legatus Apostolicæ Sedis, ex *speciali commissione*, sive mandato, translationem Episcopi, ad aliam Sedem, instituere possit; non item, *jure communi*, tametsi Legatus à latere sit, uti constat ex c. *nisi* 3. & *c. seq. de offic. Legati.* Not. 4. translationem rectè, ac honestè suum effectum sortiri, quoties fit à minori dignitate ad majorem; ut, cùm Episcopus transfertur ad Ecclesiam Metropolitanam, ut colligitur ex c. *Bonæ* 4. *de postul. Prælat. junctâ* gloss. V. *honestius*; *L. ut gradatim* 11. *ff. de majorib. & honorib.* ob necessitatem verò, vel utilitatem, etiam ad dignitatem parem, v. g. ab uno Archi-Episcopatu ad alterum, prout factum est in casu cit. c. *Bonæ*, ubi Archi-*Episcopus* Colocensis ad Strigonienſem postulatus, admissione summi Pontificis, translatus est.

Not. 5. Abbates, postquam semel benedicti sunt, ad alterius Monasterij Prælaturam translatos, non ampliùs, seu iterum debere benedici, ex communi doctrina, quam tradit Azor *p. 1. l. 12. c. 20. q.* 4. & Barbosa *p. 2. de potest. Episcopi, allegat.* 27. *n.* 51. secus Abbatissas, prout etiam cum Azor tradit Navarrus *in Consil. 2. ad 1. q. de statu Monach. edit. 2.*

* * *

ARTI-

## ARTICULUS VI.

### *De pœna transferentium se, vel transeuntium ad aliam Ecclesiam propria authoritate.*

2052. AD 1. de se transferentium pœna. Pat. Patriarcham, qui secluso mandato summi Pontificis, transfert Archi-Episcopum confirmatum (vel etiam Episcopum) ad aliam Ecclesiam, suspendi à munere confirmandi suos Suffraganeos, *c. 1. h. tit.* ubi Innocentius III. Patriarcham Antiochenum, quòd Lucium Apamensem, electum Archi-Episcopum, ad Tripolitanam Ecclesiam, transtulerit, atque ex Archi-Episcopo Episcopum constituere præsumpserit, ab Episcoporum confirmatione suspendit. sic Barbosa *ibid. n. 1.*

2053. Ad 2. de transeuntium pœnâ. Resp. Episcopum, vel eo majorem, propria authoritate transeuntem ad aliam Ecclesiam, utraque privari, c. *quanto 3. h. t.* ubi, quòd Episcopus Hildesheimensis, suâ Ecclesiâ desertâ, ad Herbipolensem propria authoritate se transtulerit, ei præcipitur, ut Ecclesiæ Herbipolensis administrationem penitus derelinquat, & ad Hildesheimensem, quam improbè dereliquit, redire non permittatur: quia secundùm Sacros Canones, qui ad Ecclesiam, præsertim majorem, aut ditiorem (adeóque cupiditate honoris vel divitiarum) se transtulit, utrâque carere debet (saltem post Judicis sententiam) neque enim plus colligitur ex c. *si quis Episcopus*, 31. *causa 7. quæst. 1.* Canonici verò Ecclesiæ Herbipolensis, qui suffragia sua in dictum Episcopum contulerunt *eligendo*, à potestate eligendi, pro ea vice, suspenduntur: ut in eo ipso puniantur, in quo peccaverunt.

2054. Si autem alij Prælati, Episcopis inferiores, sua authoritate ad aliam Ecclesiam transeant, privantur communione tamdiu, donec ad priorem redeant, & si alius in illis eadem substitutus sit, tamdiu vacare debent à priori officio, vel beneficio prioris Ecclesiæ, quamdiu substituti vivent; sic habetur in c. *Si quis Presbyter*, 7. *q. 1.* quod desumptum est ex CC. Antiocheno, ibi: *Si quis Presbyter*, vel *Diaconus*, vel *quilibet Clericus*, desertâ suâ Ecclesiâ ad aliam transeundum esse crediderit, & ibi paulatim tenet, quò migravit, perpetuò manere, ulteriùs ministrare, *non debet*; præsertim, si ab Episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quòd si post evocationem sui Episcopi non obediêrit, sed inobediens perseveraverit, *omni modo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere*; & c. *Eos Sacerdotes, eâd. causâ, & quæst.* ubi Damasus scribens ad Paulinum Antiochenum, *eos Sacerdotes*, inquit, *qui ab Ecclsijs ad Ecclesias migrârunt, tamdiu à nostra communione habemus alienos, quamdiu ad eas non rediêrint civitates; in quibus primitus sunt constituti.* Quòd, si *quis alius, alio transmigrante, in locũ viventis ordinatus est, tamdiu vacet sacerdotij dignitate, qui suam deseruit civitatem, donec successor ejus quiescat in Domino.*

Cæterùm, Episcopus, etiam invitus, à 2055.
sua Ecclesia per Pontificem separari potest, ut eâ careat; non tamen applicari novæ per spirituale matrimonium, *sine suo consensu L. cùm inter, de elect.* ibi: *ut per mutuum consensum*; cogi tamen potest per censuras ad consentiendum, id exigente, vel necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, c. *Scias*, 7. *q. 1.* ubi Pelagius II. Benigno Archiepiscopo scribens, *scias*, inquit, *frater dilectissime*, aliud esse causam necessitatis, & utilitatis; aliud causam præsumptionis, ac propriæ voluntatis. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non causâ avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel suæ delectationis, migrat, de civitate ad civitatẽ; sed causâ necessitatis, aut utilitatis mutatur. Nam *plurimorum utilitas unius utilitati, aut voluntati præferenda est.* Aliud est enim, *mutare*; & aliud, *mutari.* Nam aliud est *sponte* transire; & aliud est, *coactè*, aut *necessitatate venire.* Unde non isti mutant civitates, sed mutantur: quia non sponte, sed coactè hoc agunt. Non ergo bene intelligũt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causâ necessitatis, vel utilitatis fieri posse, quoties communis utilitas, aut necessitas persuaserit.

QUÆ-

# QUÆSTIO VIII.

## IN TIT. VIII. DE AUTHORITATE, ET USU PALLIJ.

2056. CUm nonulli, qui postulatione, vel electione præficiuntur Ecclesijs, acquirant jus gestandi suæ dignitatis insigne, quod *pallium* vocatur, de illius authoritate, & usu præsenti titulo agitur; quo communiter decorantur Archi-Episcopi; & ob id *Archi-Episcopale pallium* vocari solet, & sic describitur à Sanchez *tom. 2. opusc. lib. 7. cap. 1. dub. 16. n. 1. est ornamentum, ad modum stolæ sacerdotalis, crucibus nigris intextum, super alia ornamenta delatum, humeros (ad instar coronæ) pectúsque circumdans, ante dependens.* Successit loco Rationalis, quo summus Sacerdos in lege veteri ornabatur, ut docet S. Thomas *in 4. dist. 24. q. 3. ad 5.* ubi addit, datum esse pallium Archiepiscopis pro torque, victoribus dari solito.

2057. Quæstio 1. est, quid hìc veniat *nomine pallij?* R. nomine pallij venire hìc præcipuum insigne, & ornamentum Archiepiscoporum (Primatum etiam, & Patriarcharum) de corpore S. Petri sumptum, *c. significâsti, 4. de elect.*) quo Pontificalis officij plenitudo, cum appellatione nominis Archiepiscopalis confertur *c. nisi specialis, hìc.* Dicitur *sumptum de corpore B. Petri*, vel quia à solo Romano Pontifice, B. Petri Successore, est accipiendum, non ab alijs, nisi ex privilegio, ut notat Barb. *in c. significâsti cit. nu. 16.* vel quia benedicitur, & consecratur à Papa super altari S. Petri; & ille, cui competit jus pallij, vel per se, vel per alium, se absente, recipit de altari, juxta gloss. V. *corpore, in c. significâsti: cit.* vel denique, quia pallium significat veluti particulam potestatis Ecclesiasticæ, derivatam ex plenitudine potestatis Pontificiæ, in B. Petro, ejusque Successoribus residentis. Nam Prælati, inferiores Papâ, *non in plenitudinem potestatis*, sed *in partem solicitudinis pastoralis sunt vocati, c. qui se, 2. q. 2. ad honorem, h. tit.* quæ pars denotatur *per lanam ovium*, ex qua pallium conficitur; Layman *in c. ad honorem nu. 4.* Dicitur, *eo conferri Pontificialis officij plenitudo.* Nam electus in Archiepiscopum, ante acceptum pallium (esto post confirmationem suam, & consecrationem appellari possit *Metropolitanus*, arg. *c. Suffraganeis, de elect.*) *Archiepiscopus* tamen appellari non potest, *c. nisi specialis, cit.* nec Virgines consecrare, nec Chrisma conficere &c. Barb. *in c. suffraganeis cit. n. 3.* Porro pallij forma est, vestis candidæ, ex alba lana contextæ, in modũ coronæ, seu circuli, pectus, & humeros circumdantis, quatuor nigris vel purpureis crucibus distinctæ, & anteriore parte non nihil dependentis; sic Azor *p. 2. instit. mor. lib. 3. c. 34. q. 1.* ejus usus antiquissimus est, eodem teste; ac originem habet ab ipsis S. Petri discipulis, & mysticam ejus significationem exponit Abbas *in Rubric. hujus tit.*

Quæstio 2. est, à quo peti, & conferri possit pallium Archiepiscopale? R. à nemine conferri posse *propria authoritate*, quàm à Papa, *c. significâsti cit.* cùm enim Paschalis Papa, per Aprocrisiarios, seu Referentes suos pallium misisset Archiepiscopo Panormitano, tali conditione, ut in verba, sibi præscripta, juramentum Apostolicæ Sedi præstaret, & Reges regnique Proceres id admirantes, ostenderent, id fieri non debere 1. quia traditio potestatis spiritualis (quæ per *pallium Archi-Episcopale* significatur juxta *c. ad honorem 4. de author. & usu pallij*) purè fieri debet, *non sub conditione*, sive gravamine imposito; Secundò, quia Christus Dominus Matth. *c. 5. V. 34. præcepit, non jurare omnino*: Tertiò, quia neque ab Apostolis, neque in Concilijs tale juramentum præceptum esse, reperitur: respondit Pontifex ad 1. Sicuti Christus B. Petrum, Ecsiæ Pastorem constituturus, ab ipso conditionem, promissionémque exegit dilectionis; ita Sedes Apostolica ab alijs, *quos in partem pastoralis officij adscribit*, conditionem, ac promissionem fidelitatis, unitatis, & obedienitæ exigere solet. 2058.

Ad 2. Quòd Christus in eo loco significare voluit, juramentum originem habere ex malo, sive peccato: quamobrem si homines fidem, & obedientiam servarent, 2059.

rent, juramento nullo opus esset : cùm itaque in Episcopis non semper fides, sinceritas, & obedientia constiterit ; quin imò aliquis reperpti sint, qui etiam post præstitum juramentum defecerunt; ideo cogitur Pontifex juramentum pro fide, unitate, & obedientia exigere. Ad 3. Quòd *Concilia Romanæ Ecclesiæ legem non præfigant*: cùm omnia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem facta sint, roburque acceperint ; & ideo *in eorundem statutis, Rommani Pontificis authoritas, semper excepta intelligatur.*

Ex his expositis concludit: quandoquidem Archiepiscopus à Romana Apostolica Sede, pallium, tanquam insignia dignitatis petat, accipiátque, quæ à D. Petri corpore desumuntur ; ideo æquum esse, ut Archiepiscopus vicissim debitæ subjectionis signa, præstito juramento, exhibeat, quibus declaretur, quòd sit membrum in corpore Ecclesiæ, cum alijs membris, & ipso Capite Christo, ejusque in terris Vicario cohærens, unitatemque conservans; ita explicat Hostiensis, & Joann. And. hic *nu.* 12. *&* 13. Licèt enim olim quatuor Patriarchæ Principales, Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexrandinus, & Jerosolymitanus (postquam ipsi à Papa receperunt pallium, præstito eidem fidelitatis, & obedientiæ juramento) licitè suis suffraganeis pallium largierentur, recepta ab eis pro se professione Canonica(obedientiâ scilicet, & reverentia) & pro Ecclesia Romana sponsione obedientiæ, *c. antiqua*, 23. *de privil. & gloss.* ibi: *V. professionem ;* nihilominus tamen id tunc non agebant, nisi authoritate, concessione, vel privilegio à Sede Romana concesso, ut notat Abbas in c. *significásti num.* 9. Nunc verò pallium Archiepiscopis confert solus Papa ; sic Azor *cit. q.* 4. Ex quo patet, *à quo nunc peti debeat* ?

2060. Quæstio est 3. quibus competat pallium? Resp. pallium de jure competere 1. summo Pontifici, c. *ad honorem*, 4. *h. t.* ibi: *Sanè solus Romanus Pontifex in missarum solemnijs palliô semper utitur, & ubique*: quoniam assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, quæ per *pallium* significatur: alij autem eo, *nec semper, nec ubique ; sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus ;* quoniam vocati sunt *in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis*: secundò, quatuor Patriarchis ; tertiò Primatibus ; quartò, Archi-Episcopis, *c. 1. h. t. dist.* 100. ubi Pelagius ait, intra tres menses fidem suam exponi, & pallium à Romana Ecclesia postulari debere per *Metropolitanũ* ; *& c. 2. ead.* ubi Gregorius, prisca consuetudo, inquit, obtinuit, *ut honor pallij, nisi exigentibus causarum meritis*, & fortiter postulanti dari non debeat, post professionem fidei, & juramentum fidelitatis, ac obedientiæ. Sedi Apostolicæ, c. *optatum, dist. ead. c. Significásti, de elect.* Episcopis autem convenit vel ex solo privilegio, vel longa consuetudine; Sic Episcopo quinque Ecclesiensi in Ungaria tradebatur, vel mittebatur olim, c. *Cùm in juventute, de præsumpt.* Bambergensi, in Germania; Ostiensi, in ostijs Tiberinis ; Decano Collegij Cardinalium, qui Papam consecrat; Papiensi, in Longobardia : Lucensi, in Tuscia; Sic Azor *cit. q.* 3. *Hostiensis hìc n.* 3.

Quæstio est 4. intra quod tempus, & 2061.
qua forma petendum sit pallium? Resp. Archi-Episcopos pallium debere petere *intra tres menses à die consecrationis*, si petens ante non fuit consecratus ; vel, si jam fuit, à die confirmationis, cessante justo impedimento ; habetur c. *quoniam. 1. dist.* 100. ubi dicitur, quòd, si talis Metropolitanus, *ultra tres menses*, pallium petere neglexerit, *commissa sibi careat potestate, sítque Metropolitanis alijs licentia, post secundam, & tertiam commonitionem, viduatis Ecclesijs* (sic enim vocantur Ecclesiæ, ad quas eligitur Archi-Episcopus, ante receptionem pallij, Hostiens. *hìc n.* 1.) cum consensu Romani Pontificis ordinando Episcopos, subvenire.

Præter hæc not. 1. cùm in c. *Prisca. 2. dist.* 100. dicitur: *ex prisca consuetudine pallium dari non debere, nisi instanter, seu fortiter postulanti* ; ut pallium dicatur *instanter peti*, sufficere unam petitionem, qua vel per se, vel per aliũ, qui ad hoc mandatũ habeat, petitionem exhibeat sub forma: *Ergo N. relectus N. peto instanter, instantius, instantissimè &c.* ut habet Barb *cit.* formam verò, qua confertur pallium, vide apud gloss. *in cap. ad honorem ;* & Hostiens *cit. num.* 3. solent autem unà cum pallio transmisso nova quædam privilegia dari, vel saltem antiqua confirmari, *cap.*

*Rationis Ordo.* 8. *cum duobus seq. dist.* 100. tertiò, pallium non necessariò recipi de altari consecrato in honorem D. Petri; hinc etiam sumi potest de altari Capellæ Pontificiæ, vel de quocunque, ex mandato Papæ; sic Hostiens. *cit. num.* 3. *in fin.* Mittitur autem quandoque per Aporisarios, seu secretos nuntios Romanæ Curiæ etiam non petenti, de mera gratia, ut notat Hostiens. *cit. nu.* 4. *& c. Bonæ* 2. §. *fin. de postul. Prælat.*

Not. 2. traditionem pallij, deinceps faciendam iis, qui ad regimen Ecclesiæ Metropolitanæ, vel alterius assumuntur, non impediri per objectionem criminis, aut defectûs, nisi objiciens, præstito corporali juramento, se malitiosè id non agere, sed objecta vera esse credere, promptam de de objectis fidem faciat; scilicet *intra bimestre*, à die collationis numerandũ, objecta legitimè probet, & ad pœnam talionis, vel extraordinariam, se arbitrio Judicis obliget. Extravag. *unic. inter communes h. t.* per hoc tamen, quòd traditio pallij, non obstantibus objectionibus facta sit, nullum præjudicium generatur viæ accusationis, denuntiationis, vel inquisitionis; ibid. ne scilicet pallium detur, nisi dignis, & bene meritis, *cap. prisca, dist.* 100.

2062. Quæstio est 5. *ubi* liceat uti pallio? R. summo Pontifici licitum esse pallij usum *semper, & ubique in missarum solennijs* (ut dixi *n.* 2060. & habetur *c. ad honorem*, 4. *h. tit.*) alijs autem inferioribus *in Ecclesia tantùm sua*, in qua jurisdictionem Ecclesiasticam obtinent, *& certis solùm diebus, c. ad honorem cit.* Dixi *in Ecclesia tantùm sua*, nimirum *Cathedrali*, & qualibet alia *intra provinciam sibi commissam, c. cùm super*, hìc & Barb. ibi *num.* 1. *non autem extra.* Nam *in cit. c.* expresè dicitur, quòd, si sacris indutus sit *extra suam Ecclesiam* (quæ hìc stat pro omni Ecclesia non tantùm diœcesis, sed etiam commissæ provinciæ, *cap. cùm super*, Pirhing *cit.* §. 2. *nu.* 8.) v. g. in solenni processione, pallio eum uti non debere.

Nec obstat, *in c. cùm sis*, 6. *h. t.* expresè *dici*, Archiepiscopum, *ubicunque fuerit, in missarum solennijs constitutum, diebus solennibus, usum pallij posse liberè exercere.* Nam ly *ubicunque* restringi debet ad ad jus datum in c. *cùm super* 1. *h. tit.* nimirum *ubicunque, & in qualibet Ecclesia suæ provinciæ* (jura enim juribus concordanda sunt, *c. cùm expediat*, 29. *de elect. in* 6.) sic gloss. in c. *cùm sis*, *V. ubicunque*, Barb. *ibid. num.* 2. aliud est de iis, qui utuntur suis insignibus extra provinciam, extra quam mittuntur à suo Principali, ut ejus nomine exerceant suam jurisdictionem, ut Proconsul, aut Legatus Papæ; Archiepiscopis enim committitur exercitium jurisdictionis *suæ*, intra provinciam *tantùm* suam; non extra, *c. cùm super*, de quo *supr.*

Not. præterea, Archiepiscopum non posse uti palliô, etiam in sua provincia, *extra Ecclesiam*, v. g. si celebret ex aliqua etiam causa, vel necessitate, in domo privata, in castris &c. ita gloss. *margin. in c. cùm sis*; Joann. Andr. *hìc num.* 3. quia (ut dicitur, *c. ad honorem, hìc. c. quia nos, eod. & c. pallium, dist.* 100.) pallium datur ad usum *intra sola missarum solennia*; nec de ullo propè Metropolitano auditum est, extra missarum tempus, usum sibi pallij vindicâsse, *c. contra, eod.* excipe tamen 1. Synodum, in qua uti pallio potest Archiepiscopus, juxta gloss. *in cit. c. pallium.* 2. si solenniter celebraret in portatili, præ foribus Ecclesiæ non capientis populum. Ubi tamen attendi debet consuetudo talis Ecclesiæ.

Not. 3. *consuetudinem utendi pallio in aliena provincia, etiam immemorialem* (seclusô privilegiô, seu formâ privilegij Apostolici) etiamsi contingat, aliquem ibi esse etiam frequenter, & ex causa, *corruptelam* esse, & reprobari, *c. ex tuarum cit.* ibi refertur in tali casu id concessum Archiepiscopo Compostellano in duobus tantùm casibus, & de assensu Episcopi, ad quem pertinet talis Ecclesia; quia usus pallij extra provinciam, secluso privilegio, est contra formam, atque substantiam, qua confertur pallium; consuetudo autem contra substantiam, seu formam substantialem rei, non valet, arg. *c. 2. de consuetud. in 6. junct. gloss. margin.* ubi reprobatur *consuetudo appellandi ab officiali ad Episcopum*; quia est contra substantiam appellationis, quæ essentialiter est ab inferiore ad Superiorem, & distinctum.

Quæstio est 6. *quando* uti liceat pallio? 2063.
R. *quòd certis solùm diebus*, nimirum solennibus secundùm receptam consuetu-

dinem

dinem cujuslibet Ecclesiæ Metropolitanæ, *cit. c. ad honorem. 4. & c. cùm sis. 6. h. tit.* ibi: ubicunque fueris, in missarum celebrationibus constitutus, *diebus solennibus* usum pallij, per quod plenitudo Pontificij designatur, poteris liberiùs exercere. Illi porro dies *certi*, *& solennes*, juxta gloss. *in c. ad honorem, V. eod.* & Hostiens. *in summa hic num. 5.* sunt Nativitas Domini, festa S. Joannis, Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Dominicæ Palmarum, Cænæ Domini, Sabbathi sancti, trium dierum paschalium, Ascensionis, Pentecost. S. Joannis Bapt. & omnium Apostolorum. Item tres (vel ut vult Hostiensis) quatuor festivitates B. V. S. Michaëlis, omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiæ, festa principalia Ecclesiæ Archiepiscopalis. Item in die Ordinationis Clericorum, & consecrationis Episcoporum, ac anniversario consecrationis Archiepiscopi; ita Pirhing *h. tit.* 12. hæc autem intellige, cùm celebrat *solenniter*; si enim tali die celebret *non solenniter*, scilicet *non in Pontificialibus*; sed v. g. privatim solùm, non est necesse, eum uti pallio, ut patet ex dictis.

2064. Quæstio est 7. quam authoritatem conferat traditio pallij? sive, quid juris, & potestatis Archiepiscopus consequatur ex facta sibi traditione pallij? R. 1. quòd consequatur penitudinem officij Archiepiscopalis. 2. ut nominari possit *Archiepiscopus*, *c. nisi specialis. 3. h. tit.* ibi: sanè, si postulatio Trojani Episcopi, ad Panormitanam Ecclesiam, fuisset per nos etiam approbata, *non tamen deberet se Archiepiscopum appellare priùs, quàm à nobis pallium suscepisset, in quo Pontificalis officij plenitudo, cum Archiepiscopalis nominis appellatione, confertur.* Plenitudo autem officij Archiepiscopalis in eo consistit, quòd possit exercere omnes actus ordinis, vel jurisdictionis, proprios Archiepiscopalis dignitatis. Eos enim actus ordinis ante pallij acceptionem exercere non potest (esto sit confirmatus, & consecratus) nisi inter missarum solennia, vel saltem in Episcopalibus insignibus; idem dic de actibus jurisdictionis *majoris*, quos, *non ut simplex Episcopus*, sed *tanquam Archiepiscopus* facere videtur. Tales sunt, convocare Concilium provinciale, visitare provinciam &c. *c. quod sicut. 28. de elect.* ubi etiam dicitur, quòd Archiepiscopo, *sine pallio*, non liceat conficere Chrisma, dedicare Basilicas, ordinare Clericos, & Episcopos consecrare.

Dices: ergo si Archiepiscopus aliquis, 2065.
jam confirmatus, & consecratus, nondum accepto pallio rogetur ab alio diœcesano, ut conferat prædictos actus in hujus diœcesi, non poterit hoc licitè facere; quia faceret sine pallio, quòd non licet, per c. *quod sicut*; nisi dicas, eum posse uti pallio alieno. Resp. talem Archiepiscopum extra suam diœcesin, non posse uti ullo pallio; *non suo*; cùm id non habeat: & alius Papâ inferior ejus illi usum conferre non possit, ex c. *ad hæc 2. h. tit.* ubi Cælestinus III. quia quæsitum est à nobis ex parte tua, *utrum liceat tibi pallium tuum Metropolitano alij commodare*: inquisitioni tuæ respondemus, *quòd non videtur esse conveniens*, ut pallium tuum alicui commodes: *cùm pallium in personam non transeat, sed quisque cum eo debeat, sicutt ua novit discretio, sepeliri.*

Resp. 2. eum posse sandalijs, & alijs Episcopalibus ornamentis indutum, etiam sine pallio, in tali casu conferre ordines, & exercere illos actus de licentia ordinarij in aliena diœcesi, qui sunt tantùm *potestatis Episcopalis*; ad hoc enim non requiritur pallium; & extra provinciam suam non agit, *ut Archiepiscopus*, sic Hostiensis *hìc nu. 6.* quod autem dicitur *in c. quod sicut*, procedit de actibus illis exercitis ab eo, *ut Archiepiscopo*, consequenter intra provinciam suam; ita idem *loc. cit.* R. 3. usum palij esse *personalem*, consequenter neminem uti posse pallio *alieno*; etiam cum alterius venia, ut dicam *num. seq.* & docet Barb. in c. *ad hæc*, *hìc n. 4.* ne quidem ut cum eo sepeliatur; sic idem; ut dictum est ex c. *ad hæc.*

Quæstio est 8. an pallium ad alios trans- 2066.
ferri potest? R. negativè; quia pallium est privilegium quasi personale, concessum scilicet personæ cum restrictione ad locum, & certos dies, *c. ad hæc, relato præced. n.* hinc extinguitur cum persona; & alteri commodari nequit, sed cum defuncto sepeliri debet, *c. ad hæc, cit.* & Barb. ibidem. Unde sequitur. 1. Archiepiscopum unum cum alterius pallio non posse sepeliri; *Barb. cit. num 2.* nec eo uti, *c. cit.* nimirum ad usum Pontificialem; Lay-

man in c. *ad hæc n.* 2. secus ad alium usum, v. g. ut ad ejus formam fiat aliud.

Not. autem præterea, esto pallium adhæreat personæ, & eam non egrediatur, ut dicitur c. *ad hæc*; si tamen personæ conceditur *ratione dignitatis suæ*, tum attendere debere ad privilegia Ecclesiæ suæ. Nam si hæc habeat, ut suus Archi-Episcopus, v. g. quater in anno, licitè pallium gestet in processionibus publicis, etiam *eodem privilegio*, sed *non pallio*, *eodem numero*, uti poterit successor; Layman in c. *ad hæc n.* 2. Nam sic *usus pallij*, *tali die*, est dignitatis, quæ non exspirat; *usus* autem *hujus numero pallij*, est personæ. Hinc si quis, habens pallium, ab una Ecclesia transferatur ad aliam, cui etiam competit jus palij, non poterit priore uti, sed debebit novum obtinere, c. *Bonæ* 2. *de postul. Prælat.* nam primum datum est personæ, cum restrictione ad locum, ut patet ex forma, qua confertur. Unde sicut, cùm Archi-Episcopus renuntiat loco, seu Archi-Episcopali Ecclesiæ, perdit usum palij concessi pro tali Ecclesia, c. *ad Supplicationem 9. de renunt.* & gloss. *in cit. c. Bonæ* V. *pallium:* sic cùm à priori Ecclesia recedit, & transit ad aliam.

2067. Ex hoc colliges 1. cùm unus Archi-Episcopus ab una Ecclesia transit ad aliam, hujus successorem non posse uti illius pallio; quia non egreditur illius personam, c. *ad hæc*; 2. illum in nova provincia non posse uti pallio sibi concesso pro priori Ecclesia, ut superius dixi 3. priùs illud pallium non remanere in ea Ecclesia, à qua abit Archi-Episcopus priùs palliatus; sed ab ea auferri, at sine illius usu; & si novum obtineat pro Ecclesia, ad quam est translatus, debere illum sepeliri cum utroque; sic, ut vel posterius primo superimponatur; vel, quod magis congruit, primum capiti ejus, & corpori subjiciatur; postremò autem induatur; ita Barbosa in c. *ad hæc*, 2. *hìc n.* 3. Azor *instit. mor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 3. *q.* 8.

Not. 2. ad quæstionem, *an Archi-Episcopus à prima Ecclesia*, ubi habuit pallium, *translatus ad secundam*, ac in eadem adeptus alterum, uti possit primò, si veniâ Papæ, relictâ Ecclesiâ secundâ, redeat ad primam? Resp. primum videri posse, si redeat per restitutionem; secus si per relationem; in primo enim casu redit ad idem jus ante habitum. Ad alteram quæstionem, an, si casu, vel incendio pereat Archi-Episcopo pallium, absque hoc exercere possit Pontificialia? Resp. affirmativam tradi per Rodericum à Cuncha *in Comment. ad c. pallium, dist.* 100. *n.* 5. apud Barbos. *in c. nisi specialis. hìc nu.* 4.

# QUÆSTIO IX.

## IN TITULUM IX. DE RENUNTIATIONE.

2068. PRæmissis tribus modis, quibus acquiritur potestas Ecclesiastica, scilicet postulatione, electione, & translatione; nunc agitur de modo eandem amittendi. Varijs quippe modis contingit *vacare* dignitates, & beneficia Ecclesiastica 1. per mortem naturalem 2. per mortem civilem; 3. per pacificam adeptionem beneficij incompatibilis cum priori, 4. per viam voluntariæ permutationis; 5. propter varia crimina; 6. per renuntiationem, de qua in præsenti.

### ARTICULUS I.

*Quid, & quotuplex sit renuntiatio?*

2069. RE*nuntiatio*, in sua proprietate, & generalitate, est rei, vel juris spontanea refutatio: & potest fieri per quemlibet de re sua, vel jure proprio; *L. si quis in scribendo C. de pactis.* Illum, quem Latini dicunt, ejurare beneficium, scilicet cum jurejurando interposito beneficio se abdicare, Canonistæ dicunt *resignare* beneficium, vel *renuntiare*, vel *cedere* beneficio. Hinc, sine ullo discrimine usurpatur in jure *beneficij renuntiatio*, *resignatio*, *& cessio*, ut ex gloss. tradit Azor. *p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 18. apud quem *q.* 1. hujusmodi renuntiatio, vel resignatio sic definitur: *est voluntaria beneficij dimissio, sive repudiatio coram Ordinario, legitimè facta.* Hæc abdicatio fieri potest. 1. vel *tacitè*, vel *expressè*. Tacita fit, juris dispositione, absque ulla verborum expressione; ut, si quis matrimonium ineat: si lite super beneficio

mota

mota, cedat: si per tres annos eam non prosequatur: si in ordinibus constitutus, se militiæ adscribat; & alijs modis, de quibus Flamin. *lib. 1. de resign. q. 1.* expressa fit, quando agitur dissertis verbis; & subdividitur in *puram & conditionalem.* Pura fit sine conditione, & pacto appositò: & tunc Ordinarius potest conferre beneficium, cui voluerit. Conditionalis, seu in favorem, vel est *simplex* (ut quando fit absque reservatione) vel est qualificata, ut quando fit, reservato sibi jure regressûs, vel ingressûs, vel pensione, vel aliquib⁹ fructib⁹.

Conditionata renuntiatio quatuor modis fieri potest. 1. in favorem certæ personæ cum clausula, ut conferatur *huic, & non aliter*, , vel *non aliàs*; 2. si alteri quis resignet beneficium, sibi reservando fructus, vel ex toto, vel ex parte, aut pensionem annuam constitutam, aut in beneficio resignato, aut in persona Resignatarij; 3. resignando conditionaliter, causâ permutationis; 4. resignando alteri, reservato sibi regressu, vel ingressu, aut accessu.

2070. Sub prædictis igitur etiam continetur renuntiatio, aut cessio *reciproca*, & *triangularis*. Utramque exponit Lessius *cap. 35. n. 87. & 88. Reciproca* cessio datur, v. g. quando resigno meum beneficium in favorem tui nepotis, ut tu in favorem mei nepotis resignes tuum. Hæc extra casum permutationis, est jure prohibita, *c. quæsitum, de rerum permutat. Triangularis* resignatio datur, quando v. g. renuntio meo beneficio in favorem *Petri*, ut Petrus suo cedat *Paulo*, & Paulus suo cedat *mihi*. Fieri enim potest, ut beneficium Pauli sit commodius mihi: Petri verò sit commodius Paulo, & meum Petro. Sic figuratur quasi triangulus in resignatione, in qua datur simonia juris humani, juxta Navarr. *in Enchir. cap. 28. n. 100.* Præterea sunt quædam in resignationibus retrocessiones improbatæ *à Trid. sess. 25. c. 7. de Reform.* quas vocant *regressum, ingressum*, & *accessum*. Regressus est jus ad beneficium dimissum, quod antea possidebatur, revertendo: & datur, quando jus beneficium à se possessum cedit alteri, reservato sibi jure regrediendi ad illud, casu quo resignatarius, id est, is, cujus gratiâ beneficium dimittitur, naturaliter, vel civiliter præmoriatur, aut fit Episcopus, aut pensionem constitutam non solverit. *Ingressus* dicitur, quando quis beneficium, cujus titulum & jus canonicè obtinuerat, sed non possessionem, ea conditione resignat, ut si resignatarius præmoriatur, aut Episcopos fiat, ipse possessionem talis beneficij ingrediatur, & propria authoritate accipiat: *Accessus* est jus, alicui datum, capessendi beneficium, cujus possessionem ante non acceperat, aliqua lege Canonica impeditus; v. g. Prælatus desiderat providere Petro de beneficio, sed quia Petrus vel defectu ætatis, vel censuræ, aut irregularitatis vinculo impeditus est, confert suo Pædagogo, dando jus Petro, ut quàm primum expeditus fuerit, accedat, & propria authoritate beneficium accipiat. Quænam autem sit regula de infirmis resignantibus, & quid ibi veniat infirmitatis nomine, declarat latè Azor *p. 2. l. 7. c. 28.* & dicemus *l. 3. ubi de Regul. Cancellar. Apostol.* V. *tamen infra num. 2075. & not. 5.*

## ARTICULUS II.

### *De beneficijs, quæ possunt, vel non possunt, renuntiari.*

AD 1. Resp. regulam communem esse, 2071.
*omnia beneficia; cujuscunque generis, vel qualitatis sint, renuntiari posse, nisi hoc specialiter, jure aliquo scripto, prohibeatur*; sic Azor *p. 2. l. 7. c. 25. q. 1.* adeóque etiam in favorem alterius, beneficia *manualia*, per gloss. *in Clement. unic. de suppl. neglig. Prælat.* V. *Revocari*: 2. beneficia *patrimonialia*; sic Parisius *l. 2. de Resignat. benefic. q. 11. n. 2. 3.* quæ in aliqua Ecclesia *optari* possunt 4.; *Patronata*; 5. *Electiva*; 6. *Exempta*; 7. *reservata* Sedi Apostolicæ. Ratio omnium est, quia quilibet renuntiare potest juri sibi competenti, nisi lege prohibeatur, etiam in Spiritualibus, secluſa lege prohibente. Quædam tamen ad certum modum limitata sunt; hinc renuntiatio beneficij *Patronati*, requirit consensum Patroni; & facta sine illo, est irritanda; valet tamen, si accedat priùs consensus Patroni; etsi Pontifex renuntiationem, sine illo consensu factam, admittat cum derogatione juris Patronatûs, non requiritur consensus Patroni. Nam, cùm jus Patronatus sit mera gratia (*c. 1. de jure Patron.*) ei, si exprimat, ex plenitu-

dine potestatis, derogari potest. Si autem resignatione, sine consensu Patroni, facta, per legitimum Superiorem admissâ, beneficium, alteri collatum sit, & renuntians moriatur, illud vacat per obitum resignantis; quia talis resignatio alteri nondum constituit jus irrevocabile; sic Azor *cit. q.* 4.

Similiter, in renuntiatione beneficij electivi, requiritur consensus eligentium, sine quo, *saltem subsequente*, fieri non potest in alterius gratiam; & rescindi potest. Sufficit autem consensus majoris partis, si fiat in utilitatem alicujus Ecclesiæ; si autem in utilitatem alterius, consensus debet esse omnium; sic Azor *cit.* Et quamvis *de jure* renuntiationem beneficij *reservati*, purè, & absolutè factam, Ordinarij possint admittere; non tamen possunt conferre alteri; quia renuntiatio non tollit *reservationem*; quamvis Azor *cit.* referat constitutionem Innocentij VIII. (quæ incipit: *sicut bonus pastor*) qua revocat omnes facultates resignandi beneficia *reservata*.

2072. Ad 2. R. inter beneficia, *quæ renuntiari non possunt*, numerari 1. beneficium *litigiosum*, pendente lite super beneficio; *arg. totius tit. ff. & C. de Ligitiosis*: 2. beneficium *unitum*, etiam antequam unio sortiatur effectum; 3. beneficium *in commendam temporalem* datum, donec Ecclesiæ de Rectore provideatur per c. *Nemo, de elect. in 6.* aliud est, si illi sit commendatum perpetuò; quia tunc habet jus in re; 4. *pensiones datas* jure, ac *titulo beneficij Ecclesiastici*. Loquimur autem de beneficio viventis, absque ejus præjudicio, alteri sic unito, ut unio, mortuo beneficiario, vel aliter vacante beneficio, effectum sortiatur. Sic enim is, cui unitum est, per unionem habet jus ad rem quæsitum; cui beneficiatus præjudicare non potest, cedendo jus suum alteri; quia sic unionis effectus, vel omnino impediri, vel nimiùm suspendi posset, contra intentionem unientis; & dispositionem Tridentini, *sess. 23. c. 18. de reform.* ibi: *nec per resignationem ipsorum beneficiorum uniones, & applicationes suspendi, vel ullo modo, possint.*

2073. Præter hæc not. si beneficiatus facultatem renuntiandi beneficio, alteri taliter unito, petat ab eo, qui renuntiationem, etiam in favorem tertij, admittere potest, requiri, quòd exprimat *unionem factam*; aliàs admissionem fore nullam, cùm admittens, ubi non exprimit, non intendat supplicanti conferre gratiam, *cum præjudicio tertij*, de quo nulla mentio in Supplicatione præcessit. Et ideo renuntians, facta taliter invalidè renuntiatione, vi hujus non amittit jus beneficij, quod habuit; licèt, si, *sciens nullitatem renuntiationis*, propter eum defectum, nihilominus unionis mentionem suppressit, in pœnam eo privari possit, aut privetur: si verò Pontifex resignationem beneficij, sic uniti, in favorem tertij factam, cum expressione illius unionis admittat, unionem non extingui, sed suspendi ad tempus mortis Resignatarij. Nam talis admissio, cùm respectu tertij contineat odium, seu gravamen, exponi debet minori damno tertij, quo potest; nisi admittens expressè simul, vel omnino tolleret vinculum unionis; vel facultatem tribueret, etiam Resignatario, pariter *sic* renuntiandi.

## ARTICULUS III.

### *De his, qui possunt, vel non possunt beneficia renuntiare.*

OMnes *regulariter*, ex justa causa, possunt dimittere sua beneficia, si ipsis, & non alteri, jus in eis sibi quæsitum habent; id, quod procedit in qualibet dignitate Ecclesiastica, etiam Archi-Episcopali, Cardinalitia, imò & Papali, ut constat *ex c. 1. h. t. in 6.* Papalis autem resignatio, non indiget superioris admissione, cùm Superiorem non habeat, gloss. *in cit. c. 1. V. Videbantur.* Dixi *regulariter*; nam in quibusdam fallit, nec omnes æque facilè audiuntur. Hinc not. 1. renuntiationes *Canonicatuum*, & beneficiorum *simplicium*, facilè admitti, si beneficiato aliunde provisum sit de honesta sustentatione; *non item* beneficij *Parochialis*; cùm habeatur ratio plebis; & ideo renuntians exprimere debet tempus (v. g. quòd saltem tribus, vel quatuor annis illi Ecclesiæ serviverit) Parisius *l. 3. de resign. benefic. q. 2. n. 21.* 2074.

Not. 2. renuntiationes *Prælatorum*, qui ordinariam, vel generalem jurisdictionem obtinent, ut sunt *Abbates, & Prælati Regula-*

*gulares*, adhuc difficiliùs solere admitti; si tamen ex justa causa licentiam resignandi petant, ipsis non esse negandam, *c. fin. 16. q. 7. junct. gloss. V. retinere*; postquam autem *Abbas* v. g. resignavit, manet professus ejusdem Monasterij; sic Parisius *cit. lib. 1. q. 17. num. 54. & post Abbatem*, obtinet primum locum in Choro, & Conventu.

Not 3. Clericos minores 25. sed majores, 14. annis, etiam sine authoritate Tutoris, renuntiare posse beneficijs, quæ habent; *gloss. in c. ex parte, V. quamvis Minor de restit. spoliat.* quia in spiritualibus æquiparantur majoribus, hoc est, habentibus 25. annos, *cap. fin. de Judic. in 6.* Hinc etiam fit, Clericos beneficiatos, religionem ingressos, spectato jure communi, sua beneficia, quæ habent, resignare posse, etiam in favorem alterius, durante tempore probationis; conferri tamen eo tempore non possunt alteri sine ipsius assensu. Colligitur *ex c. Beneficium, de Regul. in 6. junct. gloss. V. assensus*; sed jure novo Tridentini, *sess. 25. de Regularib. cap. 16.* effectu caret, si fiat priùs, quàm ante duos menses proximos ad professionem, & solùm hac secuta valet; cùm Concilium loquatur generaliter, & non restrictè ad solam renuntiationem temporalium, ut vult Castropalaus *p. 2. tr. 13. D. 6. p. 2. §. 3. nu. 15.* & alij.

2075. Not. 4. Clericos *criminosos* (qui ob crimen suum, non ipso jure privati sunt, sed solùm privandi) resignare posse sua beneficia *purè, & simpliciter*; imò, & in favorem alterius, ac etiam, si à sententia appellârunt, modò in secundo casu in renuntiatione fiat mentio *criminis, & motæ contra se denuntiationis*, vel *accusationis*. Nam appellatio suspendit solam jurisdictionem Judicis *à quo*. Quia tamen talis resignatio, per sententiam Judicis rescindi potest, resignatarius ante sententiam Judicis non habet jus irrevocabile, ut in simili diximus *num. 2071. in fine*; præjudicium autem, quod per talem resignationem fit, Ordinario per accidens est; quia resignans, illud directè non causat; sed utitur jure suo. Mentionem *criminis*, vel *motæ contra talem Clericum accusationis, denuntiationis*, aut *inquisitionis*, requirit Rebuff. *in praxi benefic. de mod. amittendi benefic. num. 52.* sed probabiliùs contrarium tenet Castropalaus *cit. D. 6. §. 2. nu. 9.* quia nullo jure cautum est de tali expressione; nec etiam habetur de stylo curiæ invariato, & specialiter approbato.

Not. 5. Clericum, qui solùm habet *jus ad rem*, non autem *reale beneficij*, posse renuntiare *purè, & simpliciter* tali beneficio; non autem *in favorem alterius*; aliàs cederet alteri jus, quod ipse non habet: secus est, si habeat jus *in re*, licèt literæ suæ collationis, vel provisionis nondum sint expeditæ, modò collatio illi facta sit; Tholosan. *lib. 17. c. 17. nu. 16.* item, Clericos, etiam infirmos, resignare posse sua beneficia, etiam in favorem alterius, ubi tamen nota, quòd beneficium sic resignatum non censeatur *vacans per renuntiationem, sed per mortem renuntiantis*, nisi renuntians per 20. dies, numerandos post diem consensûs præstiti coram legitimo Superiore admissi, supervivat, ut dicitur *c. 2. h. t. in 6.* & habetur *in regul. 18.* Cancellariæ Apostolicæ, per Innocentium VIII. posita; *V. plerique 8. q. 1.*

2067. Hæc regula locum habet in omnibus beneficijs, & dignitatibus, etiam Patronatis, in renuntiationibus *extra Curiam Romanam* factis *coram Ordinarijs*, aut *etiam Legatis Sedis Apostolicæ*, ut scilicet caveantur fraudes; & ne beneficia, *quasi per hæreditariam successionem ad alios transeant*; item in casu permutationis, vel unionis, etiamsi beneficium concessum sit solùm in commendam, de quibus Pirhing hìc *n. 32.* Ut tamen prædicta regula locum habeat, requiri; 1. ut renuntiatio *sit facta*. 2. quòd *à legitimo Superiore sit admissa*. 3. quòd resignatio sit facta, *post illam resignante infra 20. dies ab ea numerandos naturaliter mortuo*, esto, dum resignaret, sanus fuerit, de quibus omnibus fusè Pirhing *cit.* ubi etiam probabile judicat, inchoandos illos dies 20. à primo die, post diem præstiti, & admissi consensûs renuntiantis per se, vel alium: quia autem nullum titulum Canonicum, vel jus reale habent in beneficio, renuntiare non possunt; quales sunt criminosi ipso jure suis beneficijs privati, vel aliud cum pacifica possessione adepti, incompatibile cum priori, ut dicitur *c. de multa, de præbend.* Cæterùm de illa regula Cancellariæ dicemus *lib. 3.*

ARTI-

## ARTICULUS IV.

### *Cui, & ex qua causa renuntiationes validè, ac licitè fiant?*

2077. AD 1. §. beneficia Ecclesiastica resignari posse cuilibet, eorum capaci, seu habenti qualitates, jure requisitas, nimirum ætatem, morum gravitatem, literarum scientiam, modò resignatio talis non sit aliàs specialiter vetita: si verò resignentur inhabili, resignationem non convalescere, Resignatario facto habili, sed opus esse novo consensu, & provisione: ad 2. autem §. ut resignatio *validè* fiat, requiri, quòd admittatur ab eo, qui jure potest, de quo *artic. seq.* ut *licitè*, desiderari causam legitimam, ut coërceatur, nimia libertas deserenda beneficia: magno Ecclesiæ detrimento.

Ad hoc not. 1. Episcopum, de Superioris consensu, validè, ac licitè resignare, si una ex his *sex causis* concurrat: 1. conscientia alicujus gravis criminis; 2. magna corporis debilitas; 3. defectus scientiæ; 4. malitia plebis, quæ suum Episcopum nullo modo pati possit; 5. grave scandalum, quod vitari debet; & 6. irregularitas *c. 1. & 10. h. t.* Præter dictas sex causas, *regulariter* sufficit quæcunque alia causa utilis, & honesta, v. g. aëris intemperies, c. *nisi*, §. *fin. h. t.* vel capitales inimicitiæ in tali loco, c. *ad Supplicationem 9. h. t.* quamvis communis sententia velit, non esse assignandas alias, nisi eas sex causas; Sic Hostiensis in c. *nisi* §. *verùm* V. *alias causas*: non admittitur tamen *facilè* resignatio Episcopi, *ob frugem melioris vitæ*, aut *causâ humilitatis, otij, & quietis*, vel *ob internum instinctum c. 2. de translat. Episcopi*, nec *causâ vitæ contemplativæ*, *cit. c. nisi*, §. *nec putes*; nec *causâ ingrediendi Religionem approbatam*, ut in ea securius propriæ saluti vacare possit, c. *nisi*, *cit. & c. suggestum*, 7. *q.* 1. intellige *regulariter*, &, si Episcopus adhuc Ecclesiæ suæ prodesse possit; dixi. *facilè*; sunt enim exempla non pauca, quibus Episcoporum, ardenter ambientium Religionis ingressum, resignatio admissa probare potest.

2078. Not. 2. causas, quæ sufficiunt, ut quis impetret licentiam *renuntiandi Episcopatum*, etiam sufficere, ut ex illis inferiores renuntient suis dignitatibus, & beneficijs, etiam curatis. Cæterùm, *ut extra Curiam Romanam* licentia renuntiandi *purè, & simpliciter* concedatur, & talis renuntiatio ab Ordinarijs locorum admittatur, sufficiunt etiam aliæ causæ; ut si beneficiatus sit seniô confectus; 2. si ferè semper infirmus; 3. si corpore vitiatus, v. g. cæcus, claudus, surdus, mutus, &c. 4. si corpore impeditus; 5. si ob crimen aliquod deponendus; 6. si sine scandalo servire non possit; 7. si sit censuris irretitus; 8. si habeat plura beneficia, quorum unum, vel pauciora sustentationi sufficiant; 9. si transferatur ad aliud; 10. si Religionem sit ingressurus; 11. si habeat causam unam, ob quam Episcopus renuntiare potest &c. Sic Pius. V. *in Constit. edita Galend. Apr.* 1568.

Sed not. 5. ex his causis non admittendam ab Ordinarijs locorum eam resignationem, nisi positis duabus conditionibus; 1. nisi Clerico aliunde provisum sit, ut decenter vivat: 2. ne beneficia dimissa conferantur dimittentium *consanguineis, affinibus*, vel *familiaribus*, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum Collationum; si secus fecerint, suspensi sunt à collatione, electione, confirmatione, & institutione beneficiorum, donec à Pontifice absolvantur. Sic Pius V. Vid. Azor *p. 2. l. 2. c. 19. q. 5.* Cæterùm hodie *in Curia Romana* renuntiationes beneficiorum inferiorum, maximè simplicium, etiam ex levioribus causis, admitti solent, v. g. cùm quis multo tempore in una Ecclesia servivit; vel, ut beneficium dimissum alteri conferatur, in cujus gratiam beneficium dimittit; sic Azor *cit. q.* 4. 2079.

## ARTICULUS V.

### *Quis jure valeat renuntiationes beneficiorum admittere?*

ANte resolut. not. 1. Clericum beneficiatum, sine consensu Episcopi, non posse suum beneficium dimittere, *c. non oportet. 7. q. 1.* ibi: *non oportet Episcopũ vel reliquos ordines, de civitate ad civitatẽ migrare: non Episcopus, non Præsbyter, non Diaconus transeat*; si quis autem, post definitionem, sancti, & magni Concilij, tale quid agere tentaverit, & se hujusmodi negotio mancipaverit, *hoc factum prorsus in irritum ducatur*, & Ecclesiæ restituatur, cujus fuit Episcopus, aut Presbyter, 2080.

byter, aut Diaconus ordinatus; item *c. si qui verò*, ibi: si qui verò sine respectu agentes, & timorem Dei ante oculos non habentes, neque Ecclesiastica statuta custodientes, recesserint ab Ecclesia sua, sive Presbyter, sive Diaconus, vel in quocunque Ecclesiastico ordine, positi fuerint, *hi non debent suscipi in alia Ecclesia*; sed cum omni necessitate *cogantur, ut redeant ad Ecclesiam suam.* Quod si permanserint, excommunicari eos oportet.

2081. Et c. *si quis, eâdem causâ, & quæstione*, ibi: si quis Presbyter, vel Diaconus, vel quilibet Clericus, desertâ suâ Ecclesiâ, ad aliam transeundum esse crediderit, & ibi paulatim tenet, quo migravit, perpetuò manere, ulteriùs ministrare non debet; præsertim, si ab Episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quòd si post evocationem sui Episcopi non obedierit, sed inobediens perseveraverit, omni modo ab officio suo deponi debere; nec aliquando spem restitutionis habere: *si verò propter hanc culpam depositum, alius Episcopus susceperit, & ipse à communi Synodo pœnam merebitur increpationis, tanquam Ecclesiastica jura dissolvens.* Idem habetur *in c. admonet*, 4. *h. t.* ubi Alexander III. Episcopo Ternacensi scribens, ait: universis personis tui Episcopatûs sub districtione prohibeas, *ne Ecclesias tuæ diœcesis, ad ordinationem tuam pertinentes, absque assensu tuo intrare audeant; aut detinere, aut te dimittere inconsulto.* Quòd, si quis contrà prohibitionem tuam venire præsumpserit, in eum Canonicam exerceas ultionem; intelliges, si illa habeant authoritate Episcopi, vel alterius Prælati, parem quoad hoc jurisdictionem habentis. Hoc procedit etiam de illis, qui tantùm servitio alicujus Ecclesiæ, vel pij loci, in ordinatione, pro illius necessitate, vel utilitate sunt adscripti. Trid. *sess.* 23. *de refor. c.* 16. ubi, postquam statutum est, ut nullus ordinetur, qui non adscribatur alicui Ecclesiæ, vel loco, cui deserviat, additur: *si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur*, quod verum etiam est de Laicis, qui hospitalium administrationem habent; *c. Xenodochijs, de Relig. domibus*, esto per Laicos administrentur, *Clem.* 2. *eod.*

2082. Not. 2. quamvis probabile sit, beneficium ligitiosum resignari posse sine authoritate Superioris, cùm sit dubius litis eventus, & sic recedatur à lite: Abb. *in c. quod in dubijs*, *h. t. n.* 4. probabile tamen etiam esse oppositum: ut diximus *n.* 2072. quia Canones, priori numero relati, loquuntur indefinitè. Hinc Episcopus, etiam criminosus, sine Superioris auctoritate resignare non potest, ut constat ex *n.* 2077. & habetur c. *nisi* 10. *h. t.* secus aliqui putant de beneficiatis, Episcopo inferioribus; sed hoc sic intellige, ut non procedat, si crimen sit tale, propter quod privandus sit per sententiam Judicis; secundò etiam si tale sit, propter quod sit privatus ipso jure, si simul adhuc retineat possessionem beneficij cum titulo colorato, & putativo; de quo V. dicta *n.* 2075.

Not. 3. ut beneficiatus licitè Religionem ingrediatur, sufficere licentiam ab Episcopo petitam, licèt non obtentam, arg. c. *licèt, de Regular. cum gloss. fin. ad c. admonet, h. tit.* si autem talis, per factam professionem renuntiet tacitè, tacitè factam renuntiationem etiam sine auctoritate Superioris valere, notat Parisius *lib.* 7. *q.* 4. si tamen fiat ante professionem sine auctoritate Superioris, v. g. Episcopi, vel Vicarij ejus, invalidam esse jure Tridentini sess. 25. *de regularibus c.* 16. Cæterùm beneficiatus *intrusus*, hoc est, talis, qui propria authoritate beneficium occupavit, potest, & debet beneficium dimittere, etiam absque omni licentia Superioris; Fagnanus in c. *nisi cùm pridem h. tit. n.* 32. Talis *intrusus*, *Papa* est, qui in schismate electus est; *cap.* 1. *de Schismat.* Et *Episcopus*, qui Episcopatum accepit per regiam, vel laicam potestatem, c. *si per ordinationem*, *dist.* 63. *c. si quis*, 16. *q.* 7. 2083.

Not. 4. renuntiationem beneficij, factam coram laico, irritam esse; cùm careat potestate illam admittendi, *c. quod in dubijs* 8. *h. tit.* & licèt postea rursum illud recipiat, propter factum antecedens, illo spoliandus est; Hostiensis hìc V. *spoliandi*, intellige, si resignavit *sponte*; secus, *si coactè*, ut constat *ex cit. c. ibi sponte*: si autem facta est in manibus Clerici, non habentis potestatem, admittendi renuntiationem, valida est *in præjudicium renuntiantis*; non, *quoad Superiorem*, coram quo resignatio fieri debuisset; quia tali casu Superior Prælatus potest ejusmodi renuntiantem vel revocare ad beneficium, 2084.

vel dimissionem acceptare, *gloss. in cap. quod in dubijs, h. tit. V. in manum laicam.* Cæterùm, antequam talis renuntiatio à Superiore admittatur, revocari potest à renuntiante, arg. L. *quem pœnitet ff. de cession. bonor.* his positis:

2085. Non est dubium, renuntiationes beneficiorum *omnium* admittere, competere summo Pontifici in tota Ecclesia, quocunque tempore, etiam in mensibus, qui concessi sunt locorum Ordinarijs; quia ipse in beneficialibus habet plenam potestatem disponendi; & potestas ab ipso concessa Ordinarijs, *non privativè*, sed *commulativè* data est.

2086. Quæstio est 1. an legati Apostolici legitimè admittant beneficiorum renuntiationes? Resp. Præter summum Pontificem, Legatos de latere *jure suo* posse admittere resignationes beneficiorum, factas *purè*, & simpliciter. c. *si Abbatem* 36. *de elect. in 6.* ibi: si Abbatem, Ecclesiæ Romanæ immediatè subjectum, in vestrum Episcopum elegistis, reprehendi exinde nulla ratione potestis; *ei tamen ab alio, quàm à nobis, vel Apostolicæ Sedis Legato*, si sit in provincia, *de latere nostro missus, dari non potest licentia suum deserendi Monasterium, & ad vestram Ecclesiam transeundi:* ubi etiam additur, quòd hujusmodi Legatus, qui majus omnibus, post Romanum Pontificem, in provincia sibi decreta imperium censetur habere: *Archi-Episcoporum, Episcoporum, & Exemptorum electiones possit ex officio confirmare;* alios autem Legatos hoc nequire: *nisi id à Sede ipsa specialiter sit commissum*; id, quod etiam dicitur c. 1. *de officio Legati in 6.* non tamen factas *sub conditione*, vel *in favorem tertij*, nisi habeant specialem commissionem; sic *Rebuff. in praxi benefic. tit. de resignat. conditionali.* Ex his deducitur, quòd hoc non possint Legati, sive *missi* à Sede Apostolica, qui *Nuntij* vocantur; sive *Nati*, quorum scilicet dignitati perpetuus honor Legationis est annexus, nisi habeant concessionem specialem; ut constat ex textu.

2087. Quæstio est 2. an, & qualiter Prælati, summo Pontifice inferiores, admittere possint renuntiationes beneficiorum? R. Episcopos, & alios Prælatos, Episcopis Superiores, sed inferiores Papâ, renuntiationes *puras*, & *simplices* omnium beneficiorum, *suæ diœcesis*, jure communi, & ordinario, valere admittere; colligitur per sensum contrarium ex c. *admonet*, 4. *h. t.* 1. *de quo n.* 2081. Nam ad Episcopum jure ordinario, spectat, beneficiatos in Ecclesijs instituere, eorumque resignationes accipere; ita etiam habetur *c. 2. & seqq. causâ* 10. *q.* 1. *c.* 2. *de instit. c.* 1. *de Capell. Monachorum; c. cùm ex injuncto*, 12. *de hæreticis;* quòd *ad officium Episcopi*, tam institutio, quàm destitutio Sacerdotum pertineat; hæc tamen intellige *regulariter*; & spectato jure communi, propter limitationes *in seqq.*

Si quæras, quando beneficij collatio 2088.
pertinet ad inferiorem Episcopô (videlicet ad capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vel ad Præpositum) utrum in manibus ejusdem Collatoris, an verò in manibus Episcopi, cessio, seu resignatio beneficij, facienda sit? Resp. quamvis jure speciali, vel consuetudine præscripta, jus conferendi beneficia pertineat ad inferiorem Episcopô, non ideo consequens esse, quòd ad eundem pertinere debeat, *potestas resignationes accipiendi*: præterquam, si jurisdictionem obtineat in beneficiatos, ita, *ut eos etiam destituere, seu deponere possit*: cujusmodi potestatem, quasi Episcopalem, habent quidam Prælati exempti; ita post Innoc. in c. *quod in dubijs*, Abb. *ibid. n.* 6. Joan. Andreas, *n.* 19. gloss. *in Clem. un. hoc tit. ver. manibus*; *ibid.* Imola, Christoph. Roffiniacus *de beneficijs c.* 14. *n.* 54. Petr. Gregor. Tholos. *de re benefic. c.* 31. *n.* 11. Ratio est: quia præscriptio, præsertim, *contra facultates, Episcopis, communi jure concessas*, strictæ interpretationis esse debet; ut non extendatur ad casum, seu actum diversum: atqui *beneficia conferre, beneficiatorum resignationos accipere*, diversa jura sunt, quæ frequenter non ad eundem, sed ad diversos spectant, uti ostendit Tholosanus *cit. loco:* ergo ex eo, quòd ad inferiorem Episcopô beneficij collatio, *speciali jure*, spectet, non est consequentia, *ad eundem etiam pertinere, ut resignationes accipiat.*

Quæstio est 3. à quo admitti possint 2089.
resignationes beneficiorum *conditionatæ*? R. quòd *à nullo, præterquam à solo summo Pontifice, admitti possint resignationes beneficiorum sub conditione, ut personæ, à resignante nominatæ, beneficium resignatum conferatur, ne quidem etiam rejecta*

*rejecta conditione.* Aliud est, si beneficium resignetur *simpliciter*, & *absolutè*, licèt post adjiciatur *modus*, ut certæ personæ conferatur, quin tamen admittens ad hoc obligetur. Talem enim renuntiationem admittere potest Ordinarius, Papâ inferior. Idem dicendum est de renuntiationibus beneficiorum, *sub conditione*, cum reservatione certæ pensionis; has enim solus Papa admittere potest; quod etiam intelligitur de resignationibus beneficiorum cum reservatione *regressûs, ingressûs, accessûs.* Ratio est, quia resignatio jure communi *absolutè, & simpliciter* fieri debet; tum quia Canones, & jura penitus cavent, ne beneficijs sit ulla hæreditariæ successionis species, vel imago) at ubi quis suum benecium dimittir, ea conditione, ut Titio, verbi gratiâ, conferatur, successorem in beneficio constituere videtur; sic Azor *p. 2. institut. moral. lib. 7. c. 21. q. 1.*) Major est *ex Trid. sess. 25. de reform. c. 7.* ibi: *cùm in beneficijs Ecclesiasticis, ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, & Patrum decretis contraria, nemini in posterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium Ecclesiasticum* (cujuscunque qualitatis) *concedatur*, nec hactenus concessi suspendantur, extendantur, aut transferantur. Hocque decretum, *in quibuscunque beneficijs Ecclesiasticis, ac in quibuscunque personis*, etiam Cardinalatûs honore fulgentibus, locum habeat: in Coadjutorijs quoque, *cum futura successione*, idem posthac observetur; *ut nemini, in quibuscunque beneficijs Ecclesiasticis permittantur.*

2090. Ex hoc colliges, omnes regressus, accessus, & ingressus à Tridentino revocatos esse, præter illos, qui conceduntur pensionario ob pensionẽ debitam, tempore constituto, non solutam, vel jure cõmuni concessi inveniuntur; Sic Azor *cit. q. 5.* qui *q. 2. ait*, dubitari non posse, *usu Curiæ Romanæ, & Constitutione Pij* V. prohibitum esse, *coram Ordinario*, beneficio suo cedere *in alterius gratiam, & ejusmodi cessionem admitti*; præsertim, cùm ejusmodi beneficiorum renuntiationes & admissiones, per inferiores sumo Pontifice factæ, juxta plurium Doctorũ sententiam, *sint simoniacæ*, id quod tanquã probabilius defendit Azor *cit. p. 2. lib. 7. c. 21. q. 2.* sed de hac materia ex professo agimus *L. 5. q. 3. in tit. 3. de simonia à num. 473.* cumprimis autem à nu. 502. ubi etiam exposuimus, an, & qualiter ejusmodi renuntiationes admitti possint?

Quæstio est 4. à quo admitti possint 2091.
resignationes beneficiorum causâ permutationis? R. renuntiationes, *causâ permutationis*, fieri posse, etiam coram Ordinario, non tamen in favorem tertij, vel illas, quas vocant, *triangulares, vel quadrangulares &c.* aut *reciprocas*, ubi tolùm intercedit *permutationis nomen*, reipsa autem intervenit *favor tertij*, præstandus ex obligatione; Azor *cit. lib. 7. c. 29. q. 10. 2. quæres*, ubi ait: valere resignationes beneficiorum (etiam reservatorum) causâ permutationis factas, coram Ordinario loci, vel Legato Pontificio. Nam, licèt reservatio impediat, quò minùs permutatio perficiatur coram Ordinario, vel Legato (cùm beneficium reservatum ipsi conferre nequeant) non tamen impedit, ne *vacent* beneficia reservata, si resignentur coram Episcopo, vel Legato Apostolico: eò quòd Clericus, cujus beneficium est reservatum, potest illud deponere coram Ordinario loci, & potest eo privari per Episcopum: ergo potest resignare, causâ permutationis, ita ut licèt permutatio non valet, habeat tamen vim resignatio, ita, ut ad illud beneficium redire non possit; id, quod etiam tradit *p. 3. lib. 12. c. 2. q. 1.*

Ex dict. colliges, solius Papæ esse, ad- 2092.
mittere resignationes beneficorium *conditionatas*, vel *modales*, nimirum, sub *conditione*, vel *modo*, *si huic*, vel *ut huic*, & non alteri conferatur. Ratio primi est, secundùm aliquos, quia talis resignatio conditionata, *est simoniaca*; sed, esto talis non foret, ut dicimus *lib. 5. à num. 503.* adhuc tamen admitti non potest; quia solius Papæ est conferre, *beneficia nondum vacantia*; seu priùs, quam vacent; admittere autem resignationes illas conditionatas, importat collationem beneficij *priùs, quàm vacet*; tale enim beneficium, sic resignatum, non *vacat priùs*, quàm *impleatur conditio*, quæ est, *si huic conferatur, aut ex pacto promittatur*: ratio secundi est; quia talis modus, seu pactum, renuntiationi adjectum, afficit resignationem

onem aliquâ circumstantiâ, qua stante, Ordinarijs locorum, ablata est facultas, admittendi ejusmodi resignationem, ut constat *ex dict. loc. cit. nu.* 504. & propter pactum adjectum, est simoniaca, *ex dict.* ibid. *n.* 505. An autem, & qualiter admitti possint renuntiationes *reciprocæ*, vel *cum reservatione pensionis*, *&c.* diximus *loc. cit. à nu.* 506. ubi etiam, de renuntiatione *confidentiali*, pleraque resoluta sunt.

## ARTICULUS VI.

### *De modo, quo fieri possunt, & debent, renuntiationes beneficiorum.*

2093. UT beneficiorum renuntiationes legitimè fiant, quinque conditiones communiter requiruntur. Prima est, ut sit *libera*, & *spontanea*; non vi, aut gravi metu extorta; nam aliàs, si non est omnino irrita, saltem rescindi potest, vel Judicis officio, vel dicto, *quod metus causâ*, *c.* 2. 3. *&* 4. *de his, quæ vi.* Idem dic, si quis dolo, vel fraude inductus sit; dolus enim, & metus in hoc sunt paria: secunda, ut non interveniat ulla datio, vel *pactio simoniaca*, vel *simoniæ speciem habens*, *c.* 4. *& ult. de pact. c. ex parte, de offic. deleg. junct. gloss. V. omnino*, *c. dua nos, de simonia.* Ex hoc autem, quòd resignatio fiat in favorem tertij, nulla committitur simonia, *juris naturalis*, vel *divini*, aut *juris positivi*, esto fiat sub conditione: *non aliter, nec alio modo*; saltem, si non præcedat pactum, imponens onus Episcopo, quòd debeat admittere: sic enim nulla intervenit *commutatio rei, pretiò æstimabilis, pro spirituali.* Similiter simoniaca non est renuntiatio beneficij, cum reservatione certæ pensionis, si moderata sit, & & authoritate legitima constituta, nimirum Papæ, qui purgare potest vitium simoniæ *juris humani.*

Tertia, ut interveniat *consensus Patroni*, si beneficium sit *Patronatum*; & renuntiatio non fiat *purè*, sed in favorem tertij, vel sub conditione *onerosa* beneficio, vel *successori* in beneficio. Nam Patrono salvum esse debet jus suum, ut præsentare possit alium ad beneficium *vacans*; Azor *p.* 3. *lib.* 7. *c.* 25. *q.* 4. quarta, ut fiat *specificè*, & *expressis verbis.* Nam, *in dubio*, non præsumitur quis renuntiare juri suo, ex quo alij debet, *c. super eo*, *h. t.* Et ideo *nunc*, de stylo communi, & tam *in*, quàm *extra* Curiam Romanam, fieri solet, & debet *in scriptis*, per supplicationem, à renuntiante oblatam Superiori, eam admittere potenti, qua petatur, ut is (ob causas in supplicatione expressas) resignationem admittat: quinta, ut renuntians, vel per se, vel per Procuratorem, resignationis consensum præstet, & quidem (si renuntiatio fiat coram Papa) *in Cancellaria*, vel *Camera Apostolica.* Et ideo, ante hanc non expediuntur literæ, nec prodest resignatio, juxta *regulas Cancellariæ*; de quibus *lib.* 3.

Præter hæc not. 1. renuntiationem beneficij *cum pacto*, ut resignatarius resignanti solvat expensas, quas resignans fecit in beneficio acquirendo, pro illo litigando &c. esse simoniacam, *c. super hoc*, *h. tit. junct. gloss. V. pecuniæ*: Azor *lib.* 7. *c.* 27. *q.* 8. secus est, si resignans expensas feciset in bonum *ipsius beneficij*, vel *Ecclesiæ*, v. g. suis sumptibus illud recuperando ex manibus hæreticorum, *nomine ipsius Ecclesiæ.* Tunc enim expensas licitè repeteret; sic Azor *cit.* Not. 2. item, renuntianti, repetere volenti beneficium, renuntiatione dimissum, licitè opponi posse exceptionem spontaneæ renuntiationis, admittique debere, etiamsi nulla causa factæ renuntiationis sit expressa, modo Reus exceptionem probare possit, *c. super hoc*, 5. *h. t.* 2094.

Not. 3. resignationes beneficiorum, *regulariter* omnium, publicandas esse à resignatarijs, etiam exemptis; & quidem factas in Curia Romana, *citra montes* intra sex menses; *ultra montes*, intra novem menses, in Ecclesia beneficij resignati, & in Cathedrali; si verò sit beneficium, quod populo careat, in Parochiali, vel Cathedrali: secus resignationem esse irritam. Cæterùm si fiat resignatio solùm coram Ordinario, in pluribus locis non observatur illa publicatio. V. Azor *cit. lib.* 7. *cap.* 24. sed de his V. *lib.* 5. *tit.* 3. *de simonia.*

## ARTICULUS VII.

### *De renuntiatione per Procuratorem.*

RENuntiationem fieri posse per Procuratorem, per unum, vel etiam plures, 2095.

res, sic, ut vel in solidum singuli, vel omnes simul ad hoc constituti sint, communis tenet. Nam oppositum nullo jure cautum est. Azor. *p. 2. lib. 7. c. 22.* Constituendus autem est Procurator ad resignandum *coram eo Superiore*, coram quo potest Principalis; & si ille aliter agat, nulliter agat, nimirum extra limites mandati.

2096. Quæstio est 1. quæ conditiones requiantur ad legitimam constitutionem Procuratoris pro resignatione beneficij, *nomine constituentis?* R. 1. requiri mandatum ad hoc *speciale*, exprimens nomen, & locum *beneficij*, nomen proprium, & cognomen *Procuratoris*, facultatem resignandi beneficium nominatum, loco & vice Principalis, seu constituentis. Quare non sufficit mandatum generale, etiam cum clausula, *in his quoque, quæ speciale mandatum exigunt*; *c. quid agendum, de Procuratorib. in 6.* Secundò, ut mandatum illud speciale *sit scriptum, & obsignatum, sigillo publico Judicis Ordinarij*, vel *communitatis*; & postea *recognitum*, & *à Tabellione subscriptum*, ad tollendam fraudem; sic Azor *q. 6.* Tertiò, requiri, ut Procurator ad renuntiandum sit *sponte*, ac *liberè* constitutus; Clement. *unic. h. tit.* Quartò, ut instrumentum Procuratorium non sit *cancellatum*, hoc est, rasum, seu deletum, saltem in loco principali. Quintò, ut in casu renuntiationis, in Curia Romana, instrumentum procuratorium sit *publicum*, quin sufficiant literæ missivæ, seu privatæ; secus extra Curiam Romanam.

2097. Quæstio est 2. an, & qualiter Procurator constitutus, revocari possit? R. quòd Procurator, ad renuntiandum datus, revocari possit, *ante factam resignationem*, Clem. *unic. h. t.* re scilicet integra, §. *rectè: Institut. de mandat.* requiri tamen, quòd revocatio pervenerit ad notitiam Procuratoris, vel Superioris, cujus est resignationem admittere, nisi hoc ex malitia impediatur. Censetur autem *res non amplius integra*, si Procuratot in Curia Romana, ante revocationis intimationem, consensum jàm præstitit. Si autem accipiat ante renuntiationem literas missivas, seu privatas à renuntiante, ne in mandato ulterius procedat, nisi denuo moneatur, Procurator non revocatur, sed officium interim suspenditur. Morte autem mandantis, Procuratoris officium extinguitur, re adhuc integra, ut patet ex Clement *ult. de Procuratorib. junct. gloss. in Clement. unic. h. t. V. quomodolibet.*

Quæstio est 3. an valeat acceptatio be- 2098.
neficij Ecclesiastici à Procuratore, facta post revocationem mandati, etiam si ejus notitia non pervenerit ad Procuratorem? Resp. *quòd non* ex L. *Si Pater 4. ff. de manumiss. vindicta*, ubi Bartol. & Dynus, generalem regulam tradunt, quòd revocatio mandati valeat, etsi non perveniat ad notitiam mandatarij, si *exinde non lædatur, sive ejus non interfit*, sicuti accidit in casu beneficij, pro altero acceptati. Nec obstat *Clem. unica, de Renu.* ubi dicitur, renuntiationē beneficij, factam à Procuratore *post revocationem ejus*, validam esse, etsi revocatio neque ad Procuratoris, neque ad ejus, in cujus manibus renuntiatio fieri debet, notitiam pervenerit. Nam Resp. id specialiter ibi constitutum esse in casu renuntiati beneficij, ad puniendam inconstantiam, quæ Ecclesiasticas personas, præsertim in hoc rerum genere, non parum dedecet, uti ex *princ. ejusdem Clem.* satis colligitur. Ex quo fit, discrimen esse inter Procuratorem constitutū ad acceptandum, vel resignandum beneficium Ecclesiasticum.

Quæstio est 4. an *semper* revocare liceat 2099.
renuntiationem beneficij? Resp. cum distinctione; nam vel quis *ipso facto* per se, vel per alium cedit, seu renuntiat beneficio in manibus Superioris, v. g. *cedo beneficio*, supplicando, ut cessionem hanc admittere velit; vel, *non ipso facto* cedit, aut petit licentiam, cedendi? si primam, Superior nontenetur revocationem admittere; ne ipsi illudatur, si fortè jam dispositionem fecit alteri personæ idoneæ providendi. Requiritur tamen, secundùm stylum Curiæ Romanæ, consensus expressus renuntiandi ab ipsomet renuntiante, si præsens sit: sin absens, à Procuratore ejus, præstitus in Cancellaria, & Camera Apostolica, uti docet Azor *tom. 2. lib. 7. c. 22. q. 14. & c. 23. q. 3.* si secundum; revocari potest, antequam Superior licentiam concessit, ut colligitur c. *quidem 12. h. t.* ubi dicitur, quòd, qui licentiam cedendi beneficio à Superiore petierunt, postquam eam obtinuerunt, cedere cogantur. Cùm enim in postulatione, causam cedendi habue-

buerint, aut etiam propoſuerint (videlicet Eccleſiæ bonum, aut ipſorum ſalutem; tametſi poſtea vel ſuaſionibus aliorum, quæ ſua ſunt, quærentium, vel propria levitate revocare velint) audiendi haud ſunt.

Dixi, *antequam Superior licentiam conceſſit*; ergo non, poſtquam licentiam conceſſit; ſed hoc dupliciter fieri poteſt; 1. ſi licentiam conceſſit *abſolutè*; & tunc revocare non poteſt; 2. ſi concedendam alteri *commiſit*, cum clauſula, *ſi juſta renuntiandi cauſa ſubſit, vel expediens judicaverit*; & hoc caſu in prudentis Commiſſarij arbitrio erit, revocationem admittere, vel rejicere.

## ARTICULUS VIII.

### *De Renuntiationis effectu.*

2100. PRincipalis effectus renuntiationis, legitimè factæ, eſt, quòd beneficium taliter renuntiatum *vacet*, quin ullum jus ampliùs renuntianti competat, *c. 3. h. t* ubi Alexander III. *Quoniam*, inquit, *Eccleſia S. Nicolai à Rubeo ſoluta eſt, propter tacitam ejus renuntiationem, quam fecit, petendo, & recipiendo ea, quæ Eccleſiæ donârat:* ideo Abbatem S. Nicolai, & ſocios ejus, *compelli non poſſe ad recipiendum Rubeum:* quamvis rogari poſſint, ut eum, *de novo*, in fratrem, & Canonicum, ex gratia, recipere dignentur; id, quod etiam colligitur ex c. *Super hoc 5. eod. & c. ſi te 2. eod. in 6.* quod procedit, ſive habuerit jus *in re*, ſive tantùm jus *ad rem*, *c. 6. h. t.* & ne videatur illuſiſſe Superiori, cogi poteſt, ad reſignandum, ſi à Superiore inſtanter licentiam, pro animæ ſuæ bono, petijt, & obtentâ licentiâ uti non vellet, c. *quidam 12. h. t.*

2101. Quæres, an renuntians, redire poſſit ad beneficium renuntiatum, *ex novo titulo?* licèt renuntiatio fuerit jurata? Reſp. quòd ſic, ex c. *Cùm inter 2. h. t.* Cùm enim inter Petrum Gaufridi, & quosdam alios Canonicos diu fuiſſet agitata controverſia ſuper beneficio Eccleſiaſtico, & pertinentibus juribus (videlicet, ſtallo in choro, loco in Capitulo) & tandem Petrus ceſſiſſet jure, ſi quod ei competeret, juramento ſe obſtringens, *quòd beneficium iſtud petere ampliùs nollet*; poſtea verò Pontifex Romanus idem beneficium Petro conferri mandâſſet, ſi major pars Capitularium conſenſum dederit, quæſitum fuit, *an juramentum obſtare debeat, quò minùs Petrus dictum beneficium obtineat?* reſpondit Pontifex: *ſi major pars Capitularium conſenſum præbuit: Petrum, non obſtante juramento ſuo, in poſſeſſione beneficij, in quo Pontificia authoritate inveſtitus eſt, defendendum eſſe.*

Quæres 2. an idem procedat, ſi quis be- 2102.
neficio renuntiet ob crimen, & factus ſit Religioſus pœnitentiæ agendæ causâ? R. quòd non; ſic enim habetur in c. *poſt translationem 11. h. t.* Huic quæſtioni adjungi poteſt altera, an Epiſcopus, qui causâ humilitatis, Monachus efficitur, ad Pontificatum redire valeat? Reſp. de hoc agi *in c. 45. cauſ. 7. q. 1.* quod deſumptum eſt ex Synodo ſub Joanne VIII. & ſic habet: *hoc nequaquam apud nos habetur, ut, quicunque de Pontificali ordine ad Monachorum*, id eſt, *pœnitentium deſcenderet vitam, ulteriùs poſſit ad Pontificatum reverti.* Præcepit Sancta Synodus, ut quicunque de Pontificali dignitate ad Monachorum vitam, & ad pœnitentiæ deſcenderit locum, nequaquam jam ad Pontificatum reſurgat. *Monachorum enim vita ſubjectionis habet verbum, & diſcipulatûs*; non, *docendi, præſidendi, vel paſcendi alios.*

* * *

# QUÆSTIO X.

## INTITULUM X. DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

2103. PEr *negligentiam* hìc intelligitur omiſſio ejus, quod Prælati in beneficiorum proviſionibus præſtare debent; quamvis etiam incidenter de alijs omiſſionibus hìc agatur. Quæſtio potiſſima eſt, per quos ejusmodi Prælatorum negligentiæ ſuppleri debeant, ne earum causâ Eccleſiæ damnum patiantur. Pro *reſolut.*

*solut.* not. 1. in Episcopis, Cænobiarchis, seu Prælatis Regularibus, id esse peculiare, ut intra tres menses eligi debeant, alijs verò dignitatibus, & beneficijs præfixum esse tempus *semestre*, quod tamen exceptionem patitur *in Patronis Laicis*, quibus tantùm *quatuor* menses ad præsentandum dati sunt, *c. ne pro defectu* 41. *de elect.* ibi: statuimus, *ut ultra tres menses Cathedralis Ecclesia, vel regularis, Prælatô non vacet.* Intra quos (quo impedimento cessante) si electio celebrata non fuerit: qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice, *ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximo præesse dignoscitur, devolvatur.* Is verò, ad quem fuerit devoluta potestas, DEUM præ oculis habens *non differat ultra tres menses*, cum consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentium, *viduatam Ecclesiam* de persona idonea ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius (si digna non reperiatur in illa) canonicè ordinare: si canonicam voluerit effugere ultionem.

Deinde in c. *nulla 2. de Conceff. præbend.* quod desumptum est ex CC. Lateranens. dicitur: cùm præbendas Ecclesiasticas, seu quælibet officia, in aliqua Ecclesia, *vacare* contigerit, non diu maneant in suspenso; *sed intra sex menses personis, quæ dignè administrare valeant, conferantur.* Si autem Episcopus (ubi ad eum spectat) conferre distulerit, *per Capitulum ordinetur.* Quod, si ad Capitulum pertinuerit, & intra præscriptum terminum hoc non fecerit, *Episcopus*, secundùm DEUM, *hoc* cum religiosorum Virorum consilio *exequatur.* Vel, *si omnes fortè neglexerint, Metropolitanus de ipsis* secundùm DEUM, *absque illorum contradictione, disponat*; advertendum tamen, quòd dicitur c. *dilectus Filius* 12. *ead.* nimirum Lateranensis Concilij decretum, de beneficijs, ultra sex menses vacantibus, *ad Episcopatus* non extendi; quo posito:

2104. Communis regula est, quòd, quando Prælati, vel alij, intra tempus præscriptum, non faciunt, quod debent, tunc jus eligendi, conferendi, præsentandi, tanquam caducum, devolvatur ad proximum Superiorem. Hinc Episcopo negligente, fit devolutio ad Archiepiscopum; & ab hoc, si & ipse negligens sit, gradatim ad summum Pontificem, sic, ut elapso tempore, jure præfinito, ipsi negligentes nihil jure agant, *c. 3. h. t.* ibi: *nisi prædictæ personæ* (nimirum Regulares) *intra tempus Lateranensis Concilij constitutum, ad vacantes Ecclesias tibi personas idoneas præsentaverint: ex tunc tibi liceat* (appellatione remota) *in eisdem ordinare Rectores, qui eis præesse noverint, & prodesse:* ita tamen, *quòd ex hoc nullum Patronis præjudicium in posterum* generetur: sed excipe, nisi nihilominus providerint de persona idonea, & utili, bono communi, nemine quicquam opponente, *c. Literas 4. h. t.* ubi specialiter de hoc casu agitur. Secus tamen est *in Ecclesijs Cathedralibus.* Nam ibi, Episcopo negligente jus non ad Superiorem, sed *ad socios*, hoc est, ad Capitulum devolvitur, *c. 2. de conceff. præbend.* intellige tamen, si Episcopus negligat conferre beneficia jure proprio; non autem si jure devoluto; his præmissis:

Quæres 1. qualiter tempus, intra quod 2105.
provisiones beneficiorum vacantium fieri debent, computandum sit. Resp. quòd à die notitiæ habitæ, de beneficio vacante, c. *Licèt 3. h. t.* ibi: *non à vacatione, sed à notitia computato.* Et tali casu, elapso tempore, non concedi licentiam purgandi moram, *gloss. in c. Licèt canon, de elect. in 5. V. executione.* Hinc, si provisio spectet ad Episcopum, & Capitulum simul, utroque negligente, juris devolutio fit ad proximum Superiorem; si autem una pars, monita de provisione facienda, nolit providere ante lapsum termini præfixi, altera validè providebit; sic Layman *in c. fin. h. t. nu.* 2. Si Prælati Regulares in provisione, & præsentatione beneficiorum tam sæcularium, quàm Regularium, negligentes sint, jus providendi devolvitur ad Episcopum, cui *subjecti* sunt; si *exempti*, ad Papam, quando beneficia etiam sunt exempta; si verò hæc non sint exempta, ad Diœcesanum, aut Delegatum Papæ, *Clem. unic. h. tit.* similiter in casu, quo, habentes jus Patronatûs, præsentare negligunt intra tempus à jure præscriptum, jus præsentandi, pro illa vice, devolvitur ad Episcopum, c. *sicut, 2. h. t.* quamvis Episcopus possit gratiam facere Patrono, eumque ad iterum præsentandum, etiam pro illa vice admittere c. *sicut 2. h. t. V Liceat.*

Quæ-

2106. Quæres 2. ad quem devolvatur potestas, si Episcopus negligens sit in alijs, v. g. in officio suo, in excommunicando, ordinando, causas cognoscendo? Resp. probabilius esse, extra casus jure exceptos, jurisdictionem ejus non devolvi ad Archiepiscopum, adeóque hunc (eo invito) non supplere defectum. Nam in materia prohibitoria, quod non est permissum, seu concessum, censetur esse prohibitum; c. *Inter 2. de translat. Episc.* Archiepiscopo autem jure prohibitum est (extra casus in jure expressos) jurisdictionem exercere, in subditos sui Suffraganei, c. *nullus, cum seq. 9. q. 3. & c. Pastoralis 11. de offic. Ordin.* casus autem negligentiæ in officio, non est inter casus jure expressos. Pari modo, si Episcopus sit excommunicatus ab Archiepiscopo, adeóque fungi nequit officio suo, non propterea ejus jurisdictio devolvitur ad Archiepiscopum sed, ad Papam, *cap. 1. h. tit.* ibi: *edictum per Remensem provinciam publicatum*, ut à subditis Episcoporum ipsius Provinciæ pro audiendis, & terminandis eorum causis, liberè ad Remensem Curiam accedant, *penitus revocamus*; quia, *etiamsi tenerentur iidem Episcopi*, pro suis culpis, *vinculo excommunicationis adstricti; non tamen* ex culpis ipsis (*cùm id non inveniatur à jure concessum*) *ad Remensem Archiepiscopum jurisdictio devolveretur*; sed alia fortè pœna ipsis canonica posset infligi: si autem Episcopus omnino impeditus, vel inutilis sit, ob impedimentum perpetuum, vel diuturnum, jurisdictio devolvitur ad Capitulum Cathedrale, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, c. *si Episcopus, h. t. in 6.* ibi: *non ad Archiepiscopum, sed Capitulum, &c.*

2107. Quæres 3. cùm interdum defectus, vel negligentia Prælati suppleatur per dationem Curatoris, seu Coadjutoris, ut, si non omninò sit impeditus, sed tantùm ex parte (v. g. ob senium, infirmitatem &c. *c. penult. & ult. de Cler. agrot. & c. unic. eod. in 6.*) quamvis hujus officium exspiret morte Episcopi, gloss. in c. 2. *h. t. in 6.* (nisi datus sit cum jure succedendi) *quis Ecclesiæ Cathedrali vacanti*, administratorem dare possit? Resp. quòd solus Papa, nisi Capitulum negligenter, & per malitiam administraret. Tunc enim Archiepiscopus constituere poterit, priùs tamen vocato Capitulo, & præmissa causæ cognitione, c. *fin. h. t. in 6.* hoc intellige, si administratio Capituli mala sit in temporalibus, & spiritualibus; sic Pirhing hic *nn. 21.* Cæterùm, ipsum Capitulum, sede vacante, jus habet administrandi, vel alium constituendi, tam in spiritualibus, quàm temporalibus; gloss. in c. *unic. de majorit. & obed. in 6. V. ad quem*, & *V. Jurisdictio*: in Ecclesijs autem, non Episcopalibus, sed inferioribus, etiam ab alio, quàm à Papa, dari posse administratorem, colligitur ex *cit. c. fin.* §. *hujusmodi*, per sensum contrarium; idque tam in spiritualibus, quàm temporalibus, *excepta beneficiorum collatione.*

Quæres 4. an administrator, ab alio, 2108.
quàm à Papa, Sede vacante, constitutus, possit beneficia conferre, quæ ad solam Episcopi jurisdictionem, seu liberam collationem pertinent? Resp. quòd non; ex c. *fin. §. hujusmodi. h. t. in 6.* Administrator enim, etiam cum libera potestate constitutus, absolutè, ac merè liberaliter donare non potest, *L. Filiusfamil. ff. de donat.* collatio autem beneficij est quædam donatio, c. *Licèt, 3. h. tit.* secus est, si beneficiorum collatio non sit *solius* Episcopi.

Not. præterea, aliquando propter contumaciam, & negligentiam Superiorum (ut quando contumaciter recusant benedicere Abbates &c.) potestatem ad inferiorem devolvi, *c. 1. h. tit.* Quare si Episcopus ex duritia, vel contumacia, *Abbatatem confirmatum*, benedicere recuset, poterit is non tolùm benedicere suos Monachos, sed & alia potestatis Abbatialis exercere; constat ex textu, ibi: *eisdem Abbatibus liceat, quæ ad officium hujusmodi pertinent, exercere*; de quo Azor *p. 1. lib. 12. cap. 20. qu. 6*

* * *

QUÆ-

# QUÆSTIO XI.

## IN TIT. XI. DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, ET QUALITATE ORDINANDORUM.

2109. CUm ad potestatem Prælatorum, præsertim Episcoporum, specialiter pertineat, *Ordines conferre*, de hoc agitur præsente, & sequentibus titulis. *Ordo* autem dupliciter sumitur. 1. pro Spirituali potestate conficiendi corpus Christi, vel ministrandi ad illud; 2. pro ipso ritu solenni, quo talis potestas confertur; quibus præmissis: dubium primum est, an prima tonsura sit verus *Ordo*? R. affirmativam doceri cum aliis à Fagnano in c. *cùm contingat, de ætat. & qualit.* cum communi Canonistarum: quia in *cit. c.* expresè dicitur, quòd *per primam tonsuram*, juxta formam Ecclesiæ datam, *Clericalis Ordo conferatur.* Deinde Sixtus V. motu proprio, edito An. 1588. nonis Januar. appellat illam, *Characterem Clericalem*, ut videri potest apud Pereyram *in Elucidario n.* 1650. sed hoc, cum D. Thoma 3. *p. in supplem. q.* 4. *a.* 3. negant Theologi, volentes, ibi Ordinem sumi latè pro *sola dispositione ad Ordines*; cùm ipsum Tridentinum *Sess.* 23. *c.* 6. *primam tonsuram distinguat à minoribus Ordinibus*, ut liquet ex illis verbis: *nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus.*

2110. Pro solutione contrariorum notandum, hoc verbum *Ordo*, habere multiplicem significationem, Nam primò apud Philosophos (teste Vasquez 1. *p. disp.* 67. *cap.* 1.) Est habitudo plurium ad unum primum, seu ad unũ prius: secundò, significat etiam statum quemvis, sive civilem, sive Ecclesiasticum, ut dicamus aliquos esse in ordine Senatorio, equestri, plebejo, Laico, Clericali, Religioso: Tertiò apud Jurisperitos usurpatur *ordo* pro recto tenore litis, secundùm jus; & dicitur *ordo juris*; item pro Curia, & Concilio: juxta quam acceptionem est titulus 59. *c. lib.* 10. *de his, qui in exilium dati vel ab ordine moti sunt.* Ad quam Rubricam Garcia, & alii, *ordo* (inquiunt) cujus hìc fit mentio, est ordo antiquus ille Decurionum, qui appellatur *Curia*; & idem est, quòd hodie *Concilium, Capitulum, Consistorium* Decurionum, Consiliariorum, & Rectorum civitatum, ac municipiorum, de quo loquitur *titulus ff. de Decretis ab ordine faciend.* Unde *ab ordine* moti dicuntur, qui à Consilio, Consistorio, & Curia Decurionum remoti, interdicti, & suspensi sunt ad tempus, ut colligitur ex *L.* 1. *& L.* 2. *sub illo tit.* 59. *Cod. lib.* 10.

Not. 2. apud Theologos verbũ *ordo* latiùs patere, quàm hoc verbum *gradus*; quia (ut bene notat Albericus V. *ordo*) in Divinis personis datur *ordo*; & non *gradus.* Hinc istis acceptionibus prætermissis, notandum ulteriùs, per hoc Verbum *ordo* strictè sumptum, & quasi antonomasticè, significari *certum* quemdam *gradum*, sive *Statum Clericorum*, ad certa Ministeria Ecclesiastica consecratum; Sic Trid. *Sess.* 23. *cap.* 4. ex Anacleto. *epist.* 1. *cap.* 1. Cypriano *lib.* 2. *epist.* 5. & aliis Patribus, *Ordines Ecclesiasticos*, gradus vocat. Sumitur etiam pro illa actione, qua Clerici consecrantur, quæ distinctionis causâ *ordinatio* propriè appellatur.

2111. Ex hoc deducitur, *Ordinem*, sumptum pro *gradu*, latiùs patere; quàm *Ordinem* sumptum *pro Sacramento*, seu signaculo, vel signo sacro, quo specialis potestas traditur ordinato, & officium, qualiter definitur Ordo, à Magistro in 4. *dist.* 24. quo posito. R. ad 1. in *n.* 2109. *Ordinem in cit. c. cùm contingat*, sumi latè, nimirũ pro quodam gradu, seu deputatione ad chorum, & Ordines suscipiendos; non autem strictè, prout importat signum sacrum, quo specialis potestas traditur. Ad 2. R. quando Sixtus V. *primam tonsuram* appellat *Characterem Clericalem*, non esse ex eo, quòd existimet per illam imprimi qualitatem Characteris; sed quia nomine *Characteris* intelligit *destinationem ad Statum Clericalem*, ut bene interpretatur Vasquez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 236. & ideo etiam *Psalmistatum* (quem Bernard. ad c. *cùm contingat, de ætat. & qualitat.* ait, coincidere cum prima tonsura) rectè negat Vasquez *c.* 1. *n.* 12. *esse Ordinem*; cùm tantùm sit officium psallendi, & cantandi Psalmos in choro. Sed nunc veniamus ad ordines, quo-

quorum minores quatuor, majores tres numerantur.

2112. Controversia est, an *Ordo Episcopalis, quà talis*, sit Ordo distinctus ab Ordine Sacerdotali? Negant Theologi, affirmant Canonistæ. Videntur autem posse conciliari dicendo, *Episcopatum*, esse Ordinem, *non adæquatè*, sed solùm *inadæquatè* distinctum à presbyteratu; cùm ille istum, non autem vicissim includat; id, quod probabilius videtur contra opinionem eorum Canonistorum, qui volunt Episcopatum esse Ordinem, *adæquatè* distinctum à simplici Sacerdotio, quod fusè probat Fagnanus in *c. 1. de ordin. ab Episcopo &c. à n. 33.* Nam Episcopi, *quoad potestatem Ordinis*, sunt Presbyteris, non Episcopis, superiores, ut ait Trid. *Sess. 23. Can. 7.* quia scilicet ex potestate sui Ordinis conficere possunt quædam Sacramenta, quæ à simplici Sacerdote confici non possunt, ut per se patet. Deinde constat ex eo, quia in ordinatione Episcopi venit materia, & forma adæquatè distincta à materia, & forma simplicis Presbyterii, ut constat ex Pontificali, & c. *Episcopus, dist. 23.* & quòd imprimat distinctum Characterem, habetur ex *glos. in c. 1. de ordin. ab Episcopo, qui renunt.* V. *Executionem.* Quæ verò in contrarium solent objici, videri possunt apud Fagnan. cit.

## ARTICULUS I.

### *De his, qui possunt, vel non possunt ordinari.*

2113. COmmunis doctrina est, quemlibet ordinari posse, qui nullo jure prohibetur. Quidam autem prohibentur recipere Ordines, seu ordinari, *Jure Divino.* 1. fœmina, ratione sexûs, ut constat ex communi sensu Ecclesiæ; 2. non baptizati, Baptismô fluminis, *c. 1. & 2. de Presbyt. non baptizato;* 3. positivè nolens ordinari. Nam in adulto, recipiente Sacramentum, requiritur intentio, saltem habitualis recipiendi, ut docent communiter Theologi. Igitur habentes unum ex prædictis impedimentis invalidè ordinantur. Not. autem 1. quando interdum à Sacris Canonibus fit mentio *Presbyterarum*, vel *Diaconissarum*, non intelligi *mulieres ordinatas tali Ordine sacro;* Sed uxores eorum, qui postea susceperunt Presbyterium, vel Diaconatum, &, hoc susceptо, separatam ab eis vitam ducebant propter votum continentiæ de illarum consensu, ut notatur c. *penult. & ult. dist.* 32. vel etiam intelligi viduas, jam maturiores, habentes curam Ecclesiæ, aut, benedictione solùm aliqua, deputatas ad legendas homilias in choro, ut notat Sanch. *in Summa l. 7. c. 1. dub.* 30. Et quoniam constat Hermaphroditos, in quibus prævalet sexus fœmineus, simpliciter pro fœminis haberi; si verò sexus virilis, haberi simpliciter pro viris (*L. quæritur*, 10. *ff. de statu hominum*) in primo casu ordinabiles non sunt; in secundo autem non ordinandos, quia monstrosi sunt; ita Sylvester V. *Hermaphrod.*

Not. 2. Jure Ecclesiastico, ab Ordinibus repelli 1. qui non habent legitimam ætatem pro tali Ordine, de jure requisitam, vel in re, vel ex dispensatione; 2. illiteratos, carentes scilicet scientiâ, cuivis Ordini, de jure necessariâ; 3. adulteros, perjuros, vel falsi Testimonii, aut aliorum gravium criminum Reos notoriè, vel notorietate facti per ipsius delicti evidentiam, nulla tergiversatione celabilis; vel notorietate juris, c. *fin. h. t.* secus est, si ea crimina sint occulta; quia *latentia crimina publicè vendicanda non sunt*, c. *ex tenore, h. t. c. fin. 32. q. 5.* intellige tamen, *nisi talia occulta crimina, de jure, inducant irregularitatem.* Similiter, ab Ordinibus repelluntur, infames jure, vel facto, c. *infames 6. q. 1.* conjugati, durante conjugio, nisi de consensu Uxoris. c. *cùm sis*, c. *conjugatus*, c. *Uxoratus, de Convers. Conjugat.* 2114.

His annumerantur, qui post Baptismum, semel susceptum, se absolutè rebaptizari permittunt, etiam ignoranter cum ignorantia juris culpabili, c. *confirmandum, dist. 50. junct. glos. V. Rebaptizati. c. 117. & seq. dist. 4. de consecrat. junct. glos. V. Ordinati:* alij hoc universaliter dicunt, de bis *absolutè* Baptizatis; & hoc extendunt etiam ad iterata Sacramenta, Characterem imprimentia. Deinde adulti, *extra necessitatem*, ab hæretico Baptismum recipientes, c. *qui in qualib. 1. q. 7.* Nam infantibus error parentum non officit, c. *placuit, eadem caus. & q.*

*Bap-*

*Baptizati* in ægritudine propter mortis periculum, c. *unic. dist.* 57. *Neophyti*, donec moribus, & vitâ Christianâ satis instructi videantur Episcopo; Covarr. in Clem. *si furiosus*, *de Homicid. p.* 1. §. 1. *n.* 7. *solenniter*, *& publicè pœnitentes.* c. *placuit* 68. *dist.* 50. *& c.* 1. *de Bigam. junct. glos. V. Pœnitentes*: *excommunicati*, *suspensi*, *interdicti*, *omnes irregulares*, sive ex, sive citra delictum; quibus aliqui addunt *Novitios Religionum*, licèt contrarium verius sit, nisi alicubi sit consuetudo contraria.

Not. autem 1. per prædicta impedimenta juris humani, solùm *illicitam*, non autem *invalidam* esse taliter impeditorum ordinationem. Not. 2. notoriè criminosos, de quibus supra, licèt non prohibeantur in c. 4. *h. t. & c. fin. eod.* ne ad altiorem ascendant, vel in susceptis ministrent peractâ pœnitentiâ; hanc tamen constitutionem c. *ex tenore*, aliquantum esse correctam à Trid. *Sess.* 14. *de Reform. c.* 1. *junct. declarat. Card. ibid.* Cæterùm hæc Ordinum suscipiendorum impedimenta, summatim hìc enumerata, suis quæque titulis, ut constabit ex *seqq.* declarabuntur.

## ARTICULUS II.

### *De his, qui possunt ordinare.*

2115. QUæstio est 1. cui competat ordinaria potestas conferendi Ordines? R. solis Episcopis consecratis c. 1. §. *ad Episcopum*, *dist.* 25. ibi: *ad Episcopum pertinet*, Basilicarum consecratio, unctio Altaris, & confectio Chrismatis; ipse prædicta officia, & *ordines Ecclesiasticos distribuit*: ipse Sacras Virgines benedicit: & dum præcessit unusquisque in singulis, ipse tamen est præordinator in cunctis, c. *quamvis*, *dist.* 68. *ubi Leo* 1. scribens ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, quamvis, inquit, Chor-Episcopis, & Presbyteris, plurima cum Episcopis ministeriorum communis sit dispositio, quædam tamen, auctoritate veteris legis, quædam novellis, & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint: sicut est, *Presbyterorum*, *& Diaconorum*, aut Virginum *consecratio*, sicut constitutio Altaris, ac benedictio, vel unctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec Ecclesias, vel Altaria consecrare licet, nec per impositionem manuum, fidelibus baptizatis, vel conversis hæreticis paracletum Spiritum S. tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate Baptizatorum frontes signare, nec publicè quidem in missa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet Epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita sunt Chor-Episcopis; item c. *Aqua* 9. *de consecrat. Ecclesiæ*, *junct. glos. V. Jurisdictioni*, ubi Gregorius IX. aquâ, ait, per Episcopum benedictâ Ecclesiam reconciliari posse *per alium Episcopum*, non negamus; *per Sacerdotes simplices* hoc fieri de cætero prohibentes, non obstante consuetudine provinciæ Bracharen: (quæ dicenda est potiùs corruptela) quia, licèt Episcopus committere valeat, quæ Jurisdictionis existunt: quæ ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clerico, demandare. Quod autem mandantibus Episcopis super reconciliatione factum est, hactenus per eosdem, misericorditer toleramus.

Not. autem nomine *Episcopi* hìc etiam venire *illi Superiores*; 2. quòd hìc loquamur *de potestate ordinaria*. Nam aliqui, Episcopis inferiores, ex concessione, vel Privilegio Papæ (*Episcopus* enim, *inferior Papâ*, quæ sunt Ordinis, alteri committere, vel delegare non potest, sed tantùm, quæ sunt jurisdictionis, c. *penult. de consecr. Ecclesiæ*, *junct. glos. V. Jurisdictionis*) possunt suis conferre primam tonsuram, & quatuor minores. Nam jure communi antiquo, omnes Abbates, seu Prælati Regulares: modò fuerint Presbyteri, & benedicti ab Episcopo (imò etiam non benedicti in casu, de quo *num.* 2108.) primam tonsuram, & ex minoribus ordinibus Lectoratum conferre potuerunt (& consequenter Ostioratum, cùm hic ad illum supponatur) non solùm suis Religiosis, sed etiam sæcularibus, in quos jurisdictionem quasi Episcopalem obtinebant, *c.* 1. *dist.* 69. *junct. glos. V. Lectoris*; *sed tantùm in proprio Monasterio*: ex diuturna verò consuetudine iisdem etiam conferre poterant omnes quatuor minores Ordines, ut colligitur ex c. 1. *de Ordinatis ab Episcopo*, *qui Episcop. renuntiavit*, *junct. glos. V. à non Episcopis.* 2116.

Hodie autem, & jure novo, prædicti Abbates, si sint verè tales (non autem, si 2117.

(Abbatiam solùm habeant in commendam, per *Trid. Sess. 23. de Reform. c. 10. junct. primâ declarat. Card. ibid.*) suis subditis Regularibus, imò & Novitiis, juxta probabiliorem sententiam (quam tenet Pirhing hìc *n.* 45. & apud illum Sanchez, Suarez, Layman, & alii) conferre possunt primam tonsuram, & quatuor minores, si sint Sacerdotes, vel mitrati, vel saltem ex Privilegio Papæ Pontificalia exercere valeant; an autem, *nunc*, post Tridentinum, etiam subditis suis sæcularibus, uti jure antiquo poterant, primam tonsuram, & minores ordines conferre possint? dubitatur; & negativa probabilior est. Nam illi facultati, seu privilegio utpote inserto juri communi, derogatur per Tridentinum, esto ejus mentionem non faciat, secundùm dicta *de lege derogante*; Sic Fagnanus in c. *Nonnulli*, *de Rescript.* 24. & alij.

2118. Quæstio est 2. an cuilibet Sacerdoti, ex speciali Privlegio Papæ, committi possit potestas ordinandi Diaconos, & Subdiaconos (non autem Presbyteros) saltem in casu necessitatis? R. Affirmari à Barbosa, Rodriquez, Tannero, & aliis apud Pirhing hìc *n.* 48. contrarium sentiente D. Thomâ 3. *p. in supplem. a.* 1. *ad* 3. illis testantibus, tale Privilegium ab Innocentio III. concessum Abbatibus Cisterc. licèt omnes negent de Presbyterio: illud tamen dicendum, ordinationem factam ab Abbate, contra formam facultatis ordinandi sibi concessam, probabilius, & illicitam, & invalidam esse, quando facultas illi competit non ex vi suæ consecrationis, sed ex delegatione Papæ (quia pro tali casu, scilicet formæ non servatæ, potestas delegata non censetur) & Abbatem, seu Prælatum Regularem, habentem potestatem ordinandi, ordinantem alios, quàm subditos Regulares, incurrere pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium absolutè, & sic ordinatos ab exercitio Ordinum, de quo *Trid. Sess. 6. de Reform. c. ult.*

2119. Quæstio est 3. an Episcopi, etiam lapsi in hæresim, excommunicati non tolerati, suspensi, & interdicti validè conferant Ordines? R. Affirmativè; quod etiam procedit de Simoniacis, & depositis, seu degradatis, modo servent debitam materiam, & formam cum intentione; quia retinent Characterem, & potestatem conferendi Ordines. Ordinati tamen ab illis *scienter*, ab usu Ordinum perpetuò sunt suspensi, donec dispensentur, *c. 1. junct. glos. V. Irritos*, & *c. 2. de Schism. c. statuimus. 1. q. 1.*

Quæstio est 4. an Episcopus possit licitè 2120.
ordinare *alios*, quàm suos subditos? R. Negativè, nisi habeat licentiam sui Superioris; vel Episcopus aliunde concessam habeat facultatem, ordinandi, *etiam alienos*; *c. 1. cum seq. 9. q. 2. c. 2. h. t. in 6. Trid. Sess. 14. c. 2. & Sess. 23. c. 8. de Reform.* & hoc procedit 1. etiam de tonsura clericali, *c. fin. h. t. in 6. c. Primatus*, *dist. 71. junct. glos. V. obtineat*; & sic tonsuratus, tonsuram inutiliter habet, ut scilicet sine proprij Episcopi dispensatione non possit ultra promoveri, vel ad Ordines, vel ad beneficia; ita Sanchez *l. 3. moral. c. 1. à n. 15.* Procedit 2. etiam, ut Archiepiscopus, extra casus in jure expressos, ordinare non possit subditos sui Suffraganei; quia non sunt de ipsius diœcesi. Procedit 3. ut nec possit Episcopus sub tempore ratihabitionis de futuro proprij Episcopi; Pirhing. *hìc n. 27.*

Verùm ab hac responsione excipe 1. 2121.
nisi proprij Episcopi sint manifestè suspensi *publicè* ex causa, quòd alienum subditum ordinaverint, sine sui proprij Episcopi licentia. Tunc enim Clericos eorum subditos ordinare potest Epifcopus vicinus, *c. 2. & Clericis quoque, h. t. in 6. cum glos. V. manifesta; V. n. 2800.* Excipe 2. nisi subditus alienus sit alteri Episcopo, habenti propriam diœcesin actu, & non merè titulariter familiaris per triennium; & ipsi ab ordinante, statim cum ordinatione ipsa, seclusâ omni fraude, conferatur beneficium; Trid. *Sess. 23. de Reform. c. 9.* in quæstione autem, an ejusmodi Episcopus, cum tali suo familiari, cæteroquin alieno, dispensare possit in interstitijs? R. negativè, quia potestas dispensandi in his diversa est à potestate ordinandi; cùm ergo Trid. loquatur *de hac*, & ejus dispositio restringat potestatem Ordinariorum, adeoq; odiosa sit, non extenditur ad illam: excipe 3. nisi Episcopus, alieno subdito, actu contulerit beneficiũ sufficiens ad titulum; quia sic jam ratione beneficij in ejus diœcesi fit illi subditus; sed de hoc V. dicenda à *n.* 2137.

Quæstio est 5. an Religiosi exempti 2122.
pos-

possint *ab alio*, quàm Ordinario loci, in quo situm est eorum Monasterium, in quo degunt, ordinari? R. negativè ex c. *cùm nullus.* 4. *h. t. in* 6. Excipe, nisi accedat illius Ordinarij loci licentia, & proprij Superioris consensus; vel habeant Privilegium Papæ, ut cum licentia suorum Superiorum ordinari possint *à quocunque Episcopo, Catholico*, quale habet nostra Societas ex *constitut. Gregor. XIII. incip. Pium, & utile;* quæ responsio negativa procedit etiam de Novitijs apud tales Religiosos, ut communiter docent Commentatores in cit. c. *nullus.* Quod sic habet: *Nullus Episcopus, vel quivis alius infanti (nisi fortè religionem intraret) seu illiterato, sed nec absq; sui Superioris licentia, homini, diœcesis alienæ, Clericalem præsumat conferre tonsuram: nec etiam conjugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad Sacros ordines promoveri: prout est Sacris Canonibus definitum. Qui verò contra fecerit (ut in eo, in quo peccaverit, puniatur) per unum annum, à collatione Clericalis tonsuræ duntaxat, noverit se suspensum.*

## ARTICULUS III.

### *Quis Episcopus censeatur proprius ad conferendos Ordines?*

2123. CUm nemo jure communi, & ordinario ad ordines promoveri possit, nisi à *proprio* Episcopo, quæritur, quis in ordine ad hunc effectum censeatur *proprius* Episcopus? Resp. ex c. *cùm nullus h. t. in* 6. quòd ille, qui est Episcopus in loco, vel *tuæ originis*, vel *tui domicilij*, vel *beneficij*, quòd obtines; hæc tamen intelligendo juxta dicendas limitationes ex constitutione Innocentij XI. incip. *Speculatores domus Israël*, publicatâ Romanæ 1694. 6. Novembr. qua plura declarantur, & præscribuntur pro tollendis abusibus, & fraudibus circa ordinationes alienorum subditorum.

### §. I.

### *De Episcopo proprio ratione originis.*

2124. ANtequam resolvamus quæstionem, qui Episcopus censeatur *jure proprius* ad conferendos, & recipiendos Ordines ab illo, propter multa, ut constabit ex dicendis, præmittenda est constitutio Innocentij XI. incip. *Speculatores domus Israël*, publicatâ Romæ 6. Novembr. 1694. ab Archiepiscopo Salisburgensi acceptata, missáque ad suos Suffraganeos, cujus synopsin in *seq.* referemus.

In §. *Speculatores*, qui est primus, dicit, quòd statim in principio sui Pontificatûs concluserit secum, ad sacra ministeria non admittere, *nisi eos, qui digni possint dominica Sacramenta tractare, ac ædificare cunctos, fidei scientiâ, & operum disciplinâ*; in §. *sanè* 2. quòd ex hoc sibi ultrò proposuerit, severiorem quandam rationem in concedendis indultis, suscipiendi sacros Ordines, *extra tempora, & interstitijs ad id designatis, non servatis.* In §. *cæterùm per ea* 3. quòd si tamen aliquando in prædictis, *ex certis tantùm, ac magis rationabilibus causis* dispensaverit, per ejusmodi indulta, nullo modo velit intelligi relaxata Tridentini decreta, de non ordinandis *ad patrimonij titulum*, nisi illis, quos Episcopi *pro necessitate*, vel *commoditate suarum Ecclesiarum* assumendos judicaverint, *nec etiam ad hujusmodi indulta exequenda, Episcopos ipsos arctare.*

In §. *omnes insuper* 4. hortatur, & seriò 2125.
monitos vult omnes, cujuscunque tandem gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, quibus à Sede Apostolica, Ordines *extra tempora* conferendi, vel alijs, ut illos sic conferre valeant, indulgendi, potestas fieri consuevit, *ut præscriptos sibi* desuper, in suis quique facultatibus *terminos, religiosè custodiant*, nec eos ullatenus transgrediantur, ullius consuetudinis, vel exempli prætextu. In §. *verùm* 5. habet, quòd, quò magis curam in prædicta, intendit, hoc majori dolore, ex querelis ad se delatis, intelligat, aliquos, qui Clericales Ordines sib à proprijs Episcopis negatos, seu quos ob impedimenta Canonica sibi ab illis negandos timent, *sine literis dimissorijs, & commendatijs suorum Ordinariorum*, imò sæpe inscijs, sæpe etiam invitis illis, sub minùs legitimis, imò *quæsitis titulis beneficij Ecclesiastici, originis, domicilij, familiaritatis*, ac *continuæ* Episcoporum *commensalitatis*, in sacrarum legum fraudem, & contemptum, illegitimè suscipere Ordines. In §. *Hinc est* 6.

ex dictis querelis se motum ait, suorum Prædecessorum, ac Conciliaribus constitutionibus, ac ordinationibus *contra malè promoventes, & promotos editis inhærendo*, easque, quantum opus est, & præsentibus non adversantur, innovando, de Consilio Cardinalium Tridentini Interpretum (qui omnia sua decreta, declarationes, & responsa super præmissis in particularibus casibus edita, ad præsentium limites reducenda esse consueverunt) *motu proprio, ex certa scientia, matura deliberatione, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ad decernenda, & declaranda sequentia* processisse.

2126. Primò igitur in §. *Nulli Episcopo*, decernit, ac declarat, *nulli Episcopo, vel loci Ordinario*, licèt sit Cardinalis, *licere alienum*, seu sibi ratione originis, vel domicilij legitimè contracti (sumendo nomen originis, vel domicilij juxta intelligentiam infrà ponendam *num.* 2124. & 2135.) *non subditum, ad Clericalem tonsuram promovere, sub prætextu ullius beneficij Ecclesiastici*, vel statim eidem, ac tonsurâ insignitus fuerit, conferendi; vel ad quod à Patrono jam præsentatus sit, ac nominatus, licèt primum de novo ea lege fundatum sit, ut quis immediatè post Clericalem characterem in eo instituatur.

2127. Secundò in §. *Præterea*, quòd Clericus, à proprio Episcopo ad Clericalem tonsuram, vel minores Ordines legitimè promotus, non possit ab alieno Episcopo *ad ulteriores Ordines promoveri titulo alicujus beneficij in illius diœcesi obtenti*, nisi ante illorum susceptionem, à proprio Episcopo, *tam* originis, *quàm* domicilij obtineat *testimoniales literas* super suis natalibus, ætate, moribus, & vita, easque Episcopo ordinanti, in actis illius curiæ conservandas, exhibuerit.

2128. Tertiò in §. *licèt verò*, decernit, ac declarat, neminem *titulô beneficij, in aliena diœcesi obtenti*, in ordine ad effectum *suscipiendi Ordines ab illo diœcesano*, ejus jurisdictioni *subditum censeri debere*, nisi illud beneficium sit ejus reditus, ut juxta synodalem taxam, vel ea deficiente, juxta morem originis, detractis oneribus, ad congruam vitæ sustentationem *per se* sufficiat, & *ab ordinando pacificè possideatur*, sublata quacunque facultate supplendi per pingue patrimonium, quod fructibus illius beneficij deficeret.

Quartò in eodem §. Episcopum, in hoc 2129.
prædicto casu, ordinantem, tam de prædictis testimonialibus literis, de quibus in §. *præterea*; quàm de reditibus illius beneficij expressum in consueta collatorum Ordinum attestatione *mentionem* facere teneri.

Quintò in §. *Cæterùm subditus*, decernit, ac declarat, illum tantùm *ad effectum suscipiendi Ordines*, censendum esse alicujus Episcopi *subditum ratione originis*, qui in talis Episcopi diœcesi naturaliter ortus, seu natus est, *non* autem per *accidens*, seu ex accidenti, occasione nimirum itineris, officij, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco. Hinc, si quis in aliqua diœcesi solùm ex accidenti natus, non haberet aliam originem naturalem, vult veram tantùm, & naturalem Patris originem attendi. Si quis autem in eo loco, in quo, ex accidenti, natus est, tanto temporis spatio moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, etiam ab Ordinario illius loci *literas testimoniales*, ut supra in §. *præterea*, obtinere, easque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinũ testimonio similiter recensendas, præsentare teneatur.

In §. *at si Pater*, decernit, ac declarat. 6. si Pater ejus, qui ex accidente in aliquo loco natus est, tamdiu, ac eo animo in illo loco moratus est, ut ibi verè domicilium contraxerit, tunc non originem, sed domicilium Patris legitimè contractum, pro ordinatione talis filij attendendum esse.

In §. *subditus autem*, decernit, ac de- 2130.
clarat. 7. ad effectum recipiendi Ordines, illum tantùm censeri debere *subditum domicilij*; 1. qui, licèt alibi natus sit, tamen adeò stabiliter in aliquo loco illud constituit, ut vel per decennium in habitando; vel duplo majorem rerum suarum partem cum instructis ædibus in illum locum transferendo, ibique per aliquod considerabile tempus commorando, animum suum ibidem perpetuò commorandi, demonstraverit, & jurejurando affirmet, se verè, ac realiter, talem animum habere, idque in utroque casu.

§. *si*

§ *si quis tamen*, ulteriùs decernit 8. eum, qui à propriæ originis loco in ea ætate discessit, qua potuit alicui Canonico impedimento obnoxius fieri, proprij etiam Ordinarij originis suæ testimoniales literas (ut dictum est in §. *præterea*) teneri afferre, & expressam de illis, in literis Ordinum collatorum, mentionem faciendam esse.

§. *ad hæc*, decernit 9. quòd nullus Episcopus familiarem suum, alienæ diœcesis subditum, etiam ad primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat, nisi servatis sequentibus. 1. nisi ordinandus exhibeat testimoniales literas (ut supra in §. *præterea*) à proprio originis, seu domicilij Prælato; 2. nisi talem familiarem per integrum, & *completum triennium* in suo actuali servitio, juxta præscriptum Concilij Tridentini *sess. 23. de reform. cap. 9.* secum retinuerit, ac *suis sumptibus* aluerit. 3. nisi beneficium, quod juxta modum in §. *licèt verò*, præscriptum, ei sufficiat, cessante omni fraude *statim*, hoc est, *intra terminum unius mensis, à die factæ ordinationis reipsa illi conferatur*, facta simul expresa in collatorum Ordinum testimonio *mentione familiaritatis, & literarum testimonialium ab ordinati Prælato originis, seu domicilij.*

1131. §. *Porro*, decernit 10. quòd quilibet Episcopus, suos *ratione originis*, vel *domicilij* Clericos, quomodocunque *ab alienis Episcopis*, quavis authoritate, etiam cum suis commendatijs literis promotos, ad formam *Trid. sess. 14. de reform. cap. 3. examinare valeat* quoad scientiam; ac collatorum ipsis Ordinum testimoniales literas, *gratis tamen*, recognoscere, ac diligenter perquirere, an hujus præsentis constitutionis forma sit adimpleta? assignato illis termino competente, ei magis bene viso, ad docendum de ejusmodi adimplemento. Si verò sic Ordinati, eo termino elapso, id minimè præstiterint, poterit eos à susceptorum Ordinum exercitio, quamdiu ei visum fuerit, suspendere, ac interdicere, ne in Altari, aut in aliquo Ordine ministrent.

§. *Itaverò*, decernit 11. ut, si quid in præmissis, seu eorum aliquo, secus fiat, ordinans quidem *per annum*; ordinatus verò *à susceptorum executione*, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, *eo ipso suspensus sit*, præter alias pœnas etiam graviores, arbitriò Papæ infligendas.

Ad extremum authoritatem, vel facultatem, hanc mentem suam, & constitutionem aliter judicandi, vel interpretandi, omnibus admitit, cujuscunque eminentiæ, & dignitatis, & secus factum irritum, ac inane decernit, non obstantibus quibuscunque sub qualicunque clausula; & statuit, ut hæc constitutio Romæ suis locis affixa, ac publicata, omnes & singulos, quos ea concernit, perinde arctet, ac afficiat, acsi unicuique eorum nominatim, & personaliter intimata fuisset. 1132.

Ex hoc colliges, illum Episcopum, in cujus diœcesi quis natus est solùm ex accidenti v. g. quia parentes ejus illuc venerunt solùm causâ temporalis moræ, negotij, mercaturæ &c. ad effectum conferendi Ordines non censeri Episcopum originis; sic Innocent XI. *in Constitutione; Speculatores*, §. *cæterùm subditus*; excipe, nisi Pater, in tali loco, ex accidente nati, tamdiu, ac eo animo in eo loco moratus sit, ut ibi verè domicilium contraxerit. Sic Innocentius *cit. in* §. *at si Pater supr. in nu.* 2129. Si autem quæras, an quis ordinari possit ab Episcopo *paternæ originis*, in cujus scilicet diœcesi ipsius Parens naturaliter ortus est? Resp. posse, saltem si de filij origine constare non potest per L. *assumptio*, §. *filius*, *ff. ad municipalem*; non tamen, ad hunc effectum, sufficit avi origo, & aliorum ascendentium; ne procedamus usque ad Adam, nec origo Matris *L. 3. C. de municip.* excipe 1. nisi desit, aut non constet de origine Patris; Barbos. *de offic. Episc. allegat. 4. à nu. 15.* excipe 2. nisi sit filius naturalis, & illegitimus; tunc enim non Patris, sed Matris origo inspicitur *L. 1. & 9. ff. ad municipem.* Filius tamen legitimatus per Principem, vel adoptivus, sequitur originem Patris, *gloss. in cit. L. 1. V. Parentibus.* 1133.

Præter hæc not. 1. *expositos*, quorum parentes ignorantur, ordinati posse ab Episcopo loci, in quo nati, vel etiam expositi sunt, quia censentur utriusque loci cives, & originarij; sic Barbosa *cit. n. 17. & 37.* Not. 2. eos, qui *nullius diœcesis* sunt, ordinari posse ab Episcopo viciniore, quem semel elegerunt; vel, de ipsius licentia, 1134.

centia, ab alio ; sic sacra Congregatio apud Piasecium *in praxi p. 1. c. a. 2.* Not. 3. *vagos* ordinandos esse ab Episcopo suæ, vel paternæ originis, si etiam Pater tempore nativitatis ipsorum vagus fuit ; si non possit constare de Patris origine ( ut si & hujus parens tunc, quando iste natus est, vagus fuit ) illi Episcopo censentur vagi tunc subjecti, in cujus diœcesi petunt Ordines ; sic Tiberius *in instruct. ordinand. c. 7. q. 47.* Not. 4. Libertos, seu libertinos ordinari posse ab Episcopo, vel suæ propriæ originis, vel ab Episcopo originis suorum Patronorum, cùm sequantur eorum, & non Patris originem, ut dicitur *cit. L. assumptio*, & tradit Barbosa *cit. nu. 18. & 36.*

## §. II.

## *De proprio Episcopo ratione domicilij.*

2135. EPiscopus proprius *ratione domicilij* est, in cujus diœcesi aliquis sedem fixit animo ibi perpetuò manendi, nisi quid avocet, licèt alibi natus sit, *L. Cives Cod. de incolis, junct. gloss. V. Laicum.* Nam domicilium animô, & factô contrahitur, *L. domicilium, ff. ad municip. junct. gloss. V. facto.* Cæterùm juxta novissimam constitutionem Innocentij XI. §. *subditus autem*, de qua *à num.* 2124. ad effectum recipiendi Ordines, ille tantùm censeri debet *subditus domicilij*, qui, licèt alibi natus sit, tamen adeò stabiliter in aliquo loco illud constituit, ut vel per decennium in eo habitando ; vel duplo majorem rerum suarum partem cum instructis ædibus, in illum locum transferendo, ibique per aliquod considerabile tempus commorando, animum suum ibidem perpetuò commorandi demonstraverit, & jurejurando affirmet, se verè ac realiter, talem animum habere, idque in utroque casu ; ut exposuimus supr. *num.* 2126.

2136. Not. autem 1. quòd filius, manens cum Patre, sortiatur domicilium Patris, si alibi domicilium, seu sedem non figat ; cùm etiam filiusfamilias *pubes*, domicilium sibi constituere possit, *L. Placet, 3. cum seq. ff. ad municip.* Not. 2. quòd filius non amittat domicilium Patris, discedendo ab isto, si retineat animum, ad illum redeundi. Navarr. *lib. 1. Consil. 3. h. t.* Not. 3. non amitti domicilium *originis* per hoc, quòd quis alibi constituat sibi domicilium *habitationis.* Illud enim est immutabile, ac renuntiari non potest, *L. assumptio, cit. ff. ad municip. & L. origine, C. de municip.* Not. 4. ut quis mutet domicilium, non requiri licentiam Episcopi. *c. fin. de Paroch.* & Abbas *ibid. nu. 1.*

## §. III.

## *De proprio Episcopo ratione Beneficij.*

EPiscopus proprius *ratione beneficij*, 2137.
in ordine ad effectum ordinationis activæ, & passivæ, dicitur, in cujus diœcesi aliquis obtinet beneficium Ecclesiasticum, esto alibi habeat originem, vel domicilium. Dixi 1. beneficium *Ecclesiasticum ;* quo nomine non venit præbenda temporalis, nec Capellania non collativa, etiam perpetua, nec etiam beneficium alicui concessum in commendam temporalem ; sic Barbosa *cit. alleg. 4. num. 50.* nec beneficium *exemptum* ab omni jurisdictione Episcopi ; quia sic ratione illius Episcopo subjici non potest ; nec etiam pensio Ecclesiastica, *gloss. in c. 3. h. t. in 6. V. Ecclesiasticum ;* excipe, nisi talis pensio constituta alicui sit in titulum beneficij, Vicariæ perpetuæ, vel commendæ ; sic Layman *lib. tr. 2. cap. 18.* excipe 2. nisi beneficium sit ei concessum in commendam perpetuam, & utilitatem Commendatarij ; sic Barbos. *loc. cit.*

Venit autem hoc loco nomine *beneficij*, 2138.
vi cujus quis ad Ordines *subjicitur* Episcopo, etiam beneficium *manuale ;* Rebuff. *in praxi benefic. tit. de Clericis, & à quibus, nu. 2.* secundò beneficium non exigens residentiam ; Pirhing *hìc num. 34.* tertiò, esto illius beneficij præsentatio, institutio, vel collatio ad alium pertineat, modò quoad jura Episcopalia Episcopo, ejus titulo aliquem ordinanti, subjectum sit. Sic Barbosa *cit. nu. 52.* Addunt aliqui, etiamsi beneficium illud sit tenue, nec sufficiens ad congruam vitæ sustentationem ; sic Barbosa *cit. nu. 44.* sed hoc non ampliùs procedit propter *cit. constitut.* Innocentij XI. ubi §. *licèt verò*, decernit,

nit, ac declarat contrarium, ut habetur supra *nu.* 1228. intellige, ut quis *ad ejus titulum* ordinetur; ut quis Episcopo *subjiciatur*, per ordinem ad recipiendos ordines ab illo, dicatur *subjectus*, ex mente illorum DD. prius, sufficiebat.

Dixi 2. *in cujus diœcesi beneficium obtinet.* Nam non sufficit, *nondum obtentum*, ut constat ex *cit. Constit.* Innocentij XI. §. *nulli Episcopo supr. nu.* 2126. An autem sufficiat sola collatio, sive titulus justus sit sine possessione; vel sola possessio, sine titulo justo? contravertunt aliqui hìc apud Pirhing *nu.* 33. sed hæc controversia dirimitur, ex dictis *nu.* 2128. ubi ex §. *licèt verò*, constat, requiri pacificam beneficij possessionem.

2139. Præter hoc not. *ex dict. supra n.* 2127. *in* §. *Præterea* Constitutionis Innocentianæ, Clericum à proprio Episcopo ad Clericalem tonsuram, vel minores ordines legitimè promotum, non posse ab alieno Episcopo, ad ulteriores ordines, promoveri titulô alicujus beneficij, in illius diœcesi obtenti, nisi ante illorum susceptionem, à proprio Episcopo tam originis, quàm domicilij, obtineat *testimoniales literas* super suis natalibus, ætate, moribus, & vitâ, eásque Episcopo ordinanti, in actis illius Curæ conservandas, exhibuerit.

Not. 2. neminem, titulo beneficij in aliena diœcesi obtenti, in ordine ad effectum suscipiendi ordines ab illo Diœcesano, ejus jurisdictioni *subditum* censeri debere, nisi illud beneficium sit ejus reditus, ut juxta synodalem taxam; vel, ea deficiente, juxta morem originis, detractis oneribus, ad congruam vitæ sustentationem *per se* sufficiat, & ab ordinando *pacificè possideatur*, sublata, quacunque facultate supplendi per pingue patrimonium, quod fructibus illius beneficij deficeret. ex *nu.* 2128.

2140. Præter hæc quæres 1. an ordinatus *ab uno* Episcopo, possit ad altiorem ordinem promoveri *ab alio*, sine licentia prioris? Resp. ordinatum ab uno Episcopo *proprio ratione originis*, posse ordinari ulteriùs *ab alio*, pariter *proprio* ex eodem, vel alio, *titulo* v. g. *domicilij, beneficij*, etiam sine licentia prioris, *c. nullus h. tit. in* 6. extra duos casus; 1. si Clericus in sacris constitutus, à priori ordinatus sit ad certæ Ecclesiæ servitium, vel beneficium, exigens residentiam. Trid. *sess.* 23. *c.* 16. *de reform.* 2. si sit ordinatus ab ipso Papa, *c. cùm in distribuendis* 12. *h. t.* ubi Innocentius III. *Ordinato à Papa*, clementer *indulsit*, ut ordinari ulteriùs posset ab Episcopo Bononiensi, ubi rubrica c. habet, *ordinatus à Papa, sine licentia Papæ, ad Superiores ordines non promovetur.*

Quæres 2. an Clerici *Latini* possint ordinari ab Episcopis *Græcis*, & econtra? 2141. Resp. posse Latinum à Græco, *ritu Latino*; & Græcum à Latino *ritu Græco*; non autem secus, *c. cùm secundùm*, 9. *h. t.* ibi: cùm secundùm regulas Ecclesiasticas; quia verò (sicut dicitur) in partibus Calabriæ, Latini a Græcis, & Græci à Latinis, secundùm alterutrius institutionis observantiam, ordinantur; *nolumus de cætero, commixtiones, & consuetudines rituum in ordinibus* observari. Not. autem, Græcos Episcopos non servare ritum Latinum, *non ordinandi extra quatuor tempora*; glossa *hìc, in casu dict. c.* Unde nullus Latinus Episcopus, suo subdito Latino, dare potest licentiam, recipiendi ordines à Græco, illo ritu; Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 48. *q.* 14.

Quæres 3. an Episcopi Italiæ possint 2142. ordinare ultra montanos? Resp. quòd non possint sine licentia Papæ, vel literis dimissorijs proprij Ordinarij, *c.* 1. *h. t. in* 6. ubi nota, quòd hæc constitutio loquatur de Clerico *ultramontano*, non ordinando, & de Ordinario originis; sed Urbanus VIII. *in Constitut.* editâ. 11. *Dec.* 1624. *incip. secretis*, apud Barbos. *in cit. c.* 1. *motu proprio*, eandem prohibitionem innovat, & extendit etiam ad primam tonsuram, & minores ordines; & loquitur indefinitè de dimissorijs Ordinariorum.

Quæres 4. quid observandum Episcopo, in ordinatione suorum *familiarium*? 2143. circa præsentem quæstionem constat ex dictis supra in §. *ad hæc, n.* 2130. nimirum à nullo Episcopo, familiarem suum alienæ diœcesis subditum, promoveri posse, vel rodinari etiam ad primam tonsuram, nisi ordinandus exhibeat testimoniales literas à proprio originis, vel domicilij Prælato, juxta dicta *nu. citato*; 2. nisi talem familiarem per integrum, & completum triennium, in suo actuali servitio (juxta Trid. *sess.* 23. *de reform. c.* 9.) secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; ac demum,

nisi Beneficium, quod ei juxta modum in §. *licèt verò* supra *n.* 2128. sufficiat, & cessante omni fraude, *statim* (hoc est intra terminum unius mensis, à die factæ ordinationis) re ipsa conferatur, factâ simul *expressâ*, in collatorum ordinum testimonio, *mentione familiaritatis, & literarum testimonialium ab Ordinati Prælato originis, seu domicilij.*

## ARTICULUS IV.

### *De Literis Dimissoriis.*

2144. SUppon. quòd nullus ordinari possit ab alio Episcopo, sine licentia proprij Episcopi, c. *Episcopum* 9. *q.* 2. quod desumptum est ex CC. Antiocheno *c.* 12. ubi dicitur: *Episcopum non debere in alienam irruere civitatem, quæ probatur non esse subjecta; neque in Regionem, quæ ad ejus curam minimè noscitur pertinere, ad aliquid ordinandum;* neque Presbyteros, aut Diaconos constituere, ad alios Episcopos pertinentes, nisi fortè cum voluntate, & testimonio propriæ regionis Episcopi: item c. *nullus* 4. *h. t. in* 6. ibi: *Nullus Episcopus*, vel quivis alius, infanti (nisi fortè Religionem intraret) seu illiterato, sed nec *absque sui Superioris licentia, homini diœcesis alienæ, Clericalem præsumat conferre tonsuram*: nec etiam conjugato, nisi volenti Religionem intrare, aut ad Sacros Ordines promoveri: *prout est Sacris Canonibus definitum.* Qui verò contra fecerit (ut in eo, in quo peccaverit, puniatur) per unum annum à collatione Clericalis tonsuræ duntaxat noverit se suspensum. Hæc autem licentia communiter scriptô dari solet (quamvis, *ut in scripto detur*, absolutè non requiratur, juxta Trid. *Sess.* 14. *c.* 7. *de Reform.*) excepto casu, qui ponitur *in c.* 1. *h. t. in* 6. per *literas autem dimissorias*, ea licentia, *scripto data*, intelligitur. Dimissoriæ istæ vocantur etiam *Reverendæ*, à Persona Reverendissima dantis, Trid. *Sess.* 7. *c.* 10. *de Reform.* interdum etiam *Testimoniales*, seu *commendatitiæ*; Trid. *Sess.* 14. *c.* 2. *&* 3. *eodem*, & expressius *c.* 1. *dist.* 73. quia per tales literas commendantur mores, probitas, & scientia ordinandi; vel de his, quæ ad Ordines pertinent, testimonium datur.

2145. Not. autem 1. quòd ex novissima Constitut. Innoc. XI. §. *præterea*, sub gravi pœna constitutum sit, ut Clericus ad primam tonsuram, vel minores Ordines legitimè promotus, non promoveatur ab alio Episcopo ad ulteriores Ordines, *titulo beneficij, in ipsius Diœcesi obtenti*, nisi ante illorum susceptionem exhibeat à proprio Episcopo tam originis, quàm domicilij, testimoniales literas, super suis natalibus, ætate, moribus, & vita; de quo V. num. 2127. Not. 2. quòd easdem Testimoniales literas ordinanti præsentandas exigat Innocent. in §. *Cæterùm subditus*, si ordinandus, ex accidenti natus in aliquo loco, tanto temporis spatio ibidem moram traxit, ut potuerit ibidem aliquo Canonico impedimento irretiri, ut constat ex §. *si quis n.* 2130. intellige, testimoniales dandas ab Ordinario loci, talis accidentalis Nativitatis: idem est, si quis à propriæ originis loco, in ea ætate discessit, qua impedimento Canonico potuit obnoxius fieri, ut habetur *in eadem Constit.* §. *si quis tamen. n.* 2130.

Quæstio autem est 1. quinam dare pos- 2146.
sint literas dimissorias, & quibus? &. hanc potestatem competere summo Pontifici, respectu omnium Christianorum. *c.* 1. *h. t. in* 6. secundò, Legatis à latere; sic Tiberius *cit. c.* 7. *q.* 5 1. intellige, *subditis suæ legationis*: tertiò, Episcopo proprio, vel ratione originis, vel ratione domicilij, vel ratione Beneficij secundùm priùs dicta, c. *cùm nullus h. t. in* 6. ibi: cùm nullus Clericum, *paræciæ alienæ*, præter Superioris ipsius licentiam, *debeat ordinare*: Superior intelligitur in eo casu Episcopus, de cujus diœcesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus diœcesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet (licèt alibi natus fuerit) domicilium in eadem: quartò Prælatis Episcopô inferioribus, sive Regularibus, sive sæcularibus, non tamen alijs, nisi suis subditis; sed non ad alium Episcopum, quàm in cujus diœcesi sunt, etiamsi cæteroquin ab eo sint exempti; nisi habeant ex consuetudine legitima, vel privilegio, dimittendi suos *ad quemcunque* Episcopum Catholicum, c. *cùm nullus h. t. in* 6. §. *Inferiores, junct. gloss. V. Prælati, & V. Episcopo*; Trid. *Sess.* 23. *c.* 10. *de Reform.* Excipe Prælatos inferiores, *exemptos*, habentes in aliquo loco *Jurisdictionem ordinariam,*

*riam, quasi Episcopalem*, privativè ad Episcopum; sic Pirhing hìc *n.* 56. §. *quòd sitamen.*

2147. Quæstio est 2. an Archiepiscopus dimissorias dare possit subditis suorum Suffraganeorum? Rz. negativè ex c. *cùm nullus h. t. in* 6. ibi: Cùm nullus Clericum parœciæ alienæ, *præter Superioris ipsius licentiam*, debeat ordinare; *Superior* intelligitur in hoc casu *Episcopus, de cujus diœcesi est is*, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus diœcesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet (licèt alibi natus fuerit) domicilium in eadem.

2148. Quæstio est 3. an dimissorias dare possit Episcopi Officialis, seu Generalis Vicarius? Rz. non posse, nisi ad hoc habeat *specialem* facultatem ab Episcopo suo, vel hic sit in remotis partibus, ut ait textus *in cit. c. cùm nullus* 3. *junct. gloss. V. Extendat*; vel succedat prioribus Vicariis, dimissorias concedere solitis, & bona fide putet, id etiam sibi competere. Pirhing hìc *n.* 57. *in fine.* Textus *cit. c.* §. *Inferiores*, sic habet: *inferiores quoq. Prælati, Religiosi, vel alij*, nisi eis quòd suos Clericos, aut subditos, possint, à quo voluerint, Episcopo, facere ordinari, à Sede Apost. specialiter sit indultum: vel *Officiales Episcopi* (cùm ad hoc se ipsius Officium non extendat) *hujusmodi nequeunt licentiam impartiri.* Episcopo autem *in remotis agente*, ipsius in Spiritualibus *Vicarius Generalis*; vel, Sede vacante *Capitulum*, seu is, ad quem tunc temporis administratio Spiritualium noscitur pertinere, *dare possunt licentiam ordinandi.*

Dicitur autem Episcopus *in remotis esse*, si sit extra provinciam, seu diœcesim ultra duas, aut unam diœtam. Deinde *dimissorias* dare non potest, *Archidiaconus*, etiam in absentia Episcopi, licèt sit ejus Vicarius, *ipso jure*, si non habeat vel *speciale mandatum*, vel tale jus *ex legitima consuetudine*, *gloss. in c. significásti* 6. *de Offic. Archidiac. V. Literas*: sic enim in cit. c. 8. loquitur Innocentius III. *interdicas Archidiacono tuo, ne sine conscientia tua, & auctoritate, literas suas promovendis concedat*; & eis, etiam districtè, prohibeas, ne ad Ordines audeant convolare. Qui, si contra prohibitionem tuam venire præsumpserint, executionem eis Ordinum susceptorum totaliter interdicas.

Quæstio est 4. quid in hoc possit *Capitulum Sede vacante*? Rz. quòd Capitulum Cathedrale, Episcopali Sede vacante, vel Vicarius à Capitulo deputatus ad Spiritualem administrationem, olim dare poterat dimissorias *cit. c. cùm nullus*, §. *Episcopo*: nunc autem, *jure novo*, Trid. *Sess.* 7. *c.* 10. *de Reform.* non intra annum, à die vacantis Ecclesiæ, ne quidem ad primam tonsuram, exceptis casibus, de quibus infrà *num. seq.* quod verum est, licèt habeat proprium territorium, etiam exemptum, & jurisdictionem ordinariam; sic declaratio Cardinalium, & Quaranta V. *Capitulum, Sede vacante.* 2149.

Casus autem excepti sunt; si quis esset *arctatus* ratione Beneficii recepti, vel recipiendi, exigentis Ordines in Beneficiato; ut, si cui collatum esset Beneficium curatum; vel quis esset præsentatus, aut electus ad Beneficium vacans; non autem aliter; sic Garcia *de Benefic. c.* 7. *à n.* 98. post annum autem lapsum, à die Ecclesiæ vacantis, liberè dare potest dimissorias suis, etiam non arctatis; & testimoniales de vita, & moribus, etiam intra illum annum, quia in hoc jus antiquum per Tridentinum non est immutatum: idem potest Vicarius Capituli, Sede vacante datus. Potest etiam alteri Episcopo Capitulum Sede vacante dare licentiam, in Ecclesia vacante exercendi Pontificalia, etiam ordinandi; sed habentes licentiam Ordines recipiendi ab alieno. 2150.

## ARTICULUS V.

### *De Titulo, qui requiritur ad recipiendos Ordines.*

NUllum ad Sacros Ordines promoveri debere, nisi exhibeat, sibi de sufficienti titulo, seu perpetua vitæ sustentatione provisum esse, constat ex *c.* 1. *&* 2. *dist.* 70. *c.* 2. 4. 16. *&* 23. *de præbend. & c. si Episcopus.* 37. *eod. in* 6. quod sic habet: si Episcopus, cui nullis personis expressis in genere commisisti, ut vice tua Ordines in tua Diœcesi celebraret, ad Sacros Ordines promoverit quempiam *titulum non habentem*: ei (cùm in culpa fuerit, taliter ordinando eundem) tenebitur vitæ ne- 2151.

cessaria ministrare, donec sibi per eum, vel alium, de competenti Beneficio sit provisum. Si verò certas commisisti eidem ordinare personas, tu (qui prævidere hoc casu, *an haberent titulum?* debuisti) taliter ordinato ad prædicta, donec per te Beneficiatus fuerit, obligatus existis. Eis autem, quibus à Diœcesanis datur licentia, ut possint, à quo voluerint, Episcopo ad omnes Sacros Ordines promoveri: *non qui ordinant, sed qui tribuunt licentiam* (*cùm eam dare non debeant titulum non habenti*) ad præmissa, *si titulum non habeant*, obligantur; Trid. *Sess. 21. c. 1. de Reform.* cujus hic tenor est:

2152. Cùm non deceat, eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere: compertúmque sit, complures plerisque in locis ad Sacros Ordines, nullo ferè delectu, admitti, qui variis artibus, ac fallacijs confingunt, *se Beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere*: statuit Sancta synodus, *ne quis deinceps Clericus sæcularis*, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientiâ, & ætate, *ad Sacros Ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet, Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere.* Id verò Beneficium *resignare non possit*, nisi facta mentione, quòd *ad illius Beneficij titulum* sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quòd aliunde vivere commodè possit: *& aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium* verò, vel *pensionem obtinentes*, ordinari posthac non possint, *nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum*, eo quoque *priùs perspecto*, patrimonium illud, vel pensionem, verè ab eis obtineri, taliáque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint: atque illa deinceps, *sine licentia Episcopi*, alienari, aut extingui, vel remitti, nullatenus possint; donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint: antiquorum Canonum pœnas super his innovando; quibus juribus suppositis, pro fundamento dicendorum in *seqq.* nota, quòd *Titulus* ille, communiter vocari soleat *titulus mensæ*; hic porro titulus triplex sit, Beneficii Ecclesiastici, patrimonij, & Religiosæ paupertatis.

## §. I.

## *De Titulo Beneficij.*

PRimum est, ut quis ordinari possit *ad titulum* Beneficij Ecclesiastici, requiri, quòd sit Beneficium certum, ac perpetuum, patet ex *cit. c. si Episcopus.* 2. quòd sufficiant fructus ejus ad decentem Clerici sustentationem, ut loquitur Trid. *cit.* 3. quòd sit actu collatum, & pacificè à Clerico possessum; sic communis. 2153.

Circa hæc not. 1. Beneficium aliter considerari, ut quis ejus titulo *fiat subditus Episcopi*; aliter, ut *ad ejus titulum quis ordinetur.* Ad illud plura requiri constat à *n.* 2137. *& seqq.* & sufficere etiam Beneficium manuale ex *n.* 2138. secus, ad istud. Nam Beneficium, ad cujus titulum quis ordinatur, debet esse perpetuum ex *priori num.* 2154.

Not. 2. ut quis *ad titulum* Beneficij ordinetur, non sufficere titulum Beneficij, stipendij ab Episcopo assignandi super fructibus suæ mensæ Episcopalis; cùm morte concedentis extinguatur, nec in præjudicium Successoris gravari potuerit: secus est, de titulo Capellaniæ, vel Coadjutoriæ, si ex concessione Papæ sit irrevocabilis; quia sic ei provisum est *ad dies vitæ*; quod etiam procedit de pensione perpetua, sed ad sustentationem sufficiente. 2155.

Not. 3. hanc sufficientiam *Beneficij*, ad congruam sustentationem, non æqualiter ab omnibus exponi. Pirhing hìc *n.* 70. dicit, sufficere, *si cum patrimonio certo, ac stabili præbeat sufficientem alimoniam Clerico*; imò aliqui dicunt, sufficere, si Beneficij fructus tanti sint, ne Clericus, ad illud ordinatus, mendicatô vivere debeat; sic Patisius *l. 5. c. 6. q.* 155. Verùm Concilium Trid. *cit.* requirit sufficientiam *ad commodam*, hoc est, *honestam* (quæ scilicet qualitatem Personæ talis Clerici deceat) *sustentationem*: in praxi autem, ut vult Pirhing *cit. n.* 71. sufficere, quòd Beneficium sit actu collatum, & sine conditione acquisitum, etiam possessione nondum accepta, sed mox accipienda; quod etiam docet Rodriquez *p. 2. c. 5. q.* 10. Layman *in cit. c. Episcopus, de præbend*: sed quoad hoc, propter novam constitutionem Innocentij XI. videatur *§. licèt*, in *n.* 2128. ubi longè aliud constitutum est. 2156.

Ex

2157. Ex dictis colliges 1. non posse aliquem ordinari *ad titulum Beneficij de futuro obtinendi*; quia Concilium requirit Beneficium *actu collatum*. Colliges 2. posse quem ordinari in Subdiaconum, vel Diaconum, *ad titulum Beneficij actu collati*, esto fructus ei non currant, nisi adepto Presbyterio. Colliges 3. posse quem ordinari ad servitium *perpetuum* alicujus Ecclesiæ vel Altaris, ad quod cum consensu Episcopi, vel alterius Prælati deputatus est, ut inde ali debeat, donec aliam sufficientem sustentationem habeat; sic Zerola *in praxi Episcoporum* V. *dimissoriæ*, *in Respons. ad* 5. & colligitur ex Trid. *Sess.* 23. *de Reform. c.* 16. ubi dicitur, *quòd nullus debeat ordinari*, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, Sancta synodus, vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus inposterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, ne incertis vagetur sedibus. Quòd si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur; idem est de reditibus alicujus Seminarij ad serviendum in Beneficio illi unito, juxta declarat. S. Congreg. apud Garciam *p.* 2. *de Benefic. c.* 5. *n.* 104. Citatum porro decretum Tridentini, *de non ordinandis*, nisi qui Judicio sui Episcopi *utiles*, ac *necessarij* Ecclesiæ, vel loco, pro cujus utilitate, vel necessitate assumuntur, adscribantur, ubi suis funguntur muneribus, ne incertis vagentur sedibus, executioni datum, maximæ utilitatis foret, & necessitatis; ne tot, *in Sacris Ordinati*, exigua statûs Clericalis commendatione, vagi, ac otiosi Presbyteri darentur.

## §. II.

## *De Titulo patrimonij.*

2158. CUm in c. *Episcopus*, *de præbend.* dicatur, Clericum in Sacris ordinari non debere, *sine titulo*, nimirum beneficij, *nisi bona patrimonialia habeat*; deducitur, hæc, si ad comodam vitæ sustentationem, sufficiant, æquiparari *titulo*, quoad effectum Sacrorum Ordinum eo titulo recipiendorum; non tamen, nisi Episcopus judicaverit, illos esse assumendos pro necessitate, vel utilitate suarum Ecclesiarum, ut dicitur in Trid. *sess.* 21. *de reform. c.* 2. de quo *supra nu.* 2157.

Notand. autem, hanc *utilitatem* sufficienter haberi, si, ordinandi *ad patrimonium*, sint viri docti, & probatæ vitæ; sic Garcia *cit. nu.* 74. Not. 2. nomine *patrimonij* hìc venire *bona propria Clerici*, sive illa habeat à parentibus, sive suo labore, sive donatione, aut quovis alio justo titulo. 2159.

Not. 3. ut bona patrimonialia censeantur *sufficientia* ad decentem vitæ sustentationem, requiri. 1. quòd sint *bona certa*; nam de incertis ferri nequit judicium sufficientiæ; 2. ut sint immobilia, vel, si mobilia sint, in immobilia convertantur; mobilia enim rarò sunt perpetua; sic Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 4. *q.* 7. 3. ut sint *libera*, hoc est, non obligata, ære alieno, vel censu annuo, dote &c. alias enim facilè à Creditoribus auferuntur; sic Ugolinus *de offic. Episcopi c.* 26. §. 11. *nu.* 3. 4. ut sint *frugifera*, dando scilicet ordinato annuum reditum. Nam idem est, *rem non habere*, *& habere inutilem*, ut dicitur *L. quoties* 6. *ff. qui satisdare cog.*

Not. 4. ordinatum *ad titulum patrimonij*, non posse hoc alienare, sine consensu Episcopi, nisi priùs ipsi Clerico, quoad decentem sustentationem stabilem, aliunde sit provisum; sic Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. quod retulimus supra: alienatio autem, secus facta, est ipso jure irrita; sic Pirhing *cit. nu.* 72. §. *porrò*. Advertendum autem, quamvis ordinatus *ad titulum patrimonij*, postquam aliunde habet, quo perpetuò decenter vivat, non possit illi *sine consensu Episcopi* renuntiare juxta Barbos. in c. *Tuis quæstionibus*, 23. *de præbend. nu.* 9. contrarium tamen etiam probabile esse; quia tunc cessat finis dispositionis in contrarium in Trid. quod solum requirit consensum Episcopi, *nisi aliunde illi provisum sit*; sic Filliucius *tom.* 3. *tr.* 41. *c.* 1. *num.* 5. Si autem titulus, ad quem quis ordinatus fuit, perit casmate, vel alluvione, Episcopus, promoto tenetur providere, nisi aliunde juvari possit; sic Barbos. in c. *Tuis quæstionibus.* 23. *de præbend. nu.* 4. Clericus autem ordinatus ad suum patrimonium, in hoc gaudet privilegiò immunitatis *Ecclesiasticæ*, ut ex jis non 2160.

tenetur solvere Gabellas; ita Sanchez *in moralib. tom. 2. lib. 7. c. 1. dub. 36.*

2161. Not. 5. *ad titulum patrimonij* etiam revocari *titulum* pensionis, seu decentis sustentationis, à quocunque etiam Laico, alicui resignata, donec ordinato, aliunde sit provisum de sustentatione commoda *ad dies vitæ*; sic Trid. *loco cit.* ad hoc autem à Tridentino requiritur, quòd ordinatus illam pensionem verè obtineat; ex usu tamen, & praxi sufficit cautio hypothecaria, per quam assignetur res certa, eaque libera, & frugifera, ut ordinato competat jus reale percipiendi suam congruam sustentationem. Hæc porro cautio præstanda exigi debet à privatis personis ordinando dantibus titulum mensæ. Si autem sint Principes, Magnates, sufficit simplex cautio instrumentaria; qua se obligent, ad sustendandum talem Clericum ad dies vitæ ejus; vel dum super hoc aliunde illi provisum sit; vel, si contingat eum indigere.

## §. III.

### *De Titulo Religiosæ paupertatis, seu professionis in Religione approbata.*

2162. COmmunis doctrina est, Religiosos, validè professos in Religione approbata, sine alio titulo posse ordinari ad titulum *suæ professionis Religiosæ*; hoc enim intelligitur per titulum paupertatis. Nam in illis professio subit titulum beneficij, c. 1. *dist.* 70. & Religio tenetur alere suum Religiosum: Religiosi autem non professi, sine titulo (nimirum alio, quàm *professionis*) non sunt promovendi ad Sacros Ordines, sicut alij Clerici non Regulares, ex *Constit.* Pij V. incip. *Romanus Pontifex*; quod etiam procedit de professis invalidè.

Verùm, hoc postremum habet duas exceptiones. Prima est, quòd, non obstante illa Constitut. Pij V. Religosi Societatis Iesu, hoc ipso, quòd post biennium Novitiatûs emiserint tria vota Religionis, etsi simplicia, etiam ante solennem professionem, sine alio titulo promoveri possint ad omnes Sacros Ordines ex Concess. Gregorij XIII. facta ult. Febr. 1573. quam sua constitutione confirmavit Gregorius XIV. 30. Aug. 1591. altera est, quòd etiam, sine alio titulo, similiter ordinari possint Alumni Pontificij, qui in Seminarijs aluntur, studiorum causâ, per Bullam Greg. XIII. datam 25. Septembr. 1584. V. Barbosa *in Trid. sess. 21. de refor. c. 2. nu. 6.* ubi sic ait: *Gregorius XIII. in const. sua* incip. *Ascendente, sub dat. Kal.* Junij 1584. *concessit Societati IESU, quòd, qui tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, in Societate, emiserunt, de licentia Præpositi Generalis, possint promoveri ad Sacros Ordines, absque titulo, etiam ante solennem professionem emissam, si modò sint ætate, moribus, & doctrina idonei, non obstante dicta constitutione Pij V. quæ hoc decretum ad Religiosos non professos extendit, fortasse quia cognoscebat, illo prædictæ Societatis Patres ligari, eò quòd, etsi veri dicerentur Religiosi, tantùm simplicia vota emittebant.*

Si dicas: ergo si qui Regulares, solo titulo suæ professionis, vel votorum Religiosorum, in Sacerdotes ordinati, justis de causis Religione dimittantur, vel ejiciantur, Religio tenebitur illis, si pauperes sint, præstare alimenta: affirmativam tenet Barbosa *loc. citato*, sic loquens: *unde si contingat è Societate, quem ejici in sacris jam constitutum, & carentem beneficiô, tunc Prælatus ejusdem Societatis de honesto victu saltem de reditu 40. scutorum annuorum, illi providere debet, donec sufficiens beneficium fuerit assecutus;* ita Marchin. *dict. c. 5. n. 5. ego ipse d. p. 2. alleg. 19. n. 17.* sed fallitur; nam, etsi verum sit, quosdam, sic dimissos sæpius id ursisse apud Congreg. Cardin. Concilij Trid. interpretum; semper tamen ab eadem Congregatione responsum est negativè; &, facta Sanctissimo relatione hujus responsionis, sua Sanctitas responsum approbavit; ut recentissimè factum ab Innocent. XII. 4. Jun. 1696. in causa Panormitana, *prætensæ congruæ.* 2163.

Quare omnino negandum est, extare ullum decretum Congregationis Cardinalium, statuens, *annua 40. scuta aurea, esse à Societate pendenda Sacerdotibus pauperibus, ab ea dimissis*; & quod reperitur in dubijs Nicolai Ormaneti, quæ ad suimet instructionem Anno 1567. Francisco Cardinali Alciato proposuit, inter quæ etiam illud fuit, *an dimissis ea 40. scuta pendenda forent?* quod ipse putavit *debere*, esse solùm in calce eorum dubiorum

anno-

annotatum *privato illius sensu, non Congregationis;* nec ullibi etiam reperiri, post diligentissimam inquisitionem, declarationem Sixti V. ex qua loquitur Molfesius, & Barbosa, *de dandis annuatim* 40. *scutis à Societate dimissis*; ideóque declarationem illam, esse veritate alienâ, & merum commentum; sic Typo expressum est Romæ in Typographia Reverendæ Cameræ Apost. Superiorum facultate anno 1696. id quod ego ipse habui, & legi.

## ARTICULUS VI.

### *De loco Ordinationis.*

2164. QUantùm pertinet ad quæstionem, *ubi*, seu *quo loco* fieri possit ordinatio? responsio communis est, *primam tonsuram, & minores Ordines* conferri posse quovis loco decente v. g. in domo Episcopali, c. *quando, & ubi dist.* 75. ibi: *quando & ubi libitum fuerit*; & licèt hoc c. numeretur inter *paleas*; idem tamen dicitur in ordine Romano, c. *de gradibus Ecclesiæ. Majores* autem *Ordines*, spectata consuetudine, conferri posse in qualibet Ecclesia intra diœcesin ordinantis; sic Henriquez *in summa lib.* 10. *c.* 11. *nu.* 3. non tamen extra Ecclesiam, nec extra propriam diœcesin, nisi cum licentia illius diœcesani; quo casu, ordinans extra suam diœcesin, poterit ordinare suos; item subditos Episcopi, in cujus diœcesi de ipsius licentia ordinat. Trid. *sess.* 6. *c.* 5. *de reform.* ibi: *nulli Episcopo liceat*, cujusvis privilegij prætextu, *Pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personis eidem Ordinario subjectis tantùm*; sic secus factum fuerit, *Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati, ab executione Ordinum, sint ipso jure suspensi*; excipe, nisi alij non subditi, habeant dimissorias generales, ut colligitur ex *eod. Trid. c.* 11. ibi: *facultates de promovendo à quocunque*, non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à proprijs Episcopis ordinari non possint, literis exprimendam: & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua diœcesi residente, *aut pro eo Pontificalia exercente*, & diligente prævio examine.

2165. Sed quæres 1. an Episcopus A. ordinans in aliena Diœcesi Episcopi B. possit de hujus licentia ordinare alienum, legitimè dimissum, non generaliter, sed particulariter, ut ordinari possit ab Episcopo B? Resp. mihi probabiliùs esse, *quòd non.* Nam delegatus ad causam particularem non potest subdelegare, ut constat ex gloss. *in c. cùm causam* 62. *de appellat. V. delegatus* (ibi: cùm non nisi delegatus à Principe causam alij valeat delegare) Episcopus autem, ad quem alienus subditus specialiter dimittitur ad Ordines ab eo recipiendos, est delegatus ad unam tantùm causam.

Quæres 2. an Episcopus, in aliena diœ- 1266.
cesi, possit suo subdito conferre primam tonsuram, sine licentia Episcopi alieni? affirmativam sequitur Azor *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 48. *q.* 5. quia non est exercitium Pontificalium, quod prohibetur Episcopis in aliena diœcesi, sine licentia Ordinarij in tali diœcesi, Trid. *sess.* 14. *c.* 2. *de reform.* ibi: Nemo Episcoporū, *qui Titulares vocantur*, etiamsi *in loco* nullius diœcesis, *etiam exempto*, aut *aliquo monasterio*, cujusvis ordinis, resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegij *sibi de promovendo quoscunque, ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum*, etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatis suæ, *absque sui proprij Prælati expresso consensu, aut literis dimissorijs, ad aliquos sacros, aut minores Ordines*, vel *primam tonsuram promovere, seu ordinare valeat*: contra faciens, *ab exercitio Pontificalium per annum*; taliter verò promoti, *ab executione Ordinum sic susceptorum*, donec suo Prælato visum fuerit, *ipso jure sint suspensi.* Verùm *cùm dare primam tonsuram*, sit actus Pontificalis, esto interdum sine insignibus celebretur (cùm jure communi, & ex prima institutione sua solis Episcopis competat) Resp. probabiliorem esse negativam; ita Sanchez in *opusc. moral. tr.* 2. *c.* 1. *d.* 20. *nu.* 35.

Quæres 3. an Episcopus possit ordina- 1267.
re, vel Pontificalia exercere *in loco exempto, sine licentia Episcopi*, in cujus diœcesi, saltem materialiter, & physicè, existit ille locus exemptus? communis responsio est negativa ex *declarat. Cardinal. ad sess.* 6. *de reform. c.* 1. *declarat.* 2. *&* 3. §. *nec etiam potest*; sic Barbosa *de offic. Episcopi*

*scopi p. 2. allegat. 6. nu.* 12. nec quidem de licentia Prælati, qui præest ei loco exempto, ut notat idem *nu.* 11. Videri tamen posset, quòd sic; quia *locus exemptus ab Ordinario*, in ordine ad juris effectus, & dependentiam ab illo, *non est de illius diœcesi.* Nam si locus exemptus sit extra diœcesin, seu nullius diœcesis, potest, *de licentia tamen Prælati*, vel Superioris, qui tali exempto loco præest, ut constat ex *cit. declaratione 3. ad cit. c. 5. Concilij Trid.* ubi dicitur, sic Greg. XIII. declarâsse; at illi æquivalet locus exemptus; V. super hoc infra dicenda *à nu.* 2794.

2168. Quæres 4. an in loco vel specialiter, vel generaliter interdicto? R. negativè. Nam interdictum omnem Sacramentorum usum prohibet, illis tantùm exceptis, qui specialiter in jure excepti sunt; sic Barbos. *cit. allegat.* 11. *nu.* 21. at ordinum collatio nullibi in jure excepta reperitur.

## ARTICULUS VII.

### *De Temporibus Ordinationum.*

2169. QUæstio est, quibus temporibus Ordines licitè conferantur? Resp. *primam tonsuram* non esse alligatam certo tempori, ut generali consuetudine observari refert Fagnanus in c. 3. *h. t. n.* 4. Minores Ordines conferri posse non tantùm in ordinationibus generalibus, sed etiam quovis *die Dominico*, vel *festo*, saltem non multis, *c. 1. & 3. h. tit. junct. gloss. V. aut duos*, circa quod attenditur rectè consuetudo loci. Et hoc probabiliter etiam procedit de Abbatibus, qui suos tondere, & in minoribus ordinare possunt; Pirhing *hic nu.* 78. §. *not.* 2. Ad sacros autem Ordines nullus, præter Romanum Pontificem (*secluso privilegio speciali*) ullum, etiam subditum, de jure promovere potest *extra tempora à jure statuta*; hæc autem sunt Sabbatha quatuor temporum, Sabbathum ante Dominicam Passionis, & Sabbathum ante Dominicam Resurrectionis Dominicæ *c. de eo 3. h. t.* ubi Alexander III. Episcopo Herfordensi scribit: de eo autem, quod quæsivisti, *an liceat, extra jejunia quatuor temporum*, aliquos in ostiarios, Lectores, Exorcistas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere? taliter Respond. *quòd licitum est Episcopis, Dominicis, & alijs festivis diebus, unum, aut duos, ad minores Ordines promovere*; sed *Subdiaconatum, nisi in quatuor temporibus, aut Sabbatho sancto, vel Sabbatho ante Dominicam de Passione, nulli Episcoporum (præterquam Romano Pontifici) licet aliquos ordinare*; & consuetudo contraria, tam inducta, quàm inducenda, reprobatur c. *sanè 2. h. t.* ibi: sanè super eo, *quod moris esse dixisti in Ecclesijs quibusdam Scotiæ, verùm & Valliæ in dedicationibus Ecclesiarum, vel altarium, extra jejunia quatuor temporum, Clericos ad sacros Ordines promovere*: significamus, quòd *consuetudo illa* (utpote institutioni Ecclesiasticæ inimica) *est penitus improbanda*: &, nisi multitudo, & antiqua consuetudo terræ esset, *taliter ordinati non deberent permitti in susceptis ordinibus ministrare: nam apud nos sic ordinati deponerentur, & ordinantes privarentur auctoritate ordinandi.*

Not. autem 1. ubi consuetudo est, primam tonsuram, & minores Ordines, tempore Ordinationum generalium conferri, etiam posse præcedenti feriâ sextâ, vel quartâ ad vesperam quatuor temporum; sic Barbos. *cit. allegat.* 11. *n.* 17. quamvis secluså consuetudine minores conferri aliàs debeant *mane*, juxta Pontificale Romanum; nec requiri, ut prima tonsura, & quatuor minores Ordines conferantur ab ordinante, dum est jejunus; nec, ut sub Sacrificio Missæ Barb. *cit. nu.* 10. Not. 2. quando diximus permitti, ut minores Ordines conferantur *quovis die dominico*, vel *festo*, per *festum*, hìc intelligi, velle Pirhing *cit.* §. 3. festum non chori tantùm, sed quod in foro externo à populo quoque celebratur, saltem in particulari Ecclesia; dicentem, sic declaratum à Sacra Congreg. Concilij apud Fagnan. in c. 3. *h. t. n.* 42. *V.* quæ dicam *à nu.* 2182. 2170.

#### §. I.

#### *An extra tempora, jure statuta, promoveri possint Regulares ex privilegio?*

IN *nu.* 2169. diximus, nullum, etiam subditum, ab ullo, nisi summo Pontifice, promoveri posse ad sacros Ordines *extra* tempora à jure præscripta *secluso privilegio speciali.* Hoc intelligendum est, *specta-* 2171.

*spectato jure communi.* Nam de privilegio, & ex concessione speciali, bene possunt Ordines, *etiam sacri*, etiam *extra* tempora à jure statuta, conferri taliter privilegiatis. Tale privilegium habent Religiosi Societatis Iesu, ut facultate Præpositi Generalis, *extra tempora à jure statuta*; & ex facultate Provincialis, *non servatis interstitijs*, ad sacros Ordines promoveri possint, & quemlibet Episcopum requisitum Ordines conferentem, obligatum esse, huic dispensationi acquiescere; sic Gregorg. XIII. *in Constit. Pium, & utile*, ubi præcipit, *ne Episcopi, ob Tridentini decreta, à nostris observantiam interstitiorum, & aliorum, quæ suscipiendis ordinibus requiruntur, exigant.* Sic complures, præsertim Castropalaus *p. 4. tr. 27. D. unic. p. 13. à. n. 11.*

2172. Not. autem 1. hoc Privilegium, Societati concessum, non competere aliis Religiosis, causâ communicationis, esto in alijs Privilegijs communicent cum Societate; patet ex *cit. constit. Greg. XIII.* ibi: *præsentis autem gratiæ communicationem, omnibus alijs, etiam qui sua Privilegia cum Societate copiosè participant, participareq́, poterunt, quomodolibet in futurum fieri, omnino prohibemus.*

2173. Not. 2. quòd Innocentius XII. (postquam particularis Congregatio à Sanctissimo deputata 14. Decembr. 1695. decretum edidit super moderatione indultorum, suscipiendi Ordines extra tempora à Jure statuta) facta ad se relatione 17. Aug. 1695. hujus quæstionis: *an in eo, etiam Clerici Societatis, comprehendantur?* factaque prævia declaratione *quòd in eo decreto non comprehendantur Clerici Societatis Jesu*, specialiter, & expresè mandaverit, *in eis*, ad Ordines promovendis, *servari constitutionem Greg. XIII. quæ incipit: Pium: & utile, datam. 22. Septembr. 1582.*

## §. II.

### *An ante Concilium Tridentinum quibusdam alijs Regularibus datum sit ejusmodi Privilegium?*

2174. Resp. affirmativè, uti videri potest apud Passerinum *tom. 2. de Statibus hominum, q. 189. Inspectione 10. c. 4. à n.* 830. Cotonium *in Summa Diana V. Ordinis subjectum n. 35.* & alios passim; & in specie refert Castropalaus *cit. n. 13.* ab Eugenio IV. concessum esse, quòd *singuli Religiosi* Ordinis S. Benedicti, *præsentes, & futuri*, ad id idonei; quos Prior sui Monasterij ad hoc elegerit, sive nominaverit, *semel duntaxat anno quolibet, omnes etiam sacros Ordines, una, & eadem die, etiam extra tempora, à jure statuta, à quibusvis Catholicis Antistitibus*, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus (*cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ*) *suscipere*, dictique Antistites eisdem Religiosis Ordines hujusmodi conferre *possint*; sic etiam habetur in *Compend. Medicant. Tit. Ordines sacri* §. 8.

Quæstio est, an dicto Privilegio derogatum sit per Tridentinum? 2175. In hac quæstione Vasquez, Henriquez, Rodiquez, Barbosa, Bonacina, Miranda, & complures alij apud Castropal. *cit. n. 10. & 13.* docent, Prælatis aliarum Religionum ademptam esse à Tridentino facultatem dispensandi cum suis, ut *non servatis interstitijs, & temporibus ordinationum* à Jure statutis, ordinari in sacris possint. Alij econtra docent, illis Privilegijs quoad prædictam facultatem à Tridentino nihil esse ademptum; sic plures apud Castropalaum *cit. n. 13.* quibus adde Passerinum supra *cit.* & apud hunc complures alios inibi relatos.

Privilegio Societatis, hucusque, in hoc puncto nihil omnino esse ademptum in his, quæ spectant ad collationem, & receptionem Ordinum, constat ex *n. 2173.* & patebit ex sequentibus; sed nec Privilegio aliorum Regularium, vi cujus eorum Superiores cum suis dispensare possint, *ut ordinentur in sacris non servatis interstitijs, aut temporibus ordinationum à Jure statutis*, per Concilium Trid. esse derogatum, probabiliter docent Authores relati *n. præced.* quod etiam tanquam probabile tenet Castropalaus *cit. n. 13.* Ratio sumitur ex eo, quia nullus extat locus Tridentini, tale illis Privilegium adimens, ut patebit ex Resolutione eorum, quæ contraria sententia pro se adducit. Igitur

Dices 1. Tridentinum *Sess. 23. de Reform. c. 8.* statuit, *ut Ordinationes sacrorum Ordinum statutis à Jure temporibus celebrentur.* R. 1. per hunc locum nihil de- 2176.

rogari Privilegio Societatis; cùm ei concessum sit à Greg. XIII. post Tridentinum, non obstantibus ejus decretis, ut constat ex *n.* 2171. præsertim, cùm novissimè Innocentius XII. specialiter, & expresè mandaverit *quoad Religiosos Societatis*, in Ordinationibus servandam constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit: *Pium, & utile*, ut dixi supra *n.* 2173.

℟. 2. per eum locum, nec Privilegijs aliarum Religionum in *hoc puncto* aliquid esse ademptum. 1. quia caret *clausulâ derogante*; 2. quia solùm dicit, quid fieri debeat *de Jure*; non autem, *spectato Privilegio*; 3. quia nullam facit *mentionem Regularium*; 4. quia ille locus rectè intelligitur de Ordinationibus *solennibus*, *seu generalibus*; 5. rectè observat Passerinus *cit.* & alij, quòd Pius V. in sua Constitutione 41. §. 7. declaraverit, *per c.* 8. *dictæ Sess.* 23. non comprehendi *Regulares*.

2177. Dices 2. Tridentinum *Sess.* 25. *de Regular. c.* 22. *præcipit observari omnia, & singula, quæ in præcedentibus decretis continentur, non obstantibus Privilegijs.* ℟. 1. per hanc clausulam non derogari Privilegijs concessis post Tridentinum, quale est Privilegium Fratribus Minoribus concessum à Clement. VIII. & Paulo Anno 1609. Cal. Decembr. ut possint ordinari extra tempora à jure statuta in Dominicis, vel festivis diebus, de quo Barbosa in Trid. *Sess.* 23. *de Reform. c.* 8. *n.* 4.

℟. 2. per eam clausulam, ad summum derogari privilegijs, quæ contrariantur decretis contentis in illa *sess.* 25. *de Regul.* in his autem nihil statuit *de Ordinationibus*, contrarium Privilegijs Regularium; ergo. Maj probatur 1. quia illa derogatio est odiosa; ergo non debet extendi ad decreta omnium Sessionum, sed solùm ad ea, quæ sunt in ea Sessione facta; sic Castropal. *cit. n.* 13. §. *neque verum est.* Probatur 2. quia si voluisset derogare omnibus privilegijs, contrariantibus Tridentini decretis, non tantùm in ea, sed in omnibus alijs Sessionibus contentis, debuisset eam clausulam ponere in ultimo decreto *Sess.* 25. *de Refor.* aliàs enim non posset afficere omnia prædicta; hoc autem non præstitit; ergo; sic Cochier. *p.* 2. *q.* 54. *n.* 9. Passerin. *cit.*

2178. Dices 3. Greg. XIII. & Sixtus V. confirmantes Privilegia Mendicantium, addunt hanc clausulam: *dummodo decretis Tridentini non adversentur*; ergo tacitè voluerunt infirmare ea, quæ Tridentino adversantur; sed privilegium, de quo in præsens, est tale, ergo. ℟. aliud non colligi, quàm quòd privilegia Tridentino adversantia non confirmaverint, sed reliquerint sub opinione disputantium, an à Tridentino sint revocata; sic Castropal. *cit. n.* 13. §. *neque verum est.*

Dices 4. Greg. XIII. prohibet, ut patet ex *n.* 2112. hìc, ne alij Religiosi in hoc Privilegio, Societati concesso, communicent; sed ex hoc solùm sequitur, quòd illi hoc Privilegium non habeant, *viâ communicationis cum Societate*; non autem, viâ concessionis sibi factæ, vel communicationis cum alijs, qui id habent. Deinde esto Privilegia aliarum Religionum *quoad ordinationes extra tempora, & non servatis interstitijs* revocata essent à Tridentino, tamen speciali constitutione Clementis VIII. innovata esse testatur Castropalaus *cit. in fine*, & apud eum Rodriquez & Villalobos, & ibidem approbat Barbosa *in Remiss. Trid. Sess.* 23. *c.* 8. 2179.

Dices 5. dispensationem in interstitijs, etiam in Regularium Ordinationibus, pertinere ad Episcopum ordinantem, declaravit sacra Congregatio Trid. ℟. hoc nihil obesse Privilegio Societatis. 1. quia ea declaratio novem annis præcessit concessionem Greg. XIII. 2. quia constitutio Gregorij ipsi decreto Conciliari, derogat quoad vim, qua vellet complecti Societatem in eo Privilegio; ergo multò magis ejus declarationi. ℟. 2. declarationem non habere majorem vim, quàm habeat lex declarata, ut constat ex dictis; sed decreta Tridentini vi sua nihil adimunt huic Privilegio aliarum Religionum, ut jam ostensum est; ergo nec eorum declaratio. 2180.

Præter hæc not. 1. privilegio, ante Tridentinum concesso, quale est illud Eugenij, de quo *n.* 2174. vi cujus Regulares ordinari poterant *à quovis Episcopo Catholico, etiam eodem die susceptis pluribus ordinibus sacris*, expresè derogatum esse quoad hoc punctum à Tridentino *Sess.* 23. *c.* 13. *de Reform.* ibi: *quòd, si quis ab alio, quàm proprio Episcopo promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel Privilegij prætextu, etiam statutis temporibus permittatur;* 2181.

*tatur*; sic Castropal. *cit. D. unic. p.* 13. *num.* 13.

Not. 2. eum, qui citra Privilegium, vel dispensationem, *extra tempora*, se promoveri facit in sacris, incurrere suspensionem ab executione Ordinis sic suscepti, dum impleverit pœnitentiam impositam ab Episcopo, qui in culpa non fuit, c. *cùm quidam*, c. *consultationi tuæ h. t. junct. gloss. V. utrobique*: Ordinantem autem privari potestate conferendi Ordines, quos illicitè contulit, c. *cùm quidam*, c. *sanè*, c. *literas h. t.*

## §. III.

### *An Privilegium recipiendi Ordines extra tempora restrictum sit ad dies Festos, etiam in foro?*

2182. CUm in Privilegijs recipiendi sacros Ordines *extra tempora consueta*, communiter ponatur facultas, eos dandi, & recipiendi *diebus Dominicis*, vel *Festis*; quæstio est, an *Festum* hìc supponat pro *Festo chori*, *& fori*, an pro *Festo tantùm chori*? quale est Festum, quod in Choro celebratur ritu duplici, vel semiduplici, esto tali die populus det operam servilibus? Nam Urbanus VIII. *in recognitione Pontificalis*, *titulo de Ordinibus conferendis*, mandavit addi, *diebus festivis*, *de præcepto*; Castropalaus autem *cit. n.* 13. in fine, judicat, probabilius esse, intelligi Festum *chori*, *& fori*, quod scilicet sub præcepto celebrari debet à Clero, & populo, cum abstinentia à servilibus, nisi addatur *Festo duplici, aut semiduplici*. Tunc enim, ait, sufficere, etiam tale Festum, licèt sit solius chori. Ratio ejus est, quia *Festum*, juxta communem significationem, supponit pro *die festivo sub præcepto audiendi sacrum*, *& abstinendi à servilibus*; sed in illis Privilegijs sic *Festum* accipitur; ergo. Sic etiam Pirhing *h. t. n.* 81. Azor. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 27. *q. ult.* Barbosa *cit. allegat.* 11. *n.* 18. & contrariam sententiam prohibitam esse in decreto Vrbani VIII. monet Cardinalis de Lugo *l.* 11. *respons. moral. dub.* 43. Volunt autem Barbosa, & Castropalaus apud Gobat in *Theolog. Experiment. tr.* 8. *n.* 479. sufficere, si sit Festum habens *solennitatem diei Festi in tali diœcesi*; & ipse Gobat à *n.* 486. sufficere, *si celebretur tale Festum solenniter in solo aliquo Monasterio*; vel *si in choro, & foro*, non ex præcepto, sed *ex mera devotione*; vel *si ex præcepto, sed solùm ante prandium*; quia Pontifex non tam respicit qualitatem *præcepti*, quàm *solennitatis publicæ*. Econtra pro tali casu sufficere *Festum duplex solius chori* etiam ad majores Ordines, docet Rodriquez *tom.* 3. *quæst. Regular. q.* 23. *a.* 5. Fagundez *l.* 1. *præcept. Ecclesiæ. c.* 2. *n.* 12. P. Benedictus Pereyra in *Elucidario n.* 1345. ubi ait: non carere probabilitate, per *Festos dies*, in Ordine ad Sacra; & officia Divina, comprehendi etiam *dies duplices*, licèt non sint à laboribus feriati, citans pro hac opinione P. Suarez *tom.* 1. *de Relig. de diebus Festis*, *c.* 9. *n.* 22. & in praxi eam sententiam esse *probabilem*, docet Castropalaus *cit.* Gobat *cit. n.* 472. *& seq. tutam*, Diana *p.* 5. *tr.* 13. *resol.* 97. & complures alij.

In hac quæstione judico, verum esse, 2183.
quòd per *Festum de præcepto*, propriè significetur Festum feriatum à servilibus, ut patet ex communi hominum usu; in significatione autem Juridica, seu jure favorabili, rectè etiam intelligi *Festum chori tantùm*, quod habeat solennitatem *ritus duplicis in choro tantùm*; cùm ergo Privilegium hoc sit de Jure favorabili, rectè dicitur, secundùm illud, Ordines sacros licitè conferri quolibet Festo duplici de præcepto, licèt non feriato. Nec obstat, quod dicitur de decreto Urbani VIII. nam duplicia, etiam non feriata, rectè dicuntur *de præcepto*, prout ejusmodi Festa opponuntur *Festis ad libitum*, vel meræ devotionis, sine publica solennitate. V. Gobat à *n.* 474. Si autem Privilegium careat clausulâ: *de præcepto*, à fortiori res procedit; & sic habere nostram Societatem, constat ex *Compend. Privileg. V. Ordines*, §. 30.

## §. IV.

### *De Interstitijs.*

PEr *Interstitium* hìc intelligitur spatium temporis, quod ab uno accepto ad alterum Ordinem recipiendum interponi debet, ut Ordinatus in accepto exerceat se per illud tempus, priusquam ad alium ascendat. Quantum temporis ab uno minorum Ordinum ad alterum inter-

poni debeat, non est Jure definitum, ut tradit Gobat in *Theol. experiment. tr.* 8. *n.* 490. addens *n.* 492. ex consuetudine jam recepta, omnes quatuor minores *simul, cum prima tonsura*, eodem die conferri; id, quod jam communiter observatur ab Ordinarijs; ab ultimo minorum Ordinum, ad susceptionem Subdiaconatus, *annus integer* interponi debet de Jure; Trid. *Sess.* 23. *de Reform. c.* 11. à Subdiaconatu, ad Diaconatum, *saltem unus annus*, sic Trid. *cit. c.* 13. à Diaconatu, ad Presbyterium *ad minus annus integer*; sic Trid. *Sess. cit. c.* 14. *annus* autem hic computandus est *Ecclesiasticè*, non *Physicè*; Castropal. *cit. n.* 5. scilicet à jejunio quatuor temporum hujus anni, usque ad simile jejunium sequentis; vel à Sabbatho Sancto hujus, ad Sabbathum sequentis anni.

2185. Pro his ulteriùs not. 1. à minoribus ad majorem, vel ab uno sacro ad alterum, ascensum non esse licitum, nisi habenti Privilegium, vel dispensationem (ut patet ex dictis) non servatis interstitijs, vel intervallo temporis præscripto; 2. quando necessitas, vel utilitas Ecclesiæ postulat, aliquem ordinari *in sacris*, posse Episcopum cum suis dispensare, ut id fiat, *non servatis interstitijs*; ut autem dispenset pro transitu à minoribus ad Subdiaconatum, vel ab hoc ad Diaconatum, non sufficere quamlibet rationabilem causam; sed requiri, quòd hoc exigat necessitas, & utilitas Ecclesiæ; sic Castropalaus *cit. n.* 6. & 7. ex Trid. *Sess.* 23. *c.* 13. & 14.

2186. Ex his colliges, quòd ex causa rationabili Episcopus dispensare possit aliquem ordinari in quatuor minoribus simul, & Subdiaconatu, eodem die; quia nullum est jus id prohibens, cùm solùm *simul duos Ordines sacros, eodem die, conferri*, prohibitum sit; ita Vasquez, Henriquez, Layman, Villalobos, & alij, quos citat, & sequitur Castropal. *cit. nu.* 5. ubi ait, se ipsum vidisse, quòd in Hispania quatuor minores, *simul eodem die* cum Subdiaconatu collati sint.

2187. *Duo* autem *Ordines sacri, simul eodem die*, nulli, etiam Regularium, conferri possunt, nec in hoc ullus inferior Pontifice, seu Papâ, dispensare potest, ut constat ex Trid. *Sess.* 23. *c.* 13. *de Reform.* quo sublatum est privilegium Benedictionis concessum ab Eugenio Papa, ut *eodem die omnes sacros Ordines* recipere possint, de quo diximus *n.* 2174. id, quod etiam constat ex c. *Literas* 13. ibi: *si enim utrumq; Ordinem eodem die conferre illi non licuit &c.* loquitur autem de Diaconatu, & Presbyterio; item 2187. ex c. *dilectus* 15. *de Temporib. Ordination.* ubi Episcopus, conferens eidem, *una die*, plures sacros Ordines, ab ordinandi potestate suspenditur; sic cum pluribus alijs Castropal. *cit. n.* 13.

Not. 3. quando diximus, quòd proprius Episcopus cum suis dispensare possit *in interstitijs*, intelligendum 1. si ab ipsomet ordinentur; 2. si eos dimittat ad Episcopum alienum cum dispensatione expressa in dimissorialibus, vel alio instrumento. Episcopus autem alienus nunquam dispensare potest cum alienis, etiam habentibus dimissoriales à proprijs Ordinarijs, nisi Episcopus, concedens dimissorias, in his exprimat, se Episcopo ordinanti, hanc facultatem concedere; Gobat. *cit. n.* 493. nam Episcopi Jurisdictio non est nisi *ad suos* tantùm. 2188.

Nec obstat constitutio Innocentij XI. de qua locuti sumus hìc *n.* 2124. ex qua malè aliqui intulerunt 1. Episcopis per eam *prohibitum esse*, cum suis dispensare in interstitijs; 2. post eam constitutionem, non licere Episcopis *ordinare alienos subditos non servatis interstitijs*, licèt à suis Ordinarijs afferant dimissoriales cum expressa ipsorum dispensatione in interstitijs. Nam utrumque fallit, ut constat ex dictis supra. Ex illis enim clarum est, quòd Episcopos permittat in jure suo quoad dispensationem, ipsis concesso in Tridentino, eosque nullo jure prohiberi, quò minùs ordinent alienos, etiam non servatis interstitijs, si habeant dimissorias à suis Ordinarijs cum expressa dispensatione in illis.

2189. Not. 4. etiam Capitulum, Sede vacante, vel ejus Vicarium, interstitia posse remittere, in illis casibus, quibus potest alteri Episcopo dare licentiam ordinandi; sic Vallensis hìc *n.* 7. Cæterùm Ordinans, vel ordinatus, *sine interstitijs* peccat quidem; sed nullam pœnam incurrit; sic Navarr. *Consil.* 4. & 6. *de Tempor. Ordinat. V.* infrà *n.* 2795.

Loquendo autem de qualitate Ordinandorum, & Ordinatorum, nota, per hanc nihil aliud intelligi, quàm accidens aliquod;

quod, afficiens personam ordinandi, vel ordinati. Hoc accidens quandoque est *bonum*, ut morum probitas, prudentia, scientia &c. quandoque *malum*, ut morum pravitas, illiteratura, excommunicatio, suspensio, infamia, &c. sed de his in præsens nihil dicendum occurrit, cùm multa jam præmissa sint, reliqua in sequentibus dicenda, præsertim quoad quasdam irregularitates, quæ petuntur ex diversis accidentibus cujusmodi sunt defectus *natalium*, *servitus*, *bigamia*, *&c.* V. *num.* 2795. *& seqq.*

* * *

# QUÆSTIO XII.

## IN TITULUM XII. DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO.

2190. PEr *scrutinium* in ordine faciendum hìc intelligitur examen Ordinandorum; sic Desselius *hìc* §. 1. Hoc scrutinium, seu examen Ordinandorum duplex est; unum ante, alterum in ordinatione faciendum; Vallensis hìc *nu.* 2. Primum fit ante ordinationem, inquirendo (juxta Tridentinum *sess.* 23. *c.* 7. *de reform.* de ordinandorum moribus, vita, natalibus, titulo, scientia, habilitate &c.) secundum in ipsa ordinatione, quæ sit ab Archidiacono, quem Episcopus solet interrogare, an eum, quem exhibet ordinandum, sciat esse dignum? qui tunc respondet, se scire dignum esse, *quantùm humana fragilitas patitur.* Primum examen fieri debet feriâ quartâ ante ordinationem, vel quando Episcopo videbitur; sic Trid. *loc. cit.* ibi: sancta Synodus, *antiquorum Canonum vestigijs inhærendo*, decernit, *ut*, quando Episcopus ordinationem facere disposuerit, *omnes*, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, *feriâ quartâ* ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur; Episcopus autem, Sacerdotibus, & alijs prudentibus viris, *peritis divinæ legis*, ac *Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis*, *sibi ascitis*, Ordinandorum *genus*, *personam*, *ætatem*, *institutionem*, *mores*, *doctrinam*, & *fidem*, diligenter investiget, & examinet. Ad hoc examen non tenetur Episcopus vocare Archidiaconum; sic Barbos. in *cit. loc. Trid. nu.* 3. Ut Archidiaconus licitè respondeat, se scire dignum, sufficit, *quòd nesciat*, *illum esse indignum.* Barbos. in c. *unic. h. t. nu.* 1. non tamen rudi nescientia; quia re verâ non oportet *DEI*, *ac summi Domini nostri* ministerio aptare, nisi testimonialibus literis, ut verè pientissimè præcipit Innocentius XII. de quo *nu.* 2123. legitimè instructos; in qua re gravantur conscientiæ, de moribus, & scientia deponentium; si enim reflexio fiat, de aptandis ad ministeria *Semiarum*; quæ ibi cura?

Præter hæc not. 1. in hoc decreto Tri- 2191.
dentini, per *civitatem* intelligi Ecclesiam Cathedralem; vel saltem, si ex causâ alibi Ordines celebrari contigerit, Ecclesiam digniorem; sic Sylvester V. *Ordo.* 2. *n.* 8. quamvis, ut constat ex praxi, quandoque Ordines conferant Ordinarij etiam in Ecclesia commodiore; aut etiam Oratorijs, vel proprijs, vel Monasteriorum, aut Collegiorum.

Not. 2. per ordinandorum *genus* intelligi, num sint ex parentibus Catholicis? vel de proditione damnatis, aut nati de Matre serva? num legitimi? non autem an descendant ex progenie Hebræorum; nisi alio impedimento laborent, quo excludantur à suscipiendis ordinibus; de quo V. Sanchez *in decalog. tom.* 1. *l.* 2. *c.* 28. per *institutionem* autem ibid. ut examinentur super titulo sufficienti, sine quo non debent ordinari, juxta dicta à *n.* 2151.

Not. 3. Primum examen, pertinere ad Episcopum ordinarium; qui, si cui dat dimissorias, ad Episcopum alienum, instituere priùs debet examen de vita, & moribus instituendi, juxta *Trid. sess. de reform. cap.* 3. ibi: Episcopi per semetipsos ordines conferant; quòd, si ægritudine fuerint impediti, *subditos suos aliter*, *quàm jam probatos*, *& examinatos*, *ad alium Episcopum ordinandos*, *dimittant*; excipe, nisi malit, hoc ipsum committere illi Episcopo, qui sic dimissum ordinaturus est.

Not. 4. Episcopum, ad quem aliquis 2192.
pro recipiendis ordinibus, à suo Episcopo, legitimè dimissus est, esto hic habeat com-

mendatitias, super examine jam facto, posse illum denuò examinare pro sua securitate, si velit; ac rejicere, si non *idoneum* repererit, nimirum instructum qualitatibus, quæ in ordinando exiguntur; sic Layman in *proëm.* ad c. *unicum h. t. ex c. si Episcopus 37. de præbend. in 6.*

Not. 5. Episcopum non posse denuo examinare promotos à suo Antecessore, nisi post promotionem aliqua nova causa supervenerit; si verò idem Episcopus aliquos, minùs idoneos ordinaverit, eos suspendere debet; sic Barbosa *in cit. loc. Trid. nu.* 8. Qualiter autem *Episcopus Clericos sibi subjectos, etiam cum suo assensu ordinatos, ab alieno Episcopo*, nihilominus examinare valeat? constat *ex constitut.* Innocentij XI. supra §. *Porro*, de quo *nu.* 2131.

* * *

# QUÆSTIO XIII.

## IN TITULUM XIII. DE ORDINATIS AB EPISCOPO, QUI EPISCOPATUI RENUNTIAVIT; VEL AB EXCOMMUNICATO.

2193. ANte resolut. not 1. Episcopum, qui *Episcopatui* renuntiavit, desinere esse Episcopum *proprium talis loci*; sic Vallensis hic *nu.* 1. quo posito: Resp. Episcopum, qui renuntiavit *loco tantùm*, seu diœcesi, *non* autem *Episcopali dignitati*, invitatum, seu rogatum ad hoc ministerium ab alio Ordinario, rectè conferre ordines, sicut priùs, c. 1. *h. t.* si autem loco simul, & dignitati, posse talem conferre majores, *validè* quidem (cùm retineat characterem Episcopalem) *sed illicitè*, etiam rogatum ab alio; sic Barbos. *in cit. c.* 1. *nu.* 5. Tota hæc responsio fundatur in c. 1. *h. t.* ibi: Alexander III. Archiepiscopo Toletano, super his, quæ diximus, quæstionem moventi; sic rescripsit: respondemus igitur distinguendo, utrũ renuntiavit *loco tantùm*? an *loco simul*, *& dignitati*? nam, *in primo casu* ordines (sicut antea) *rogatus ab Episcopo aliquo*, poteris de ratione conferre: *in secundo verò casu*, distinguendum putamus, utrum *sacros* contulerit, an minores? si enimà tali Ordines usq; ad subdiaconatũ aliquis acceperit (quia & hujusmodi Ordines *à non Episcopis* quandoque conferuntur) & in illis deservire poterit, & ad majores (si idoneus fuerit) promoveri: sanè si ab eodem *sacros* Ordines *scienter* quis receperit (quia indignum se fecit) executionem officij non habebit: ubi autem *non scienter*, poterit (nisi crassa, & supina fuerit ignorantia) discretus Pontifex dispensare V. infra *nu.* 2802.

2194. Not. 2. Episcopum excommunicatum, *excommunicatione durante*, suspensum esse ab exercitio ordinis Episcopalis, sic Vallensis *loc. cit.* quo præmisso dicendum, Episcopum excommunicatum, durante excommunicatione, conferentem Ordines, *validè* quidem agere, sed *illicitè*; & cum *ignoranter* ordinatis ab Episcopo excommunicato, dispensare Episcopum; secus cum *scienter*; nam cum hoc dispensat Pontifex. Dixi *dispensat Episcopus*, non tamen *Ordinans*; ne dispenset super proprio defectu; sed alius, nimirum proprius Episcopus, si ipse non fuit ordinans; vel ipse Pontifex. Hæc tamen intellige de Episcopo excomunicato *vitando*. Nam *occultus*, aliquem ordinans, non facit, ut recipiens, exercitio ordinis ab eo recepti privetur. Barbosa in c. 2. *h. t.* quod sic habet: cum Clericis, qui ab excommunicato Episcopo *ignoranter* ordines receperunt, per suos poterit Episcopos dispensari.

Not. 3. Sacros ordines, *scienter* recipientem ab eo, qui loco simul, & dignitati renuntiavit, executionem officij non habere, c. 1. *h. t.* & dispensari à solo Pontifice; si autem *ignoranter*, ab Episcopo. Barbosa *in cit. c.* 1. *nu.* 6. & constat *ex dict. c.* 1. cujus textum retulimus *nu.* 2193.

* * *

QUÆ-

# QUÆSTIO XIV.

## IN TITULUM XIV. DE ÆTATE, QUALITATE, ET ORDINE PRÆFICIENDORUM.

2195. CUm illi, qui præficiendi sunt Ecclesijs, debeant esse legitimæ ætatis, certarum qualitatum, & habere ordines; de his præsenti titulo agitur; sicut enim bono Ecclesiarum Regimini plurimùm detrimento nascitur, si ji, qui Rectores sunt Ecclesiarum, & Pastores animarũ, ejusmodi munia suscipiant, debitis ad ea qualitatibus destituti (quod observans D. Gregorius *hom. 17. in Evangel.* non sine gravi mœrore deplorat, dicens: *ecce mundus Sacerdotibus plenus est; sed tamen, in messe DEI, rarus valde invenitur operator: quia officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus*) sicut, inquam, hoc plurimùm nocumenti affert; ita maximæ animarum, ac Ecclesiæ utilitati est, bonos, ac debitis qualitatibus ornatos Clericos, regendis Ecclesijs præficere; de quo in præsenti:

### ARTICULUS I.

#### *De ætate, & qualitate præficiendorum Ecclesijs.*

2196. SUpponendum ex Trid. *sess. 7. de reform. c.* 1. ad Regimen *Ecclesiarum Cathedralium*, nullum, *nisi ex legitimo matrimonio natum, ætate matura, gravitate morum, literarumq; scientiâ*, (juxta constitutionem Alexandri III. quæ incipit, *cùm in cunctis* in Concilio Lateranensi promulgatam) *præditum assumi.* Hinc, ut quis præficiatur Episcopatui, requiritur ætas 30. annorum completorum; ut notat Barbosa *in Trid. cit. n.* 5. quod etiam procedit de *Cardinali Episcopo*; pro Cardinali *Diacono*, sufficere vigesimum tertium inceptum, tradit Vallensis *h. tit. n.* 2. pro Cardinali *Presbytro*, trigesimum. V. Azor *p.* 1. *l.* 6. *c.* 5. *q.* 10.

1297. Præter hoc not. 1. ad dignitatem, inferiorem Episcopatu, cui annexa est cura animarum, requiri annum *vigesimum quintum* ex Trid. *sess.* 24. *c.* 12. ibi: nemo igitur deinceps *ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi, qui saltem* 25. *suæ ætatis annum attigerit*; &, in Clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate, commendetur, juxta constitutionem Alexandri III. in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit, *cùm in cunctis* V. *nu.* 2807. ad alias dignitates, & officia *sine cura animarum*, jure Decretalium, sufficere ætatem 14. *annorum*, *c. indecorum* 3. *h. t.* ibi: *personatus nemini intra annum* 14. *constituto. &c.* jure autem Tridentini *loc. cit.* ætatem 22. *completorum.*

Not. 2. ad beneficium Parochiale, vel 1298.
aliud Curatum, requiri annum vigesimum quintum, *saltem inchoatum*; alias collatio nulla est, c. 14. *de elect. in* 6. ibi: statuimus, ut *nullus ad regimen parœcialis Ecclesiæ assumatur*, nisi sit idoneus moribus, scientiâ, & ætate: *decernentes collationes de parœcialibus Ecclesijs ijs, qui non attigerint* 25. *annum, de cætero faciendas, viribus omnino carere*, & cap. 15. *eod. in* 6. ibi: nemo deinceps *parœcialem Ecclesiam*, alicui *non constituto in ætate legitima, & Sacerdotio*, commendare præsumat: nec tali etiã, nisi unam: & evidenti necessitate, vel utilitate ipsius Ecclesiæ suadente. Hujusmodi autem *cõmendam* (ut præmittitur) rite factam, declaramus ultra semestris temporis spatium non durare; statuentes, quicquid secus de *commendis* Ecclesiarum *parœcialium* actum fuerit, *esse irritum ipso jure.* Eadem ætas requiritur in *Vicarijs* perpetuis Ecclesiarum Parochialium, Clement. *unic. de offic. Vicar.* ubi Clemens V. sic loquitur: *Quæ de Ecclesijs, curam animarum habentibus* per receptionem aliarum similium amittendis: ac de ipsarum Rectoribus promovendis ad Sacerdotium: & *de eorum ætate*, à jure statuta noscuntur: *in perpetuis Ecclesiarum Parœcialium Vicarijs*, & assumptis ad eas, *volumus observari.*

Not. 3. ad Canonicatus, præbendas, 2199.
vel portiones *Ecclesiarum Cathedralium* eam ætatem requiri, quàm exigit *ordo*, illi annexus, juxta *Trid. sess.* 24. *c.* 12. ibi:

nemi-

neminem etiam deinceps ad *dignitatem*, *Canonicatum*, aut *portionem* recipiant, *nisi, qui eo ordine sacro*, aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit; *aut in tali ætate, ut infra tempus à jure, & ab hac sancta Synodo statutum, initiari valeat:* in *Collegiata* verò, & cæteris inferioribus, requiri annum 14. saltem inceptum, Trid. *sess.* 23. *c.* 8. *de refor.* & c. *super inordinata*, *de præbend. juncta gloss. V. pueri*, nisi ex fundatione aliter cautum sit, cui Concilium non derogavit; sic declarationes in Trid. *cit. V. nu.* 2806. loquendo autem *de qualitate* præficiendorum Ecclesijs, notandum, inter qualitates in præficiendo Ecclesijs requiri. 1. quòd sit dignus; 2. habilis; 3. aptus ad residendum in loco, si residentiam exigat, c. *quia nonnulli*, *de Cleric. non resid.* & ad exercendam curam sui muneris per se ipsum, c. *grave nimis*, *de præbend. c. licèt Canon*, *de elect. in* 6. Trid. *sess.* 7. *c.* 3. *de reform.* 4. ut habeat scientiam muneri suo necessariam; 5. sit legitimus, vel in re, vel fictione juris per subsequens matrimonium, ut notat Barbosa in c. 1. *Trid. sess. de reform.* de quibus constat ex juribus jam allatis.

## ARTICULUS II.

### *De ordine præficiendorum Ecclesijs.*

2200. QUæstio est 1. quis *ordo* requiratur in præficiendo beneficio simplici? Resp. non requiri etiam minores Ordines; sed sufficere primam tonsuram, nisi aliud exigat consuetudo, statutum, vel fundatio talis Ecclesiæ. Nam, cùm quædam beneficia sint Sacerdotalia, quædam diaconalia, alia subdiaconalia; is ordo requiritur, quem in obtinente beneficium exigit; vel saltem capacitas, ut illum recipere possit intra annum à die pacificæ possessionis, c. *licèt Canon*, c. *Commissa*, *de elect. in* 6. Trid. *sess.* 12. *c.* 4. *&* *sess.* 24. *c.* 12.

2201. Quæstio est 2. qualis *Ordo* prærequiratur in præficiendo beneficio *Parochiali*? Resp. quòd saltem subdiaconatus; quamvis illud Episcopus conferre possit Clerico in minoribus, modò aliàs sit idoneus, & intra breve tempus ordinari possit in presbyterum, c. *præterea h. t.* Idem requiritur ad dignitates *curatas*, nimirum capacitas proxima suscipiendi presbyterium intra annum, c. *cùm in cunctis*, *de elect.* si verò non habeant annexam curam animarum, sufficiunt 22 anni; Pirhing. hìc *nu.* 38.

Præter hæc not. in promovendo ad dignitates, quibus cura animarum, vel jurisdictio fori externi, annexa est, requiri, ut, si presbyter non sit, fiat; ad Abbatiam, Præposituram, & Decanatum, presbyterium actu, vel aptitudine *proxima*; quamvis, ob necessitatem Ecclesiæ, in Abbatem etiam dispensativè eligi possit constitutus in minoribus, etiam irregularis, c. *Tuam h. t.* ad Archipresbyteratum, & Archidiaconatum, ut sit Diaconus; V. infra *nu.* 2803.

Quæstio est 3. quis ordo requiratur in 2202.
eligendo ad *Episcopatum*? Resp. requiri de jure saltem subdiaconatum, c. *à multis*, 9. *h. t.* & saltem sex mensibus priùs, Trid. *sess.* 22. *c.* 2. *de reform.* Not præterea, quemlibet acceptantem beneficium, debere esse actu Clericum; nec in hoc casu cingendum haberi pro accincto; ita Vallensis *h. t. nu.* 5. *&* 3.

## ARTICULUS III.

### *De ætate jure requisita ad suscipiendos Ordines.*

REsp. breviter, ad *primam tonsuram*, 2203.
*& minores Ordines*, sufficere ætatem, quæ idonea videbitur Episcopo, ut insinuat Trid. infrà citandum; ad acquirendum *Subdiaconatum* in recipiente requiri ætatem 22. annorum; ad *Diaconatum* 23. ad *Presbyterium* 25. sic Trid. *Sess.* 23. *de Reform. c.* 12. sufficit autem, hos annos *esse inceptos*; Vallensis hìc *n.* 3. §. 4. Tridentinum *loc. cit.* sic loquitur: nullus imposterum, ad Subdiaconatûs Ordinem *ante vigesimum secundum*; ad Diaconatûs, *ante vigesimum tertium*: ad Presbyteratûs *ante vigesimum quintum* ætatis suæ annum promoveatur: sciant tamen Episcopi, non singulos, in ea ætate constitutos, debere ad hos Ordines assumi; sed *dignos duntaxat*, & quorum *probata vita*, senectus sit: Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine, ordinentur: privilegijs quibuscunque, quoad hoc penitus exclusis.

Not.

2104. Not. autem 1. quòd scienter aliquem ordinans, ante ætatem legitimam, suspendatur à collatione; ordinatus autem, ab executione Ordinum, dum habeat ætatem requisitam, c. *Vel non est compos* 14. *junct. c. dilectus* 15. *de Temporib. Ordinat.* Et quamvis Covarruvias *in Clem. si furiosus, de homicidio p.* 1. *n.* 4. doceat, hunc solùm esse suspendendum secundùm jus commune; contrarium tamen habetur in Extravag. Pij II. incip. *Cùm ex sacrorum*, apud Piasecium *p.* 1. *prax. Episcop. a.* 4. *n.* 2. Not. 2. Episcopum non posse dispensare in ætate, requisita ad dignitates, seu beneficia curata *gloss. in Clem. fin. & c.* 1. *h. t. in* 6. *V. non imminet. V.* Barbos. *in dict. c.* 1. *&* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 5. *q.* 9. Cæterùm in materia ætatis creditur parentibus, vel dicto testium, *L. de ætate ff. de Minoribus.* Rebuff. *in praxi benefic. in literis primæ tonsuræ n.* 13.

* * *

# QUÆSTIO XV.
## IN TIT. XV. DE SACRA UNCTIONE.

2105. *Sacra Unctio* hìc significat sacri Olei materialem delibutionem, factam secundùm formam Ecclesiæ; Hostiensis *hìc in Summa n.* 2. Agitur hìc de illa, quia in sacris Ordinibus conferendis, de quorum collatione nunc tractamus, usus est sacræ unctionis; Dessélius *hìc* §. 1. Not. autem 1. sacram unctionem, aliam esse *exteriorem*, eamque materialem, & visibilem, qua visibiliter inungitur corpus; aliam *interiorem*, quæ fit per gratiam, & ad exhibendam exteriorem unctionem, quæ est signum interioris, benedici, & consecrari *Oleum* olivarum, quod dicitur *Cathechumenorum*, & *Infirmorum*; si ei jungitur balsamum, vocatur *Chrisma.*

Not. 2. *Episcopos*, dum consecrantur, ungi in capite, & manibus, c. *unic. h. t. Sacerdotes*, simplici Oleo olivarum benedicto, in manibus, glossa c. *præterea dist.* 23. *omnes Christianos*, dum baptizantur, in scapulis, & pectore, c. *unic.* per frontis Chrismationem, qua intelligitur manûs impositio, & alio nomine dicitur *confirmatio* (quam jure ordinario confert solus Episcopus; ex delegatione Papæ, etiam simplex Sacerdos, ut colligitur ex *c.* 1. *dist.* 95. & determinatum videtur à Concilio Florentino in decreto Eugenij, §. *secundùm Sacramentum*) Imperatores autem, & Reges, in brachijs, & humeris *cit. c. unic.* §. *unde veteri.* Not. 3. sacram unctionem adhiberi præterea in extrema unctione infirmorum, in consecratione altarium, dedicatione Templorum, Benedictione Calicum &c. de quibus alio loco.

Ex his colliges, quòd unctio Ecclesiæ 2106.
(juxta Sylvestrum V. *Unctio*) sit triplex; una, quæ nec Sacramentum, nec Sacramentale est: quia nec per se gratiam causat, nec ad aliquod Sacramentum perficiendum, vel suscipiendum ordinatur, qualis est unctio Regum; unde ea fieri non debet cum materia consecrata; & multò minùs cum chrismate: nec fit in capite, sed in humero, vel armo: Imperatoris unctio habetur in *Clement. de jurejur. cap. unico.* §. *Edictus:* secunda est Sacramentalis, non Sacramentum: quia scilicet ad Sacramentum ordinatur, vel suscipiendum, ut Catechumenorum, vel perficiendum, ut unctio Baptizati in vertice: tertia est Sacramentum per se, & duplex; scilicet chrismatis in fronte per Episcopum; & Olei Sancti per Sacerdotem in extremis. Plura *de Unctione Sacramentali*, tradunt *Theol. morales. V. n.* 2808.

* * *

# QUÆSTIO XVI.
## IN TIT. XVI. DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

2207. CUm sint quædam Sacramenta, quæ animæ Characterem indelebilem (signum scilicet potestatis aut virtutis acceptæ in Sacramento) imprimunt; hæc autem iterari non possint sine sacrilegio; duo præscribuntur hoc titulo; 1. ut, si in Ordi-

Ordinum collatione aliquid omissum sit, vel non observatum per oblivionem, aut errorem, non ideo totus actus iteretur; sed secundò id, quod omissum fuit, cautè suppleatur statis temporibus, quibus ordines conferuntur; ut, si in ordinatione pro Subdiaconatu, Diaconatu, vel Presbyterio, omissa fuisset impositio manûs; in confirmatione, unctio facta fuisset non chrismate, sed Oleo &c. sic Desselius, *h. t.*

2208. Eodem titulo c. 2. movetur duplex quæstio 1. an corpora defunctorum fidelium, quæ à Schismaticis sepulta sunt in loco sacro, iterum ex humari? 2. an vestes Sacerdotales, cum quibus, & Altaria, in quibus Presbyteri degradati celebrârunt, iterum benedici, vel consecrari debeant? & ad utramque respondet Honorius III. ac ad 1. negativè, nisi scienter elegerint, vel consenserint in eam sepulturam: ad 2. etiam negativè, ut colligitur ex c. *Ecclesijs* 20. *dist.* 1. *de Consecr.* an, & qualiter iterari possint, vel etiam debeant alia Sacramenta, quæ Characterem imprimunt, si prudens dubium superveniat, num validè recepta sint? præsertim Baptismus? pertractat copiosè Quintanaduenas *singularium tractatu* 1. à *singul.* 1. & *seq.* Cardinal. de Lugo *in Respons. moralibus l.* 1. *d.* 1. *cum seqq.* & alij; de quo etiam dicemus infrà, V. etiam *n.* 2809.

* * *

# QUÆSTIO XVII.

## IN TIT. XVII. DE FILIIS PRESBYTERORUM ORDINANDIS, VEL NON ORDINANDIS.

2209. SErmo est de Filijs Presbyterorum non tantùm ijs, quos genuerunt, dum essent in sacris; sed etiam illis, quos ante sacros Ordines susceperunt ex legitimo thoro. Nam defectus natalium, sive solùm ex fornicatione simplici, sive ex damnato coitu proveniat, inhabilem reddit ad suscipiendos Ordines etiam Minores *c.* 1. *h. t.* ibi: *Filij Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoveantur. & c.* 1. *eod. in* 6. ubi Episcopo conceditur, posse *dispensare* ad Minores Ordines *cum illegitimis*, si aliud eis Canonicum non obstet.

### ARTICULUS I.

*An, & qualiter illegitimi ad suscipiendos Ordines admittantur?*

2210. IN *c. fin. h. t.* Gregorius IX. rescribens Turon. Archiepiscopo statuit, & mandavit, *ne Filij Sacerdotum*, & alij, *non legitimè nati*, ad dignitates, & personatus, & alia Beneficia, curam animarum habentia, sine dispensatione Sedis Apostolicæ promoveantur; quod universim, *quoad omnes illegitimos* statuitur *c.* 18. *h. t.* ibi: nimis in tua provincia Ecclesiæ deformatur honestas ex eo, quòd *filij Sacerdotum, & alij non legitimè nati*, ad dignitates, & personatus, & alia Beneficia, curam animarum habentia, sine dispensatione Sed. Apost. promoventur. Quo circa, mandamus, quatenus (prædictis personis à personatibus, & dignitatibus, & hujusmodi Beneficijs prorsus amotis) ea personis idoneis conferri facias per illos, ad quos collationem ipsorum de jure noveris pertinere. Et ne id de cætero præsumatur, districtiùs inhibemus: *& c.* 1. *eod. in* 6. idem statuit Bonifacius VIII. ubi tamen additur: *eum, qui defectum patitur natalium, ex dispensatione Episcopi, licitè posse* (si ei aliud impedimentum Canonicum non obstet) *ad Ordines promoveri minores, & obtinere Beneficium, cui cura non imminet animarum: dummodo tale sit*, super *quo per ipsum Episcopum valeat dispensari.*

Excipe tamen 1. nisi vitam Monachi 2211.
amplectatur; tunc enim, favore Religionis etiam sine dispensatione admittitur ad ordines, post professionem *c.* 1. *dist.* 56. ubi Urbanus II. ait: *Presbyterorum filios, à sacris Altaris Ministerijs removemus: nisi aut in cœnobijs, aut in canonijs, religiosè probati fuerint conversati*: sed hoc intelligendum est de illis, *qui paternæ incontinentiæ imitatores fuerint.* Verùm si morum honestas eos commendabiles fecerit, exmplis, & auctoritatibus, *non solùm Sacerdotes*, sed etiam *summi Sacerdotes* fieri possunt; de hoc etiam agitur

*c.* 1.

c. 1. h. t. ex C. C. *Pictavienſi*, ibi: ut *filij Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati* ad ſacros Ordines non promoveantur, *niſi* aut *Monachi* fiant, vel *in Congregatione canonica* regulariter viventes: *prælationes* verò *nullatenus* habeant: ſed neque ſervi, niſi à Dominis ſuis libertate donentur. Ubi nota, per *vitam Monachi*, quemlibet ſtatum Religioſum intelligi, in quo quis emiſſis votis evadit verè Religioſus, ut pluribus probat Pirhing. hìc à *n. 6. & illegitimum*, qui factus eſt Religioſus cum effectu, non propterea habilitari ad Prælaturas, ſine diſpenſatione Papæ *c. 1. h. t. junct. gloſſ. V. Prælationem*; nec ad Beneficia curata intra, vel extra Ordinem, c. *ult. h. t.* bene tamen, *ad Ordinis officia alia non curata*, *c. ult. h. t.* Not. 2. Monachum *illegitimum*, nec de conſenſu ſui Superioris, poſſe eſſe *Vicarium Epiſcopi*, licèt profeſſione ſit legitimatus; Sanchez *de Matr. l. 8. d. 1. c. 5. à n. 16.* Barboſ. in *c. 1. de fil. Presbyt. n. 8. & filium illegitimum alicujus Religioſi*, poſſe Patri ſuo ſuccedere in Prælatura ejusdem Religionis, in qua ipſius Pater Prælaturam, vel dignitatem habuit, aut habet, affirmari à Fratre Emmanuele; negari à Miranda apud Barboſam in *c. 3. de fil. Presbyt. n. 7.*

2212. Excipe 2. niſi neceſſitas, vel evidens utilitas Eccleſiæ poſtularet, *illegitimum* ad Ordines admitti; ne ſcilicet in Eccleſiæ detrimentum cedat, quod in ejus commodum inductum eſt à jure. Excipe 3. niſi defectus natalium ſit occultus, & diſpenſatio occultè peti non poſſit, ſine ſua vel parentum infamia apud Papam vel Epiſcopum in caſu, quo illegitimum urget gravis neceſſitas Ordines ſuſcipiendi. Sic Pirhing *h. t. n. 9.* Excipe 4. niſi reſtituantur natalibus, vel per ſubſequens matrimonium, vel Reſcripto Pontificis, aut alterius, qui tales legitimare poteſt ad hunc effectum.

## ARTICULUS II.

### *Quis diſpenſet ad Ordines cum illegitimis?*

2213. EX dictis *n.* 2209. conſtat, cum illegitimis Epiſcopum diſpenſare poſſe ad minores Ordines *tantùm*; & conſequenter ad Beneficia ſimplicia, non autem *directè* ad curata; nec ad dignitates: ad ſacros verò Ordines, & Beneficia majora ſolum Pontificem per *c. 1. h. t. in 6.* ibi: is, qui defectum patitur natalium, ex diſpenſatione Epiſcopi licitè poteſt (ſi ei aliud Canonicum non obſtat) *ad Ordines promoveri minores, & obtinere Beneficium, cui cura non imminet animarum: dummodo ſit tale*, ſuper quo per ipſum Epiſcopum valeat diſpenſari; ad Ordines quoque majores, vel Beneficia curam animarum habentia, ſuper quibus nequit Epiſcopus diſpenſare, ſine diſpenſatione ſedis Apoſt. promoveri non poteſt.

Not. autem 1. cùm dicimus, Epiſcopum 2214.
diſpenſare poſſe cum illegitimis ad beneficia ſimplicia, intelligi illa, ſuper quibus Epiſcopus poteſt diſpenſare, ut monet ipſe textus in *cit. c. 1.* nimirum ipſum non prohibente, à tali diſpenſatione, jure communi, conſuetudine Curiæ Romanæ; aut Eccleſiæ particularis, ſtatuto jurato, vel à Papa confirmato, ut tradunt Doctores in *cit. c. 1. h. t. in 6.*

Ex quo colliges quædam beneficia eſſe extra Epiſcopi poteſtatem quoad hunc caſum cum illegitimis, ut ſunt, quæ habent annexam dignitatem, vel perſonatum, etiam ſine cura; ſic Azor *p. 2. l. 6. c. 3. q. 3.* Secundò, quæ requirunt in beneficiato Ordinem ſacrum; tertiò, quæ illegitimi parens priùs habuit in tali Eccleſia, *gloſſ. in cit. c. 1. V. tale*; quartò, Canonicatus in Eccleſia Cathedrali, ſecundùm ſtylum Curiæ Romanæ: quintò dignitas prima, ſeu principalis in Eccleſia Collegiata, ſecundùm eundem.

Not. 2. licèt irregularitas, ex defectu 2215.
natalium, foret occulta, adhuc cum illâ diſpenſari non poſſe per Epiſcopum, vi Tridentini *Seſſ. 24. c. 6.* & Ordines ſacros; quia non eſt *ex delicto* ſubjecti irregularis. Nam omnes illegitimè nati ſunt irregulares, etiamſi defectus ſit occultus, & publicè habeantur pro legitimis; Layman. *l. 1. tr. 5. c. 5. à n. 1.* Hinc nec ad Ordines, nec ad beneficia promoveri poſſunt; Not. 3. nos *n.* 2213. ſignatè dixiſſe, Epiſcopum cum illegitimis diſpenſare non poſſe *directè* ad beneficia curata; nam ſecus eſt *indirectè*, ut ſi per accidens unita forent beneficio ſimplici aliàs ab Epiſcopo conferibili; ſic Barboſ. *in c. 6. de fil. Presbyt. num. 3.*

## ARTICULUS III.

### *De Filijs Presbyterorum legitimis, & illegitimis.*

2216. QUæstio est 1. an filius illegitimus alicujus Clerici, etiam solùm in minoribus constituti, possit obtinere beneficium aliquod Ecclesiasticum ? R. negativè ex *c. 2. h. t.* quod tamen accipe *de Beneficio in Ecclesia, in qua Pater ejus ministravit ;* & si talis, tacitò, quòd esset ejusmodi Sacerdotis filius, rescripto Apostolico, ut in ea Ecclesia Capellanus existeret, in eo institutus est, non obstante tali rescripto, removendum esse ; sic Alexander III. scribens ad Episcopum Licon. dum ait : ad præsentiam nostram accedens R. Presbyter, *tacitò quòd esset filius Sacerdotis*, impetravit à nobis, ut in Ecclesia, *in qua Pater ejus ministravit*, existeret Capellanus : ideóque mandamus, quatenus si tibi constiterit, quòd memoratus R. sit *in Sacerdotio genitus*, & quòd Pater in eadem Ecclesia ministravit : non obstantibus prædictis literis nostris, ipsum amoveas ab eadem. Similiter *præsentium. c. 3. eod.* expressè deciditur, *filium Sacerdotis Ecclesiæ paternæ præesse non posse* ; id, quod etiam dicitur c. *conquerente*, 4. *eod. & c. cùm decorem*, 15. *eod.* ibi : *filijs Canonicorum præbendas, in eisdem Ecclesijs, conferri non sinatis, quarum sunt Canonici patres eorum ;* sic Innocent. III. rationem reddens : *cùm indecorum sit, ut in Altaris officio, illegitimus filius, impudico Patri ministret, in quo Unigenitus DEI Filius æterno Patri, pro salute humani generis, victimatur.* Hinc, si illegitimus, maximè filius Spurius, instituatur in Ecclesia, in qua institutus est ejus Pater, institutio non valet ; *& instituens à suis beneficijs suspenditur*, ut dicitur c. *ad abolendam. 16. eod.*

2217. Not. tamen 1. quòd Episcopus, qui *scienter* contulit filio Sacerdotis *illegitimo* (ut notat Layman *in c. veniens n. 1.*) paternam Ecclesiam, exinde non possit illum removere per *cit. c. veniens 5. h. t.* si autem *ignorans*, posse illum in eadem permitti, donec in alia ei Ecclesia provideatur, unde honestè valeat sustentari ? sic Alexander III. Ex hoc colliges 1. quòd, si Episcopus illegitimum Sacerdotis filium *cienter* instituat in Ecclesia paterna, & facti pœnitens, eum removeat, substituto altero, remotio non valeat, in pœnam facti contra sacros canones, jure ipsum privante potestate, faciendi talem remotionem ; sic Layman *in cit. c. veniens, n. 2.* Hinc Colliges 2. quòd superior, proprio facto contradicere, illudque oppugnare, aut rescindere, non possit, si illud (v. g. collatio beneficij) secundùm substantiam, seu jure naturali subsistat, donec à Superiore rescindatur, ut colligitur ex *cit. c. Veniens.*

Not. 2. quamvis verum sit, quòd illegitimus, tacita inhabilitate sua, promotus ad beneficium Ecclesiæ paternæ, *Episcopo* vitium natalium *ignorante*, removendus sit, ut dictum est ; si tamen taliter promotus, pro gratia Papæ supplicet, eum esse tolerandum juxta c. *veniens*, donec alibi accomodetur ; & hoc partim ex commiseratione, ne alimentis careat, præsertim, si jam sit in sacris ordinatus ; partim in odium Episcopi, temerè illum promoventis, & mox factum retractantis ; ne factum illud approbari videatur ; sic Layman *cit. n. 2.* 2218.

Not. 3. ex suppositione, quòd filius Sacerdotis, vel aliàs, *illegitimè natus*, jam ordinatus sit, ei esse de Beneficio providendum, ut dicitur c. *proposuit 6. h. t.* Et ideo in tali casu præsentatus à Patrono, ad Ecclesiam patronatam, non potest ab Episcopo rejici ex eo, quòd sit illegitimè natus ; quia, ut ibidem ait Alexander III. *indignum est, quòd, post quam est in Subdiaconum ordinatus, omninò debeat beneficij Ecclesiastici provisione carere.* 2219.

Not. 4. illegitimum posse præesse Ecclesiæ, in qua Pater ejus sine titulo ministravit, vel servivit, ut *Vicarius temporalis*, vel *Capellanus amovibilis*. Barbos. *in c. Constitutus*, 8. *de fil. Presbyt. n. 2. & 3.* & constat ex ipso textu *cit. c. 8.* ibi : *si tibi constiterit, quòd Pater ejus præfatæ Capellæ persona, seu perpetuus Vicarius, non fuerit.*

Quæstio est 2. an filius Clerici, sed legitimus (nimirum ex legitimo matrimonio genitus) possit beneficium Ecclesiasticum obtinere ? R. quòd non possit *immediatè* succedere in beneficio, quod Pater ejus obtinuit *in titulum*, & tanquam Rector, 2220.

ctor, vel Vicarius possedit, ut dicitur in c. 11. *h. t.* cujus ratio sumitur ex Tridentino *sess. 25. de reform. c. 7.* quia *in beneficijs Ecclesiasticis, ea, quæ præseferunt speciem hæreditariæ successionis*, sacris constitutionibus contraria sunt, per c. *Apostolica 8. q. 1.* Idem definitum est in c. *Michaël. 13. eod.* ubi dicitur Filium, non posse esse *Vicarium perpetuum Ecclesiæ*, cujus *immediatè* parens Rector fuit; &, si Pater in aliqua Ecclesia Vicarius intitulatus fuit, non posse *immediatè* post ipsum, filium eam Vicariam consequi. Et in hoc solum summum Pontificem posse dispensare, constat ex c. *dilectus 17. eod. §. quo circa.*

2221. Not. tamen 1. *legitimum* filium Clerici posse succedere Patri in beneficio, quod Pater ejus priùs obtinuit, si ei non succedat *immediatè*; sed solùm *mediatè*, si scilicet inter Patrem, & Filium, post Patris obitum, interceßit alia persona, cui prædictum beneficium est collatum, ut constat ex c. *Ex transmissa 7. h. t.* Sic enim non Patris, sed huic personæ mediæ Successor existit. Unde super hoc Alexander III. Archiepiscopo Cantuariensi, *mandamus inquit, quatenus, si ita est* (nimirum, si in beneficio ejus Ecclesiæ inter Patrem, & Filium media interceßit persona, cui prædictum beneficium est collatum) *prænominatum Guil. ad præfatum beneficium admittere, non postponas*, non ideo minùs observato Apostolici rescripti decreto, quod successionem in Ecclesia DEI hæreditariam detestatur.

2222. Dixi *Filium legitimum.* Nam in hac materia triplex differentia singularis datur inter *legitimum*, & *illegitimum presbyteri Filium.* Prima, quia Filius *legitimus*, ac Pater ejus, in eadem Ecclesia, eodem tempore, possunt habere beneficium, ut constat ex *cit. c. ad hæc 12. h. t.* non autem *illegitimus*, & Pater ejus, per c. *Literas 14. h. t.* quod expressè loquitur de illegitimè genito, *etiam de uxore*; & Concil. Trid. *sess. 25. de reform. c. 15.* ibi: *Ut paternæ incontinentiæ memoria à Locis DEO consecratis*, quos maximè puritas, sanctitasque decet, *longissimè arceatur*, non liceat filijs Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesijs, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, *quodcunque, etiam dissimile beneficium obtinere*, nec in dictis Ecclesijs *quoquomodo* ministrare; *nec pensiones, super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere.* Quòd si in præsenti Pater, & Filius, *in eadem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur, cogatur Filius suum beneficium resignare*, aut *cum alio permutare*, extra Ecclesiam, intra trium mensium spatium; aliàs ipso jure eo privatus existat, & super iis quæcunque dispensatio surreptitia censeatur.

Secunda est, quòd Filius illegitimus, & 2223.
Pater ejus, *eodem tempore, in eadem Ecclesia, nec dissimilia beneficia obtinere possint*; secus legitimus, & Pater ejus, ut dicitur in Trid. *loc. cit.* Tertia est, quòd Filius illegitimus *nec mediatè* possit in eodem beneficio succedere Patri suo; secus legitimus *ex Constitut. Clement. VII.* apud Gigant. *de pensionib. q. 86.* & Barbosam *in cit. c. ad hæc nu. 4.* cùm autem hoc decretum sit pœnale, ac odiosum, extendi non debet *ad nepotes* talium Clericorum; sic Navarr. *consil. 9. à nu. 9. de Fil. presbyt.* & plures alij apud Barbos. *in cit. loc. Trid. nu. 6.*

Not. 2. Filium, etiam illegitimũ, in ad- 2224.
ministrando beneficio Ecclesiastico, quòd obtinet, posse licitè constituere Patrem suũ, *Vicarium merè temporalem*; hoc enim nullo jure cautum est; sic Layman in c. *Constitutus. 8. h. t. nu. 1.* & textus solùm loquitur de illegitimo, *recipiente beneficium* in Ecclesia, in qua Pater ejus beneficium habet, vel habuit; hinc, etiam Patrem non prohiberi, obtinere beneficium in Ecclesia, in qua ejus Filius habuit idem, vel quodcunque aliud, etiam dissimile, tradunt Rebuff. *in praxi benefic. tit. de dispensat. super defectu natal. num. 29.* Fr. Emman. *in summ. tom. 1. c. 29. nu. 4. in fine*; Vega *part. 1. summ. c. 36. casu 18.* Sayr. *de censur. l. 7. c. 10. num. 44. & seq.* Less. *de institut. lib. 2. cap. 34. n. 91.*

Not. 3. Filium Episcopi legitimũ, promo- 2225.
veri posse ad Ordines, & in paterna Ecclesia beneficiari etiã quoad Ecclesias, in quibus præsunt, vel præfuerunt genitores eorũ, licèt beneficium collatum Filio *simile* sit paterno; ut si Filius fiat Canonicus in eadem Ecclesia, in qua Pater ejus Canonicatum habet; sic Rebuffus *in praxi, tit. de dispensat. super defect. natal.* Nam in hoc

casu non succedit Filius Patri, quando in eadem Ecclesia aliud, licèt simile, beneficiũ obtinet; & habetur in c. *ad hæc*, 12. *h. t.* ubi Clemens III. Archiepiscopo Cassel. ad quæstionem: *an à Pontificibus generati, valeant ad sacros Ordines promoveri*, si scientiâ fuerint, & morum honestate probabiles? respondit: *sciat*, Fraternitas sua, *quòd, si ex legitimo sunt matrimonio procreati, nec aliud Canonicum objiciat: licitè possunt ad sacros Ordines ascendere, & in eisdem Ecclesijs, in quibus præsunt, vel præfuerunt genitores eorum, beneficium obtinere.*

Ex hoc conciliatur hoc capitulum cum c. *ad extirpandas*, ut scilicet cap. *ad hæc*, loquatur de Filijs *legitimis*, qui volunt præfici *in eisdem Ecclesijs*, in quibus eorum parentes obtinent, vel obtinuerunt aliud, vel simile beneficium; capit. *ad extirpandas* verò, loquatur pariter de filijs legitimis *in eisdem beneficijs* succedere volentibus Patri; hoc enim in isto prohibetur; illud autem in altero conceditur; sic Felinus c. *In nostra, de rescript. col.* 3.

2226. Not. 4. Filium, quem Sacerdos post promissum continentiæ votum *ex uxore* susceptit, absolutè loquendo, *legitimum esse*, consequenter hæreditariæ successionis, aliorumque jurium capacem; cùm ex vero matrimonio, & justis nuptijs natus sit. Nam matrimonium semel legitimè contractum nullo continentiæ voto solvitur; & si consummatum sit, nec professione Religiosa, ut diximus *l.* 4. ita Suarez *D.* 50. *de Censur. S.* 2. *nu.* 3. Sanchez *de matr. D.* 38. licèt oppositum doceat Rebuff. *in praxi, tit. de dispens. super defect. natal. nu.* 4. *& gloss. in c. Literas* 14. *h. t.* V. *not. unic.*

2227. Not. tamen 5. licèt talis filius *legitimus* sit, esse tamen *irregularem*, consequenter sine dispensatione Papæ, ad sacros Ordines, & beneficia Ecclesiastica promoveri non posse, ut colligitur ex c. *literas*, 14. *h. t.* ubi dicitur, illegitimè genitum, *etiam de uxore*, sine dispensatione ad Ordines, vel beneficia promoveri non posse, & hoc duntaxat sensu ejusmodi filium *illegitimum* esse docet Gonzalez *in cit. c. Literas n.* 3. nimirum *quoad Ordines, & beneficia Ecclesiastica* (non *quoad hæreditatẽ, & alia temporalia*) cùm irregularitas ex defectu natalium proveniat ex illegitimitate *canonica*; addens: non esse novum, quòd quis diversis respectibus habetur pro legitimo, & illegitimo, juxta c. *per Venerabilem. Qui Fil. sint legit.*

2228. Not. 6. quamvis gloss. in c. *ad hæc* 11. *h. t.* V. *Filij*, neget *nepotem* in eodem beneficio *immediatè* succedere posse avo suo; rectiùs tamen sub distinctione affirmari ab Hostiensi *in summa hujus Tituli*, §. *qui Filij. de successione facta Vivo Patre suo*, non autem *eo mortuo.* Nam si succedat avo, vivo adhuc Patre, vitiatur tota ratio hæreditariæ successionis, quæ in his prohibitionibus principaliter cavetur; secus, si Patre mortuo; quia tunc avo, est loco Filij. Si etiam Sylvester V. *Beneficium.* 3. *q.* 6. Layman in c. 2. *h. t. n.* 3. §. *quæritur secundò*; quia in odiosis nomine *Filij* non venit *Nepos.* V. *nu.* 2223.

Not. 7. Filium, illegitimè natum, vivente Patre suo, non posse recipi in Religionem, vel Monasterium, in quo Pater ejus professus est, ex Constitut. Greg. XIV. incip. *Circumspecta*, apud Quarantam *in summa Bullarij*, V. *Monasteria*; secus est, post mortem Patris, ut notat Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Regul. q.* 13. *nu.* 6.

2229. Not. 8. *c.* 2. *h. tit.* & decretum Trid. *sess.* 23. *de reform. cap.* 15. dicens *Filium Clerici, illegitimè natum, non posse obtinere beneficium Ecclesiasticum in Ecclesia, in qua Pater ejus ex officio ministravit*; imò nec pensiones super fructibus paterni beneficij; juxta Layman *in cit. c.* 2. *nu.* 3. etiam extendi ad Religiosos, ut ipsi, si à Clericis illegitimè geniti sint, ministrare non possint in sæculari Ecclesia paterna; quia & in his militat ratio, ex qua procedit Tridentinum, *ut paternæ incontinentiæ memoria à locis sacris aboleatur.*

* * *

QUÆ-

# QUÆSTIO XVIII.

## IN TITULUM XVIII. DE SERVIS NON ORDINANDIS, ET EORUM MANUMISSIONE.

2230. INter alia, quæ prohibent susceptionem ordinum, etiam est *servitus*, quæ est impedimentum *conditionis personæ*; sicut *vitium natalium* est impedimentum *originis*. Ratio hujus prohibitionis est, ne vilescat Clericalis Ordo, si servi, adhuc mancipati dominorum servitio, sacris altaris ministerijs associentur; divini enim ministerij dignitas, servilis conditionis vilitate, dedecorari non debet, ut dicitur c. *quicunque*, *dist.* 54. desumpto ex *CC.* Toletan. IV. *c.* 11. ibi: quicunque *libertatem* à dominis suis ita percipiunt, ut *nullum sibi in eis obsequium patronus retentet*, isti, si sine crimine sunt, *ad Clericatûs Ordinem liberi suscipiantur; quia* directa manumissione absoluti noscuntur. Qui verò, *retento obsequio*, manumissi sunt, pro eo, quòd adhuc patroni servitute tenentur obnoxij, *nullatenus sunt ad Ecclesiasticum Ordinem promovendi*; ne, quando voluerint eorum domini, fiant ex Clericis servi; & c. *Generalis*, 12. *dist. ead.* ibi Gelasius Papa, *generalis*, ait *querelæ vitanda præsumptio est*, qua propemodum causantur universi, passim *servos*, & *originarios*, dominorum jura, possessionumq; fugientes, sub Religione conversationis obtentu, vel ad monasteria se se conferre, vel ad Ecclesiasticum famulatum conniventibus quippe Præsulibus, indifferenter admitti; *quæ modis est omnibus amovenda pernicies, ne per Christiani nis institutum*, aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina subverti: præcipuè, *cùm nec ipsam ministerij clericalis, hac obligatione fuscari, conveniat dignitatem*; cogaturque pro statu militantium sibi, conditionéque jurgari, aut videri (quod absit) obnoxia: his præmissis:

### ARTICULUS I.

*De Servis non ordinandis.*

2231. SUmma hujus articuli est, quòd servi, seu mancipia, ordinari non debeant, nisi à Dominis suis manumissi, seu libertate donati sint. Et ideo ordinandus, etiam ad primam tonsuram, debet esse *ingenuus*, hoc est, liber vel nativitate, vel Domini manumissione; adeóque non debet esse servus c. 1. *h. t.* ibi: *nisi ante Clericatum ingenuitatis dignitate potiatur*; & c. *consuluit* 5. *eod.* ubi Alexander III. Archiepiscopo Turonensi: *neque spurios, neque servos ordinare debes*; &, si memor es, in consecratione tibi dictum fuit, *vide, ne quemlibet servilis conditionis ad Ordines promovere* præsumas. *Ingenuus* autem est, qui statim, cùm nascitur, liber est; Barbos. in c. 1. *de servis non ordinandis.* Hinc, si servus *sciente*, ac *non contradicente Domino* ordinetur etiam tantùm in prima tonsura, fit liber; si autem domino *ignorante*, manet servus; & Dominus eum repetere potest cap. 2. *h. t.* 19. & 20. *dist.* 54.

Circa hoc ulteriùs not. 1. Episcopum 2232.
*scienter* servum in sacris ordinantem, *Domino ignorante*, vel *invito*, teneri Domino duos servos æquè bonos, vel duplicatum pretium solvere; ordinatum autem fieri liberum, gloss. *in cit. c.* 2. *V. deponatur*, & habetur in c. *si servus* 19. *dist.* 54. ibi: *si servus absente*, & *nesciente Domino*, Episcopo tamen *sciente*, quòd servus sit, Diaconus, aut Presbyter fuerit ordinatus, ipso in clericatus officio permanente, Episcopus eum Domino *duplici satisfactione* compenset; *si verò* Episcopus, eum servum *nesciêrit*, qui testimonium perhibent, aut eum supplicaverint ordinari, simili redhibitioni teneantur obnoxij; *si ignoranter*, Domino ad duplum teneri eum, qui ei de idoneitate testimonium dedit, vel supplicavit, ut ordinetur: si autem etiam hic ignoravit, & à nemine inductus sit ad Ordines, & ordinatus sit in Diaconum, ipsum teneri Domino satisfacere, vel eum Domino reddi debere, c. *ex antiquis*, *dist.* 54. *junct. gloss. V. Vicarium* quod etiam jure hodierno dicendum est, si ordinatus sit in Subdiaconum, c. *miramur* 7. *h. t.* sed si in dicto casu ordinatus sit *Sacerdos*, non potest revocari in servitutem,

tutem, peculium tamen, si quod habet, amittit, *cit. c. ex antiquis* 9. Abbas *in c. 2. h. t. nu.* 1. cæterùm DEO servit in spiritualibus Ministerijs, c. 10. *dist.* 54.

2233. Not. 2. servum, ut dictum, Domino redditum, manere privatum usu ordinum, & amittere privilegium fori c. *Ex antiquis junct. gloss. V. Religioso privilegio*; nec habitum, nec tonsuram deferre posse; quia manet in statu servi; Toletus *in Summa l. 1. c. 59. nu.* 10. retinere tamen privilegium Canonis, *gloss. in cap. 2. dist.* 54. *V. ceciderit; dist. cit.* ibi: *ejus conditionis sit, cujus fuerat ante gradum.*

Not. 3. similiter etiam prohiberi, ordinari ob defectum plenæ libertatis libertos, seu libertinos, nisi à Patronis fuerint directè, & sine retentione obsequij temporalis manumissi c. 5. *& c. fin. dist.* 54. quod etiam dicendum est de servis *originarijs*, vel *adscirptitijs* (**Leibaignen**) si Dominis suis personaliter obligati sint, *cap. 21. dist.* 54. *V.* Laymon. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 8.*

## ARTICULUS II.

### *De Manumissione Servorum.*

2234. AGimus hìc de manumissione servorum non universim; sed quantùm requiritur *ad Ordines recipiendos;* cùm servi non possint licitè ordinari. Hinc omissis varijs manumissionis formulis apud Romanos usitatis; ac iis etiam, quibus olim in Ecclesia, juxta c. 1. *h. t.* servi manumitti solebant (de quibus videri potest Gonzalez *in cit. c. 2. à nu.* 2.) notandum in hac quæstione *libertinitatis, & ingenuitatis jura* ab usu recessisse, & solam manumittentis voluntatem attendi. Unde *libertas* locò *ingenuitatis*, hoc loco, sufficit, ut rectè notat Gonzalez *cit. nu.* 6. Quare:

Ut Servus, in præsenti quæstione, censeatur manumissus, & libertate (quæ requiritur ad recipiendos Ordines) potiatur, sufficit, *si Dominus servo det licentiam, suscipiendi Ordines, licet sibi reservet operas ejus spirituales;* & tali casu, si servus in illis præstandis foret contumax, deponendus esset, *c. 4. h. t.* ibi: *si quis de servis suis quemquam donaverit libertate, & ipsum in Presbyterum fecerit ordinari*, ille autem postea in superbiam elatus, Domino suo *horas Canonicas psallere noluerit*: accusatus apud Episcopum, qui ordinaverit eum, *degradetur;* idem sufficit, si Ecclesia, habens servum, ei det licentiam recipiendi Ordines, licèt sibi reservet jus, vendicandi sibi post obitum ejus, quidquid acquisivit *c. 3. h. t.* ibi: *de famulis Ecclesiæ constituere Presbyteros, & Diaconos per parœcias liceat*, ita tamen, ut antea manumissi statum recipiant libertatis. *Quicquid autem talibus extiterit debitum, aut quolibet modo collatum eis in personas extraneas transmittere non licebit; sed omnia ad jus Ecclesiæ*, à qua manumissi sunt, *post eorum obitum, debeant pertinere.* Quibus (sicut cæteris Ecclesiæ libertis) accusandi, vel testificandi adversus Ecclesiam, aditus præcludatur: ad quod si aspiraverint, non solùm libertatis beneficiò careant, sed etiam honoris gradu, quem non dignitate naturæ, sed necessitate temporis promeruerunt; aut, si eadem concedat servo suo facultatem Ordinum, *ea lege*, ut Ecclesiæ ipsi hanc licentiam danti perpetuò serviat *in Divinis Officijs c. 6. h. t.* 2235.

# QUÆSTIO XIX.

## IN TIT. XIX. DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA, ORDINANDIS, VEL NON.

2236. PRæter illegitimos, & servilis conditionis homines, ab Ordine Ecclesiastico secluduntur etiam, qui propter aliena negotia, quæ gesserunt, rationibus reddendis sunt obnoxij; puta procuratores, quæstores, tutores, & curatores pupillorum; ne scilicet, si illis obærati maneant, competenti Laicorum foro, per transitum ad statum Clericalem subtrahantur, vel cum dedecore statûs Clericalis negotijs sæcularibus implicentur, ut constat ex *h. t. c. unic.*

Not. autem 1. hoc impedimentum cessare, ubi à talibus ratiocinijs liberati fuerint, ut habetur *cit. c. unic.* intellige, si ab officio, & obligatione rationum de 2237.

Offi-

Officio: si autem manet obligatio officij, seu tractandi similia negotia, esto cesset obligatio reddendi rationes administrationis; vel econtra, manet impedimentum. Quamvis aliqui limitent ad sola ratiocinia *Curialium*, seu publica, quorum expressè meminit textus; licèt probabilius Pirhing judicet, limitationem non habere locum, ut colligitur ex *cit. c. unico.* ibi: *si enim, ante libertatem, negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamatur.* Excipe tamen, si rationibus obnoxius, non sit ampliùs solvendo; tunc deposito officio non est excludendus ab ordinibus ex illo titulo; Suarez *D. 51. de Censur. S. 3. n. 23.* vel nisi præstiterit fidejussores Barbos. in *c. 1. h. t. n. 6.*

Not. 2. per obligatos ad ratiocinia, quos durante tali obligatione juxta *cit. c. unic. h. t.* dicimus exclusos à recipiendis ordinibus, etiam intelligi *obligatos militiæ*, *c. unic. dist. 53.* secundò *obligatos ad feudum*, exigens personale obsequium præstandum Domino directo; sic Sylvester *in Summa* V. *feudum q. 8.* tertiò *conductores vectigalium, fisci, agrorum colendorum &c. c. 1 & 3. 21. q. 3. c. 1. & 2. ne Clerici vel Monachi.*

1238. Not. 3. excipi 1. administratores bonorum Ecclesiasticorum, vel causæ piæ tam publicæ, quàm privatæ; secundò defensores personarum miserabilium, seu indefensarum, ut orphanorum, pauperum, *c. 1. 21. q. 3. & gloss. in cit. c. unic. V. Ratiocinia h. t.* tertiò, tutores legitimos, *c. ult. dist. 86.* Ex hoc igitur *c. unico*, hæc deducitur conclusio juxta dicta, *Ratiocinijs obligatos, ad sacros Ordines admitti non posse, nisi onere deposito & redditis rationibus*, id, quod etiam habetur c. *illud, dist. 23. c. Præcipimus, dist. 34. c. Præterea, dist. 51.* & passim alibi. Varias hujus prohibitionis rationes afferunt Authores, videndas apud Gonzalez ad *cit. c. Unicum à n. 7.* qui veram rationem esse censet, *ne infametur Ecclesia*, quod insinuat textus, ibi: *si enim, ante libertatem, negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamatur.*

Est autem discrimen constituendum inter *tutores Ecclesiæ, & miserabilium personarum*, ac *inter tutores testamentarios, & legitimos.* Nam primi ordinari possunt, non tantùm, *dum actu tutores, & procuratores Ecclesiarum, & miserabilium personarum sunt; sed etiam postquam Ordinati existunt*; non autem secundi, per c. *fin. dist. 86. c. 2. dist. 87. & 21. q. 3. c. 1.* sic, licèt Monachis prohibitum sit, sæcularia negotia tractare *in Tit. ne Clerici, vel Monachi*; secus tamen est, si tractent administrationem rerum ipsius Monasterij.

* * *

# QUÆSTIO XX.

## IN TIT. XX. DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON.

1239. ALiud impedimentum Ordinis est, quod nascitur ex vitio, seu defectu aliquo corporis. Hoc triplex est: *mutilatio, debilitatio, deformitas.* Dicitur *mutilatus*, qui caret membro aliquo ad specialem aliquam functionem corporis deputato; qualiter *Oculus*, ad visionem; *digitus*, ad apprehensionem; *pes*, ad ambulationem requiritur. *Debilitatus*, qui membrum habet, sed inefficax, v. g. manum aridam, oculum cœcum: *deformis*, qui notabilem aliquam maculam habet in aliquo corporis membro. Not. autem, licèt etiam in lege veteri, ex DEI præcepto, statuta fuerit irregularitas, ne offerat panes DEO suo, nec accedat ad Ministerium ejus (ut patet ex Levitico) qui *cæcus* fuerit, qui *claudus*; qui *parvo, grandi*, vel *torto naso &c.* ex hoc tamen non inferri legitimè irregularitatem, de qua præsenti titulo, esse Juris Divini; cùm apertè dicatur esse impedimentum tantùm Canonicum, c. *si cui, dist. 34. & Trid. Sess. 24. de Reform. c. 7.* consequenter in eo dispensare valeat summus Pontifex, *c. 2. c. exposuisti, c. fin. h. t.* licèt conformis sit legi veteri.

## ARTICULUS I.

### *De Corpore mutilatis.*

2240. COmmunis doctrina est, quòd *ex mutilatione* contingat aliquem *irregularem* fieri, ad Ordines 1. si careat digito necessariò ad celebrandum sine scandalo; sic Barbosa in *c.* 1. *h. t. n.* 2. vel si careat manu, *c.* 6. *eod.* vel si careat pollice, vel indice, ex toto; non autem, si alio digito, ut notat Barbosa. *cit. ex c. Lator, dist.* 55. ubi *n.* 3. addit, si *pars pollicis* desit, & notabilem defectum non producat, neque Hostiam frangere impediat, aut celebrationem sine scandalo, non induci irregularitatem, *si nulla præcessit culpa.* Si autem præcessit culpa, ex qua quis mutilatus est, induci irregularitatem; hinc *casu*, sed *suâ culpâ*, castratus, irregularis est; sic Barbos. in *c.* 3. ubi ponit exemplum castrati à marito, in scelere cum uxore deprehensi; vel quia ex copula cum muliere, morbo gallico infecta, castrari debuit: secus est, si ex justa causa quis castratus sit; Barb. in *c.* 3. *h. t. n.* 1. *& in c.* 5. *eod. n.* 1. ut si hoc necessarium foret, Judicio Medici, propter infirmitatem, ut habet *n.* 2. Censent aliqui etiam irregularem fieri, qui ex indignatione sibi dentem evulsit; ita Sylvester V. *corpore vitiatus n.* 5. sed contrarium est probabilius ex Bonacin. *de Censuris D.* 7. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 6.

2241. Præter hæc not. qui permittunt se castrari, vel sponte se ipsos castrant, non posse fieri Clericos; Rebuff. *in praxi de Dispens. cum corpore vitiat. n.* 15. & Barb. in *c.* 5. *h. t. n.* 2. *in fine;* quamvis, si Sacerdos se ipsum castraret, vel virilia præscinderet, ex devotione; vel, ad declinandas tentationes, Episcopus (authoritate Papæ in hoc casu delegata) cum eo dispensare possit, ut exerceat suum officium præter Altaris Ministerium, c. *significavit h. t.* cum Barbosa ibid. *n.* 3. licèt aliqui censeant, quòd etiam *suâ.* Mutilatio igitur tunc solùm irregularitatem inducit, cùm est ex culpa, vel causa. *Ex causâ*, cùm per eam quis caret parte corporis ad functionem Ordinis necessaria; *ex culpa*, quando fit ex vitiati culpa, ut cùm quis sibi nasum abscindit ex ira, vel aliquod membrum etiam non necessarium ad functionem Ordinis; Zoësius *h. t.* qui tamen requirit culpam gravem, & quæ directè concurrat ad mutilationem. Idem dic de deformitate, debilitatione, & scandalo.

## ARTICULUS II.

### *De Corpore debilitatis, & deformibus.*

EX debilitate corporis, vi cujus sine 2242.
scandalo, vel periculo quis celebrare non potest, nascitur irregularitas ad Ordines, ut si quis habeat manum aridam ad Ministerium Ordinis inefficacem; Barb. in c. *exposuisti, h. t. n.* 2. vel habeat manus tremulas perpetuò, cum periculo subvertendi calicem. Demum etiam ex vitio corporis, inducente deformitatem insignem, vel causante scandalum, provenit irregularitas; sic Barbosa in c. *fin. h. t. n.* 4. quale autem corporis vitium ejusmodi deformitatem, vel scandalum pariat, *Episcopi arbitrio* remittitur; Barb. *in c.* 2. *eod. n.* 4. Hinc maculam in oculo habens sine magna deformitate, ex hoc capite non est irregularis; Barb. *in c.* 2. *h. t. n.* 2. nec carens præcisè ungulâ, seu ungue pollicis, c. *Thomas h. t.* nec claudus, modò sine baculo ad celebrandum accedere possit, c. 57. *dist.* 1. *de Consecrat.* nec habens ampliatos digitos pedis; Zoësius hìc: secus est, si quis sit omninò cœcus, vel monoculus, lippus diu, & continuò, carens oculo canonico, nisi suppleat ejus defectum dexter; habens nasum abscissum, blœsus, ut non benè verba pronuntiet, auribus carens propriâ culpâ, valdè curvi, & gibbosi, laborantes podagrâ, vel scabie continua, Paralytici, leprosi &c. de quibus Barbosa *p.* 2. *de Offic. & potest. Episc. allegat.* 42.

Præter hæc not. 1. irregularitatem non 2243.
induci ex amisso digito, vel ejus parte, si non requiratur ad frangendam Hostiam, nec scandalum, hoc est *notabilem deformitatem* pariat ex *c.* 1. *h. t.* & Layman ibid. *n.* 1. Not. 2. licèt irregularis sit se ipsum castrans, vel castratus ab alijs, ut diximus *n.* 2241. hoc tamen non procedere de illo, qui vel absque genitalibus natus, vel in cunabulis sectus, vel in persecutione castratus est, per c. *Ex parte.* 3. *h. t.* Not. 3. ubi dubitatur, an deformitas, vel debilitatio corporis inducat irregularitatem?

tem? ſtandum eſſe Judicio Epiſcopi. Sic Abbas in *c. 2. de Cleric. ægrot.* & Innocent. *in c. ſignificavit 4. h. t.* ibi: *Authoritate noſtra fretus, & tuâ*, prout videris expedire, *concedas.* Not. 4. ex hoc textu, gloſſam in præſenti, V. *tuâ*, inferre, *in hoc caſu* Epiſcopum poſſe diſpenſare, id quod etiam approbat Gonzalez in *cit. c. ſignificavit*, *n.* 4. caſus autem in præſenti eſt de Presbytero, qui credens, ſe obſequium præſtare DEO, ſibi fecit virilia amputari, de quo *nu.* 2241.

## ARTICULUS III.

### *Quis in hac irregularitate diſpenſet?*

2244. POteſtas diſpenſandi, cum ejusmodi corpore vitiatis, eſt ſolùm penes ſummum Pontificem, ſic Barboſa *cit. allegat. 42. n. 57. V. c. non confidat. diſt. 50.* quamvis aliqui putent etiam Epiſcopum poſſe cum his diſpenſare, quando vitium eſt occultum, non impediens functionem Ordinis, nec notabilem inducens deformitatem, de quibus Layman *l. 1. Summæ tr. 5. p. 5. c. ult. à n. 2.* modum autem, & praxim, ſupplicandi ſummo Pontifici pro diſpenſatione ad Ordines, & beneficia cum corpore vitiatis, tradit Pyrrhus Corradus *in praxi diſpenſ. Apoſt. l. 3. c. 6. n. 15.*

2245. Not. autem 1. diſpenſationem pro oratore *abſente*, regulariter committi Ordinario, vel cum hac clauſula (ut inſpecto *per ſe ipſum*, & conſiderato diligenter defectu) vel cum iſta: *quatenus per ſe, vel alium, ſeu alios &c.* quo caſu Ordinarius commiſſionem ſub clauſula: *per ſeipſum*, literarum executionem non poterit alteri ſub delegare. Cùm enim ſit perſonalis, & demonſtrativa ad oculum (ut notat Abbas in *c. 1. de Offic. delegat*) imponit neceſſitatem. Et ideo quando Pontifex non intendit impedire delegationem, utitur clauſula poſteriore.

2246. Not. 2. ex Corrado *cit. n.* 19. quandocunque conceditur diſpenſatio in hac materia, etiamſi defectus Romæ ſit recognitus, nunquam oratori dari literas *diſpenſationis*, ſed ſolùm *mandati* de diſpenſando; nec ad Vicarium Epiſcopi, ſed ad Epiſcopum tantùm per *c. 2. de Corp. vitiat.* ibi: *de macula verò, Archiepiſcopo prædicto mandavimus.* Ratio tamen, quam reddit *n.* 20. Corradus (*quòd ut plurimum ad officium Vicarij Epiſcopi aſſumantur Viri rudes, & imperiti, qui neque prima norunt elementa legum*) non videtur vera quoad ly, *ut plurimum* V. Azor *p. 2. l. 3. c. 37.* Contrarium enim, ſaltem in Germania conſtat.

Not. 3. in multis corporis defectibus, 2247.
qui tamen non generant ſcandalum, ſeu notabilem deformitatem, & compenſantur cum aliis bonis ſupplicantium qualitatibus, quandoque diſpenſari, ut in facti contingentia in exemplis demonſtrat Corradus *cit. à num. 26. qui n. 28.* notat, *claudicantes* non poſſe uti baculo ad celebrandum; cùm id ſumma ratione ſtatutum ſit in c. *nullus Epiſcopus, diſt. 1. de Conſecr.* ubi habetur, ut *nullus præſumat cum baculo introire, aut velato capite Altari DEI aſſiſtere; quoniam & Apoſtolus* prohibet Viros, *velato capite, orare in Eccleſia; & qui temerè præſumpſerit, Communione privetur.*

Et quamvis Navarrus *Conſil. 7. de Celebrat. Miſſ. n. 1.* quoad ſecundum (*de capite velato*) dicat, quòd id nullo jure, vel ſpecialiter prohibeatur; & in fine, quòd ſi cauſa eſſet dubia, & commodè adiri poſſet Epiſcopus, deberet ab eo impetrari diſpenſatio: fallitur tamen in hoc; cùm extet cit. Capitulum, *nullus Epiſcopus*, quo id expreſsè prohibetur.

Not. 4. ex ipſius faciei deformitate (ut 2248.
ſi vergeret ad monſtroſitatem, vel vultum ridiculum) non autem colore (an ſit candidus, rubeus, vel niger, ut eſt in Mauris vel æthiope) impediri promovendum ad Ordines, ut cenſet Filliucius *tr. 9. de Cenſur. c. 6. à n. 165.* nam talis deformitas revera plus ſcandali in celebrante affert, quàm pietatis, aut decoris.

Not. 5. juxta Majolum *l. 1. c. 21. n. 2.* 2249.
*eos*, qui faciem ſucco illinunt, aut crines, vel barbam tingunt, non niſi poſt pœnitentiam admittendos eſſe, & quandoque deponendos; ſed hoc nullo jure probatur, ut notat Corradus *cit. n. 33.* dicens: quòd, ſi ita eſſet, hodie quàm plurimi egerent diſpenſatione.

Porro inter cauſas pro impetranda di- 2250.
ſpenſatione in vitio corporis, ubi non generat talem deformitatem, quæ ſcandalum generet in populo, aut Divinis præſtet impedimentum, ea communiter aſſer-

tur, quòd talis *devotionis fervore accensus plurimùm cupiat Clericali Charactere insigniri*, ut videri potest apud Corradum in allatis formulis, supplicationum. Illud ad extremum nota, Ordinatum cum *occulto* defectu (v. g. quòd in cunis sectus sit vel per injuriam, vel vim castratus &c.) non teneri testes sibi abscissos (ut vulgus falsò opinatur) secum deferre; sic Abbas in c. *ex parte*, *h. t. n.* 1. Covar. *in Clem. unic. eod. p.* 1. *n.* 5.

* * *

# QUÆSTIO XXI.

## IN TITULUM XXI. DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

2251. *Bigamos* esse irregulares, communis docet; hanc tamen irregularitatem non provenire à Jure Divino (ut voluerunt Franciscus Turrianus *l.* 1. *adverss. Magdeburgens. c.* 1. Socinus in c. *ad audientiam*, *de Homicid. n.* 2.) sed à Jure Ecclesiastico, docet cum communi D. Thomas in 4. *dist.* 29. *a.* 1. nam, licèt Paulus, & alij Apostoli statuerint (quia illo ævo non facilè reperiri poterant Christiani cœlibes, Sacerdotio idonei) eos saltem, ex viduis assumi, qui unius duntaxat fuissent uxoris Viri (quam prohibitionem amplexi fuerant Ecclesiæ Patres in Concilio Nicæno, & alijs sæculis subsequentibus celebratis) hoc tamen non fecerunt *ut promulgatores Evangelij* (qua constituebatur *jus Divinum*) sed tanquam Prælati Ecclesiæ, & Pastores animarum, sancito duntaxat jure positivo, ut exponit Sotus in 4. *dist.* 27. *q.* 3. *a.* 1. propter quod non semel ipse Paulus præmonebat, *se*, *non autem Dominum*, *præcipere*, ut habetur 1. *Cor.* 7. quibus positis:

### ARTICULUS I.

### *Quid, & quotuplex sit Bigamia?*

2252. *Bigamia*, prout hìc accipitur, est irregularitas, orta ex defectu perfectè significandi, quod significat Sacramentum matrimonij; triplex est, vera, interpretativa, & similitudinaria, seu metaphorica. *Bigamia vera*, seu propriè dicta est, cùm quis successivè cum duabus uxoribus matrimonium validè contraxit, & consumavit, c. *debitum h. t. c. acutus*, *c. deindè*, *c. qui sine*, *dist.* 201. sive id fuerit ante, sive post Baptismum susceptum; Sanchez *l.* 7 *de matr. D.* 83. *n.* 9. *Interpretativa* est, quæ secundùm juris interpretationem, seu fictionem Bigamia censetur; Sic Desselius hìc §. 4. & *c. si quis viduam*, *c. præcipimus*, *dist.* 34. *c. si quis viduam*, *dist.* 50. & *c. quisquis*, *dist.* 84. Bigamiam autem *similitudinariam* dicunt esse, cùm quis contrahit, & consummat matrimonium *de facto*, *non de jure*, propterea, quòd ob votum continentiæ, quod habet, invalidè contrahat, utpote jam Spiritualiter conjunctus Christo per ejusmodi votum; sic Desselius, *h. t. num.* 5.

Not. autem Bigamiam *interpretativam* 2253. juxta Sanchez *cit. D.* 84. & alios, juris interpretatione, contingere in quatuor casibus. Primus est, quando quis in uxorem duxit viduam à priori Viro cognitam, vel ab alio priùs extra matrimonium corruptam, si cum ea matrimonium consummavit, c. *Maritum*, *dist.* 33. & alibi passim; secundus, quando quis duxit Virginem; & eam post adulterium cum alio commissùm, carnaliter cognoscit, etiam ignorans ejus adulterium, c. *si cujus*, *cum seq. dist.* 34. tertius est, quando Clericus post mortuam primam uxorem, quam duxit Virginem, vel ea etiam vivente susscepit sacros Ordines, & post hoc aliam (licèt invalidè) duxit, eamque affectu conjugali cognovit, c. *nuper*, *h. t.* quod quidem expressè loquitur de Clerico *in sacris*, tamen etiam ad Clericos in minoribus, imò & laicos extenditur, cùm fundetur in defectu perfectæ significationis Sacramenti omnibus communi; ac in eo, quòd quis bis contraxerit matrimonium, licèt unum invalidè, si utrumque consummavit affectu maritali: quartus casus est, si quis duo matrimonia contraxit de *facto*, *non de jure*, *adeóque ambo invalida*. Ex hoc inferunt sine matrimonio vero, vel attentato, eoque consummato affectu conjugali, non dari Bigamiam, atque adeò hanc non nasci ex concubinatu, repetitis sponsalibus, frequenti fornicatione cum meretricibus, &c. ita Pirhing *h. t.*

*h. t. n.* 4. *&* 5. in hujus confirmationem V. dicenda à *n.* 2255.

2254. Not. 2. matrimonium bigamorum in eo deficere à perfecta significatione Sacramentali, quam cæteroquin habet matrimonium fidelium non bigamorum, *quòd hoc* (non autem illud) *habeat similitudinem matrimonij celebrati à Christo cum Ecclesia, qui accepit Virginem, & intactam*, ut notat Gonzalez in c. 9. *h. t. n.* 8. Hinc D. Augustinus de bono conjugali c. 18. *non absurdum visum est*, inquit, *eum, qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam Sacramenti amisisse, non ad dotis bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessarium.*

2255. Not. 3. circa bigamiam interpretativam in secundo casu bigamiæ interpretativæ, de quo *nu.* 2254. à nonnullis agnosci quidem *irregularitatem* in tali viro *ex infamia*, quòd copuletur adulteræ; *non* autem *ex bigamia*; id, quod etiam tenent de iis, qui duxerunt uxores jam ab alio cognitas, qui est primi casûs pars secunda. Nam in hoc casu non intercessit duplex matrimonium de jure, vel facto; ita Gibalinus *de irregular. p.* 2. *c.* 3. & apud eum Sayrus.

Nec obstant ea, quæ in contrarium afferuntur ex c. *si cujus*, & c. *si Laici dist.* 34. Nam ad hos Canones respondet Gibalinus *cit.* dicendo, ibi non affirmari maritos, quorum uxores adulterium perpetrârunt, esse *bigamos*; sed *irregulares*; quæ irregularitas non *ex bigamia*, sed *ex infamia* nascitur.

2256. Not. 4. irregularitatem quidem induci, etiam cùm quis plura contraxit matrimonia, sed invalidè propter impedimentum dirimens; aut post unum validum, alterum invalidum; non tamen *ex bigamia, sed ex delicto*; sicut contingit in eo, qui cum uxore simul concubinam habuit, cujus irregularitas non provenit ex bigamia, sed ex delicto. Et sic Canonem Apostolicum 18. accipit Gibalinus *cit. p.* 93.

2257. Not. 5. bigamiam *similitudinariam*, de qua *nu.* 2252. negari à Pasilio Legionensi *q.* 3. *Scholastica c.* 9. *pag.* 171 Gibalino *cit. c.* 3. *propos.* 4. Gonzalez *cit. nu.* 9. quia, licèt tales arceantur ab ordinibus (consequenter sint irregulares) non tamen *ob defectum significationis Sacramenti*, qui in bigamo reperitur; sed in pœnam delicti opere subsecuto, ut ait Innocentius in c. *fin. h. t.* & probatur ex c. *sanè*, 2. *de Cleric. conjugat.* ubi ad Ordines, & beneficia deinceps admitti prohibentur *Clerici conjugati*, nisi fortè perpetuam voverent castitatem, *& qui unicam, & Virginem habuissent.*

Ex hoc colliges, divisionem illam bi- 2258.
gamiæ in *interpretativam, & similitudinariam* non ab omnibus recipi, præsertim secundùm divisionem *interpretativæ* in secundum, tertium, & quartum casum, de quo *à nu.* 2253. Et ideo etiam Pyrrhus Corradus *in praxi dispens. Apostol. l.* 2. *c.* 1. *nu.* 3. bigamiam *interpretativam* definit *præcipuè* per hoc, quòd quis accepeperit *viduam* in uxorem, eamque carnaliter cognoverit. Unde quando in c. *quot quot* 27. *q.* 2. dicitur, prævaricantes à castitate promissa, & professa, pœnis bigamorum plecti, *& inter bigamos haberi*, aliud non intenditur, quam quòd tales puniantur *ut bigami*, non, *quia bigami sunt*; sed, quia delictum perpetratum vindicatur *pœnis bigamorum* V. *nu.* 2810.

## ARTICULUS II.

### *An quælibet bigamia faciat irregularem?*

RESp. affirmativè, ex c. *confidat*, 59. 2259.
*dist.* 50. ubi prohibetur, ne ullus Pontificum, seu Episcoporum, bigamos applicet divinis ministerijs servituros, & c. *nuper h. t.* ubi simpliciter asseritur, quòd *cum bigamis dispensare non liceat*, & c. *unic. eod. in* 6. ubi bigami privantur omni privilegio Clericali, & sub pœna excommunicationis prohibentur tonsuram, vel habitum Clericalem deferre; advertendum tamen, nos loqui *de qualibet bigamia*, quæ *in ordine ad hunc effectum*, saltem juris dispositione *bigamia* censetur; & hoc propter dicta *à n.* 2256.

Ex hoc colliges 1. quòd bigami simpli- 2260.
citer arceantur à clericatu, & ordinibus, ut habetur ex decreto Concilij generalis Nicæni, quod refertur in c. *cognoscamus* 14. *dist.* 34. ubi dicitur, nullum debere Clericum esse, qui *secunda conjugia* fortitus est; & *viduarum maritos*, Clericos fieri non posse, intellige cum limitatione

in *nu.* 2811. Colliges 2. si bigamia clericatui, vel ordinibus jam susceptis supervenit, ejusmodi bigamum in illis non posse ministrare; colligitur ex Pirhing *h. t. nu.* 78. *in fine*, ubi docet, quòd Episcopus, etiam quoad usum ordinum minorum, dispensare non possit.

2261. Not. autem ex dictis *nu.* 2251. hoc, quòd bigamia inducat irregularitatem, esse juris tantùm Ecclesiastici. Nam aliàs summus Pontifex cum bigamis dispensare non posset, cujus contrarium habetur in cap. *Lector dist.* 34. *junct. gloss. V. fiat*, ubi refert hæc, Lucium Papam cum Archiepiscopo Panormitano bigamo dispensâsse. Quando autem in c. 2. *h. t.* dicitur, *in bigamis contra Apostolum dispensare non licet*, aliud non significatur, quàm *non facilè, nec sine gravi causa.* Et ideo etiam Pontifex difficillimè dispensat cum bigamis, præsertim veris; ita Suarez *decensur. D.* 49. *S.* 6. *n.* 6.

## ARTICULUS III.

### *Quis dispenset in irregularitate ex bigamia?*

2262. NOt. nos hìc loqui de bigamis juxta communem bigamiæ divisionem, de qua *nu.* 2252. quo posito: Resp. quòd in dicta irregularitate jure ordinario dispenset solus Pontifex. Nam hic solus de jure dispensat in jure Pontificio, & Conciliari: at irregularitas hæc est ex jure Pontificio, & Conciliari, ut dictum est; ergo. Unde, si dicitur, summus Pontifex non dispensat *in jure*, per Apostolos constituto ex c. 2. *h. t.* ibi: *quia in bigamis, contra Apostolum, dispensare non licet; & c.* 3. *eod.* ibi: *cùm à doctrina sit Apostoli alienum.* At illa irregularitas est talis juris *ex dict. supr.* Resp. cum distinctione: si jus sit costitutum per Apostolos, *ut interpretes, & nuntios divini juris*, C. *si ut Rectores Ecclesiarum solùm, & Episcopos*, N. sic enim faciunt jus tantùm Ecclesiasticum, seu positivum humanum. Et

2263. Ex hoc colliges, Episcopos, & Papâ inferiores, non posse, de jure ordinario, dispensare cum bigamis, *veris*, vel *interpretativis*, etiam ad primam tonsuram, vel beneficium simplex (secluså urgenti necessitate, qua posita aliàs, *jure extraordinario*, Episcopus potest dispensare in lege Superioris) ita Suarez *cit. D.* 49. *S.* 6. & comuniter alij ex ratione data, quòd hoc sit solius Papæ; quamvis S. Thomas, Sylvester, Sanchez, & Avila apud Pirhing doceant contrarium, qui propter istorum Doctorum authoritatem in *n.* 28. hìc, horum doctrinam judicat probabilem, & in praxi servari posse.

Dices: in c. *Lator* 18. *dist.* 34. Martinus V. videtur dicere, quòd Episcopus possit dispensare cum bigamo usque ad Subdiaconatum, exigente necessitate; Resp. cum Suarez *cit. D.* 49. *S.* 6. illud capitulum non esse Martini Papæ, prout illi à Gratiano inscribitur, sed Martini Archiepiscopi Bracharensis, qui diversos Canones collegit. Resp. 2. dato, quòd sit Martini Papæ; quia tamen ibi non declaratur, per quem fieri debeat dispensatio, nihil concludi pro Episcopo. Resp. 3. dato etiam, quòd Papa ibi declarâsset, posse fieri per Episcopum; ei tamen Canoni jam esse derogatum per Canones posteriores, quos retulimus supra. 2264.

Dices 2. c. 1. *qui Clerici, vel voventes*, dicitur, quòd Episcopus possit dispensare cum Diacono, qui matrimonium contraxit. Resp. ibi tantùm agi de illo, qui post matrimonium spirituale, seu votum continentiæ, dirimens matrimonium, contraxit matrimonium carnale de facto, quæ est bigamia solùm similitudinaria, de qua primò dicemus *n.* 2269. 2265.

Dices 3. in c. 1. *de fil. Presbyt. in* 6. dicitur, quòd Episcopus cum illegitimis possit dispensare ad Ordines minores; ergo etiam cum bigamis. &c. C. ant. quia præsumptio, quòd tales erunt immitatores paternæ incontinentiæ, cessat, quando ipsi laudabiliter vivunt; N. conseq. quia defectus, perfectæ significationis Sacramenti, non cessat etiam positâ laudabili bigamorum vitâ. 2266.

Dices 4. Episcopus dispensat cum criminosis v. g. adulteris, c. *atsi Clerici*, 4. §. *de adulteriis, de judiciis*: ergo etiam cum bigamis &c. C. ant. Nam delicta per pœnitentiam delentur; non autem bigamia, nec defectus illius perfectæ significationis Sacramenti; hinc. N. conseq. 2267.

Dices 5. Episcopus dispensare potest in omni irregularitate nascente ex delicto occulto, exceptâ eâ, quæ est ex homicidio volun- 2268.

voluntario, per Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.* sed talis irregularitas est ex duplici matrimonio invalido, vel uno valido; altero invalido, consequenter ex delicto, ergo. R. N. min. Nam irregularitas *ex bigamia*, non est pœna delicti, sed mera inhabilitas subjecti, quæ quandoque nascitur supposito delicto, quandoque sine omni delicto, & ideo etiam incurritur ab ignorante, ut dictum est suprà.

2269. Dixi superiùs, *cum bigamis veris*, vel *interpretativis* Episcopum non posse dispensare. Nam cum bigamis *similitudinarijs* potest etiam ad altiores Ordines, post peractam pœnitentiam, & vitam deinde laudabilem *c. 1. & 4. de Cleric. conjugat. junct. gloss. V. ex indulgentia*, præsertim si religionem ingrediantur. Sed intellige de illis, qui sunt similitudinariè bigami *ex eo*, quòd post solenne votum continentiæ, vel professionem religiosam invalidè duxerunt Virginem, ac cà conjugaliter usi sunt; non autem si cum vidua; ita Pirhing hìc *nu.* 31. quia sic esset bigamia interpretativa.

2270. Præter hoc not. 1. hanc irregularitatem ex bigamia oriundam nec per ingressum Religionis tolli, per quem aliàs regulariter tollitur omnis macula, ut notat Sayrus *l. 7. de Censur. c.* 13. adeoque non nisi dispensatione tollitur.

2271. Not. 2. literas Apostolicas non expediri sine supplicatione; porro formulam supplicandi pro dispensatione in bigamia, & modum eam conficiendi tradit Pyrrhus Corradus *l. 2. dispens. Apost. c. 1. à n. 22.* qui c. 3. notat sequentia, & primò in *nu.* 11. *nomen, & cognomen oratoris* exprimenda esse *in suplicatione* pro impetranda dispensatione in bigamia.

Secundò, in *nu.* 18. exprimendam esse *diœcesim Oratoris*; vel si sit nullius diœcesis, *nomen provinciæ* v. g. *exponitur humiliter.* s. v. pro parte N. *talis loci, nullius diœcesis, Provinciæ* N. tertiò, in *nu.* 17. exprimendam quoque *qualitatem Laicalem*, de stylo; quartò, *in nu.* 24. *qualitatem bigamiæ*: quintò in *n.* 20. *causam devotionis* sufficere ad impetrandam dispensationem.

## ARTICULUS IV.

### *De pœna bigami ordinati, & ordinantis.*

QUæstio est 1. quæ sit pœna bigami, sine dispensatione ordinati? 2272. Resp. 1. quod privatio usûs, & exercitij omnium ordinum *ex cap. 2. & 3. h. t.* ita Suarez *de censur. D. 49. S. 5. nu. 3.* R. 2. Clericos taliter, etiam in minoribus, ordinatos, privari omni privilegio Clericali, *c. unic. h. t. in 6.* & sub pœna excommunicationis ferendæ, prohiberi deferre tonsuram, vel Clericalem habitum, *c. unic. h. t. in 6. junct. gloss.* V. *Bigamos* & V. *anathemate.* Hoc tamen intellige 1. de Clericis ordinatis in bigamia *vera*, vel *interpretativa.* Nam similitudinaria non privat privilegio Clericali; sic gloss. *cit.* V. *Bigamos*, intellige 2. de Clericis non regularibus, sed sæcularibus; illi enim retinent privilegia Clericorum ratione status regularis, quem per bigamiam non amittunt; Pirhing hìc *nu.* 24.

Quæstio est 2. quam pœnam incurrat ordinans bigamum sine dispensatione? 2273. R. quòd incurrat suspensionem ferendam, à collatione similium ordinũ, quos bigamo contulit, per annum, *c. 2. h. t.* & à celebratione missæ, ut aliqui volunt apud Pirhing *h. t. num.* 25. licèt cum eo dispenset Papa; non autem, alij; Hostiensis hìc V. *dispensatio.*

* * *

# QUÆSTIO XXII.
## IN TITULUM XXII. DE CLERICIS PEREGRINIS.

2274. CLerici *peregrini* dicuntur, *extranei*, præsertim vagi, qui scilicet non sunt de tali Episcopatu, vel diœcesi; sive qui non sunt subjecti jurisdictioni Episcopi loci, in quo sunt, vel ad quem veniunt; quo posito: jure hodierno Concilij Tridentini *sess. 23. de reform. c. 16.* constitutum est, quòd *nullus Clericus peregrinus*, aliena diœcesi, ad Divina celebranda, & ministranda Sacramenta, admitti debeat ab Episco-

po

po loci, nisi exhibeat *formatas*, & *commendatitias* sui Ordinis *authenticas*; habetur etiam *c. 3. h. t.* & c. *Fraternitati*, 5. *de Cleric. non resid.* ibi: *Clericum alterius diœcesis, absque commendatitijs literis sui Episcopi, non debes recipere*; ubi gloss. V. *commendatitijs*, ait: *literæ commendatitiæ*, sive dimissoriæ *dicuntur*, quibus dimittitur, & absolvitur à potestate sui Episcopi, cum testimonio de vita & moribus: à fortiori autem ad majores Ordines promovendi non sunt, sine dimissorijs, & prædictis commendatitijs, esto locò illarum juramentum afferant *c. 2. h. t.*

2275. Hinc nota, præter literas dimissorias, subditis suis ab ordinarijs locorum quandoque dari etiam *commendatitias*, & *formatas*: commendatitiæ sunt, ut liceat eis, etiam alibi, missas celebrare, vel alia divina officia, vel ministeria obire, nullo scilicet impedimento canonico prohibitis à tali munere; *formatæ*, quibus Episcopus testatur, tali Clerico hos, vel illos Ordines, legitimè collatos esse.

2276. Nota 2. teneri singulos, etiam Episcopos, ut irreverentia vitetur, in suis Dœcesibus interdicere, ne cui vago, aut ignoto Sacerdoti missas celebrare liceat; Trid. *sess. 22. in decreto, de observand. in celebra. miss.* nisi priùs visis, & examinatis literis, de quibus suprà; quod etiam procedit de celebratione in Ecclesijs Regularium; sic Barb: *de offic. & potest. Episcopi. p. 2. alleg. 21. n. 8.*

2277. Nota 3. si Clericus peregrinus necessarijs literis careat, de illis justam tamen fidem faciat, admitti posse ad celebrandum; Barb. *cit. nu. 2.* si autem nec hoc possit, non permitti celebrare *in publico*; posse tamen *in occulto*, secluso scandalo, si revera Sacerdos sit, nullo canonico impedimento irretitus, *c. tuæ fraternitatis*, 3. *h. t.* & Barb. *ibidem nu. 4.* Si autem formatæ deperditæ sint, probatio suscepti ordinis fieri debet per testes legitimos, *cap. cùm olim, de privil. cum gloss. in c. 2. h. t.* V. *per argumenta*; vel alia idonea documenta, *gloss. cit.*

Not. 4. Prælatum, Episcopo inferiorem, sine Diœcesani consensu, in sua Ecclesia instituere non posse Clericos peregrinos, *c. fin. h. t.* secus est de alijs notis, & probatis; hos enim sine examine instituere possunt ad simplicia beneficia, quorum liberam collationem habent, sic Layman in *c. fin. nu. 2.* in alijs autem, quæ *curata* sunt, vel *patronata*, ab Episcopo examinari debent, secundùm Tridentinum *sess. 7. de reformatione c. 13. junct. Cardinal. declarat. & sess. 25. de reform. c. 9.* 2278.

Not. 5. quòd Clericis, qui sunt in sacris, si peregrinari velint, vel discessuri sint, Episcopus negare non possit *commendatitias*, vel *testimoniales*, nisi beneficia habeant *in titulum*, ratione quorum ad residentiam obligantur; ne scilicet eorum defectu in exercitio suorum ordinum, citra suum demeritum, impediantur; ita Suarez *l. 3. de voto. c. 4. nu. 9.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi p. 2. allegat. 20. nu. 5.* 2279.

Dixi: *vel testimoniales*, nimirum si commendatione digni non sint; quod autem affertur in contrarium ex antiquo jure, *c. si quis verò, 7. q. 1. c. non oportet 35. dist. 5. de consecra. &c.* procedebat ex eo, quia olim propter paucitatem Clericorum, cùm omnes intitulati essent, major erat obligatio permanendi, & sine jussu Episcopi à sua Ecclesia non discedendi, sic Layman *in c. 1. h. t. n. 5.* 2280.

Not. 6. si Sacerdos peregrinus à celebratione missarum repellatur, quia vel non habet formatas; vel habet, sed suspectas (v. g. propter fractum sigillum) posse nihilominus secretò celebrare: cùm suspensus, vel irregularis non sit; sic Innocentius *in c. 1. h. t.* Navarr. *consil. unico*, eodem; Barbosa *cit. nu. 3.* 2281.

* * *

# QUÆSTIO XXIII.

## IN TIT. XXIII. DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

EXpeditis illis, quæ pertinent *ad potestatem ordinis*, procedimus nunc ad quasdam dignitates, personatus, & officia Ecclesiastica, quæ spectant ad potestatem *jurisdictionis*, & *administrationis*; & primò quidem de officio & potestate 2281.

Archi-

Archidiaconi, qui primam, post Episcopum dignitatem, in Ecclesia Cathedrali, ex antiqua consuetudine obtinet, ut dicitur *c. ad hæc, 7. h. t.* Olim enim, in singulis urbibus, quibus præficiebatur Episcopus, septem Diaconi constitui solebant, ex quibus, qui cæteris antiquior erat, appellatus fuit *Archidiaconus*, hoc est princeps, seu primus *Diaconorum*; Azor *p. 2. l. 3. c. 14. q. 1.*

2283. Quæstio autem est 1. quodnam sit officium Archidiaconi? Resp. ejus officium, ex primæva institutione, olim, & in primitiva Ecclesia fuisse 1. curare, ut cæteri ritè suo officio fungerentur; sic Azor *cit:* Deinde, cùm Episcopus sacris operatur, sanctum Evangelium legere, cùm voluerit; aut id alicui Diacono præcipere: *c. officium, de officio Archidiaconi;* vasa Ecclesiæ custodire *cap. 3. eod:* tertiò, imperare Subdiaconis, & Levitis; Parochias solicitè ordinare, *c. 7. h. t.* ponere Prælatos in Sede; *c. 9. de officio Archidiaconi:* postea verò, potestas Archidiaconi valde aucta est; 1. ut esset *Vicarius Episcopi in omnibus c. 1. h. t.* & *oculus* Episcopi diceretur, *c. ad hæc, h. t.* & Trid. *sess: 24. de reform: c. 12.* hodie autem, spectatis variarum Ecclesiarum consuetudinibus, prout hæ non ubique eædem sunt, ita nec Archidiaconi potestas ubique eadem est; sic Layman *in c. 1. h. t. num: 2.* Spectato autem jure communi, officium Archidiaconi ex sua institutione non extendit se ad jurisdictionem fori externi; colligitur ex c. 5. *h. t.* ibi: *secundùm Ecclesiasticam institutionem.* Cæterùm *Archidiaconatus* est dignitas principalis post Episcopatum, Barbosa *in c. 2. de offic: Archidiac: n. 2. in fine;* habet curam in Clero tam in urbe, quàm in Parochijs existente, *cit: c. 1.* si non potest Episcopus, tertio quoq; anno visitat Diœcesim, & vice Episcopi emendat, quæ emendanda sunt; *cit. c. 1.* semel in anno, nisi necessitas aliud exigat, suas Ecclesias visitare debet, c. *Mandamus, 6. h. t.* ne tamen comitatu, & equitatu tunc Ecclesias oneret; Barbosa *de offic: & potest. Episcopi, p. 3. alleg: 73. nu. 39.* dum visitat Ecclesiam, jura, vel reditus sui Archidiaconatûs, aut præbendæ, non amittit distributiones quotidianas, Barbosa *in c. unic. de Cleric. non resident: n. 21.*

2284. Quæres 2. quando Archidiaconus munus suum exerceat? Resp. quòd illud exerceat ipso jure, absque alio facto, absente Episcopo, ac ejus Officialibus; Barb: *in cit. c. 1. nu. 3.* non autem Sede vacante, nec infra illos dies, quibus à Capitulo electio Vicarij facienda est; Trid: *sess: 24. de. reform: c. 16.* Archidiaconi audire possunt jurgia, & causas Presbyterorum, *c. 7. h. t.* mittere in corporalem possessionem institutos ab Episcopo; Barbosa *in cit. c. 7. nu. 6.* examinare promovendos ad Ordines, & beneficia, *c. 7. h. t.* simul cum Episcopo Decanos Rurales instituere, & destituere, *c. 7. h. tit:* si amborum vices communiter gerant. Fagnan: *in c. ad hæc h. t. in princip.* similiter alias causas civiles Clericorum minores, ubi solùm civiliter agitur, cognoscit Archidiaconus, tanquam Judex ordinarius, & prima instantia; sic Innocentius *in c. ad hæc, h. t. n. 4.* sed ab eo appellari potest ad Episcopum, vel ejus Vicarium, ut dicemus infrà, *n. 2286.* Ejus jurisdictio est *ordinaria*, juxta praxim Episcoporum *p. 1. V. Archidiaconus;* sed Episcopali inferior; Barbosa *in c. 7. h. t. nu. 5.* non tamen extendit se ad ardua negotia, c. 7. *h. tit.* nequit dare literas dimissorias, c. 8. *h. t.* sine licentia Episcopi; de jure nulli confert curam animarum, c. 4. *h. t.* Azor *p. 2. l. 3. c. 14. q. 2.* & contraria consuetudo reprobatur, c. 4. *h. t.* de jure, sine licentia Episcopi, non potest excommunicare, c. 5. *eod.* intellige *de electo ab Episcopo;* non autem *à Capitulo;* Barbosa *in cit. c. 5. nu. 2.* potest audire causas *non suo*, sed *Episcopi nomine*, ex commissione, non sufficiente, solùm generali; & decisiones suas ad Episcopum referre debet; Barbosa *in c. 5. h. t. à n. 4.*

Quæstio est 3. an quilibet Clerici eligi 2285.
possint in Archidiaconos? R. quòd non, nisi sint *Magistri*, seu *Doctores in Theologia*, vel *Licentiati in Jure Canonico*; sic Trid. *sess. 24. de Reform. c. 12.* saltem, ubi habent curam animarum, vel Jurisdictionem; Barbos. *in cit. loco* Trid. *n. 5.* ubi verò id non habent, non sunt *Oculus Episcopi;* Anguian. *de Legibus. l. 2. controv. 4. n. 10.* sed hodie videmus sæpè contrarium; an benè?

Quæstio est 4. an, & qualiter Archi- 2286.
diaconus differat ab Officiali, seu Generali Vicario Episcopi? R. quòd sic, & quidem

dem ex eo 1. quia Archidiaconus est Vicarius *natus, institutus, perpetuus, & datus à Jure;* Vicarius autem Generalis Episcopi, est Vicarius *factus, datus ab homine, non intitulatus, nec perpetuus*; sic Hostiensis *in Summa de Offic. Vicarij n. 2. in fine;* secundò, quòd Jurisdictio Archidiaconi immediatè, & directè, veniat *à lege, seu Jure*; Officialis Jurisdictio immediatè & directè *ab homine*: Marant. *de Ordin. Judic. p. 4. d. 5. n. 51.* tertiò quòd ab Archidiacono possit appellari ad Episcopum, vel ejus Vicarium, c. *referente 7. de præbendis;* non autem à Vicario, seu Officiali, *c. 2. de Consuetud. in 6.*

Ratio postremi hujus dicti est, quia Episcopus, & ipsius Officialis habent unum Tribunal, seu Consistorium; Archidiaconus autem habet tribunal suum proprium, sed juxta mensuram suæ Jurisdictionis, de qua dixi suprà; sic Hostiensis. *loc. cit.* cùm autem Archidiaconus habeat suam potestatem propriam, & à potestate Episcopi distinctam, non potest Episcopus pro suo arbitratu per se ipsum exercere Officium Archidiaconi, nec illi se immiscere, aut illum removere; Innoc. *in c. 1. h. t. num. 2.*

2287. Præter hæc not. 1. Archidiaconatum, cui non est annexa Jurisdictio, non esse *dignitatem* strictè, sed *personatum;* hic enim est præeminentia sine ulla Jurisdictione; ubi autem habet solam administrationem, dicitur *Officium;* quia tamen spectato jure communi habet aliquam Jurisdictionem, annexam suo muneri Vicariatûs perpetuo, dici potest *dignitas* strictè, Pirhing *h. t. n. 4.*

2288. Not. 2. quòd Archidiaconus præcedat Præpositum; & Archipresbyterum; cùm ejus dignitas sit prima post Pontificalem, ut dictum est *n. 2282.* intellige, extra celebrationem Missæ; Hostiensis *in Summa h. t. n. 2.* Nam in alijs Archipresbyter Jurisdictioni Archidiaconi est subjectus. Licèt autem Archidiaconus *dignitate* sit major Archipresbyterô; *Ordine* tamen est minor; sic Fagnanus in c. *ad hæc, h. t. n. 5.* Nam, licèt Archidiaconus, & Archipresbyter sint Vicarij Episcopi à Jure constituti; Fagnanus in c. *ad hæc de Offic. Archidiac. n. 31.* Archidiaconus tamen est Vicarius Episcopi quoad *Jurisdictionem*; Archipresbyter verò quoad *Sacerdotalia*, seu functiones, quæ in fungente requirunt, ex vi talis actûs Sacerdotium; Fagnanus in c. *adhæc, de Offic. Archidiac. à n. 9.* & ideo Archidiaconatus, de Jure communi, solùm habet annexum Diaconatum, vel obligationem eum suscipiendi, *c. 1. de ætat. & qualit.*

Not. 3. suppositò, quòd primus Diaconus in aliqua Ecclesia habeat Jurisdictionem, nullam esse differentiam inter illum, ac eum, quem in jure appellamus *Archidiaconum*; Pyrrhus Corradus *l. 9. dispens. Apost. c. 3. n. 16.* 2289.

Not. 4. qui sunt nullius Diœcesis, & habent Jurisdictionem Ordinariam privativè ad Episcopum, non venire nomine Archidiaconi; Fagnan. in c. *accedentibus, de excessib. Prælat. n. 32.* 2290.

Not. 5. dignitatem Vicarij Generalis, *absolutè minorem* censeri, quàm alias quasdam Ecclesiæ Cathedralis dignitates, qualis est Archidiaconi; intellige tamen *extra materiam Jurisdictionis*, & Tribunal; ut in processionibus, alijsque conventibus; nam quoad tribunal Vicarius est major, cùm habeat idem, quod Episcopus, ut exponit Layman *in c. 1. h. t. n. 5.* 2291.

Not. 6. quando in *n. 2284.* diximus, quòd Archidiaconus non possit excommunicare, intelligi, spectata Ecclesiastica institutione, ut dicitur c. *Archidiaconus.* Unde cùm in c. *dudum 54. de elect. & c. 1. de eo qui furtivè*, dicitur contrarium, sermo est *de potestate*, quam progressu temporis ex commissione accipit in quibusdam Ecclesiis, ut notavimus *n. 2283.* & ideo Archidiaconi potestas, & Officium *hodie* sumendum potiùs ex cujusque Ecclesiæ consuetudine, & statutis; quàm jure scripto, ut rectè observat Layman. *in c. 1. h. t. n. 2.* & notavimus suprà loco citato. 2292.

QUÆ-

# QUÆSTIO XXIV.

## IN TIT. XXIV. DE OFFICIO ARCHI-PRESBYTERI.

2293. *Archipresbyter* sequitur Archidiaconum, sic dictus, quòd sit quasi primus Presbyterorum, & præsit cæteris Presbyteris, sive in *civitate*, ubi Sedes est Episcopi, & Ecclesijs majoribus; sive in Parochijs ruri existentibus; *c. 2. h. t.* & ideo Archipresbyter rectè dicitur Vicarius Episcopi *à jure datus*, in his, qui respiciunt in Episcopo *potestatem Ordinis Sacerdotalis*. Joan: Andr: *in c. 1. h. t. n. 3.* Ex hoc colliges, Archipresbyterum, alium esse *Urbanum*; alium, *Ruralem*. Urbanus est, qui præest Presbyteris *in civitate*, sumpta juridicè (nimirum *ubi Sedes est Episcopi*) *existentibus*; & Episcopi vices supplet in Divino Officio, de quo *c. 3. h. t.* Ruralis autem, seu Foraneus dicitur, qui exercet curam animarum in plebe, & super alios Parochos, & Presbyteros inspectionem habet, de quo c. *fin. h. t.* vocarique solet etiam *plebanus*, seu *Decanus ruralis*, ut docet Pirhing *h. t. n. 1. qui Decanum Ecclesiæ Collegiatæ* vocat Archipresbyterum, sed Urbanum: & addit, Archipresbyterum ruralem etiam vocari Decanum ruralem, seu Officialem, & Vicarium Foraneum &c. c. *adhæc, de Offic: Archid: & Clem: 2. de Rescript: juncta gloss.* V. *Foraneo.* Hi sunt similes illis Presbyteris, qui olim vocabantur Chori-Episcopi, vicesque Episcoporum ruri obibant. Officium Archipresbyteri *Urbani*, de Jure communi, est, in absentia Episcopi celebrare, *c. 3. h. t.* cantum horarum auspicari, orationes, quas vocant *collectas*, recitare; & benedictiones impertiri. *c. 3. h. t.*

2294. Præter hæc habet Jurisdictionem Ordinariam; Barbosa in c. *fin: h. t. n. 3.* sed non in foro externo, spectato jure communi, præsertim antiquo; quia sic adest Episcopus, Pirhing *h. t. n. 6.* aliud esse potest spectata consuetudine certi alicujus loci; habet tamen Jurisdictionem fori interni, seu curam animarum, &c. *c. 1. & 2. h. t.* non tantùm respectu Presbyterorum, quibus præest; Joan: Andr: in c. *Officium n. 3.* sed etiam respectu aliorum in diœcesi; *gloss: in cit: c. Officium V. à foris*; non tamen quoad casus Episcopo reservatos; Sylvester V. *Archipresbyteri*, *q. 3.* nec quoad reconciliationem publicè pœnitentium V. Pirhing *h. t. n. 7.*

Archipresbyter civitatis, seu *Urbanus* 2295.
subest Archidiacono in Jurisdictione; in Presbyteralibus præest Presbyteris, *c. 1. h. t.* & ideo Archidiaconus præcedit Archipresbyterum in *administratione*; sed ipse præcedit illum in *Divinis*; Barbosa *in cit. c. 1. h. t. n. 3.* hinc Archipresbyter, absente Episcopo, præcedit Archidiaconum; in celebratione Missæ diebus solennibus; 2. in delatione Sanctissimi Sacramenti in ejus Festo; 3. in benedictione candelarum; 4. Cinerum; 5. Palmarum; sic Barb. *ad c. 1. h. t. n. 3.* excipe nisi Archidiaconus etiam ipse Sacerdos sit, tunc enim etiam in his præcedit Archipresbyterum; sic Barb. *loc. cit.*

Archipresbyter *ruralis*, seu Foraneus, 2296.
non solùm vulgi, sed etiam Presbyterorum curam gerere debet, qua ratione quisque Divinum Officium gerat, *Episcopo denunciando*, *c. fin: h. t.* & Episcopi decreta, in Parochijs, vel per se, vel per alios, executioni mandando; habet Jurisdictionem fori externi in toto districtu sui Decanatûs, (cùm sint Vicarij foranei Episcopi) sed omnino dependentem ab Episcopo, vel ejus Vicario, sic, ut dubia, vel res gravioris momenti ad ipsos referre debeant; Pirhing *h. t. n. 11.* si ab Episcopo possint ab Officio removeri *ad arbitrium*, eorum Jurisdictio, est solùm delegata; si secus, ordinaria: cùm autem ejusmodi Archipresbyteri, seu Decani rurales nullam habeant præeminentiam in Ecclesijs principalibus, ut sunt Cathedrales, & Collegiatæ, *nec dignitatem*, *nec personatum habent* propriè dictum, vi cujus possint esse delegati Sedis Apostolicæ &c. sed merum Officium, *c. fin. h. t.* ibi: *per minores titulos.* Fagnan. *in c. 1. de ætat. & qualit. num. 23.*

Præter, hæc nota 1. Archipresbyteros, 2297.
seu Decanos Urbanos (juxta dicta *n. 2293.* nimirum eos, qui Decani sunt Ecclesiæ *Cathedralis*, vel etiam, ut notavimus ibidem, *Collegiatæ*) si annexam habent Jurisdi-

risdictionem fori externi, habere *dignitatem Ecclesiasticam*, propriè dictam; secus, tantùm *personatum*. Nam præeminentia in tali Ecclesia cum Jurisdictione fori externi, *dignitas* est; sine illa, *personatus*; Layman *in c. finale, h.t.n.* 3. qui autem sunt tantùm *rurales*, hoc est, qui non sunt Decani Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, nec dignitatem Ecclesiasticam habent, nec personatum; sed simplex Ministerium, seu Officium; quia tales in Ecclesiis principalibus non præeminent; sed solùm in minoribus, seu Parochijs, ut constat ex c. *fin:* ibi: *per minores titulos.* Sic Layman *cit.*

2298. Ex hoc colliges, Decano Rurali, à Sede Apostolica, vel ejus Legato, non posse delegari causas, juxta c. *statutum* 11. *de Rescript. in* 6. nec posse constitui Judicem Conservatorem, juxta c. *fin: de Offic: delegati in* 6. intellige, quantum est, *vi talis Decanatûs.*

Not. 2. ex Azor *p.* 2. *Instit: moral: l.* 3. *c.* 17. in toto Jure Canonico nullum extare titulum de Officio *Decani*, ut distincti ab Archipresbytero; adeoq; totum ejus jus, & auctoritatẽ, consuetudine, & more, pendere. Unde textus, qui aliquando loquuntur *de Decanis* (*ut c. dilecti, de Sent: excom: in* 6. *c. dilectos de Præbendis, c. constitutus & c. constitutis de Appellat:*) intelligendi veniunt *de Urbanis;*

Similiter nullus extat in Jure Canonico titulus, de Officio *Præpositi*, licèt non rarò ejus mentis fiat in responsis Romanorum Pontificum, ut notat Azor *cit: c.* 18. *q.* 1. ubi asserit, eum habere *personatum*, & *dignitatem* cum animarum cura; cùm toti Canonicorum Collegio præsit.

# QUÆSTIO XXV.

## IN TIT. XXV. DE OFFICIO PRIMICERII.

2299. SUpponendum 1. *Primicerium* juxta nonnullos idem esse, *ac primum in cera*, sive tabulis ceratis, aut scriptura positum; rectiùs denotare primum in aliqua dignitate, Ordine, vel Officio; ita Zoësius *h. t. n.* 1. Hinc in Jure Civili, primus defensorum, protectorum, domesticorum, *Primicerius* dicitur. Zoësius cit. Supponendum 2. olim in Ecclesia Cathedrali fuisse Scholam Cantorum institutam, quorum munus erat, officia Divina, & preces horarias in choro piè, ac studiosè decantare; quorum Præfectus *Primicerius* dicebatur; sic Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 16. *q.* 1. Primicerius igitur hic pro eo accipitur, qui præest in Ecclesia Clericis, ac Cantoribus docendis, & ad cantum destinandis; sic Vallensis *h. t. n.* 2.

2300. Et ideo dicitur *primus in Choro*, vel cantu, absente Archipresbytero, ut notat Panormit: *ad rubricam hujus tit:* vel *Chori Magister*; Vallensis. cit: aut etiam *Cantor*, sive *Præcentor*, sub quo etiam est succentor; Hostiens: *in Summa h. t.* Munus, seu Officium Primicerij est, præesse Diaconis, vel reliquis gradibus Ecclesiasticis in Ordine positis, docendo lectiones, quæ ad officia Clericorum pertinent; & de singulis studium habere, ut in quacunque re capacem sensum habuerit, absque ulla vacet negligentia, aut à quo ipse jusserit, instruantur, juxta c. *unic: h. t.* Præterea, inchoat Antiphonas & Psalmos, quando Cantorum Chorus in duas partes divisus est; sic Barbosa in c. *unic: h. t. n.* 6. sed in his potissimùm attenditur diversarum Provinciarum, & Ecclesiarum consuetudo.

2301. Cæterùm munus, & officium Primicerij describitur in c. *perlectis*, ℰ. *ad Primicerium, dist.* 25. ibi: *ad Primicerium pertinent*, acolyti, exorcistæ, Psalmistæ, atque lectores: signum quoque dandum pro Officio Clericorum, pro vitæ honestate, & Officij, meditandi, & peragendi solicitè; Lectiones, Benedictiones, Psalmum, Laudes, Offertorium, & Responsoria, quis Clericorum dicere debeat. Ordo quoque, & modus Psallendi in Choro, pro solemnitate temporum; ordinatio quoque pro luminaribus deportandis; si quid etiam necessarium est pro reparatione Basilicarum; quæ sunt in Urbe, ipse denuntiat Sacerdoti, Epistolas Episcopi pro diebus jejuniorum Parochianis, per ostiarios ipse dirigat: Clericos, quos delinquere cognoscit, ipse distringat: quos verò emendare non valet, eorum excessus ad cognitionem Episcopi deferat: Basilicanos

nos ipse instituat, & matriculam ipse disponat, quando autem Primicerius absens est: ea, quæ prædicta, ipse exquirat, qui ei aut lege proximus est, aut eruditione.

2302. Quæstio autem est, an Primicerius sit nomen dignitatis? R. quòd sic, saltem si sumatur *dignitas* latè, etiam pro personatu. Colligitur ex c. *cùm accessissent* 18. *de Constitut.* eò quòd in Choro, confessu, & Comitijs Canonicorum, atque Suffragijs ferendis, gradum, & Ordinem honorificum habeat, ut patet ex textu ibi: cùm olim quidam Tullens: Canonici nostris auribus intimâssent, quòd Primiceriatus in Tullensi Ecclesia tanto tempore vacavisset, *quòd ad manus nostras* illius *personatûs* esset donatio devoluta, &c. sic Azor *cit. p. 2. l. 3. c. 16. q. 3.* volens in Primicerio locum habere, quæ statuuntur in c. *de multa de præbendis.* Ubi dicitur, quòd *habens personatum*, vel beneficium curatum, si secundò tale receperit, vacet primum; quòd si retinere contenderit, secundò privabitur, per Extravag: *Execrabilis, eod:* Joannis XXII. & in c. *super Specula, ne Clerici vel Monachi.* Ubi dicitur, quòd constitutio Tyronensis Concilij, puniens Religiosos, audientes leges, vel physicam, sit canon latæ sententiæ, & incidentes in illam, debeant per Ordinarios puniri, hoc primo; secundò extendit dictam constitutionem ad habentes *dignitates, & personatus*, & ad Presbyteros; sic Honorius III. qui ibi *Scientias legum, & Medicinæ*, vocat *pedissequas*, scientiæ, ac Sapientiæ sacræ, ut liquet ex toto textu.

* * *

# QUÆSTIO XXVI.

## IN TITULUM XXVI. DE OFFICIO SACRISTÆ.

2303. *Sacrista*, seu Sacratius hìc est, qui habet in aliqua Ecclesia curam sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, thesauri Ecclesiastici, & eorum, quæ pertinent ad luminaria in cera, & oleo, c. *unic. h. t.* ibi: ut sciat se Sacrista subjectum Archidiacono, & ad ejus curam pertinere, custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius Thesauri Ecclesiastici, nec non, quæ ad luminaria pertinent, sive in cera, sive in oleo. Idem est cum eo, quem in quibusdam Ecclesiis vocant *Thesaurarium*, ut colligitur c. *perlectis*, §. *ad Thesaurarium, dist.* 25. ibi: *ad Thesaurarium pertinet*, Basilicarum, & ostiarij Ordinatio, incensi præparatio, cura Chrismatis conficiendi, cura Baptisterij Ordinandi, præparatio luminariorum in sacrario, & in Sacrificijs; Azor *p. 2. l. 3. c. 16. q. 6.* qui dicit *Sacristam* habere dignitatem, vel personatum, apud Barbosam in c. *unic: h. t.* aliter etiam vocatur *Cimeliarcha*; à Vallensi hìc *n.* 1. est Sub-Archidiaconus; c. *unic: h. t.* sicut etiam Primicerius, c. *unic: de Offic: Primicerij.*

2304. Oblationes autem, quæ fiunt pro aspersione domûs, pertinent ad *Rectorem Ecclesiæ*, cui competit hoc Ministerium; non *ad Sacristam*: c. *Sanctorum* 10. *q.* 1. ubi Calixtus II. *Sanctorum*, inquit, *Patrum Canonibus consona sancientes, oblationes de Sacratissimo, & Reverendissimo Altari B. Petri, & Salvatoris, & Sanctæ Mariæ Rotundæ, aut alijs Ecclesiarum Altaribus, sive Crucibus, à Laicis auferri penitus interdicimus*, & sub districtione anathematis prohibemus: & Ecclesias à Laicis incastellari, aut in servitutem redigi, auctoritate Apostolicâ prohibemus. Et c. *hanc, eâd. caus. & q.* ubi Damasus Papa hanc consuetudinem, quæ contra Sanctam Ecclesiam Catholicam augeri videtur, omninò ait interdicimus, ut *nullo modo unquam oblationes, quæ intra Sanctam Ecclesiam offeruntur, sub dominio Laicorum detineantur: sed tantummodò Sacerdotibus, qui quotidie Domino servire videntur*: & paulò infrà, loquens ad tales Laicos, *qua fronte*, inquit, *aut qua conscientia oblationes vultis accipere? qui vix valetis pro vobis, nedum pro alijs, Deo preces offerre?* quia pravum est, & *contra Dominicum præceptum, & detrimentum animæ suæ infert, qui illud agere conatur*, quod ei nulla ratione conceditur; quia omnibus Sanctis Patribus, nostrisque prioribus placuit, hanc sanctionem fieri, & nos similiter in eisdem persistere volumus, ut nullus audeat irritum facere hoc, quod constitutum est, si in perpetua damnatione noluit

persistere; si verò contra hanc regulam nostram, & contra regulam Sanctorum CCCXVIII. Patrum, qui in Nicæno Concilio hoc constituerunt, temerarius præsumptor fuerit, & de cætero oblationes de sacris Ecclesijs aufferre molitus fuerit, sub anathematis vinculo sit colligatus, & contemnatus; responderunt *omnes*, fiat, fiat: ibidem; officium autem *Sacristæ* dignitatibus annumerat Azor *p. 2. lib. 3. cap. 16. q. 6.*

* * *

# QUÆSTIO XXVII.

## IN TIT. XXVII. DE OFFICIO CUSTODIS.

2305. *Custos Ecclesiæ* dicitur is, cui ea, quæ Ecclesiæ competunt, custodienda committuntur, sub obedientia Archidiaconi; Fagnanus in c. *Custos Ecclesiæ h. t. nu.* 1. multa habet communia cum Sacrista; & ideo *in cit. c. perlectis*, ubi cæteroquin referuntur omnia propè munia Hierarchiæ Ecclesiasticæ, nulla sit specialis mentio *Custodis*, distincti à Sacrista; & in plerisque Ecclesijs est tantùm alter eorum, ut notat Zoësius hìc *n.* 1. Ejus officium est, pallia, & linteamina altaris custodire; lampades, cæteráque luminaria debito tempore accendere, & extinguere (*c. 1. h. t.*) ad horas Canonicas jussu Archidiaconi pulsare; panem, & vinum ad missam parata habere; eleemosynas, seu oblationes Clericis distribuere (*c. 2. eod.*) ubi additur his verbis: *hi tres*, videlicet Archidiaconus, Archipresbyter, & Custos, *sunt quasi columnæ Ecclesiæ, ideo debent esse unanimes, & sine invidia*: dixi, *oblationes Clericis distribuere*; circa quod notandum, oblationes lucrari non posse, nisi Clericos interessentes divinis; Barbosa *in c. 2. de offic. Custod.* oblationes autem, quæ fiunt *tempore Jubilæi*, vel anno sancto, in Ecclesia Cathedrali, spectare ad Archipresbyterum ejusdem Ecclesiæ; non, ad Episcopum; Barbosa *cit: nu.* 3. Abbas in c. *quoniam, de decimis*; eas verò, quæ sacris imaginibus deferuntur, sive intra, sive extra Ecclesiam Parochialem positæ sint illæ sacræ imagines, modò sint intra limites Parochiæ, de jure, & consuetudine, esse Parochi; sic Barbosa *cit: nu.* 4. & fusè Azor *p. 1. l. 7. c. 27. quæst: 13.*

* * *

# QUÆSTIO XXVIII.

## IN TIT. XXVIII. DE OFFICIO VICARIJ.

2306. COnsideratis eorum officijs, qui deserviunt Ecclesijs *nomine proprio*; sequitur de iis, qui deserviunt *nomine alieno*, cujusmodi sunt *Vicarij*, seu vices gerentes, qui in locum alterius (mortui, vel impediti) substituuntur ab eo, qui à lege ad id potestatem habet. Talis facultas etiam Episcopis concessa est, ut sibi Vicarios generales constituere valeant; ut notat Barbosa *h. t. num.* 4. Et hi sunt in triplici classe 1. scilicet *nati*, seu *legitimi* (scilicet dati à lege, quales sunt Archidiaconi) 2. *foranei*, qui scilicet extra civitatem, in qua est Episcopi Sedes, jurisdictionem exercent) quos nimirum Episcopus, in certa diœcesis parte, vel in oppido constituit) 3. generales, seu *dativi*, vel constituit, quos Episcopus creavit, & constituit, ut ejus vicem gererent in eodem Tribunali, & loco, in quo ipse jus dicere consuevit; sic Barbosa *ad rubricam hujus tit. n.* 9. sed titulus præsens potissimùm agit, non *de Vicarijs Episcoporum*, sed *beneficiorum*, ex quibus aliqui sunt Vicarij *perpetui*, alij solùm *temporales*; de quibus in præsenti.

### ARTICULUS I.

#### *De Vicarijs perpetuis.*

VIcarius *perpetuus* est, qui canonicè, 1307.
(id est authoritate Episcopi, vel in hoc habentis potestatem quasi Episcopalem) in aliqua Ecclesia Parochi cum certa, & congrua portione annua, tanquam laboris & operæ mercede, ex proventibus ipsius

ipsius Ecclesiæ constituitur; sic Valens: *h. t. n.* 1. cum communi. Hæc potestas, authoritate Episcopali habendi Vicarium perpetuum jure Canonico conceditur 1. habenti suæ dignitati, vel præbendæ annexam Ecclesiam Parochialem *c. extirpandæ*, 30. §. *qui verò*, *de præbend:* ibi: *qui verò parœcialem habet Ecclesiam, non* per Vicarium, sed per se ipsum, illi deserviat in ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit; *nisi fortè dignitati, vel præbendæ parœcialis Ecclesia sit annexa: in quo casu concedimus, ut, qui talem habet præbendam, vel dignitatem (cùm oporteat eum, in majori Ecclesia deservire) in ipsa Ecclesia parœciali idoneum, & perpetuum habeat Vicarium, canonicè institutum;* qui (ut prædictum est) congruentem habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus portionem: alioquin illâ se sciat, auctoritate hujus decreti, privatum, liberè alij conferendâ, qui velit, & possit, quod dictum est, adimplere. Illud autem penitus interdicimus, *ne quis in fraudem (de proventibus Ecclesiæ, quæ curam habere debet) proprij Sacerdotis, pensionem alij pro beneficio conferre præsumat.*

2308. Item c. *de Monachis* 12. *eod:* ubi Alexander III. Vigorienſi Archiepiſcopo, *de Monachis*, inquit, *qui Vicarios parœcialium Ecclesiarum gravant, ut hospitalitatem tenere non possint*, eam providentiam habeas, *quòd ad præsentationem monacharum nullum recipias, nisi tantum ei de proventibus Ecclesiæ, coram te fuerit assignatum; unde jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem.* Idem conceditur Cathedralibus, Collegiatis, seu alijs Ecclesijs, vel Monasterijs, Collegijs, & locis pijs, quæ beneficia Ecclesiastica, perpetuò sibi unita, & annexa habent. Trid. *sess. 7. de reform: c.* 7. ibi: *beneficia Ecclesiastica curata*, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu alijs Ecclesijs, vel monasterijs, beneficijs, seu Collegijs, aut pijs locis quibuscunq; perpetuò, unita & annexa repetiuntur ab Ordinarijs locorũ annis singulis visitentur; *qui sollicitè providere procurent*, ut per idoneos Vicarios, *etiam perpetuos* (nisi ipsis ordinarijs pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur) ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori (arbitrio ipsorum Ordinariorum) portione, etiam super certa re assignanda, ad idem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, privilegijs, exemptionibus, etiam cum Judicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscunque, in præmissis, minimè suffragantibus: *& sess. 25. c. 16. de reform.* ibi: *in ijs verò*, in quibus contra eorum institutionem, seu fundationem, cura animarum in Vicarium *perpetuum* translata est, etiamsi in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum Vicario, quocunque nomine is appelletur, non fuerit assignata, ea quamprimùm, & ad minus intra annum, à fine præsentis Concilij, arbitrio Ordinarij, juxta formam decreti sub Felicis recordat. Paulo III. assignetur; ubi nota, quòd hoc decretum, dans facultatem Ordinarijs, *visitandi beneficia curata, unita monasterijs, intelligatur de beneficijs extra monasterium;* quo casu *ex c. 11. sess. 25. de regular. visitat tantùm personas, inibi curam animarum exercentes;* & hoc *cumulativè;* non autem *privativè ad Abbatem;* ita Rota *in Piscien. jurisdictionis* 15. Julij 1590.

Præter hæc not. quòd Vicarij perpetui 2309.
habeant *verum titulum*, per Clement. *unic. h. t.* ibi: *quæ de Ecclesijs, curam animarum habentibus, per receptionem aliarum similium amittendis, ac de ipsarum Rectoribus promovendis ad sacerdotium: & de eorum ætate, à jure statuta noscuntur: in perpetuis Ecclesiarum parœcialium Vicarijs, & assumptis ad eas, volumus observari.* Et ideo non possunt removeri per Rectores earum Ecclesiarum *præter juris ordinem*, *c.* 3. *h. t.* ubi Alexander III. Episcopo Vintonienſi scribit, quòd, si personatum obtines (v. g. Cathedralis Ecclesiæ Decanatum) cui Parochialis Ecclesia unita est, Vicarium inibi instituerit, eique, cum Episcopi assensu, & auctoritate certam redituũ portionem assignaverit, atque mortuo Decano, seu persona, alius successerit, non potest is Vicarium amovere, aut pensionem ipsi designatam minuere: sin verò ob crimen privationem mereatur, tum à Judice suo condemnandus erit, etiam mortuo Rectore principali. Barb: *in cit. c.* 3. *nu.* 3. & ideo etiam jura de Rectore parochialis Ecclesiæ constituta, locum habent in Vicario perpetuo; cit. Clem. *unic: h. t. & c. postulasti* 27. *de rescriptis*; ubi statui-

statuitur, quòd non valeant literæ impetratæ beneficium obtinendum, in quibus impetrans tacuit perpetuam *Vicariam.* Hinc nota 2. Vicarios *perpetuos*, teneri ad residentiam, *c. 6. h. t.* ibi: *mandamus, quatenus perpetuos Vicarios, ut in Ecclesijs, in in quibus vicarias obtinent, resideant;* ejusmodi Vicarij habent beneficium curatum, ut notat Barbos: *in dict. c. 6. n. 2.* quia perpetuæ Vicariæ, sunt propriè beneficium Ecclesiasticum, ut colligitur *ex cit. c. postulâsti;* & ideo penes ipsos est animarum cura in actu, & exercitio; quin principalis in ea, spretô Vicariô, se possit ingerere; Abbas *in c. extirpandæ*, §. *qui verò de præb. n.* 15. nec quoad curam animarum in foro Pœnitentiæ; sic Azor *parte 2. l. 3. c. 6. q. 2. ad finem*, non possunt simul habere duas Vicarias perpetuas *c. 2. h. t.* ibi: *provideas, ne in Episcopatu tuo, patiaris aliquem plures Vicarias habere*: quia, cùm Vicarij teneantur personis, & Ecclesijs deservire, *alienum est ab ordine juris, ut Vicariam quis habeat, præter unam;* nec sibi alium Vicarium *perpetuum* substituere, *c. 4. h. t.* ibi: Clericos in Præsbyteratu, vel in alijs inferioribus ordinibus constitutos, *in Vicarijs Ecclesiarum*, quas adepti sunt, *alios sibi substituere non permittas; cùm id satis sit absonum, & absurdum;* possunt temporalem; de quo V. *nu.* 2812. *& seqq.*

## ARTICULUS II.

### *De Vicario temporali, seu Cooperatore.*

2310. *Vicarius temporalis* dicitur, qui in locum alicujus solùm ad tempus constituitur c. *& temporis, 16. q. 1. c. 1. ne Sede vacante;* ejus Vicaria non est beneficium Ecclesiasticum, gloss: *in Extravag. Execrabilis*, Joannis XXII. *de præbend.* est ad nutum revocabilis; exspirat morte Rectoris Principalis; Abbas *in cit. cap. extirpandæ;* non datur in titulum; nec gaudet prærogativis Vicariæ perpetuæ; nec comprehenditur sub reservationibus; Gonzalez *cit. ad reg. 8. Cancell: gloss. 5. §. 3. nu.* 32. Vicarium temporalem in Ecclesia patronata constitui posse à Rectore illius Ecclesiæ, etiam sine consensu Patroni, docet Gonzalez *ad reg. 8. Cancell: gloss. 5. §. 3. nu.* 38. *V. infra nu.* 2313.

2311. Præterea not. Vicarium temporalem dupliciter constitui posse; nempe cum, vel sine titulo. Nam quando Parochus; propter aliquod impedimentum, sui locò constituit aliquem Clericum ad breve tempus v. g. ad dies 15. talis Clericus dicitur ejus Vicarius, sed *sine titulo;* si autem ad longum tempus, erit *cum titulo;* sic Castropalaus *n. 2. tr. 13. D. 1. p. 8. n. 2.* Not. 2. Vicarium temporalem *sine titulo*, fieri posse sola nominatione Parochi; ad longum autem tempus non, nisi cum authoritate Episcopi, per c. *cùm ex eo* 34. *de elect. in 6.* ibi: septennio prædicto durante, jidem Episcopi, & Superiores, solicitè providere curent, *ut per bonos sufficientes Vicarios*, ab eis, hujusmodi Ecclesijs deputandos, animarum cura diligenter exerceatur; & *c. pervenit* 28. *de appellat.* ibi: interim verò *alicui honestæ personæ vices ejus*, in Ecclesia prælaxata committas, &c. sic etiam Abbas *in c. quoniã 2. ne Prælati vices suas;* Azor *p. 2. l. 3. c. 6. q. ult.*

2312. Not. 3. ad hanc Vicarij designationem non requiri consensum Patroni, licèt beneficium sit de jure patronatûs Laicorum, per c. *ad hæc 3. de offic. Vicarij;* cùm ibi solùm exigatur institutio ejus per Ordinarium; sed hic textus loquitur de Vicario *perpetuo;* non *temporali.* Not. 4. Vicarium quoque temporalem designari ab Ordinario; cùm beneficium vacat, dum ei de Rectore provideatur; sufficereque solam nominationem; sic Câstropal. *loc. cit.* Not. 5. ex Azor *cit. c. 6. q. 3.* generaliter tenendum, Vicarium designari debere, quoties Rector Ecclesiæ, impeditus est; quod contingit, quando beneficium curatum annectitur mensæ Capitulari, vel Episcopali; vel quando Monasteria, Conventus, & Capitula Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, à primæva sua institutione curam animarum habeant, ut notat Azor *cit.* nec in dato casu Vicarius necessariò est perpetuus, ut observat Castropalaus *cit.*

2313. Not. 6. Vicarium temporalem, & ad nutum amovibilem, mortuo Rectore, posse, ac debere stipendium servitij facti, si necdum solutum sit, repetere ab hærede Rectoris, vel à Successore in beneficio. Nam hæres pro quantitate hæreditatis tenetur solvere antecessoris debita; & Successor in beneficio, ex fructibus beneficij, solvere debet, Antecessoris debita, contracta *in utilitatem Ecclesiæ*, esto fructus

ad

ad ipsum non pervenerint, ut colligitur *ex cap. ad hæc, h. tit.* sic Azor *p. 2. lib. 3. cap. 6. q. 9.* Dixi *contracta in utilitatem Ecclesiæ.* Nam, si Rector Ecclesiæ, ultra Clericos, Ecclesiæ servitio necessarios, susceperit Clericum, qui vice Rectoris, officium præstat concionando, Sacramenta ministrando &c. ipso Rectore solùm fructus colligente, nihil autem, aut parum de functionibus suis operante, ut sæpe fit, certùm est, non debere onerari Ecclesiam, vel Successorem, ut, defuncto Rectore, talem Vicarium solvat, cùm solutionem ex fructibus jam acceperit pro illis functionibus.

## ARTICULUS III.

### *De Vicario Episcopi.*

2314. NOn agimus de Vicario Episcopi, *nato*, vel *foraneo*, sed *constituto*, qui, *si generalis* sit, etiam dicitur *Officialis*; sic Vallens. *h. t.* constitui autem potest Vicarius, vel *tantùm* in spiritualibus, vel tantùm in temporalibus, cujus administratio consistit in judicio, vel extra judicium, ut notat Vallensis *h. t. §. 4. n. 1.* vel *in utroque*; & constitutus pro utroque, dicitur propriè *Vicarius Generalis* (quamquam etiam Vicarius, ad spiritualia *tantùm*, rectè dicatur *Generalis*, ut patet ex Tridentino *sess. 13. c. 2. de reform:* ibi: *seu* illius etiam *Vicario in spiritualibus Generali*; sic Barbosa *p. 3. de potest. Episcopi, allegat: 54. n. 57.*) & creari debet cum expressione *spiritualium, & temporalium*; alioquin non esset *Generalis*; sic Vallensis *ex c. si Episcopus*, & c. *Ecclesiæ, de supplend: neglig: Prælat:* si vices Episcopi gerat in tota Diœcesi, & jus dicat in loco, ac Tribunali, in quo consuevit ipse Principalis jus dicere, vocatur Vicarius *Principalis*, & habet dignitatem; non tamen eam, *quæ sit beneficium Ecclesiasticum*, vel *incompatibilis cum alia dignitate*; Rebuff. *in praxi tit. de Vicarijs Episcoporum.* Vicarius Episcopi eligi debet, qui sit probatis moribus, ætatis 25. annorum, arg. c. *cùm in cunctis, §. inferiora, de elect:* nec in hoc dispensare potest Episcopus, ut minoris ætatis Vicarius esse possit; Barb: *p. 3. de potest. Episcopi allegat: 54. nu. 3.* & qui sit Clericus, saltem primæ tonsuræ; non laicus, nec Clericus conjugatus; nec bigamus; nec Monachus, vel Religiosus professus ordinem mendicantium; rerum, vel causarum forensium peritus, L. *penult: C. de Judic: L. ad Rempublicam ff. de muneribus*, Doctor vel Licentiatus, saltem in jure Canonico, vel aliàs idoneus: Trid: *sess. 24. c. 16. de reform.*

### §. I.

### *Quam potestatem habeat Vicarius Episcopi?*

POtestatem Vicarij Generalis esse *delegatam* docet Gotofredus *in Summa, h. tit. q. 1.* verius est esse *ordinariam*, juxta Sanchez *de matrim: l. 3. D. 29.* Vallensem, *cit. §. 5. nu. 2.* Jurisdictio enim *ordinaria*, ea dicitur, quæ à lege datur; Barb: *p. 3. de potest: Episcopi, allegat. 54. nu. 32.* statim subdens, eam *perpetuam esse.* Vicarius quippe Generalis, ab Episcopo constitutus, statim accipit jurisdictionem à Lege. Barb: *cit. nu. 4.* & ideo in his, in quibus est *ordinarius*) Judex, ab eo non appellatur ad Episcopum, *c. Romana, 2. de consuet: in 6.* imò nec partibus consentientibus; datur tamen à Vicario ad Episcopum appellatio in sententia interlocutoria, & supplicatione, fundante suam intentionem in remedio restitutionis; vel etiam, si causa non contineatur in mandato Generali; Barb: *à nu. 49.* hinc nec Episcopus revocare, vel impugnare potest, quod canonicè, ac legitimè talis Vicarius gessit; Rebuff. *cit. n. 40.* his positis: 2315.

Quæstio est, quæ possit Vicarius Episcopi, *ex Generali Commissione*? Resp. quòd ex Generali commissione non possit substituere alium Vicarium, nisi ad modicum tempus, vel delegando unam solùm, vel alteram causam; ut colligitur ex cap. *Clericos, 4. h. t. & c. 1. eod: in 6.* ubi dicitur, illos, qui vices gerunt *Officialis* excommunicati, non agere validè in his, ad quæ *ab illo excommunicato* jurisdictionem accipiunt; ex hoc enim videtur colligi, posse alteri ab Officiali jurisdictionem committi, si non sit excommunicatus. Nec vi ejus commissionis possunt inquirere, corrigere, deponere, & punire subditorum excessus *c. licèt 2. h. tit. in 6.* nisi addatur clausula: *etiamsi exigant mandatum speciale;* 2316.

*ciale;* sed tunc extenditur solùm ad expressa, vel similia, aut minora; Azor. *p. 2. lib. 3. c. 44. q. 11.* licèt possit inquirere de criminibus ad hunc effectum, culpabiles remittendi ad Episcopum (non autem ad effectum, vel absolvendi Reos ab illis) sic Menoch. *de arbitr. lib. 1. q. 43. nu. 28.* nam in generali concessione facta Vicario, conceduntur tantùm, quæ in generali mandato continentur, etiamsi adesset clausula (*dantes, & concedentes ei plenam, & liberam potestatem*) arg. L. *Procurator cui, ff. de Procurator.* Quare non potest ea, vi concessionis *generalis*, etiam cum prædicta clausula, quæ *speciale mandatum requirunt* (*c. qui generaliter, de procurat: in 6.*) imò cum clausula, qua Episcopus diceret (*constituo te meum Vicarium generalem, cum facultate, & potestate, ut omnia loco mei efficere possis, quæ ego possum, etiamsi talia sint, quæ speciale mandatum requirunt.*) Nam aduc ista concessio est solùm *generalis*, ut notat *gl. ult: in c. 2. de offic. Vicarij in 6.* apud Barb: *cit. allegat. 54. nu. 59. V. infrà nu. 2321.* similiter Episcopi Vicarius, ex vi commissionis generalis, commendatitias ad Ordines dare non potest; gloss. *in cit. c. licèt, V officialis;* nec beneficia conferre, *c. fin. h. t. in 6.* nec Vicariam perpetuam, Filliuc: *p. 3. tr. 41. c. 2. nu. 48.* potest tamen OEcononum deputare Ecclesiæ patronatæ vacanti, pro fructuum custodia, si Ecclesiæ provisio differatur; Barb: *in cit. c. fin: nu. 10.*

2317. Quæstio est 2. An Vicarius Generalis Episcopi, jure suo, possit confirmare electos, vel instituere præsentatos? affirmativam tenet Covarr. *l. 3. Variarum, c. 20. nu. 7.* Zerola *in praxi Episcoporum* V. *Vicarius* §. 14. Filliuc: *cit: c. 1. n. 49.* & alij apud Barb: *in c. fin: h. t. in 6. n. 9. & p. 3. de Potest: Episcopi, allegat. 72. n. 181.* ubi expressè dicit, quòd Vicarius Episcopi, *sine speciali facultate*, possit confirmare electos, & instituere præsentatos, quod etiam habet *allegat. 54. à n. 70.* ubi pro se alios complures citat cum Azor *p. 2. l. 3. c. 44. q. 5. & l. 6. c. 22. q. 3.* Confirmari hoc potest claro textu c. ex *frequentibus 3. de Institutionibus*, ibi: *Ex frequentibus querelis didicimus*, in partibus vestris consuetudinem pravam, à multis retrò temporibus invaluisse, *quòd Clerici Ecclesiastica beneficia, sine consensu Episcopi, vel officialium suorum (qui hoc de jure possunt) recipiant*, ubi nota, ly *qui hoc de jure possunt*. Et ideo Gonzalez *ad cit. c. n. 2.* expressè docet, Vicarios Generales Episcoporum, ex vi *proprij officij, absque alia commissione speciali*, posse instituere præsentatos à Patronis, sicut *& electos confirmare;* adductâ *gloss. in c. cùm olim, de Majorit: & obed:* sic etiam D. Petrus Peckius, *ad 1. Reg. juris in 6. n. 14.* ubi addit, *confirmationem Electorum* peti posse etiam a Summo Pontifice, sive immediatè illi subsint, sive non; quia Papa concurrit in potestate, & Jurisdictione cum quolibet Ordinario, per c. *ad Romanam 2. q. 6.* & hanc potestatem, sede vacante, transire in Capitulum, habetur *c. 1. de Institut. in 6.* ibi: etsi Capitulum, Sede vacante, beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinent, conferre non possit, *præsentatos tamen à Patronis, potest admittere, si sint idonei, & eos instituere in beneficijs, ad quæ fuerint præsentati*; licèt ad Episcopum (si supereesset) admissio, & institutio hujusmodi pertineret.

Nec obstat, quòd non possint *beneficia conferre, c. fin: de Offic: Vicarij in 6.* non enim est par ratio *institutionis, & collationis*; quia *instituere*, est necessitatis; *conferre* autem beneficia, gratuitæ donationis. Unde dubitandum non est, *institutionem præsentati*, vel *confirmationem electi*, valituram, factam à Vicario Generali, etiam ignorante, & non requisito Episcopo; cùm potestatem, hoc faciendi, habeat à lege, suppositio, quòd duret ejus assumptio, ab Episcopo facta in Vicarium Generalem; & si fortasse, quoad hunc actum prohiberetur ab Episcopo, dum Vicarius Generalis constituitur, meritò dubitari posset, an esset *Generalis*? quia sic non haberet in Spiritualibus potestatem *Generalem*, quæ est de proprio ipsius jure, ut dictum est; nec potestas, quæ datur à lege, limitari debeat ab his, qui tenentur agere secundùm leges. 2318.

## §. II.

### *Ad quæ Vicarius Episcopi opus habeat mandato speciali?*

RESp. esse plurima, quæ videri possunt apud Barb: *de potestate Episcopi p. 3. allegat.* 2319.

*allegat.* 54. Primò enim, sine mandato Episcopi speciali, nequit Vicarias perpetuas *conferre*, vel *erigere*, nec collationi consentire; sic habet *n.* 61. nec admittere beneficiorum resignationes, c. *quæsitum, de rerum permuttat.* Rebuff. *tit: de Vicarijs, n.* 104. nec beneficia unire; uniones, & Ecclesias dividere; beneficia supprimere; vel erigere; vel juris patronatûs fundationi consensum præstare; Coadjutores, Vicarios, imperitis Rectoribus Ecclesiarum, deputare; Juspatronatûs, ex causa dotationis, fundationis, vel constructionis, alicui reservare, absente Episcopo; donationi Jurispatronatûs decretum, seu authoritatem interponere, etiam absente Episcopo; novas Parochias erigere, vel alia beneficia creare; nec alijs pensiones imponere in casu, quo id potest Episcopus; œconomum Ecclesiæ constituere, qui *vicem* Episcopi habeat in colligendis Ecclesiæ reditibus, & distribuendis in Clericos, & pauperes; sic Barbosa *cit. n.* 78.

2320. Deinde sine mandato speciali Episcopi, nequit Clericos à beneficijs, Officijs, administratione, vel Ordine removere; vel ab exilio revocare; authoritatem interponere in creatione dignitatis, à Canonicis factæ, vel novum beneficium in Ecclesia creare; Ecclesias vetustate collapsas, nec defectu impensarum restaurabiles, in matrices, vel alias Ecclesias Viciniores transferre; præsentare ad beneficia, quorum Patronus est Episcopus; de crimine hæresis cognoscere, vel ab eo absolvere; publicè pœnitentes reconciliare; puellas religiosum habitum susscipere, vel religionem profiteri volentes examinare; ædificationi Monasterij, per testatorem relicti, consensum, vel authoritatem præstare, concedere indulgentias; alijs licentiam audiendi confessiones dare; Barbosa *n.* 91. sed contrarium quoad hoc postremum, probabilius est, per Sanchez *l.* 3. *D.* 29. *à n.* 14. *V.* quæ dicemus infrà.

2321. Nequit etiam causas matrimoniales cognoscere, aut tractare; nec in monitionibus matrimonij dispensare, juxta aliquos apud Barb. *cit. n.* 95. sed contrarium probabilius est per eundem, *allegat.* 32. *n.* 29. nec relaxare interdicta; nec dimissorias, vel commendatitias ad Ordines concedere, nisi Episcopo in remotis agente; hoc est, eo existente ultra duos montes, ut notat Aloysius Riccius, apud Barb. *cit. n.* 98. non potest alium sibi Vicarium substituere, nisi ad modicum tempus; diœcesim visitare; congregare Syndonum diœcesanam; in alienationibus, & transactionibus Ecclesiasticarum rerum, decretum interponere; absolvere ab irregularitate, vel suspensione ex delicto occulto; disceptare de causa restitutionis in integrum; recipere juramentum purgationis Canonicæ; cognoscere, vel exequi ea, quæ Episcopo *specialiter* commissa, vel *delegata* sunt; cognoscere causas feudales; auctorare exemplum ex originali desumptum; concedere repressalias; absolvere à casibus Episcopo reservatis; inquisitum condemnatum absolvere; Clericorum bona confiscare; pœnas corporales in pecuniarias convertere, dispensationes impertiri; imponere subsidium charitativum; exigere quartam decimarum, mortuariorum, & Synodaticum. Ratio est, quia hæc omnia exigunt mandatum *speciale*, ut rectè notat Barb. *p.* 3. *de Officio Episcopi, allegat.* 54. *à n.* 60. quare Vicarius Generalis Episcopi, *ex vi mandati Generalis*, nihil prædictorum potest; monet tamen idem Author *n.* 124. in Commissione Vicariatûs non requiri omnes prædictos casus *nominatim* exprimi; sed sufficere exprimi aliquos cum clausula: *& ad omnia alia, etiamsi exigant mandatum speciale*, ex c. *qui ad agendum* §. *sed si aliquis, de Procuratoribus in* 6.

Cæterùm Vicarius Generalis Episcopi, 2322.
ex vi mandati Generalis, potest omnia, quæ potest Episcopus ex vi Jurisdictionis *ordinariæ, ordinario jure ipsi competentis*, modò talia non sint, quæ exigant mandatum speciale, & mandatum non sit restrictum. Hinc, ut monui superiùs, probabilior sententia ei tribuit jus, licentiam confessiones audiendi alijs concedendi; unam, vel plures causas delegandi matrimonio assistendi; recipiendi delegationes Papæ, exequendi gratias beneficiales, quæ expediuntur in Curia Romana, si Commissio ad Vicarium dirigatur V. Barbosa *à n.* 132.

## §. III.

### *Qualiter finiatur potestas Vicarij Episcopi?*

2323. REsp. finiri 1. morte, vel propria, vel constituentis; 2. revocatione; 3. cessante, vel suspenso tribunali constituentis; sic Vallensis *h. t.* §. 6. si autem quæras, an constituto secundo Vicario, primus censeatur revocatus? R. affirmari ab Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 46. *q.* 11. nisi addatur clausula: *citra tamen revocationem aliorum Vicariorum.* Barbos: *cit. allegat.* 54. *n.* 57. quod tamen intelligè, si Episcopus unum *tantùm Vicarium Generalem* in sua diœcesi habeat. Nam eo casu est locus. *Arg. c.* 14. *de Procuratoribus & l.* 31. §. 2. *ff. eod.* ubi dicitur priorem Procuratorem revocari per constitutionem posterioris.

2324. Ex dictis colliges 1. obitu, resignatione, depositione, vel translatione Episcopi, finiri officium, vel Jurisdictionem Vicarij Generalis Episcopi, adeò, ut postea nec incepta vivente, aut regente Episcopo negotia perficere valeat. Cùm enim utriusque Jurisdictio sit eadem, & in Vicario solùm sit eadem ex voluntaria Episcopi constitutione; hac cessante, cessat & illa; illa autem in datis casibus cessat in Episcopo: ergo etiam in ejus Vicario? Limitant tamen aliqui, nisi fortè à Capitulo fuerit confirmatus; sed hæc confirmatio non facit *continuari* priorem Jurisdictionem ex vi primæ assumptionis; cùm extincta sit, licèt verum sit, quòd tunc vice Capituli Jurisdictionem Episcopalem habeat, quando à Capitulo, Sede vacante, constituitur.

2325. Hinc ad quæstionem, *an causam ipsi, tanquam Vicario Episcopi à Sede Apostolica delegatam, nihilominus expedire valeat mortuo*, depositio, translato, vel resignante Episcopo; videtur distinguendum: & affirmandum, si ei tanquam Vicario *Sedis Episcopalis*; non autem *personæ*, delegata sit, argumento gratiarum, quæ conceduntur à Summo Pontifice *ad beneplacitum suum*, vel *Sedis Apostolicæ.* Nam in primo, gratiæ exspirant; non, in secundo, mortuo Pontifice.

Colliges secundò, licèt verum sit, hujus Vicarij Jurisdictionem suspendi pro toto tempore, quo Episcopus ejus excommunicatus, interdictus, vel suspensus est ab officio; non tamen econtrà, non obstante morali, vel Juridica identitate Jurisdictionis in utroque. Nam in primo casu ea suspensio in Vicario contingit, suspenso v. g. Episcopo; quia Jurisdictio est in *Vicario dependenter ab Episcopo*, cui Vicarius ratione sui officij subordinatus est: at Jurisdictio non est *in Episcopo* dependenter à Vicario, ut rectè observat Layman *in c.* 1. *h. t. in* 6. *n.* 9. ergo.

## ARTICULUS IV.

### *De Vicario Capituli, Sede Vacante.*

SUpponendum, jure novo Trid. *sess.* 24. *c.* 16. *de Reformatione*, Capitulum, post mortem Episcopi, infra octo dies, teneri Vicarium constituere, vel constitutum ab Episcopo, confirmare; & si negligat, deputationem devolvi ad Metropolitanum; si Ecclesia sit Metropolitana Capitulo negligente, devolutionem fieri ad Seniorem ex Suffraganeis: si exempta, ad Episcopum propinquiorem; non tamen requiri ut Vicarius deputandus sit ex gremio Capituli; præferri tamen extraneo, si idoneus adsit. Hæc Quaranta *in Summa Bullarij* V. *Capitulum Sede Vacante.* 2326.

Præter hoc nota, quòd Vicarius Capituli, Sede Vacante deputatus, quoad potestatem habeat se ferè, sicut Officialis Episcopi; nam in hoc casu Jurisdictio Episcopi est in Capitulo; & hujus in suo Vicario, ut notat Barb. *de Offic. Episcopi cit. allegat.* 54. *n.* 158. & de hoc, quoad potestatem, quam habet ex vi *commissionis generalis*, loquendum est eo modo, quo diximus dicendum de Vicario Episcopi in *n.* 2316. in dicto autem casu Jurisdictio Episcopalis *quoad exercitium* penes ipsum est; *habitualiter*, penes Capitulum, ut notat Fagnanus in *c. his, quæ* 11. *de Majoritat: & Obed: n.* 23. & 74. quod potest ejus potestatem, dum eum constituit, restringere, ac ab officio removere; modò alium intra octo dies substituat, juxta *declarat. S. Congreg.* apud Fagnan. *in cit. c. his quæ.* 2327.

Not. 2. verum esse, quòd Capitulum Sede Vacante, spectato *jure communi*, non teneatur constituere Vicarium, sed possit Jurisdictionem, ad se devolutam per se ipsum 2328.

ipsum exercere, juxta Abbatem in c. *irrefragibili*, 13. *de Offic. Ordin. n.* 2. secus tamen esse *Jure novo* Trid. *de quo supra n.* 2326. potest autem Sede Vacante constituere etiam plures Vicarios, æquè principales, saltem ubi amplitudo diœcesis id exigit, quantum est vi Juris communis, ut colligitur ex c. *unico de Cleric. ægrotant.* ibi : *unum, vel duos;* & notat Quaranta *cit. n.* 9. quamvis ex Tridentino constitui debeat *tantùm unus*, nisi aliud habeat consuetudo legitima. Est autem Vicarius Capituli constituendus non tantùm Episcopo mortuo; sed etiam, si Episcopus in partibus remotis degat, ac ejus Vicarius decessit; item quando Sedes *quasi* vacat, quod contingit, cùm Episcopus est in captivitate, ut dicitur c. si *Episcopus*, *de Supplend. neglig. Prælat.* Cæterùm, quando eligitur Vicarius à Capitulo, non est de necessitate, ut servetur electionis forma, jure communi præscripta in c. *quia propter*, *de elect. de quo supr.* Nam tales Vicarij sunt solùm temporales, ut notat Garcia *de Beneficijs p. 2. c. 7. n.* 22.

2329. Not. 3. quamvis Vicarius Capituli possit ea, quoad Jurisdictionem, quæ potest Episcopus (nisi vel à Pontifice, vel à Capitulo in aliquibus restringatur) consequenter possit excommunicare, interdicere, suspendere (nam Jurisdictio Episcopalis eo casu quoad exercitium ad eum spectat, ut dicitur cit. c. *unic.* & notat. (Suarez *de Censur. D. 7. S. 3. n.* 10.) id tamen non procedere, ut ipsum etiam Capitulum valeat excommunicare &c. sic enim & ipse excommunicatus foret, cùm ejus potestas sit dependens ab illo; & ratio est ex *num.* 2325. causas tamen, Vicario Episcopi delegatas, non potest cognoscere; quia non succedit Episcopo, vel ejus Vicario in Jurisdictione *delegata*, sicut nec ipsum Capitulum; sed tantùm, in *Ordinaria*, Jure Ordinario competente.

Not. 4. quòd Vicarius à Capitulo Sede 2330.
vacante constitutus, & confirmatus etiam ad certum tempus, ante illius lapsum ex causa rationabili revocari possit, ut notat Joannes Andreas in c. *penult. h. t. in 6. n.* 15. *arg. c. fin. de Precar. L. Judicum* 58. *ff. de Judic.* Dixi *ex causa rationabili;* quia, si merè pro libitu revocari possit, multùm obest rectæ administrationi Justitiæ inter particulares Canonicos, & alios ab ipsis dependentes, ut benè observat Quaranta *cit. n.* 2. *Tertiò dubitatur:* potestas demum Vicarij Capitularis exspirat dato novo Episcopo; cùm etiam exspiret in Capitulo, quod intellige, ubi novus Episcopus confirmatus possessionem Episcopatûs accepit; quia tunc Episcopalis Sedes non ampliùs vacat; & huic ab illo rationes gestæ administrationis exigere licet.

# QUÆSTIO XXIX.

## IN TIT. XXIX. DE OFFICIO, ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

2331. HActenus dictum est de Officio, & potestate personarum Ecclesiasticarum, respiciente tractationem divinorum, ac eorum, quæ sunt Jurisdictionis voluntariæ; nunc agendum est de illis Ministris, qui assumuntur ad ea, quæ sunt Jurisdictionis contentiosæ, quæ respicit actus Judiciales externos. Not. autem *potestatem & officium* in eo differre, quòd potestas sit ipsa vis, & virtus, aliquid faciendi; exercitium autem ejus, seu actus secundus, nomine *Officij* significetur; de quo plura videri possunt apud Pereyram *in Elucidario n.* 291. *in fin. & n.* 1305. quibus positis.

### ARTICULUS I.

#### *Quid sit Judex delegatus?*

PRo resolutione supponendum 1. quòd 2332.
verbum *Judex*, in tota sua latitudine, comprehendat omnes *jus dicentes*, cujuscunque dignitatis sint, ut Præsides, Proconsules, Rectores Provinciarum, & alios similes: dicitur enim (ut ait Sylvester V. *eodem*) quasi *jus dicens populo*, sive *quòd jure disceptet*, id est, justè judicet. c. *forus*, *§. in omni*, *de Verb. signif.* Unde *Judex* est is, *qui Jure potest justum cuique decernere, & reddere.* Ut Judicum scrutemur

mur multiplicitatem, Judex in genere est triplex, quamvis sub tribus speciebus, seu membris varios contineat. Nam Judex quidam est *Ordinarius*; quidam, *extraordinarius*.

2333. Supponendum 2. *Ordinarium* esse, qui potestate ordinaria præficitur à Principe alicui Collegio, vel Universitati, ad universitatem causarum; *extraordinarius* est, qui habens potestatem delegatam, non præficitur alicui Universitati, vel Collegio; & est duplex, alter habens Jurisdictionem, ex partium voluntate, & dicitur *arbiter*, alio nomine compromissarius; alter ex *commissione Superioris*, ut delegatus ad certam causam, vel subdelegatus, cui nempe delegatus potestatem subdelegavit.

2334. Supponendum 3. *Jurisdictionem* esse speciem potestatis, & apud Sylvestrum V. *eodem*, dici quasi Jurisdictionem, à Jure dicendo, & juxta Hervæum sic describi: *Jurisdictio est, qua præsidens alicui Reipublicæ, potest dicere jus, statuendo, sententiando, vel cum obligatione subditorum ad habendum id, quod dicitur, pro justo.* Breviùs & clariùs Azonus sic definit (*Jurisdictio est potestas, de publico introducta, cum necessitate Juris dicendi, vel æquitatis statuendæ.*

2335. Supponendum 4. Jurisdictionem in genere vel esse ordinariam, vel delegatam. *Ordinaria*, ut ex verbis Modestini, & Ulpiani colligitur, residere dicitur in illo, apud quem legis actio est, & potest definiri *potestas publica, quæ alicui ex proprio munere, vel officio competit.* Delegata est illa, *quæ ex speciali alicujus Superioris mandato convenit.* Jurisdictio item alia voluntaria, alia contentiosa dicitur. *Voluntaria*, solùm inter volentes locum habet, eáque explicantur emancipationes, manumissiones, & adoptiones, quæ Magistratûs authoritate, etiam extra territorium, & quocunque loco, rectè fiunt, *l. 2. ff. de Offic: Procons:* ex quo textu etiam desumitur, quid sit *contentiosa*: hæc enim est illa, quæ in invitos, aut præsentes, aut, si per contumaciam desint, etiam in absentes exercetur.

2336. Cùm igitur *delegare*, in genere nihil aliud significet, quam alterum in locum suum substituere, sive vices suas alteri committere; sequitur, quòd *Judex delegatus* (qui etiam vocatur *Commissarius*, & Judex *extraordinarius*, c. *de cætero, de Transact. V. extraordinarium, junct. gloss.*) sit Judex, *qui Jurisdictionem habet contentiosam non jure suo, sed ab alio sibi mandatam, eam alieno nomine exercens*; sic Desselius *h. t. q. 1.*

Ex hoc colliges 1. Judicem *delegatum* 2337. ex hoc differre ab *Ordinario*, quòd hic *jure, & nomine suo* Jurisdictionem contentiosam exerceat, tanquam annexam muneri suo *L. 5. ff. de Jurisdict. omn. Jud. junct. gloss. V. suo jure.* Colliges 2. quòd quis dupliciter habere possit Jurisdictionem, sibi mandatam ab alio; 1. *à jure*; & sic dicitur *delegatus à jure*; 2. *ab homine*, propriam, & Ordinariam Jurisdictionem habente, & sic differt ab arbitro, qui suam Jurisdictionem habet à partibus in eum compromittentibus, jure, seu lege id approbante, vel concedente. Colliges 3. Judicem delegatum Jurisdictionem exercere *nomine, & authoritate delegantis, c. sanè h. t.* quo differt ab eo, cui committitur nudum ministerium, seu executio sine causæ cognitione, & propriè vocantur *Auditores* seu *Executores*; Barbosa *h. t. in Princip. n. 12.* Colliges 4. eum, cui habens Jurisdictionem ordinariam, hanc committit immediatè, vocari *delegatum*; cui mediatè: vocari *subdelegatum*; ubi notandum, *Jurisdictionem delegati*, non esse eandem numero *cum Jurisdictione delegantis*, sed distinctam; cùm in delegato non constituatur translatione illius à delegante, sed productione, non physica, sed morali; ex hoc differt à Jurisdictione Episcopalis Vicarij, qui cum Episcopo habet eandem Jurisdictionem, non distinctam. Et ideo à delegato appellari potest ad delegantem, *L. 1. §. qui mandatam, ff. de Officio ejus, cui mandata est Jurisdictio*; à subdelegato autem appellatur ad delegantem, quando non tota causa est illi commissa; Barb. *cit. n. 7.* non autem à Vicario Episcopi ad Episcopum, ut constat ex dictis.

## ARTICULUS II.

### *Quotuplex sit Judex delegatus?*

EX dictis constat, alium esse delega- 2338.
tum *à Jure*; alium *ab homine*; ex his sunt alij, qui delegantur à Summo Pontifice;

tifice; alij, ab Imperatore, vel Rege; alij rursum sunt delegati ad universitatem causarum, quibus scilicet non una, vel altera particularis causa committitur, sed omnes vel universim, vel saltem in aliquo genere sub alterno, ut, *causæ decimarum, matrimonij, mutui &c.* Nec obstat rationi Judicis delegati, quòd constituatur cum restrictione, vel ad certum tempus, vel ad locum, v. g. in certo districtu, & territorio; vel etiam ad certam quantitatem v. g. quæ non excedunt valorem 50. aureorum; sic Bartol. *in l. Legatus* 11. *ff. de Offic. Proconsul. n.* 4. quibus autem committitur Jurisdictio solùm ad quasdam causas particulares, vel etiam ad omnes, sed inter certas tantùm personas v. g. inter Titium, & Cajum, ij non sunt delegati universales; ita Sanchez *l.* 3. *matr. D.* 31. *num.* 4.

2339. Not. præterea, à nonnullis jurisdictionem sub dividi *in delegatam in specie, & in jurisdictionem mandatam*; illam esse volunt, cùm alicui præter causæ cognitionem, etiam coërcitio aliqua, seu simplex jurisdictio, absque ultimata, & perfecta potesttate exequendi, committitur; istam verò, quando alicui integra jurisdictio, id est cum plena potestate, etiam exequendi sententiam, sive in una, sive in pluribus causis committitur; hanc distinctionem videntur desumere, *ex L.* 1. §. *an autem ff. de suspectis tutoribus*, ibi: *mandata jurisdictione, officium ad eum totum jurisdicendi transijt, & c. super quæstionum*, 27. §. *porro, h. t.* sed licèt verum sit, in dictis juribus nominatim distingui, an tota, vel non tota juris dictio alteri concessa sit? Jurisperiti tamen communiter non ponunt differentiam inter jurisdictionem *delegatam*, & *mandatam*; nec contra illos rectè arguitur dicendo: quòd à *mandatario non appelletur mandans, sed mandantis superior; à delegato autem detur appellatio ad delegantem*, ut dicitur *cit. cap.* 27. §. *porro.* Nam ibi solùm dicitur *à subdelegato* non *in totum*, appellari ad subdelegantem; non autem ad primum delegantem: secus, si *in totum*; ex quo sequitur solùm differentia inter jurisdictionem subdelegatam *in totum, & non in totum*, sive dantem *totum*, & dantem *solùm partem*, ubi nihil est *de mandato*, distincto à tali commissione.

Not. 2. à quibusdam etiam poni quandam distinctionem Judicis *delegati* à Judice *dato*, per hunc intelligendo illum, qui propriam *notionem*, hoc est *nudam cognoscendi*, ac judicandi potestatem habet, sine ulla coërcitione, & executione; per illum autem, qui (saltem de jure Canonico) communiter simul habeat coërcitionem aliquam, ut expresè habetur c. *præterea* 5. *h. t.* ubi dicitur: *per simplicem commissionem causæ, posse delegatum citare, contumacem punire, & reliqua facere, quæ spectant ad causam*; licèt autem delegatus jure Canonico communiter habeat, præter causæ cognitionem, etiam potestatem faciendi aliquam coërcitionem partium contumacium, ut dictum est *præcedenti numero*; potest tamen etiam, eodem jure, alicui, subdelegare solam causæ cognitionem, delegante sibi reservante sententiam, ut dicitur c. *cùm te*, 18. *h. t.* & colligitur *ex cit. c.* 27. §. *verùm*, ubi agitur de subdelegato *cum*, & *sine* jurisdictione. 2340.

## ARTICULUS III.

### *Quibus competat potestas delegandi, vel subdelegandi?*

RESp. quòd omnibus, ad quos ordinario jure spectat causæ definitio; ita Zoësius *h. t. nu.* 3. *ex c. cùm vicesimum*, 4. 1 *h. t. & L.* 1. *C. qui pro sua jurisdict.* Talis est Summus Pontifex; quivis etiam Princeps in sua ditione, *L.* 5. *C. de Judice*; quilibet Ordinarius, *c. cùm Episcopus* 7. *de offic: Jud. ord. in* 6. talem etiam licentiam habent Legati Pontificij c. 2. *de judic:* & delegati à Principe, c. 3. *h. t. c.* 62. *de appellat: L. à Judice, C. de Judic:* Hæc autem potestas subdelegandi non est potestas *delegata*, sed *ordinaria*; nam potestas, quæ datur *à jure*, vel *à lege, est ordinaria, L. & quia*, 6. *ff. de Jurisdictione*: & delegatum Principis subdelegatum posse compellere ad acceptandam subdelegationem, c. *Pastoralis*, 28 *h. t.* non autem, Judicem ordinarium inferiorem, nisi hominem suæ jurisdictioni subditum, glossi *in cit. c. Pastoralis V. renitentem.* Quando autem Princeps alicui *specialiter* delegat causam, censetur tollere omnem jurisdictionem Ordinarijs inferioribus; Barbosa *in c.* 28. 2341.

*de*

*de offic: deleg: nu. 9.* sed ly *tollere* mitius accipiendum est, *pro suspendere;* & quidem *ad solum actum alteri specialiter* commissum; dupliciter autem potest causa delegari, seu committi, *requirendo industriam*, seu fidem *personæ delegatæ; in favorem partium* ( & hoc casu delegatus Principis, de consensu partium, eam causam potest alteri committere; quia possunt partes cedere favori sibi concesso, c. *fin:* §. *is autem, h. t.* ) secundò *propter utilitatem publicam;* & tunc delegatus tenetur *personaliter* exequi; sic Pirhing *h. t. nu.* 10. §. *quòd si verò:* censetur autem requiri *industria personæ*, seu, quòd delegatus debeat ipse *per se ipsum*, & personaliter causam exequi, si rescriptum habeat clausulam: *per te ipsum*, vel, *personaliter*, vel *confidimus de industria*, & *discretione*, vel, *prudentia tua &c.*

2342. Not. præterea delegatum, *regulariter* non posse subdelegare, *ex c: cùm causam*, 42. *de Appellat:* ibi: *cùm non nisi delegatus à Principe alij valeat delegare*; & *L. 1. §. 1. & L. 3. ff. de offic: & potestate ejus, cui mandata est jurisdictio*; dixi *regulariter*; excipitur enim primo *delegatus Papæ*, vel *Principis*, nisi delegatio requirat industriam personæ ob utilitatem publicam; excipitur 2. ab aliquibus, *subdelegatus à delegato Papæ*, ut vult Abbas in c. *cùm Bertholdus de sent. & re judicata nu.* 22. sed in hoc contrarium probabilius censet Zoësius hìc *n.* 6. quia nullus delegatus, etiam Principis, potest subdelegare cum facultate subdelegandi; sic Barb: *cit. nu.* 8. Sanchez *c.* 3. *matrim: D.* 31. *nu.* 5. & 9. excipitur 3. delegatus constitutus cum potestate subdelegandi; sic Zoësius *cit. num.* 7. excipitur 4. delegatus ab inferiore ad causarum universitatem; quia talis habet idem Tribunal cum delegante; sic Zoësius *cit. num.* 8. sed hoc intellige, quando talis delegatus, ratione delegationis sibi factæ, censetur veluti officium *ordinarium* habere; non autem, quando tales sunt ex jure merè commisso, qualiter id habent confessarij Regulares, qui delegati sunt à Papa, jure solùm commisso, *in, & pro foro pœnitentiæ;* sic Layman *lib.* 5. *sum. tr.* 6. *c.* 10. *n.* 14. quia ipsi non sunt ordinarij Pastores animarum; nec *ex officio* earum curam habent; sicut nec Cooperatores Parochorum.

## ARTICULUS IV.

### *Qui possint esse Delegati?*

RESp. ut quis possit esse judex delega- 2343.
tus, requiri ex natura rei, ipsum esse *idoneum* ad id, pro quo delegatur; deinde non *suspectum, c. cùm super*, 27. *h. t.* §. *Verùm*, ibi: nisi mandati fines excedat, *vel meritò sit suspectus;* tertiò non *excommunicatum;* cùm talis non sit capax jurisdictionis; 4. *non minorem* 18. *annis;* licèt ex partium consensu esse possit, si sit minor 18. c. *h. tit.* quo tamen consensu non indiget Papa, vel Princeps, *L. quidam*, 57. *ff. de re judic.* secus est de Delegato Papæ, vel Principis, *ex c. cit.* 41. ubi dicitur delegationem minori factam ab alio, quàm à Principe, non tenere; Zoësius *hic nu.* 10. Ex quo colligitur, delegationem à Papa, vel Principe, minori annis 18. valere; non autem tali factam ab alio.

Si quæras, qui possint esse delegati Pon- 2344.
tificij? R. nullum (secluso privilegio, vel jure speciali) nisi positum in dignitate, aut Ecclesiæ Cathedralis Canonicum, posse esse delegatum Apostolicæ Sedis, *c.* 11. *de rescript: in* 6. ubi Bonifacius VIII. *sancimus*, inquit, ut nullis, nisi *dignitate præditis*, aut *personatum* obtinentibus, seu *Ecclesiarum Cathedralium Canonicis*, causæ, authoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem, *de cætero committantur*: nec audiantur alibi, quàm in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit cõmodè copia peritorum haberi; quod verum est, licèt sit Canonicus Regularis; ita Sanchez *lib.* 6. *mor: c.* 13. *nu.* 83. Delegatum autem Episcopi, vel alterius Papâ inferioris, posse esse etiam simplicem Clericum, modò aliunde sit idoneus: *gloss: in c. statutum, h. t.* V. *Sedis Apostolicæ.* V. quæ diximus suprà *nu.* 1559. ubi plures de hac materia quæstiones à nobis resolutæ sunt.

## ARTICULUS V.

### *Quæ causæ possint delegari?*

RESp. quòd possit quælibet, quæ est sub- 2345.
jecta jurisdictioni delegantis; *L. unic: C. qui pro sua jurisdictione;* excipiunt aliqui

qui causas *meri Imperij*, ut est jus gladij, sive potestas puniendi facinorosos pœnâ mortis, vel mutilationis, aut perpetui carceris. Circa hanc exceptionem not. 1. communem esse Doctorum sententiam apud Julium Clarum *in pract. crimin: lib. 5. §. fin. q. 1. n. 1.* eas causas *de jure Civili*, à Judicibus ordinarijs, Principe inferioribus, non posse delegari, nisi in casu absentiæ, negotij publici causa, idque *ex c. 1. ff. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio:* posse tamen eas, quæ sunt de jure magistratûs, ut dicitur *cit. L. 1. in princip.*

2346. Advertendum autem, quod attinet ad Regiminis multiplicitatem, *Imperium*, acceptum velut in genere, esse duplex; alterum *merum*, alterum *mixtum*; merum Imperium, dicitur quædam summa potestas, per quam ea, quæ sunt jurisdictionis maximæ, explicantur: illius enim est facinorosos, pœnis etiam capitalibus, afficere; vocatur *merum*, quia separatum à cognitione pecuniaria, quasi nullum inde sequatur commodum pecuniarium; *institut. de publicis Judic. in princ.* aliter explicatur in gl. *ad c. Sedem de offic. ordin.* ubi: *merum Imperium est, inquit, quædam summa potestas, & alta ex publico inducta, quod apud Principes est, præcipuè Papam, & Imperatorem.* Effectus illius v. g. *in spiritualibus*, sunt depositio, translatio Sedium Episcopalium, & divisio unius Sedis Cathedralis in duas: *in sæcularibus*, pœna capitis. *Mixtum Imperium, est potestas media*, per quam ea, quæ sunt in jurisdictione media explicantur: dicitur *mixtum*, quasi ex jurisdictione, & mero Imperio: est penes Judices, quorum officium mercenarium est; &, si ad bonum publicum tendat. Illius effectus *in spiritualibus*, sunt dedicare Ecclesias, Altaria consecrare, Virgines velare; *in sæcularibus* verò, mittere in possessionem, pupillis Tutores dare, infligere pœnas graves, nempe mutilationem, relegationem, fustigationem, & reliquas, excepta capitali; sic Pereyra *in Elucidar: à n. 295.*

2347. Not. 2. quosdam velle, *merum* Imperium etiam delegari posse in casu infirmitatis, multitudinis causarum, vel alterius similis impedimenti; sic Pirhing, *h. t. n. 51. mixtum* autem (ut est potestas legitimandi illegitimos) posse delegari, quantum est *de jure Civili*, tenet Fachinæus *lib. 9. controv: juris, cap. 98.* sed contrarium probabilius judicat Zoësius *h. tit.* quando certa lege, aut constitutione concessum est *personæ*; quia talia personam non egrediuntur; secus est, quæ generaliter competunt jure magistratûs: *de jure* autem *Canonico*, ab Ordinarijs delegari possunt causæ ipsorum jurisdictioni subjectæ, licèt sint Imperij mixti, vel meri, per glossi: in c. *quod Sedem, de officio ordinar: V. committere*, cum communi Doctorum: sed hoc intellige de *speciali*, non *generali* delegatione, ut notat Pirhing, *h. t. nu. 52.* & habetur in c. *licèt, 2. de offic: Vicar: in 6.* ibi: *licèt in Officialem Episcopi, per commissionem officij, generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur: potestatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus*; seu, *aliquos à suis beneficijs, officijs, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eundem:* nisi sibi *specialiter* hæc committantur.

Not. 3. ad merum Imperium jure Canonico etiam pertinere Clericorum degradationem, depositionem, suspensionem &c. Pirhing, *cit. §. porro.* Hinc contra Zoësium *de offic: Judic: delegat: num. 18.* negandum, Judicem Ecclesiasticum non habere merum Imperium; licèt enim non habeat jus gladij, seu *mortis corporalis*; habet tamen *gladium spiritualem, excommunicandi, addicendi perpetuis carceribus &c.* sic gloss: in c. *quod Sedem, de offic: Ordinar.* Cæterùm adverte, in generali concessione totius jurisdictionis, non censeri ea comprehensa, quæ sunt primi gradus, seu præcipua talis jurisdictionis, nisi exprimantur specialiter; sic Molina *tr. 5. de justitia D. 6. nu. 3. juxta regul. juris in in 6.* nec ea, quæ indigent speciali expressione. 2348.

## ARTICULUS VI.

### *An delegatio fieri possit pluribus?*

RESP. 1. posse, etiam uni tantùm, qui solus cognoscat, *c. 3. h. t.* ibi: si pro debilitate, vel pro qualibet alia causa, vel necessitate causis tractandis, quæ tibi à Sede Apostolica committuntur, interesse non poteris, liberum tibi sit personis discretis, & idoneis vices tuas committere; ita tamen, 2349.

men, quòd, si res tanti est, debeant te consulere: nisi fortè causæ ita graves sint, quòd sine præsentia tua non possint commodè terminari; sic Alexander III. ad Episcopum Londonensem. Resp. 2. posse etiam pluribus, qui vel omnes simul causam cognoscant, & judicent (quo casu sententia unius non tenet, *ex c. 16. h. t.* & Barb: ibidem *nu.* 1. aliud est, si fieret singulis insolidum) vel, ut si omnes interesse non possint, alijs procedere liceat (& in hoc casu, priusquam appareat de impotentia tertij, si reliqui procedunt, nihil agunt, c. *prudentiam 21. h. tit.*) Hinc se excusans, excusationem debet exponere, Barb: *ibid. nu. 5.*) vel etiam, ut *omnes* cognoscant; aut *aliqui ex illis*; aut etiam *unus tantùm*; & hoc casu ex natura particulæ disjunctivæ, quilibet rectè cognoscit; Zoësius hìc *nu. 19.* Primum ex c. 16. probatur claro illius textu, ubi casus propositus sic habet: causam divortij, inter duos conjuges, Pontifex duobus Episcopis commiserat: ii judicaverunt, mulierem viro restituendam esse; quod cùm factum esset, vir mulierem adeò flagellavit, ut in confessionem eruperit, inter ipsos consanguinitatis impedimentum intercedere: hoc intellecto, alter eorum Episcoporum judicavit, illos seperandos esse: ad hunc casum respondit Alexander III. mandamus, quatenus, si inveneritis, quòd præfatus vir dictam mulierem *ad judicium solummodò alterius prædictorum à se separâsset*: (*quia, cùm causa duobus committitur, sententia unius non tenet*) *ipsum, ut eandem mulierem, sicut uxorem suam benignè recipiat, maritali affectione pertractet, monitione præmißa, cogatis.* Si qui tamen apparuerint, qui (postquam ab eo recepta fuerit) matrimonium ipsorum velint, & legitimè possint impetere: causam audiatis, & fine Canonico terminetis.

2350. Probatur etiam altera pars ex cap. 21. nam, cùm à Cælestino III. inter alia quæsitum esset, si causa tribus Judicibus commissa sit, ita, *ut si omnes interesse nequeant, duo exequantur, utrum Reus comparere teneatur, quando à duobus tantùm citatus fuit*? præterea; *si à tribus Judicibus citatus comparuerit, utrùm duo in causa procedere possint, si tertius nec veniat, nec per literas, (ut fieri solet) se excuset*? Respondit Papa; *nisi duobus judicibus*, seu ex certo nuntio, vel ex Excusatore cum literis destinato, aliunde constiterit, quòd tertius adesse non possit (vel nolit) *duo illi procedere haud possint: & si procedant, acta irrita erunt.* Nam, ex antiqua consuetudine, Pontifex mavult causam committere duobus, quàm uni; tribus, quàm duobus: quia integrum magis judicium æstimatur, quod plurium sententijs confirmatur. Quare, si aliter, quàm ipsis mandatum, Judices procedant, præter formam mandati judicare censendi sunt; atque per hoc etiam satisfactum videtur primæ dubitationi, ut hìc gloss. *magna in fine* annotavit, nisi in citatione exprimant impedimentum, aut excusationem tertij: tum fidem habere debet citatus, atque comparere; uti Abbas hìc docet *n.* 17.

## ARTICULUS VII.

### *Quodnam sit officium, & potestas Delegati?*

OFficium ejus est, diligenter observare 2351.
præscriptam in rescripto delegationis formam, nec mandati fines egredi; nam actus foret nullus, Zoësius *h. t. num. 21. ex c. cùm dilecta, 22. de rescriptis*, ibi: cùm enim in literis nostris eisdem principaliter mandaretur, *ut ad prædictam Ecclesiam personaliter accedentes*, personæ idoneæ administrationem committerent Abbatiæ, cui ad opus ejus fieret hinc inde resignatio subtractorum: *ipsi formam mandati Apostolici transponentes*, illo capitulo præmisso, de alijs articulis inordinatè plurimùm cognoverant: propter quod processum ipsorum, *contra nostri formam rescripti, ac juris ordinem attentatum, irritum decernimus, & inanem*; ideóque mandamus, quatenus G. & quibusdam alijs fororibus, Ecclesiæ (sicut justum fuerit) restitutis, & forma mandati nostri, exacta diligentia, observata, in negotio ipso ratione prævia, procedatis; sic Innocentius III. ad Archiepiscopum Magdeburg: unde jurisdictionem sibi commissam non debet delegatus prorogare de persona in personam, non expressam in rescripto c. 4. *h. tit.* ubi censuras, à delegato latas in personam, rescripto non expressam, irrita declaravit Pontifex, rescribens delegato; *quia in dictum L. nullam jurisdi-*

*risdictionem habebas, jurisdictionis prorogatio nulla noscitur extitisse; cùm hujusmodi delegata jurisdictio ad alias personas nequeat prorogari;* quamvis de partium consensu prorogatio de tempore in tempus procedat, si non sit expressè prohibitũ, vel tempus præfixum non sit ob utilitatem publicam, sed partium favorem, c. 4. *h. t.* ubi Pontifex Episcopo Londonensi, de causis, inquit, quæ intra certum terminum decidendæ committuntur, hoc tuam volumus cognitionem tenere: quòd, *nisi dies præfixus, de communi consensu partium, prorogetur, eo transacto, mandatum expirat;* quo casu glossa *fin. in c.* 40. *h. t.* prorogationem admitti vult etiam de re ad rem.

2352. Et si in rescripto nihil sit specialiter mandatum, delegatus sequi debet jus commune, cui in dubio non censetur delegans derogare voluisse, c. *ex parte*, 13. *h. t.* ubi Pontifex Eboracensi Archiepiscopo, in hoc dubitanti, rescribit: quòd, si quando Judici delegato expediat formam sibi statutam servare, debet tamen rationabiles exceptiones admittere: & in causa, *juxta juris æquitatem procedere*, nisi exprimatur in literis nostris, *quòd nullæ debeant exceptiones admitti;* his præmissis:

2353. Quæres 1. unde *potestas delegati* mensuram capiat? Resp. quòd ex authoritate delegantis. Hinc delegatus Papæ, major est delegatis inferiorum, c. *statutum*, 11. *de rescript. in* 6. & in causa delegationis, etiam Ordinariô est major, qui jussus delegati sententiam exequi, cogitur etiam illam, quam videt injustam; c. *Pastoralis* 28. §. *quia verò*, *h. t.* ibi: quia verò *sæpe contingit, quòd executio sententiæ Ordinario demandatur;* quæsiviisti, *an si ipsam injustam esse cognoverit, debeat eam executioni mandare? an sit ei potiùs subsistendum?* attendentes itaque, quòd *non cognitio*, sed *executio tantùm* demandadatur eidem: respondemus, *quòd cùm Ordinarius teneatur obsequi delegato; ac etsi sciat sententiam illam esse injustam, nihilominus exequi tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat.*

2354 Circa hunc textum, nota, alium esse executorem *merum*; alium *mistum*, ut notat Glossa hic, V. *& si sciat.* Merus executor dicitur, cui nulla cognitio, sed sola executio causæ plenè cognitæ, & decisæ, committitur, quin ipse ullas exceptiones admittere possit; uti colligitur ex *L. sicut proponis*, 6. *C. de Executione rei judicatæ;* & docet Glossa communiter recepta in c. *de Cætero* 15. *de re judic.* si tamen *manifestò* constet, errorem commissum esse, aut fraudem interveniisse, non debet exequi, sed ad Superiorem, seu Judicem referre, juxta *c. 2. de crimine falsi*, de quo videri potest Suarez *de Censuris*, *D.* 3. *Sect.* 15. *n.* 6. Executor *mistus* dicitur, cui non mera executio, sed etiam cognitio de facienda executione committitur. De hoc sermo est *in L.* 4. *C. si contra jus*, ibi: *& si non cognitio* (causæ principalis) *sed executio mandatur, de veritate precum inquiri oportet, ut si fraus intervenerit &c.* Talis est executor, qui à Papa, per rescriptum, deputatus est ad conferendum alicui beneficium, uti colligitur ex Clem. *un. h. t. jun. gloss. V. executores;* quæ inde colligit, quòd isti deputati ad exemptionem habeant Jurisdictionem delegatam, quòd possint exceptiones admittere, & de iis cognoscere, quæ sunt ad impediendam, aut minuendam executionem (ut, si deputatus sit ad executionem imperatæ solutionis, & Reus conventus compensationis factæ exceptionem objiciat) de ea cognoscere poterit: at verò de executionibus, quæ sunt de justitia causæ, cognoscere ipse non potest, nisi in eum finem, ut intelligat, an ob eam causam ad Superiorem remittere debeat? juxta c. *de Cætero* 5. *de re judic.* quibus positis:

2355. Quæri potest, qualiter intelligenda veniant verba, quòd Ordinarius teneatur obsequi delegato, qui ei executionem sententiæ commisit, *etsi ipse* (nimirum executor) *sciat sententiam illam esse injustam?* R. si manifestè constat, errorem comissum esse, aut fraudem interveniisse, non debere exequi, sed ad Superiorem, seu Judicem referre, juxta *c. 2. de Crimine falsi*, & videri potest Suarez *de Censuris Disp.* 3. *Sect.* 15. *n.* 6. quia talis executio, tam manifestam continens injustitiam; non cadit sub mandatum justi Judicis; neque dictum textum loqui, vel intelligi debere de hoc casu.

Quæri potest 2. quid agendum, si delegatus etiam, postquam Judex informatus est de statu rei, nihilominus urgeat, ac

ac imperet executionem? Videtur quòd tunc debeat obedire; nam postquam Pontifex in cit. §. *quia verò*, expressè dixit: executorem *debere obsequi*, etsi sciat, sententiam esse injustam, *nisi apud eum* (qui executionem mandat) *efficere possit*, *ut ab hoc onere ipsum absolvat*: sed in dato casu, id efficere non potest; ergo. Dicendum nihilominus, *non licere* tunc exequi sententiam *criminalem mortis*, *vel mutilationis contra hominem innocentem*; sic Layman *l. 3. summæ, tr. 6. c. 2. à n. 8.* quia innocentem, *cognitum*, *ut talem*, *occidere*, jure naturæ prohibitum est: si autem sit in causa civili, & sententia injusta, simul sit invalida (ut, quia est contra jura manifesta, vel nullo Juris ordine observato) executioni mandari non debet, quia tunc non agit *ut Judex*, *Arg. c. forus 10. de Verb. signif.* & ex communi docet Imola hic *n.* 28. Abbas *n.* 4. Suarez *loco citat.*

2356. Sed quid, si sententia ea injusta sit simul valida? Respondet Suarez *cit. Sect. 15. n. 71.* Executorem licitè tunc exequi, si errorem facilè ostendere non possit, & sententia sit injusta solùm materialiter, lata tamen secundùm allegata, & probata; videtur tamen intelligendum pro casu, quo jure solùm humano jus illi constitutum est adversus eum actum, quo per executionem sententiæ etiam materialiter læditur jus ejus; vel cùm alter illi cedere potest citra culpam conscientiæ: ut, si contra talem sententiam injustam, cùm posset, non appellet.

2357. Quæres 2. quæ pertineant ad Judicis delegati potestatem? R. quòd citare partes, cogere contumaces ad comparendum, & ea omnia facere, quæ necessaria sunt, ut Jurisdictionem mandatam exequi possit, *c. 4. & 5. h. t.* ibi: *auctoritate præsentium innotescat*, quòd, postquam alicui causa, licèt simpliciter, delegatur, satis potest, *nostrâ auctoritate*, partes compellere, & etiam contumaces, severitate Ecclesiasticâ coërcere, *etiamsi literæ commissionis id non contineant*, aut partes, mandatum nostrum non habeant, ut accedant; quia *ex eo, quòd causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem.* Hinc potest, quemcunque *in hoc* impedientem, punire, & coërcere, etiam Superiorem, tamen cum temperamento, & discretione dignitatis personæ. *c. 2. eod. in 6.* ibi: *quia Pontificali dignitate præditis, ob reverentiam sacri Officij*, quod exercent, plurimùm deferri convenit, & eos plus alijs honorari decet: ut cùm à Judicibus, vel Conservatoribus, à Sede Apostolica deputatis, *contra eos* ad coactiones aliquas, sive pœnas fuerit procedendum, *gradus*, *& modestia in hujusmodi processu servetur.* Et ideo Alexander IV. *cit. c. 2. §. ita quod*, præscribit hunc modum, ut (eis, condignâ reverentiâ supportatis) ingressus primò ipsis Ecclesiæ, vel Sacerdotale *interdicatur* Ministerium: ac deinde ab Officio *suspendantur*; & subsequenter, *aggravetur* censurâ Ecclesiasticâ contra eos, nisi fortè aliter fieri suaserit nimia contumaciæ protervitas, sive culpa.

Quæres 3. an Judex delegatus absolvere 2358.
possit ab excommunicatione? de hoc casu est textus in c. *prudentiam 21. §. sexta, h. t.* ubi dicitur, quòd, si Reus, coram delegato objicit excommunicationem Actori, quam non probat intra tempus debitum, audiatur Actor: si verò de excommunicatione constiterit, *delegatus absolvet Actorem*, nisi ob aliam causam, quæ in Judicium non devenit, excommunicatus fuerit: *tunc ad excommunicatorem remittendus erit*, qui, *si malitiosè nolit, delegatus Papæ eum absolvet*, in commodum partis; non autem ejus proprium; ita Cœlestinus III. *cit. c. 3.* Dixi: *intra tempus debitum*, nimirum, intra dies octo post exceptionem oppositam, ex *c. 1. de Except. in 6.* Sed nota, posse hìc sermonem esse de excommunicatione ab Actore incursa, vel *ante*, vel *post* Apostolicum rescriptum; si objicitur excommunicatio incursa post rescriptum; tum à Judicibus delegatis absolvi debet: quia Pontifex, ipsis causam delegando, etiam alia commisisse censetur, quæ accessoria, & ad causæ expeditionem necessaria sunt: sed excipitur primò: nisi Actor ob aliam causam, quæ in Judicium non devenit, excommunicatus fuerit, tum ad auctorem excommunicationis, Judicem ordinarium, vel delegatum pro absolutione mittendus erit: qui si absolvere per malitiam recuset, tum delegati judices, secundùm formam Ecclesiæ, absolutionem conferant; secundò:

nisi

nisi excommunicatio Sedi Apostolicæ specialiter reservata sit.

## ARTICULUS VIII.

### *Quomodo Jurisdictio delegati finiatur, vel suspendatur?*

2359. REsp. Jurisdictionem delegati *finiri in totum*, 1. morte delegantis, *re integra*, *c. licèt* 30. *h. t.* ibi: *quia mandatum hujusmodi, re integra, morte mandatoris expiravit: non habet solus officium judicandi: si verò, ante mortem illius, Jurisdictione uti cæperit, taliter demandata, vices suas, & alius poterit adimplere*: Secundò, per sententiam, quæ facit delegatum, in ea causa desinere, esse Judicem cognitionis causæ, c. *in literis.* 9. *h. t.* ibi: *ex quo Judex delegatus per se, vel alium, sententiam executioni mandavit, vel mandari præcepit, ejus auctoritas, & Jurisdictio cessat*: quia semel est officio suo functus: Tertiò, *morte delegati*, re adhuc integra c. *quoniam* 14. *h. t. Arg.* §. 10. *Instit. & L.* 58. *ff. mandati*: sed hoc intellige, si delegatio facta sit *personæ*; non autem, si *dignitati*; nam hæc non moritur, c. *quoniam cit. V. infrà n.* 2363. Similiter finitur morte delegati, si facta sit personæ, & dignitati simul, vel econtra; ita Zoësius *h. t. n.* 34. quia sic delegatio requirit *duo*; nisi commissio redderetur inutilis. Nam in dubio interpretatio sumenda est, ut actus valeat, *L. quoties ff. de rebus dub.* Hoc tamen videtur limitandum, ut non procedat indefinitè, nisi constet directè intentam esse illam *copulativam*, seu complexum ex utroque. Not. ulteriùs Jurisdictionem commissam non extingui *amissâ dignitate*, si facta sit *personæ*; quia sic non tollitur ejus subjectum: Quartò, Jurisdictio finitur ejus morte, qui conveniendus erat; nam eo casu deficit ratio subjecti, in quo Jurisdictio exercenda foret; Quintò, lapsu temporis præfixi; *c.* 4. *h. t.* Sextò, relatione causæ ad delegantem, *c.* 3. *de Offic. Legati*: Septimò, revocatione delegantis, re adhuc integra; nam re non integra, revocari non potest, *c. super* 6. §. *verùm, h. t. & c.* 6. *eod. in* 6. intellige autem,

2360. sive revocatio sit expressa, sive tacita.

Suspenditur autem primò, quando de delegatione alicui facta dubitatur; hinc, donec de illa certò pateat, est sine effectu; c. *cùm in jure* 31. *h. t.* ibi: *nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur.*

Secundò, quando Judex delegatus, ut 2361.
suspectus, recusatur, donec de causa suspecti cognitio sit habita coram arbitris, quos delegatus cogere potest rem declarare, c. *suspicionis* 39. *h. t.* ubi Gregorius IX. suspicionis ait: *causâ, contra judicem assignatâ, non ipse*, (qui forsan provocatus obesset) *sed arbitri potiùs* (coram quibus probatio est facienda, & ad quos omnia, quæ ad hunc articulum faciunt, pertinere noscuntur) *possunt ad hoc terminum assignare*: ab ipso quoque Judice (cui sicut Jurisdictio, sic & cætera, sine quibus explicari non potest, intelliguntur esse commissa) iidem, ut conveniant, si discordes fuerint, in unam sententiam, vel tertiam concorditer advocent, cum quo duo, vel alter eorum id faciat, sunt cogendi; ne hujusmodi occasione principale negotium plus debito prorogetur.

Tertiò cùm à sententia delegati appel- 2362.
latur, executio interim suspenditur; *c.* 28. §. *præterea h. t.* ibi: præterea *postulâsti*, si, cùm à sententia, lata auctoritate literarum nostrarum, *in quibus appellatio est inhibita*, fuerit appellatum, & literæ, post appellationem ad judices alios emanaverint, *an ad mandatum posteriorum Judicum executio sententiæ, à prioribus delegata, debeat retardari, ut priores Judices ipsam, neque per se, neque per alios exequantur*? Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, subjungit Pontifex: quòd, *cùm appellationibus causam, ex certa scientia Judicibus alijs committimus cognoscendam, appellationem videmur recipere, ac jurisdictionem priorum Judicum revocare, ut interim executio sententiæ suspendatur, donec appellationis merita plenius sint discussa &c.*

Circa datam respons: not. 1. *rem adhuc* 2363.
*integram*, communiter censeri, quando necdum est inchoata jurisdictio, eâ utendo, vel cœpta, vel cœpto negotio non tantùm litis contestatione, verùm etiam sola citatione legitima; quare res non ampliùs est integra, parte legitimè citata, vel lite contestata; non autem, subdelegatione, vel sola præsentatione rescripti; sic Zoësius *cit. n.* 29. *V. quæ diximus supra à n.* 1590.

Not. 2. sicut diximus delegati Jurisdictionem finiri morte naturali delegantis (si delegavit *nomine suo ; non , dignitatis;* quia dignitas non moritur, aut interit, *c.* 5. *de Rescript. in* 6.) sic pariter dicendum, si resignavit, vel aliter Jurisdictionem suam amisit ; ita Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 28. *n.*32. cùm Jurisdictio delegati habeatur dependenter à Jurisdictione existente in delegante.

2364. Not. 3. si delegatus naturaliter moriatur, finiri Jurisdictionem ejus, etiam re non integra; cùm sic deficiat Jurisdictionis delegatæ subjectum, *Arg. l.* 27. §. 3. *& L.* 57. *ff. mandati ;* quod intellige, si delegatio facta sit *personæ*, juxta præced. num. secus, *si dignitati* , *c.* 14. *h. t.* ibi : *quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum*, commissio emanavit, sibi socium in causæ cognitione adjunxit, nos sententiam illorum (sicut est justa) ratam, & firmam habemus: si autem pluribus, (ut eorum judicio *simultaneo* causa tractetur, & eorum unus obeat) exspirat in omnibus, etiam re non integra; secus, si singulis, quà singulis.

Not. 4. Jurisdictionem delegati etiam finiri, si elapsus sit numerus dierum præfixus; vel tempus præscriptum expeditioni causæ,quæ incipit à die, quo præsentatæ sunt literæ delegationis, de quo *c.* 4. *&* 24. *h. t.* intellige, nisi ad certum diem, vel mensem, causæ expeditio determinata sit: & in *cit. c.* 24. illud specialiter additur, quòd si Jurisdictio delegati exspiret in termino peremptorio,quem partibus assignavit,post congruam horam peremptorij Judex non exspectabit contumacem; si exspiret, possit exspectare in diem alteram, & iterum citare, si vult.

2365. Not. 5. etiam finiri, si delegatus dolosè, aut negligenter intra annum non utatur Jurisdictione commissa, quando Adversarius pro eo impetravit rescriptum, de quo *c.* 9. *&* 23. *de Rescript.* de quibus multa diximus supra *à n.* 1622. Advertendum præterea, quòd Judex delegatus, Jurisdictionem sibi commissam ad exequendam sententiam retineat, usque ad annum à die sententiæ latæ, c. *quærenti* 26. *h. t.* vel si appellatum fuerit, & appellatio deserta, à die desertionis; sic Innocentius in c. *quærenti V. ad annum*, & Barbosa *ibid. n.* 1. Cæterùm solus Papa, aut Princeps,potest committere causam, cum clausula: *appellatione remota*, ut vult Barbos: *cit. n.* 4.

## ARTICULUS IX.

### *De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.*

QUoniam minæ plerumque justum metum incutiunt, si efficaces judicentur, spectata personarum comminantium qualitate ; & inde contingit, ut impetrantes à Sede Apostolica rescriptum justitiæ, minis impediantur, ne Reos in jus vocare audeant; ideo Judices delegatos posse Jurisdictionem subdelegatam exercere, non tantùm in partes contendentes: sed etiam in eos, qui ejus Jurisdictionem, seu processum causæ, impedire, vel turbare volunt, ex c. *quia quæsitum* 1. *h. t.* Nam licèt Jurisdictio delegata censeatur stricti juris, per c. *cùm olim* 32. *& c.* 40. *eod.* atque adeò non debeat excedere fines mandati *c.* 22. *de Rescript.* nihil tamen contra hoc agitur, si delegatus eâ utatur, etiam *in his, quæ necessaria sunt ad implendum mandatum*? Nam, qui mandat principale, censetur etiam accessoria mandare, seu, qui executionem finis committit, etiam media, quæ necessaria sunt, committere censetur, c. *præterea* 5. *h. t.* ibi : *etiamsi literæ commissionis id non contineant ;* quibus præmissis: 2366.

Quæstio est 1. an Judex ordinarius alteri possit causam delegare, reservato sibi hoc jure, ut consilium suum exquirendum sit adeo, ut eo non requisito, sententia à delegato lata, nulla sit ? R. quòd sic; ex c. *si pro debilitate* 3. *h. t.* ratio autem hujus postremi est, quia sic delegatus formam delegationis transgressus est. 2367.

Quæstio est 2. An, si dispositio,seu commissio generalis in certa specie verificari debeat, ei per specialem posteriorem derogetur ? R. *quòd non*; quia etiam prior secundùm eventum specialis est; ut, si Papa Titio mandet conferri beneficium primò vacaturum *in diœcesi;* postea mandet, Cajo conferri primò vacaturum *in civitate diœcesis*: si accidat, primitus vacare beneficium *in civitate* , debetur *Titio*, non *Cajo* , nisi appareat, quòd Pontifex voluerit derogare juri Titij, colligitur ex c.

*ex*

*ex parte* 12. *h. t.* ibi : *non obstantibus posterioribus literis, &c.*

2368. Quæstio est 3. an, si Judici delegato à Papa certa procedendi, vel judicandi forma præscripta sit, ea non obstante exceptiones rationabiles admittere, & secundùm juris æquitatem procedere debeat? nisi in literis exprimatur, ut nullæ exceptiones admittantur ; quod tamen Pontifex apponere non solet. R. quòd sic, c. *ex parte* 13. *h. t.* ibi: debet enim rationabiles exceptiones admittere ; & in causa, juxta juris æquitatem, procedere, nisi exprimatur in literis nostris, quòd nullæ debeant exceptiones admitti ; quod nec Nos ; nec Antecessores, credimus unquam expressisse. Ex quo sequitur, si casus, lege definitus non est, Judicibus permissum esse *arbitrari*, quod ipsis æquum videtur ; & ubi de contraria voluntate Principis non constat, Judicem inferiorem rationabiles exceptiones admittere debere.

2369. Quæstio est 4. an, si causa alicui commissa sit, expresso tamen tum proprio nomine, tum dignitatis ( dicendo v. g. *Rudolpho, Josepho Episcopo Secoviensi committimus* ) in dubio censenda sit *personalis?* Respondet Layman hìc, quòd sic ; ex c. *quoniam*, 14. *h. t.* ubi dicitur, jurisdictionem delegatam Episcopo, in illo casu transivisse in Successorem, *quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum commissio emanavit* ; limitat tamen, nisi ex alijs causis voluntas delegantis cognoscatur ;

2370. Et videtur omninò limitandum ; quia ex dicto c. *quoniam*, non videtur rectè deduci, delegationem esse *personalem* ex eo, quòd in rescripto delegationis, *expresso nomine proprio Delegati, ac simul ejus dignitate*, facultas illi jurisdictionalis, aut favor aliquis per ordinem ad eundem alijs concedendum, concedatur. Nec id persuadere videtur ratio, quam adducit P. Layman *loc. cit. nu.* 2. quòd in tali casu appositio *nominis proprij utilitatis esset*, nisi commissionem faceret *personalem* ; nam hoc ipsum dici posset in dato casu *de expressione dignitatis*. Nec placet responsio Bartoli *L. more, ff. de jurisdict.* & Ancharani c. *si gratiosè de rescript. in* 6. dicentium, in dato casu judicandum, delegationem esse *personalem*, si *nomen proprium Delegati, nomini dignitatis præponatur*, saltem, si persona sit ignota ; ut vult Abbas in c. *quoniam, nu.* 8. Nam *ordo verborum* non est in consideratione, ut constat ex c. *Venerabilis*, 8. *h. t.* ibi : *ipsam tamen* ( nempe transactionem confirmatam ) *renuistis observare*, occasionem frivolam prætendentes, tum ex eo, *quòd in literis verbum confirmationis* ( *tenorem compositionis* ) *præcesserit* ; ubi Pontifex declarat, ut notat Wagnereck in *Exegesi ad dict. c.* 8. *ex eo*, quòd verbum *confirmationis* præcedat *tenorem transactionis*, cùm aliàs subsequi deberet ( utpote confirmans transactionem præcedentem ) nihil obstet, quò minùs confirmatio procedat.

Cæterùm, in casu, quo verè dubium est, an privilegium, vel delegatio alicui commissa, *expresso ejus nomine, non tantùm proprio, sed etiam dignitatis*, sit *personalis*, vel *realis*, hoc est facta personæ *ratione sui*, vel *ratione dignitatis* ? non attendi debent sola verba ; sed intentio concedentis ; quæ tum ex circumstantijs, tum ex causis motivis, tum etiam ex materia substrata communiter deprehendi potest. Hinc in casu, quo generalis alicujus Religiosi Ordinis facultatem aliquam petit à Summo Pontifice in ordine ad certos actus ( v. g. ut subditi possint, exequi literas Apostolicas, vel sacræ Pœnitentiariæ (quod de jure comùni non possunt carentes qualitate dignitatis Ecclesiæ, vel Doctoratûs Academici ) esto careant dignitate, vel laurea Doctoratûs Academici ; quorum exercitium perfrequenter occurrit, præstandum à sui Ordinis Religiosis, præsertim *ex vi sui instituti*, ut diximus *lib.* 4. *q. ult.* ) & Pontifex in rescripto annuat, expresso *nomine proprio talis Generalis simul cum dignitate Generalatûs talis Religionis*, non personalis, sed realis censenda est, nimirum facta nominato intuitu *suæ Religionis*, ut diximus *lib.* 5. *de privileg.* contra Læzanam.

QUÆ-

# QUÆSTIO XXX.

## IN TIT. XXX. DE OFFICIO LEGATI.

NOn agimus hìc, nisi de Legatis Papæ, quo nomine veniunt 1. qui mittuntur à Pontifice ad actum aliquem expediendum; 2. qui mittuntur in aliquam Provinciam cum potestate administrandi ea, quæ sunt muneris Apostolici, & hoc modo sumitur nomen Legati præsenti titulo.

### ARTICULUS I.

*Quot sint genera Legatorum?*

2371. REsp. Legatos esse in triplici classe; nam aliqui sunt *Legati à latere*; alij, *Nuntij Apostolici*, seu Legati *missi*: alij Legati *nati*. Legati, & Nuntij (de quibus agitur in hoc titulo, & pluribus tractat Azor *p. 2. l. 5. c. 28.*) *quoad potestatem jurisdictionis*, sunt Ordinarij Provinciarum, & in eadem potestate, pro suis provincijs, in utroque foro, omnes Episcopos, Archiepiscopos, vel Patriarchas antecedunt; sunt enim illi, qui à Papa tanquam ejus Vicarij ad Ecclesias, & Provincias per totum orbem dispersas, mittuntur, ut ibi ædificent, & plantent, prout spirituali animarum saluti viderint expedire) *Legati à latere* dicuntur Cardinales, quos Romanus Pontifex ex Urbe, & Curia Romana mittit, vel ad destinatam Provinciam administrandam; vel ad negotia cum Regibus, aut alijs Principibus tractanda; dicuntur *Legati à latere*, quasi emanantes à latere Pontificis, cui assistunt; possunt enim vocari pars corporis ipsius. Legati *nati* dicuntur Antistites, qui, ratione Ecclesiarum, quibus præsunt, legationem Apostolicam habent; qualis Archiepiscopus Cantuarienſis in Anglia; Rhemensis in Francia; Pituricensis in Aquitania Superiori. Illi ideo *nati* appellantur, quia statim (ut creantur in tali Ecclesia Præsules) id muneris, & officij nanscicuntur: *Nuntij, seu missi* dicuntur, qui Cardinales non sunt, sed Antistites missi à Pontifice ad Reges, vel Principes, vel aliquam Rempublicam, sive ad negotia aliqua expedienda; sive ut (tanquam Judices Apostolici delegati) certas aliquas causas in ipsorum Principum Curijs, cognoscere, & judicare possint. Hos vocat Salas *de legib. Disp. 8. sect. 11. n. 51. Legatos constitutos*, seu *temporarios*, *ex c. placuit*, 7. *q.* 1.

### ARTICULUS II.

*De Officio, & potestate Legati.*

AD rectam hujus officij, & potestatis cognitionem, not. 1. Legatum Papæ, qui est *de latere*, habere authoritatem cognoscendi de omnibus causis, in provincia suæ legationis; quo differt *à delegato* Papæ; hinc in illis est Judex ordinarius; Zoësius *hìc nu. 2.* & ideo egressus Româ instar Pro-Consulis, cui comparatur, liberius jurisdictionem, tam *contentiosam*, quam *voluntariam* exercet c. *Legatos, 2. h. t. in 6.* Not. 2. officium, & potestatem Legatorum Papalium, potissimùm colligi ex duobus capitibus, in quibus scilicet conveniunt, & in quibus differunt. Conveniunt autem 1. in hoc, quòd omnes, cujuscunque sint generis, simpliciter *Legati* appellentur; *gloss. in c. statutum, de rescript. in 6. c. Privilegium, 4. de verb. signific. in 6.* secundò, quòd statim, ut Urbe sunt egressi, accipiant legationis insignia, illisque utantur, ac in eam reduces deponant, c. *2. h. t. in 6.* Insignia verò sunt, equus albus, vestes rubeæ, frænum, & calcaria deaurata; sic Hostiensis: c. *antiqua, de privileg.* Tertiò, quòd idem possit in suis provincijs sibi de mandatis, quod in sua Diœcesi Episcopus, habeantque jurisdictionem ordinariam, quam exercent jure suo, *c. 2. h. t. in 6.* ubi Clemens IV. *legatos*, inquit, *quibus in certis Provincijs committitur legationis officium*, ut ibidem evellant, & dissipent, ædificent, atque plantent: *provinciarum sibi commissarum, ad instar Proconsulum, cæterorumq; Præsidum*, quibus certæ sunt decretæ provinciæ moderandæ, *ordinarios reputantes, præsenti declaramus edicto*, commissum tibi à Prædecessore nostro legationis officium nequaquam per ipsius obitum

2372.

obitum expirâſſe &c. quartò, quòd in ſuis Provincijs, in his, quæ pertinent ad mores componendos, vel vitia corrigenda, poſſint ſtatuta condere perpetua, etiam poſt Legati officium depoſitum duratura cap. *fin. h. t.* ubi Gregorius IX. *nemini dubium eſſe volumus ait, quin Legatorum Sedis Apoſtolicæ ſtatuta, edita in Provincia ſibi commiſſa, durent tanquam perpetua, licèt eandem poſtmodùm ſint egreſſi; ſecus autem*, ſi cauſas duxerint delegandas aliquibus; cùm jurisdictio iſtorum exſpiret, ſi ante illorum diſceſſum horum citatio non præceſſit: quintò conveniunt in hoc, quòd eorum poteſtas pendeat ex tenore literarum ſuæ legationis, eo tamen diſcrimine, ut Legato conſtituto non credatur, donec eas exhibuerit, c. *fin. diſt.* 97. ſecus Legato de latere, ſed in his tantùm, quæ habet ex jure communi; ſic Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 27.

1373. Ex hoc colliges, eorum officium eſſe, vice Summi Pontificis, noxia evellere, & diſſipare; ſalutaria inducere, & promovere, cit. paulò antè *c.* 2. cauſas Provincialium, quæ per appellationem, aut ſimplicem querimoniam ad eos deferuntur, tanquam judices ordinarios, audire, & cognoſcere *c.* 1. *h. t.* ibi: *ſanè, licèt Archiepiſcopus, Metropolitico jure audire non debeat cauſas de Epiſcopatibus veſtris, niſi per appellationem deferantur ad eum: legationis tamen obtentu, univerſas, quæ per appell. vel querimoniam perveniunt ad ſuam audientiam, audire poteſt, & debet, ſicut, qui in Provincia ſua vices noſtras gerere comprobatur;* ex quo vides, quòd Metropolitanus per ſimplicem querimoniam adiri non poſſit, cùm tantùm ſit Judex ex cauſa appellationis, ſecus Legatus Papæ; ſic Barboſa, *in cit. c.* 1. *n.* 3.

1374. Colliges 2. eosdem poſſe revocare leges ſuorum Anteceſſorũ, ſi expediens videatur, prout colligitur ex c. *fin. h. t.* cauſas ad ſe pertinentes delegare, ſic tamen, ut delegati jurisdictio cum officio Legati extinguatur, niſi præmiſſa citatione ſit perpetuata; *ex eod. c. fin.* & ſi ſint ad diverſas Provincias Legati, poſſe negotia jurisdictionis, tam voluntariæ, quàm contentioſæ expedire in una, & eò evocare partes alterius Provinciæ, ſibi pariter comiſſæ; Vallenſis, *h. t. n.* 3. *ex L.* 2. *ff c. de offic. Proconſul. c. ult. de jud. & c. olim, de injurijs.*

1375. Colliges 3. ubi conſtiterit de legatione, & adventu Legati, benignè recipiendum, habendum, & honorandum eſſe; cùm gerat vices Papæ, *c. cùm Venerabilis, de conſuet.* eique neceſſaria, in ſua legatione ſubminiſtranda, prout in ſua conſecratione Epiſcopi ſe facturos promittunt, c. *Ego, de jurejur.* non admittentes Legatos Apoſtolicos, vel eos impedientes in officio ſuæ legationis, ipſo facto excommunicari, & locum tamdiu, quamdiu duraverit contumacia, interdicto ſubjacere per Extravag. 1. *de conſuetudine inter communes.*

Differunt autem inſequentibus 1. quòd 2376.
Legatus à latere in ſua Provincia majus cæteris Imperium habeat, *c. ſi Abbatem, 36. de elect. in 6. & hujusmodi*, ubi dicitur, *quòd Legatus de latere majus omnibus, poſt Rom. Pontificem, in Provincia ſibi decreta, Imperium cenſeatur habere:* Archiepiſcoporum, & Exemptorum electiones poſſit ex officicio confirmare: alij autem Legati hoc nequeant, niſi id à Sede ipſa ſpecialiter ſit commiſſum; poteſt præterea abſolvere excommunicatum ex percuſſione Clerici, etiam extra Provinciam, *c. penult. h. t.* ibi: *excommunicatio, pro injectione manuum violenta, Eccleſiæ Rom. Legati, qui de ipſius latere non mittuntur, extra Provinciam ſibi commiſſam, vel ibidem, ſi hujusmodi manuum injectores illuc contingat aliunde accedere, & qui Eccleſiarum ſuarum, prætextu legationis, ſibi vindicant dignitatem, etiam ſubditis (quamvis in provincia ſua exiſtente) beneficium abſolutionis impertiri non poſſunt, niſi de ſpeciali gratia, illis, & iſtis, ampliùs à Sede Apoſtolica concedatur.* Et ideo, eo præſente, Legatus conſtitutus nec executionem ſuæ legationis habet, nec uſum inſignium, c. *volentes, h. t.* ibi: Fraternitati tuæ legationis officium in Provincia tua duximus committendum, ita tamen, *quòd ſi Legatum ad partes illas, de latere noſtro, contigerit deſtinari, executionem ipſius officij, quamdiu Legatus ipſe ibi fuerit pro Sedis Apoſtol. reverentia omnino dimittas;* unde nec Legatus *natus* ſuam jurisdictionem exercere poteſt, præſente Legato conſtituto, qui majoris eſt poteſtatis; Vallenſis *h. t. n.* 1. §. 3.

Secundò differunt in beneficiorum col- 2377.
latione. Nam Legati non Cardinales, ſine ſpeciali mandato, non poſſunt jure legationis conferre beneficia vacantia; ſecus, Legati Cardinales, ſeu de latere c. 1. *h. t.*

*h. t. in 6.* ubi Innocentius IV. *præsenti*, ait, *decreto statuimus*, ut Ecclesiæ Romanæ Legati, quantumcunque plenam legationem obtineant, sive à nobis missi fuerint, sive suarum prætextu Ecclesiarum legationis sibi vendicent dignitatem, ex ipsius legationis munere, conferendi beneficia, nullam habent potestatem, nisi hoc alicui specialiter duxerimus indulgendum; *quod in Fratribus nostris, legatione fungentibus, nolumus observari:* quia sicut honoris prærogativâ lætantur, sic eos auctoritate fungi volumus ampliori; & quidem quoad omnia in Provincia sibi commissa; Barb. *in cit. c. 1. nu. 3. c. si à Sede, de præbend. in 6.* etiam præveniendo Ordinarios; *c. 1. h. t. in 6.* ac etiam extra Provinciam existentes; cùm hoc sit solùm voluntariæ jurisdictionis; Innocent. *in c. 5. de conceff. præbend.* etiam devoluta ad Ordinarium, ex alterius negligentia; sic Zoësius hìc *nu.* 11. imò etiam devoluta ad Pontificem, & alias ad eum spectantia; non tamen eidem reservata, aut etiam vacantia in Curia, nisi habeat mandatum speciale; sic Zoësius, *h. t. n.* 11.

2378. Præterea Legati Cardinales conferre possunt canonicatus Ecclesiarũ Cathedralium, & reliquas dignitates minores, non electivas, etiam absque consensu Patroni Ecclesiastici, licèt hic existat extra Provinciam; Clem. 1. *de suppl. negl. Prælat. & c. 6. h. t. nu. 7.* non autem patronata de jure Laicorum, sine consensu Patroni, c. *cùm dilectus, de jure Patronatus*; intellige, si Laici id habeant ex dotatione, fundatione, vel ædificatione Ecclesiæ; secus, si privilegio, præscriptione, vel consuetudine; ita Valens. *h. t.* §. 3. *n.* 4. potest etiam suæ collationi reservare beneficia non vacantia, etiam in favorem tertij; non tamen dare jus ad beneficium vacaturum, juxta *gloss. in c. 1. h. t.* nec illud, antequam vacet, promittere, *c. 2. de conceff. præbend.*

2379. Non possunt tamen conferre Prælaturas Cathedralium, Regularium, & Collegiatarum Ecclesiarum; nec dignitates majores in Cathedralibus electivas, c. *deliberatione*, 4. *h. t. in 6.* nec reservare non vacantia, quæ vacantia non possent conferre; nec una reservatione in Ecclesia aliqua; vel de beneficio ad alicujus collationem spectante facta, & adhuc pendente, aliam interim facere in eadem Ecclesia, vel de beneficio, ad ejusdem collationem spectante, *c. præsenti. 3. & c. deliberatione*, 4. *h. t. in 6.* reservatio autem per eos facta, exspirat exspirante legatione; Vallensis, *h. t.* §. 3. *n.* 7. & dicitur *in cit. c. præsenti*: alijs autem Legatis hæc non sunt permissa, absque speciali Papæ mandato, c. 1. *eod. in 6.* nam, hi non absolvunt excommunicatum ob percussionem Clerici, nisi in sua Provincia (si sint *Legati missi*) & quidem non nisi subditum; non alienum, *c. penult. h. t.* nisi mittantur cum potestate Legati de latere; tunc enim parem illi potestatem habent. Accedit, quòd Legatus possit dispensare cum natis extra matrimonium, eosque restituere natalibus, ut habeantur habiles ad Ordines, & beneficia (ut docet Zoësius *h. t. nu.* 13.) ex communiter concedi solita Legatis potestate. His adde, quæ habet Pyrrhus Corradus *in praxi dispensationum Apostolicarum l. 7. c. 7. n.* 481. Legatos à latere, & Nuntios dispensare Apostolica authoritate super impedimentis matrimonium dirimentibus; sed intelligi videtur, si habeant in hoc commissis.

Not. præterea, quod, etsi Legatus de latere, spectato jure decretalium in *c. 1. h. t.* tam in prima, quàm secunda instantia in jurisdictionalibus concurrat cum quolibet Ordinario (ut diximus *n.* 2377.) jure tamen Trident. *sess. 24. de Reform. c. 20.* specialiter Legatis omnibus, vel Nuntijs Apostolicis interdictum esse, ne, *quarumcunque facultatum vigore, in causis Ecclesiasticis, Episcopos impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem præripere, seu turbare præsumant, nisi priùs requisito Episcopo, vel eo negligente, procedant.* Textus Tridentini, valdè notandus in plurimis sic habet: *causæ omnes, ad forum Ecclesiasticum, quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia, coram Ordinarijs locorum duntaxat, cognoscantur; atque omnino, saltem infra biennium, à die motæ litis, terminentur; alioquin, post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum, Judices Superiores, aliàs tamen competentes adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, & quàm primùm terminari curent; nec antea alijs committantur, nec avocentur, neque appellationes, ab eisdem interpositæ, per Superiores quoscunque recipiantur, eorúmve commissio, aut inhi-*

*inhibitio fiat, nisi à definitiva, vel à definitivæ vim habente, & cujus gravamen, per appellationem à definitiva reparari nequeat: ab his excipiantur causæ, quæ juxta Canonicas sanctiones, apud Sedem Apostolicam, sunt tractandæ, vel quas ex urgenti, rationabiliq. causa judicaverit Summus Rom. Pontifex, per speciale rescriptum, Signaturæ Sanctitatis suæ manu propriâ subscribendum, committere, aut avocare.*

3381. Ad hæc, *causæ matrimoniales, & criminales*, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum Judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini, & jurisdictioni relinquantur, etiamsi in præsenti inter Episcopum, & Decanum, seu Archidiaconum, aut alios inferiores super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacunque instantia pendeat: coram quo si pars verè paupertatem probaverit, non cogatur, extra Provinciam nec in secunda, nec in tertia instantia in eadem causa matrimoniali litigare, nisi pars altera, & alimenta, & expensas litis velit subministrare; sic Concilium.

3382. Legati quoque de latere, Nuntij, Gubernatores Ecclesiastici, aut alij quarumcunque facultatum vigore, non solùm Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere, aut turbare non præsumant; sed nec etiam contra Clericos, aliàsve Personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo priùs requisito, cóque negligente, procedant; *aliàs eorum processus, ordinationésve nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem, partibus illati, teneantur.* Ex hoc sequitur, hodierno jure, ac praxi pro prima instantia Episcopum esse adeundum, quando lis non est *Episcopalis*; non autem immediatè Legatum, seu Nuntium Apostolicum; in secunda verò Legatum, sed servatâ formâ, quæ jure communi præscribitur, in *c.* 3. *de Appellat. in 6.* & Trid. *sess.* 22. *de Reform. c.* 7. ubi dicitur, Legati, & Nuntij Apostolici, Patriarchæ, Primates, & Metropolitani, *in appellationibus, ad eos interpositis, in quibusvis causis, tam in admittendis appellationibus, quàm in concedendis inhibitionibus post appellationem, servare teneantur formam, & tenorem sacrarum constitutionum*, & præsertim Innocentij quarti, quæ incipit, *Romana*; quacunque consuetudine, etiam immemorabili, aut stylo, vel privilegio, in contrarium non obstantibus: *aliter inhibitiones, & processus, & inde secuta, quæcunque sint, ipso jure sint nulla*; & hoc decretum servare debent Auditores Legatorum, alijque Judices, quibus committuntur audiendæ appellationum causæ.

2383. Not. 2. quando in cit. decreto Trid. dicitur, *causas omnes* ad forum Ecclesiasticum *quomodolibet* pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinarijs locorum duntaxat esse cognoscendas, & terminandas: per *Ordinarios*, intelligi, non tantùm Episcopos, sed etiam Prælatos exemptos, Episcopalem jurisdictionem habentes; non autem Episcopo subjectos; sic Barbosa *in cit. locum* Trid. *num.* 6.

2384. Not. 3. in quæstione: *num Legatus de latere, etiam in exemptos Provinciæ suæ jurisdictionem habeat?* à nonnullis responderi affirmativè propter ea, quæ dicuntur in *c. Si Abbatem* 36. §. 1. *de Elect. in 6.* ubi habetur, quòd Legatus Cardinalis, Episcoporum, & Exemptorum electiones confirmare, & Abbatibus istis, in Episcopos electis, Abbatiam, & Monasterium suum deferendi licentiam dare possit: sed circa hoc vide, quæ diximus *à n.* 1289.

2385. Not. 4. Legatos tantùm *Missos* id speciale habere, quòd quædam leviora, licèt in literis suæ legationis expressa non sint, in Provincia sua expedire possint; non autem *Natos*, ut habetur *c. 9. h. t.* ubi dicitur: Legatos *non de latere*, sed *ratione personæ*, excommunicatos, propter injectionem manuum in Clericos, non posse absolvere extra Provinciam, nec etiam intra, si aliunde veniant: Legatos verò *ratione dignitatis*, nullos tales, ne quidem intra suam Provinciam, excommunicati de illa sint V. *c. 6. de Præsumpt. & c.* 18. *de accusat.*

2386. Ex hoc vides Legatos *Natos* (cum quibus scilicet adepta dignitate simul quasi nascitur etiam ratio Legati, propterea, quòd illi annexa sit) nihil sibi speciale vendicare posse, non expressum in literis suæ legationis, ut dicitur *c. 1. h. t. in 6.* hinc esse multum duntaxat honoris; & in hoc speciale, quòd eorum jurisdictio *diuturnior* sit jurisdictione aliorum Legatorum; cùm illorum jurisdictio annexa sit eorum dignitati;

tati ; horum autem inhæreat duntaxat personæ.

## ARTICULUS III.

*Quibus modis finiatur officium Legati?*

2387. Resp. 1. finiri *morte Legati*, si commissio facta sit *personæ ;* secus, si officio ejus, vel *dignitati*, *c. quoniam* 14. *de Offic. delegati*, ibi : quoniam Abbas Leicestriæ, qui suscepto mandato nostro partibus diem ad agendum præfixit, Abbatem Vincestriæ, de novo substitutum Judici præmortuo, illi mandato nostro porrecto : *quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum* commissio emanavit, sibi socium in causæ cognitione adjunxit : *Nos sententiam illorum (sicut est justa) ratam, & firmam habemus.*

Secundò, *lapsu temporis appositi*, *c.* 4. *h. t.* ibi : de causis, quæ intra certum terminum decidendæ committuntur, hoc tuam volumus cognitionem tenere : quòd, *nisi dies præfixus de communi consensu partium prorogetur, eo transacto mandatum expirat.*

2388. Tertiò, *revocatione etiam tacita ;* ut, si negotium alteri committatur *c.* 2. *h. t.* ubi Pontifex Episcopo Bonon. scribens, ait : si à nobis super aliqua causa literæ impetrantur, & aliæ postea ( non facta mentione priorum literarum ) literæ opponuntur, si Judicibus innotuerit, donec Romanum Pontificem consulant, & suam exinde cognoscant plenius voluntatem, *executioni supersedeant utrarumque*, ne, pro varietate literarum, causarum fines valeant impediri ; quod intellige, postquam ei revocatio intimata est ; argumento c. *audita*, *de Restitut. spoliat.*

Quartò egrediendo de Provincia, animo non redeundi ; *L.* 3. *ff. de Offic. Præsidis* : quintò, si negotium *referatur* ad Pontificem ( nam quoties causa refertur ad Pontificem, Legatus non potest amplius in ea procedere juxta *c.* 5. *h. t.* ) non autem morte mittentis ; quia Legatorum jurisdictio est ordinaria, *c.* 2. *h. t. in* 6. & ideo est magis firma, quàm delegatorum. Si autem contingat, quòd Pontifex alium Legatum constituat in eadem Provincia, revocari primum, affirmant aliqui, negant alij ; quamvis autem verum sit, nec ex natura rei, nec etiam juris dispositione repugnare, quòd in eadem provincia duo sint Judices *Ordinarij*, *L.* 1. *ff. de Offic. Consul:* præsumi tamen meritò potest, ubi aliud non exprimitur, revocari primum, constituto secundo illi non subordinato, ad vitandam confusionem. 2389.

# QUÆSTIO XXXI.

## IN TIT. XXXI. DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII.

2390. Judex *Ordinarius* est, qui primam exercet jurisdictionem, sibi competentem ratione dignitatis, Lege, Canone, consuetudine, c. *duo* 9. *h. t.* quo differt à delegato, qui fungitur vice delegantis. Hinc jurisdictio Ordinaria tribus modis acquiritur : nimirum, dispositione juris, consuetudine, & privilegio ; quibus positis : quæstio est 1. quibus competat jurisdictio *Ordinaria* ? R. quòd Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, in suis Provincijs, id est singulis in sua diœcesi ; Abbatibus in suis Cœnobijs ; Papæ respectu totius Orbis Christiani. Judicibus Ordinarijs annumeratur etiam Legatus Apostolicus, *c.* 2. *de Offic. Legati in* 6. Rectores autem Ecclesiarum Parochialium potestatem Judicis Ordinarij non habent, nec ullum forum contentiosum. Unde non excommunicant, nisi eis hoc tribuat consuetudo ; quo sensu intelligi debet *c.* 3. *h. t.* licèt habeant administrationem aliquam earum Ecclesiarum, per c. *Tua*, 4. *de Cleric. ægrot.*

2391. Quæstio est 2. quotuplex sit ordinaria jurisdictio Episcopalis ? R. quòd duplex, consistens nimirum in duabus legibus, quibus jura Episcopalia concluduntur, c. *conquerente* 16. *h. t.* ubi Episcopo dicit Honorius III. *Tu autem his Juribus* ( nimirum ibidem enumeratis ) *in præfatis Ecclesijs contentus existens, non ampliùs ab eis exigas, præter moderatum auxilium, quod juxta formam Lateranens. Concilij ( si manifesta, & rationabilis causa exiterit ) cum charitate postulandum, sicut ab alijs Ecclesijs ejusdem Diœcesis, pro necessitate temporis sustinemus ;* & gloss. *in c. dile-*

*dilectus* 8. *h. t.* Ex his una vocatur lex *jurisdictionis*, seu jurisdictionalis; altera, *lex diœcesana*; de utraque multa jam diximus à *n.* 511. Jura porro Episcopalia enumerantur in cit. c. *conquerente.* Nam, cùm inter Episcopum, & quoddam Monasterium Sancti Benedicti, lis oborta esset, Episcopo juribus Episcopalibus non contento, quæ in Ecclesiis, seu Monasterij illius capellis habebat, sed plus exigente, Honorius III. Pontifex eidem scripsit: *Nos inspectis probationibus, & quæ ab utraque parte fuêre proposita, intellectis, decrevimus, ut in Ecclesijs, seu capellis tuæ diœcesis, ad Monasterium ipsum spectantibus, habeas Canonicam obedientiam, subjectionem, & reverentiam, institutionem, & destitutionem, correctionem, & reformationem, ac censuras Ecclesiasticas, jurisdictionem quoque causarum omnium, ad forum Ecclesiasticum de Jure spectantium; pœnitentias, & Sacramentorum omnium, quæ ab Episcopo sunt recipienda collationem;* Synodum, *& Synodatici, seu Cathedratici nomine, duos solidos; quartam decimationum; & mortuariorum; visitationem quoque annuam:* ita, quòd, cùm ad eas visitandas accesseris, non ampliùs, *procurationis nomine*, requiras ab eis, nisi quantum (*pensatis facultatibus earundem*) moderatè poterunt exhibere, *ne plus cæteris capellis ejusdem diœcesis in procurationibus onerentur.* Ex quibus pleraque pertinent ad legem diœcesanam; quædam, ad legem jurisdictionis.

2392. Not. autem per *Cathedraticum*, seu *Synodaticum* (quod sic vocatur ob honorem, ac reverentiam *Episcopalis Cathedræ*, vel quòd in Synodo solvi consueverit) intelligi illud, quod, præter procurationes, à Presbyteris Episcopo solvi debet in signum subjectionis; cujus taxa pro varia locorum, ac Ecclesiarum consuetudine varia est, ut notat Barbosa *p.* 3. *de Potestate Episcopi, allegat.* 86. *à n.* 40. secundò per *portionem canonicam mortuariorum* intelligi certam partem eorum bonorum, quæ legantur, vel relinquuntur Ecclesijs, apud quas eligitur sepultura; sic Barbosa *cit. n.* 1. *ex c. super, de Sepultur.* alia est, quæ debetur Rectori Ecclesiæ Parochialis; alia, quæ Episcopo ratione oneris, quod in administratione sui Episcopatus sustinet, c. *Officij, de Testam.* non debetur tamen Episcopo, si legatum relinquatur loco exempto; Barb. *cit. n.* 10. *& seq.* qui *n.* 20. enumerat plures casus, quibus non debetur Episcopo Canonica portio, de quibus Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 12. *q.* 7. Sylvester V. *Canonica portio q.* 4. & nos dicemus *l.* 3. *tit.* 28. *de Sepulturis.*

Not. 2. per *quartam decimationum* in- 2393.
telligi quartam decimarum. Hæc jure hodierno, & communi, debetur Episcopo ab alijs Curatis; non autem, ab ipsis Parochianis, ut notat Barb. *cit. n.* 35.

Not. 3. per *procurationes* hìc intelligi sustentationem in victu, Episcopis debitam, ratione visitationis. Has Episcopus exigere non debet à pauperibus Clericis; nec exigere potest, nisi moderatas secundùm facultatem Ecclesiæ, quam visitat, de quibus copiosè Barb. in Trid. *sess.* 24. *c.* 3. *à n.* 22. Not. 4. *subsidium Charitativum*, seu ex charitate dari solitum, esse id, quod colligitur ab Episcopis, quando reditus propriæ Ecclesiæ non sufficiunt, atque adeò, cùm illud manifesta, & rationabilis causa exigit, ut pluribus dixi in *tit. de præbend. & dignitatibus.* Not. 5. *quartam funeralium*, esse quartam partem eorum, quæ defunctus reliquit pro anima sua Ecclesiæ, vel piis locis, quando extra Parochialem Ecclesiam sepelitur; sic Barbosa in c. *Relatum, de Sepult. n.* 2. quare non est quid diversum à portione canonica, Rectori Ecclesiæ Parochialis, debitâ, ut colligitur ex eodem *in c.* 4. *ibid. à n.* 1. *& c.* 9. *n.* 5.

Quæres 3. quæ spectent ad legem ju- 2394.
risdictionis? R. quòd audire causas suorum, etiam laicorum, quatenus ad Ecclesiam spectant; inquirere de moribus, & statu subditorum; corrigere ac reformare, etiam appellatione remota, non obstante consuetudine illam indulgente, c. *irrefragibili*, 13. *h. t.* item instituere, destituere, absolvere, vel per se, vel per alios, c. *fin. h. t.* absolutum per desidiam, & malitiam delegati, in excommunicationis sententiam revocare, si in peccato persistat, ne delicta foveantur, c. *significavit h. t.* absolutionem Pontificis, quam videt subreptitiam rejicere, c. *Ex parte* 5. *h. t.* Laicorum crimina cognoscere, & punire, quatenus ad ejus forum pertinent, ut adulterium, usuræ &c. etsi per censuras sufficienter puniri nequeant (cùm gladio

corporali non utatur Ecclesia per c. *inter*, 11. *q.* 2.) invocare brachium sæculare, c. 1. *h. tit.* Ecclesiæ diutiùs vacanti, licèt patronata sit, providere de OEconomo, c. 4. *h. t.* quando debet imponere pœnam, cavere à quæstu pecuniæ, alio gravamine, c. *irrefragabili*, 13. *h. t.*

2395. Quæres 4. quæ pertineant ad legem diœcesanam? Resp. quòd seqq. 1. exactio annua cathedratici, videlicet duorum solidorum, c. *inter cætera*, 8. *causa* 10. *q.* 3. 2. subsidij charitativi petitio secundùm facultates Ecclesiæ, alteriúsve beneficij, ut hìc in c. *cùm Apostolus*, 6. §. *prohibemus, de censibus*, & dixi *de hoc l.* 3. tertiò quarta decimarum Episcopis præstanda, spectato communi jure, c. *de quarta*, 14 *de præscript.* hæc tamen præstatio pluribus locis per desuetudinem abolita est, uti notat Layman *l.* 4. *Theol. moral. tr.* 6. *c.* 4. *n.* 6. quartò portio Canonica ex legatis, & funeralibus oblationibus, ubi ea in usu est. 5. procurationes, seu victualia præstari solita, dum Episcopus, vel alius ejus jussu, visitat; ad ejusmodi procurationes Monasteria quoque, quæ Episcopo subjecta sunt, obligantur, c. *Sopitæ*, 14. *de censibus*; quandoquidem procuratio annexa est visitationi, c. *cùm Venerabilis*, 21. *eodem* quamvis aliqui procurationes has ad legem jurisdictionalem ravocent. 6. ad Synodum convocatio; eam enim ad legem diœcesanam spectare dicitur, in c. *quod super*, 19. *de major. & obedient.*

2396. Quæstio est 5. an Episcopus, seu Ordinarius, ex lege jurisdictionis, inferiorum Judicum sententias, vel censuras infringere, aut relaxare possit? Resp. negativè *ex c.* 3. *h. t.* intellige sine satisfactione, ut patet ex textu, ubi Alexander III. rescribens Florentino Episcopo, mandamus, inquit, *quatenus, si quando Plebanus in Clericos, paræcianos suos, interdicti, vel excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit, ipsam facias inviolabiliter observari, & eam, sine congrua satisfactione, & absque ejusdem plebani conscientia, non relaxes*; hinc ea regula (quam cum gloss. hìc V. *non relaxes*, docet Abbas hìc *nu.* 91. S. Thomas *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *a.* 5. Paludanus ibid. *q.* 5. *a.* 2. Sylvest. V. *absolutio*, 2. Covarr. *in c. Alma, p.* 1. §. 12. *nu.* 2. Suarez *de censur. D.* 5.) *quòd superior Prælatus relaxare possit censuram latam ab inferiore*, intelligi debet de iis Superioribus Prælatis, qui jurisdictionem obtinent in ipsos censurâ ligatos, & non tantùm in excommunicatorem; *ex cit. c.* 3. ex quo deducitur, quòd licèt Episcopus, in jurisdictione erga subditos, concurrens cum inferiore sibi subordinato, absolutè loquendo, possit excommunicatos, aut interdictos ab inferiore Prælato, absolvere, si tamen excommunicatio rationabiliter lata sit, non deceat eum, hac potestate uti, nisi priùs audito excommunicatore, & debita præstita satisfactione. Econtra si Vicarius Episcopi, vel alij ab ipso delegati ad nutum illius amovibiles, aliquem excommunicârunt, potest eum Episcopus absolvere arbitratu suo; ita tradit Palud. *citato loco*; ratio est, quòd tales Vicarij, & delegati non proprio jure, sed jure, & authoritate alterius, jurisdictione fungantur: quare neque inter Prælatos numerari possunt, de quibus solis in *hoc c.* mentio est.

2397. Ex *eod. c.* videtur deduci, Plebanos etiam, seu Parochos in suos parochianos, censuras ferre posse, ut vult Imola, *nu.* 2. Joann. Andr. *in cit. c.* 3. sed contrarium rectè docet Abbas in c. 2. *h. t. n.* 10. nempe, quòd Parochi locorum, spectato communi jure, seu secluso speciali privilegio, aut præscriptione, censuras ferre non possint; uti etiam ex praxi Ecclesiarum constat. Nam censuram ferre, pertinet ad jurisdictionem fori externi, ut apertè colligitur ex hoc c. & c. *quærenti*, 20. *de verb. signif. c.* 1. *de sent. excom. in* 6. at Parochi, spectato communi jure, jurisdictionem in foro externo non exercent; sed tantùm in pœnitentiali, ut colligitur, ex c. *de persona*, 38. *junct. gloss. V. non ab alio causa* 11. *q.* 1. *ergo &c.* Hinc ad argumentum ex hoc textu desumptum? Resp. Plebanum istum non fuisse *simplicem Parochum*, seu Curatum; cùm inter *Prælatos* numeretur, ideóque in externo foro jurisdictionem ordinariam, ac perpetuâ erga Parochianos habuerit, Ecclesiæ suæ jure speciali annexam, 2398. vel Capituli electione sibi acquisitam, uti singulariter notavit Innoc. in c. *quanto*, 7. *nu.* 2. *h. t.*

Quæstio est 6. quam potestatem habeat Ordinarius circa bona beneficiorum vacantium? Ræ. quòd teneatur servare Successori, nec ea, secluso speciali privilegio,

*fin.*

vel consuetudine, sibi possit occupare, c. *fin. h. t. in 6.* ubi hoc expressè prohibetur à Bonifacio VIII. ibi: *nisi de speciali jure id eis competat; aliàs Episcopi, & eorum superiores, ab ingressu Ecclesiæ; cæteri autem, ab Officio, & beneficio tamdiu ipso jure suspensi sunt, quousque restitutionem fecerint de prædictis*, ita textus.

Dixi: nisi *de speciali jure* id eis competat. Nam ex hoc est quæstio 7. de quibus bonis hoc intelligatur? Respondet Bonifacius *c. cit.* §. *alioquin*, ubi ex privilegio, vel consuetudine, seu alia de causa rationabili, sibi aliquis de prædictorum rebus asserit bona competere supra dicta; hoc *de illis solùm bonis debere intelligi, quæ solutis debitis, si quæ sint, & ijs, quæ fuerint necessaria pro servitoribus, & ministris, ac incumbentibus oneribus, usque ad novos reditus supportandis, congruè reservatis, ex ipsis reperta fuerint superesse.*

2399. Quæstio est 8. an Episcopus, vel Ordinarius in exemptos Privilegio Papali, vel legitima consuetudine in his, in quibus exempti sunt, legitimè exerceat jurisdictionem Ordinariam? Resp. negativè; nam aliàs eo ipso, contra id, quod supponitur, non forent exempti, ut constat ex termino *exemptionis;* & ideo, nec eam exercere potest in Monachos, vel alios Regulares, quia subsunt correctioni sui Superioris c. *Abbates*, 18. *q.* 2. excipiunt aliqui, nisi *delinquant* extra Monasterium, & eorum Superior punire *negligat;* tunc enim volunt, punire posse ab Episcopo (*c. quanto 7. h. t.*) etiam exemptos, non quidem, tanquam ab Ordinario; sed tanquam delegato Papæ, ex Trid. *sess. 6. c. 3. de reform.* volentes, eum ea ratione etiam, visitare posse locum exemptum, per Trid. *sess. 21. de reform. c. 8.*

2400. Circa quæstionem istam ex traditis superioribus not. ubi *solus locus* est exemptus à jurisdictione Episcopali, *personas* in eo commorantes subesse legi jurisdictionis, quoad ea, quæ sunt agenda, vel ommittenda, extra talem locum; non autem quæ intra illum. Hinc potest eos interdicere, ne in loco non exempto divina peragant, ut diximus *n.* 511. & 592. Not. 2. subditos alicujus Ordinarij existentes in loco *per se*, ac ratione sui exempto, non ligari statutis, quæ pendent à lege jurisdictionis Episcopalis, cujus rationem dedimus *à n.* 512. Not. 3. Episcopum ex lege jurisdictionis nihil posse in exemptos, immediatè subjectos sedi Apostolicæ; nam talis exemptio est personalis; at contra personaliter exemptos nihil potest Episcopus ex lege jurisdictionis, si vel ostendant, vel notorium sit, exemptos esse; *ex n.* 595.

Not. 4. *Regulares jure communi exemptos esse ab Episcopi lege diœcesana;* non autem à lege jurisdictionis, nisi probent exemptionem; utrumque constat ex dictis *à num.* 595. ubi notanter diximus, Ordinarios non aliter habere *intentionem suam fundatam in jure communi pro subjectione omnium existentium in sua diœcesi*, quam conditionatè; nimirum sub conditione, nisi probent exemptionem. 2401.

Not 5. multùm dubitari an exempti subsint Ordinarijs quoad legem jurisdictionis ratione contractûs initi extra locum exemptum? vel circa rem non exemptam? vel ratione delicti contracti extra locum exemptum? affirmandum enim videtur *ex cap. volentes, de privilegio in 6.* ubi expressè definitur, exemptos quantumcunque libertate gaudeant, posse coram locorum Ordinarijs convenìri, ratione contractûs, vel delicti, facti extra locum exemptum, vel circa rem sitam, extra locum exemptum; & sic tenet D. Thoma 22. *q.* 67. *a.* 1. *ad* 3.

Alij verò tenent negativam, volentes, quòd Mendicantes habeant privilegium exemptionis cum derogatione dicti c. *volentes*, sic Cajetanus, Navarr. D. Antonin. & plures alij apud Sanchez, *l. 6. consil. moral. c. 9. d. 1. n.* 24. sed his obstat c. Trid. *sess. 7. de reform. c.* 14. ubi dicit, quòd circa exempos servetur dictum c. *volentes, quòd* (inquit) *sancta Synodus innovandum censet, & innovat;* & concludit in fine illius capituli cum clausula: *privilegijs, & exemptionibus, adversus præmissa, nequaquam valituris;* ubi; cùm loquatur in plurali, videtur apertè referri, *ad omnia* contenta in illo capite; maximè, cùm illud satis breve sit, & duo tantùm decreta contineat: nos mentem nostram in hac quæstione dicemus *in seqq.* 2402.

Cùm autem ex *dictis* constet, exemptos in his, in quibus eximuntur à jurisdictione Ordinarij, non subjici ordinariæ illius 2403.

illius jurisdictioni; quæstio moveri potest, an, & in quibus eidem subjiciantur, non *ut Ordinario*, sed *ut delegato Papæ*? de quo plura sunt in Tridentino circa præsentem quæstionem decreta, ut constat. *ex seqq.* Unde in præsenti quæritur solùm in speciali, qui sint illi casus, in quibus Episcopi, & Ordinarij locorũ, contra Regulares exemptos ab eorum jurisdictione ordinaria, *tanquam delegati Papæ* procedere possint? & quoniam plura sunt, quæ in quæstionem venire possunt, de illis dicemus *in seqq.*

## §. I.

### *An exempti ab Ordinarijs subsint Legatis Apostolicis?*

2404. PRo resolut. not. 1. Legatos Papæ esse judices Ordinarios in provincia suæ legationis, & jurisdictionem eorum esse ordinariam, ut dicitur c. 2. *de offic. legati. in 6. junct. gloss.* ibid. (cùm eorum jurisdictio sit potestas publica, quæ alicui ex proprio munere, vel officio competit; hoc enim sonat jurisdictio ordinaria, ut notat Pereyra *in Elucidario num.* 1185.) sed extraordinariè competentem; cùm non sit à jure deputatus certus locus pro Legato, ut observat Panormit. *de offic. Legati, num.* 3.

Ad quæstionem factam respondet Henriquez *l.* 7. *de indulg. c.* 25. *nu.* 3. Regulares exemptos à jurisdictione Ordinarij, etiam exemptos esse à jurisdictione Nuntij Apostolici: alij autem volunt, eos nullatenus exemptos à jurisdictione Legati Papæ; sic Romanus, & alij apud Sanchez *lib.* 6. *consil. c.* 9. *d.* 1. *num.* 17. alij docent exemptos esse à jurisdictione omnium Legatorum, etiam de latere; sic Tabiena. V. *Exemptus.* & Rosella apud eundem *nu.* 6. Ancharanus, c. 2. *de V. S. in 6.* Horum sententia suaderi videtur ex eo saltem, quoad illos, quibus exemptio data est à jurisdictione *omnium*, vel *quorumcunque* Ordinariorum, aut sub verbis *omnino exempti*: si enim sunt exempti à jurisdictione *quorumcunque Ordinariorum*, eo ipso etiam exempti sunt à jurisdictione omnium Legatorum. Nam & hi sunt Ordinarij, ut dictum est *n.* 2372. & si illis subessent, non forent exempti *omnino.*

Verùm Sanchez *cit. nu.* 19. censet non obstante privilegio exemptionis etiam sub illis terminis dato, Regulares esse quidem exemptos à jurisdictione Legatorum, qui sunt *Nati tantùm*, vel *missi*; non tamen ab horum, *qui sunt de latere.* Hujus sententiæ probatio sumitur 1. ex c. *si Abbatem, de elect. in 6.* ubi dicitur: quòd si Abbas Papæ immediatè subjectus eligatur in Episcopum, nemo possit ei dare licentiam deserendi Monasterium, *nisi Papa, vel Legatus de latere* (ratione statim annexa) *quia hic potest prædictas exemptorum electiones confirmare.* Secundò ex c. 1. *de V. S. in 6.* ubi dicitur: quòd quando Papa recipit aliquos in proprios filios, non videatur per hoc concedere exemptionem; *sed quòd non possint ab alio, quàm à se, & à Legato de latere excommunicari*, quo (ut ait Sanchez cit.) Papa in privilegijs exemptionis ab Ordinarijs, videtur purificare sibi *Legatum de latere*, ut scilicet in illis non excludatur jurisdictio ejus, nec sua, præsertim cùm in cit. c. *si Abbatem*, etiam addatur *hujusmodi Legatum majus omnibus, post Romanum Pontificem, in Provincia sibi decreta, Imperium habere*, & Archiepiscopum, & Episcopum, & exemptorum electiones, posse *ex officio* confirmare; secus *Legatos alios*, sine speciali commissione, quamvis illi recipiant hunc textum solùm quoad casum expressum. 2405.

## §. II.

### *An, & qualiter exempti, vi Tridentini subjiciantur locorum Ordinarijs quoad prædicationem?*

2406. QUoad hanc materiam sic loquitur Tridentinum *sess.* 5. *de reform. c.* 2. *Regulares cujuscunque Ordinis, nisi de suorum Superiorum licentia, etiam in Ecclesijs suorum ordinum, prædicare non possint; cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem recipere teneantur, antequam prædicare incipiant: in Ecclesijs verò, quæ suorum ordinum non sunt, ultra suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam, habere teneantur, gratis concedendam, & sess.* 24. *de reform. c.* 4. decretum est, ne nullus sæcularis, vel Regularis, etiam in Ecclesijs

clesiis suorum ordinum, *contradicente Episcopo*, prædicare præsumat.

2407. Circa hæc decreta not. 1. Regulares, habitâ licentiâ suorum Superiorum, posse in Ecclesiis sui Ordinis prædicare, sine licentia Ordinarij, modò se cum illa sui Superioris licentia coram illo personaliter præsentent, & benedictionem *petant*, esto eam non obtineant; quia plus non exigit Tridentinum, ut liquet ex textu, *cit. c. 2. in num. priori*; sic Barbosa *in cit. c. 2. sess. 5. n.* 18. & apud illum Reginaldus, Riccius. Fr. Emmanuel, Miranda, & alij. Nec obstant ea verba, quæ habentur *in c. 4. loc. cit.* ibi: *contradicente Episcopo.* Nam decretum illud *in cit. sess. 24. c. 4.* (ne ullus etiam in Ecclesiis suorum Ordinum *contradicente Episcopo* prædicare præsumat) solùm intelligitur *eo tempore*, vel *horâ*, qua ipse Episcopus prædicare voluerit, aut coram se facere solenniter prædicari: non verò aliàs; ne scilicet dicamus, Concilium in hoc decreto contradicere illi, quod statuerat *cit. c. 2.* ubi plus non requirit, quàm post Superiorum licentiam à Regulari, in sui Ordinis Ecclesia prædicaturo, coram Episcopo benedictionem *peti*; sic Barbos. *cit. n.* 18. *& seq.* ubi addit ex Aldano *in compend. canon. decision. l. 1. tit. 4. n.* 10. referente, sic decisum à SS. Congregatione, negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, sub die 30. Januarii 1629. v. etiam Barbos. *in sess. 24 de Reform. c. 4.* ubi ex Brevi Urbani VIII. ad Cardin. de Sancto-Val. idem apertè confirmatur.

2408. Not. 2. Regulares exemptos, extra Ecclesias suorum Ordinum, prædicare non posse sine licentia sui Superioris, & Ordinarij, ut liquet ex textu, in *n.* 2406. & quamvis posse illos prævièe examinari ab Episcopo, in dato casu resolvat Aldanus cit. asserens, sic esse decisum in Ugentin. 22. Januar. 1628. hoc tamen non habet fundamentum in textu, ut rectè notat Henriquez *in Summa l. 10. c. 23. lit. L.* & alij.

2409. Quæres, an si Regulares absque licentia Episcopi prædicaverint in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt, puniri possint ab Episcopis? respondent negativè Quartana *in Summa Bullar. V. Privilegia Regularium.* Zerola *in praxi Episcop. p. 2. c. 3. n.* 41. volentes, puniendos in dato casu à Regularibus suis Superioribus, idque sic decisum esse.

Sed dices cum Barbos. *in cit. c. 2. sess. 5.* 2410. *à n.* 12. hodie contrarium esse dicendum per *constitut. Greg. XV. incipientem: Inscrutabili 9. Febr.* 1622. ubi sic habetur: demum habeat Episcopus auctoritatem coërcendi, ac puniendi *quoscunque exemptos*, tam sæculares, quàm Regulares, qui *in alienis Ecclesijs*, quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in alijs suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint? R. meritò dubitari, an ea constitutio debitè vulgata, & usu recepta sit, prout ad vim obligandi requiritur ex *n.* 139. *& seqq.* Cæterùm ubi vim obtinet, quoad ly *ipso contradicente*, non venit intelligendum aliter, quàm dictum sit *n.* 2407. Nec enim præsumi potest Pontifex aliter exigere, ne Episcopus *contradicat*, quàm fuerit intentio Concilij, cujus observantiam in eo puncto fieri voluit.

Not. 3. si Ordinario præsentetur Prædicator idoneus, licentiam illi denegandam non esse; sic Armendarius *l. 3. de Prædicatorib. Sacræ Script. n.* 8. & quamvis Ordinarius ad libitum, & sine rationabili causa, suspendere non possit à prædicatione, consequenter sic suspendendo peccet (cùm jure suo irrationabiliter utatur) eum tamen, si suspendat, non teneri causam exprimere, quare ad hoc prohibendum moveatur? docet Barbosa *de Potest. Episc. p. 3. allegat. 76. n.* 22. sed de hujus actus valore merito ambigitur.

Not. 4. etiam exemptis, ubi prædicando in suis, vel alienis Ecclesijs, errores, aut scandala disseminaverint in populo, prædicationem interdici posse; si autem hæreses prædicaverint, contra eos procedi posse secundùm juris dispositionem; aut loci consuetudinem ab Ordinario, ut Sedis Apostolicæ delegato, esto generali, vel speciali privilegio se exemptos prætenderent; eâ tamen cautelâ, ne Prædicator vel falsis infamationibus, vel aliàs calumniosè vexetur. Sic Trid. *sess. 5. de Reform. c. 2. §. si verò.*

## §. III.

### *An, & qualiter Exempti, vi Tridentini, subjiciantur locorum Ordinarijs in accipienda approbatione pro audiendis confessionibus?*

2412. ANte resolut. Not. 1. per *approbationem* communiter intelligi *Authenticum testimonium*, quo aliquis Sacerdos declaratur habilis, & idoneus ad excipiendas confessiones, ut ex communi sententia tradit Suarez, Layman, Vasquez, & alij, quos citat, & sequitur Castropal. *p.* 4. *tr.* 23. *D. unic. p.* 17. §. 1. *n.* 1. aliqui tamen accipiunt illam etiam pro consensu, quo Pontifex, vel Episcopus oves suas subjicit Sacerdoti, habenti ex Ordine Presbyterali potestatem absolvendi à peccatis, ut absolutionem ab illo recipiant, quam quidam (sed non bene) vocant jurisdictionis concessionem; nam *jurisdictio*, in quantum explicat *potestatem clavium*, confertur in susceptione Ordinis presbyteralis; & rectiùs dicitur importare *applicationem* potestatis clavium relatè ad eos, pro quorum confessionibus audiendis Confessor idoneus judicatur.

2413. Not. 2. hanc approbationem, seu judicium idoneitatis, esse omnino distinctum à jurisdictione, seu potestate audiendi confessiones: tum quia jurisdictio est superioritas, subditos respiciens; approbatio autem solùm aptitudinem, & dispositionem personæ approbandæ spectat; tum quia Presbyteri in sua ordinatione, à peccatis absolvendi potestatem accipiunt, ut expresè docet Tridentinum *sess.* 23. *de reformat.* 15. secus approbationem. Et ideo approbatio non est illius jurisdictionis, seu potestatis concessio; ut volunt aliqui, de quibus V. *n.* 2816. sed habilitatis personæ authentica declaratio; & per consensum ejus, cujus interest, alteri oves suas pro foro interno committere, jurisdictionis applicatio, ut dictum est. Quamvis autem approbatio (quâ est judicium idoneitatis) non sit jurisdictionis concessio, ea tamen requiritur ad jurisdictionis usum, cùm requiratur, ut potestas absolvendi à peccatis, in ordinis receptione accepta, huic, & illi subjecto, Ecclesiæ authentico judicio, applicetur, ut effectum suum proximè operari possit, ut constabit ex *seq.* His præmissis

Resp. omnes Presbyteros, tam sæculares, quàm Regulares, quantumvis aliàs exemptos, hoc sensu Ordinario subjici, quòd non possint confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idonei reputari, nisi aut parochiale beneficiū, aut ab Episcopis per examen (si illis videbitur necessarium) aut aliàs idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineant, privilegiis, aut consuetudine quacunque non obstantibus; sic Trid. *cit. c.* 15. ubi approbatio in utroque sensu (juxta *n.* 2412.) videtur requiri. 2414.

Ad meliorem hujus decreti intelligentiam advertendum 1. *ex vi hujus decreti*, ejusmodi approbationem Episcopi, esse necessariam pro excipiendis confessionibus *sæcularium* etiam Sacerdotum; non autem *Regularium*; ratio est, quia jure antiquo ad excipiendas Regularium confessiones necessaria non erat approbatio per *Episcopum*; sed quilibet Sacerdos eligi poterat de consensu Prælati, ut communiter traditur à Doctoribus teste Castropal. *cit.* §. 2. *n.* 1. cùm ergo Trident. in hoc decreto nihil mutaverit, vel expresserit de audiendis confessionibus *Regularium*, hoc manet sub dispositione juris antiqui, prout colligitur ex *c.* 2. *de Translat. Episcop.* & *L. Præcipimus C. de Apellat.* ita Layman *l.* 5. *summæ tr.* 6. *c.* 11. *n.* 1. & complures alij. 2415.

Advertendum 2. licèt *ex vi dicti decreti* certum sit, ad usum jurisdictionis requiri in Sacerdote approbationem Episcopi ad hoc, ut munus audiendi confessiones sæcularium ritè exerceat, dubitari tamen, an ad hoc requiratur, ut Sacerdos approbatus sit ab *Episcopo loci*, ubi confessiones audit? an ab Episcopo *pœnitentis*, an ab Episcopo *ipsius Sacerdotis*? variæ sunt opiniones Doctorum in hac quæstione. Nam aliqui docent, quantum ex *vi illius decreti* Concilii, sufficere, quòd Confessor approbatus sit ab Ordinario, vel *pœnitentis*, vel *loci*, ubi confessiones excipit; ita Henriquez *l.* 8. *de Matrim. D.* 34. *n.* 16. alii determinatè requirunt approbationem *Episcopi loci*, in quo confessiones excipiuntur; sic Gutierez *l.* 1. *canon. quæst. c.* 27. *n.* 6. Ugolin. *de Potestat. Episcopi c.* 2. §. 2. *n.* 8. quos 2416.

citat

citat, & sequitur Barbosa, *p. 2. de Potestat. Episcopi Allegat. 25. n. 14.* alij petunt determinatè approbationem *Episcopi pœnitentis*, in quorum sententiam multùm inclinat Suarez *tom. 4. de Pœnit. D. 28. sect. 6. n. 8.* alij demum affirmant approbationem ab Episcopo *Confessarij* esse necessariam, quod absolutè tenet Suarez *cit. sect. 6. & sect. 7. à n. 3.* Coninch. *de Pœnit. D. 8. d. 7. n. 50.* Bonacin. *D. 5. de Pœnit. q. 7. p. 4. §. n. 15.* Fagundez *de 2. præcepto Ecclesiæ l. 7. c. 20. n. 92.* quos citat, & sequitur Castropal. *p. 4. tr. 23. D. unic. p. 27. §. 3. n. 4.*

2417. In hac opinionum diversitate certum videtur, quòd Trid. in decreto, de quo *n.* 2414. approbationem Confessoris exigens ad usum jurisdictionis absolvendi à peccatis, acceptæ in Ordinatione, non determinet, an Confessor debeat approbationem habere *à suo?* an à *pœnitentis?* an ab Ordinario *loci*, ubi confessiones audit? quia tamen exigit, ut Presbyter non priùs confessiones sæcularium audiat, quàm Ordinario se subjiciat, ut ab illo approbetur (hoc est per authenticum testimonium illius, ad usum suæ potestatis idoneus, & habilis declaretur) & hoc in approbando denotet subjectionem; in approbante Superioritatem, seu jurisdictionem, quæ in non subditum exerceri nullatenus potest; rectè sequitur, quòd, cùm Confessor recipere approbationem debeat ab eo, cujus jurisdictioni subest, Confessoris approbatio, à suo Episcopo necessaria sit, *stando in solo decreto Tridentini.*

2418. Dices 1. Concilium requirit approbationem Sacerdotis ab *Episcopis*; ergo quilibet sufficit, sive sit Episcopus *Sacerdotis*, sive *pœnitentis*, sive *loci*, in quo Sacramentum pœnitentiæ ministratur. R. hoc probabiliter dici, ut volunt *AA. cit. n.* 2416. rectiùs tamen (*seclusa constitutione Clementis X.*) intelligi de Episcopis, quibus subest approbandus propter rationem *in præced. num.* datam. Not. autem, ut in Ordine ad hoc Sacerdos habeat *subjectionem*, ad approbationem sufficere, quòd ei subjectus sit, vel ratione domicilii, vel habitationis, etiam transeuntis, aut quasi domicilii, vel obsequii, aut alterius Ministerii, ut notat Castropal. *cit. §. 2. n. 4. & §. 3. n. 4.*

2419. Dices 2. ad Episcopum spectat, ne in sua diœcesi quis confessiones excipiat, qui ab eo idoneus judicatus non fuerit. R. id procedere, si Confessor non habeat authenticum testimonium à suo Ordinario, quoad approbationem necessariam de sua idoneitate, ac habilitate; nam hoc posito nihil deficit ad legitimũ usum suæ potestatis absolvendi à peccatis, acceptæ in Ordinatione, si approbatus sit indefinitè, ac sine limitatione relatè tamen ad subditum; quod tamen accipe *stando in solo decreto Concilij Trid.* nam quid dicendum sit vi constitutionis Clementis X. dicemus in seqq.

Dices 3. SS. Congregatio, relata à Rodriquez, & à Barbosa in Remissionibus Concilij, declaravit: approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo in diœcesi Valentina, non censeri approbatum ab Ordinario juxta formam Concilij; ad hoc respondet Fagundez citatus, id procedere, si sit approbatus ab alio, cui approbandus, non erat subditus, id confirmans Cardinalium declarationibus; & ex his patet ad quæstionem initiô §. propositam, *quantùm est vi solius Tridentini.* 2420.

Præter hæc not. 1. approbationem, quæ contingit collatione beneficii durare solùm, dum beneficium retinetur, nisi ex rationabili causa priùs revocetur, ut notat Suarez *cit. D. 28. S. 2. n. 8.* si autem approbatio concessa sit solùm *ad certum tempus*, hoc finito finiri & illam; cùm sic habeat terminum: sed in casu, quo quis approbatus sit *absolutè*, ac indistinctè, nimirum sine limitatione temporis, vel ad certas tantùm personas, plures censent, approbationem cessare ex duplici capite, nimirum ex parte Confessarij, & ex parte Episcopi, *ex parte Confessarij*, si diœcesim mutet; *ex parte Episcopi*, si ipse, vel ejus Successor eam revocet, & ita tenet Suarez *cit. D. 28. S. 7. n. 3. & 8.* Fagundez *cit. c. 2. n. 22.* & alij. 2421.

Rationem primi dant ex usu, & consuetudine. Nam quoties Regulares, vel sæculares Presbyteri à diœcesi, ubi approbati sunt, transeunt in aliam, hujus Episcopi approbationem requirunt; quod confirmatur 1. ex responso S. Congregat. pro diœcesi Valentina, de quo *n.* 2420. secundò quia Episcopus approbans non potest subjicere oves alienas; sed solùm eas, quæ ipsius pastorali curæ à Deo commissæ sunt; nec ad eum pertinet declarare ido- 2422.

idoneitatem personæ pro qualibet diœcesi; ubi tamen not. Summum Pontificem esse Pastorem supremum omnium Christi fidelium, & Ordinarium Ordinariorum, atque adeò cujuslibet diœcesis.

2423. Rationem autem secundi sumunt ex c. *Accepimus, de ætate, & qualitate.* Ubi dicitur, quòd reputati idonei ad Ordines, non sint postmodum reputandi indigni ad beneficium, nisi fortè, postquam promoti sunt, reddiderint se indignos; ergo etiam si approbati ad confessiones audiendas, postmodum se reddiderint indignos, ab eo munere removeri poterunt, quod maximè procedit, si cognitum, & probatum fuerit, eos scandalosè vivere, errores disseminare &c. *Arg. c. Accepimus. & c. 2. in Trid. sess. 5.* de quo *superius*, sic illi.

2424. Verùm quidquid sit de illa ratione, seu probatione, qua utuntur Authores citati *n.* 2422. ad ostendendum, quòd approbatio (sumpta pro authentico testimonio de idoneitate personæ ad munus audiendi confessiones personarum sæcularium) ex parte Confessarii cesset, *si diœcesim mutet*: nunc post constitutionem Clementis X. incip. *Superna Magni*, editam 1670. *nullus Regularium potest licitè, ac validè confessiones personarum sæcularium audire, nisi approbatus sit ab Ordinario loci, in quo confessio fit.*

2425. Postquam enim Clemens §. 1. dictæ constitutionis ait, innotuisse suæ Sanctitati, dubitationes non nullas (circa plures materias, inter quas etiam nominat *approbationem*, pro audiendis confessionibus, de qua jam ante Tridentinum dispositerat) in aliquibus diœcesibus excitatas fuisse, ex quibus controversiæ, & dissensiones permultæ in dies subsequi possent occasione privilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam Religiosis Ordinibus concessa fuerunt. Subjungit §. 2.

2426. *Nos attendentes*, quòd aliàs diversis temporibus prædictæ dubitationes, & controversiæ nonnullis Prædecessorum nostrorum summorum Pontificum constitutionibus, earúmque declarationibus definitæ fuerint; ejusmodi definitiones in unum collectas, *ut magis, magisque dissensionum tollantur semina, & impositerum firmior in agro Dominico Pax Christi floreat*, pro summo, quo fungimur, Apostolatûs Officio, novis Apostolicis literis muniendas duximus, & roborandas. Itaque de Consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, pietate, doctrinâ, & prudentiâ præstantium, & *matura deliberatione nostra, atque ex certa scientia, hac generali, & perpetuò valitura constitutione, decernimus, & declaramus*, primò (ut habetur §. 3.) Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere; prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Deinde in §. 4. *Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia diœcesi eas, absque Episcopi diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.*

2427. Ex hac Clementina habetur, approbationem acceptam ab uno loci Ordinario, nulli prodesse, ut *vi ejus in alia diœcesi* licitè, ac validè audire valeat confessiones personarum sæcularium, non modò illarum, quæ subjectæ non sunt illi, à quo approbatus fuit, sed nec subjectarum, si confessio fiat extra diœcesim approbantis:

2428. Hinc quamvis aliqui priùs apud Archdekin relati, *Theol. tripartitæ p. 3. tr. 1. q. 17.* è quibus Leander de Murcia *in c. 6. Regulæ S. Francisci q. 8.* Corduba, Præpositus, Collossus, quos refert Diana *p. 6. tr. 7. resol. 50.* Bauni *1. p. tr. 5. c. 11. prop. 2.*) docuerint, tanquam probabile, *Regularem approbatum ab Ordinario ad confessiones sæcularium in una diœcesi, validè posse ubique confessiones audire, sine approbatione Ordinarij istius loci, in quo versatur*: nunc tamen hæc sententia probabilis non est; cùm contra se habeat certam definitionem Sedis Apostolicæ.

2429. Not. præterea, duas propositiones in dicta constitutione Clementis X. esse considerandas quoad præsentem quæstionem. *Prima est in* §. 4. ubi habetur, quòd Religiosi ab Episcopo (v. g. Passavienſi) ad confessiones sæcularium in sua diœcesi audiendas approbati, non possint in alia diœcesi (v. g. Ratisbonensi) absque Episcopi diœcesani (nimirum Ratisbonensis) licentiâ, audire confessiones, quamvis pœnitentes

tes subditi sint ejus Episcopi (nimirum Passaviensis) à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.

2430. Altera est in §. 7. ibi: *Religiosos, habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus, Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis, posse absolvere; posse autem Regularem Confessorem in ea diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi, à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi Confessor approbatus est, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit, in fraudem reservationis pro absolutione ad alienam diœcesim obtinendâ migrâsse.*

2431. Ex prima propsitione sequitur, quòd Confessor Regularis, approbatus ab Episcopo Passavienſi ad audiendas confessionns in Diœcesi Passavienſi, existens in Ratisbonenſi, ubi approbatus non est, non possit audire confessiones subditorum diœcesis Passavienſis; & ex secunda, quòd Confessor Regularis, approbatus ab Episcopo Passavienſi ad audiendas confessiones in Diœcesi Passavienſi, existens in Diœcesi Passavienſi possit Ratisbonenſium confessiones audire, & absolvere à reservatis in Diœcesi Ratisbonenſi, si eos sine fraude reservationis, ex diœcesi Ratisbonenſi, venientes ad diœcesin Passavienſem, audiat.

2432. His porro annotatis, in dubitationem venire posset, quomodo fieri possit, quòd non valeam absolvere, mihi legitimè subjectum à suo Episcopo, existentem extra hujus diœcesim? & absolvere possim mihi nullatenus subditum, existentem etiam extra suam diœcesim? primum enim sequitur ex propositione prima; alterum, ex secunda; quod difficulter dici poterit, nisi concedas diœcesanum, pro cujus diœcesi non sum approbatus, fieri meum subditum per hoc præcisè, quòd sine fraude veniat ad me in ea diœcesi, *in*, & *pro qua* sum approbatus.

2433. Videtur tamen posse responderi in prima propositione, distinguendo ea verba: *audiendas confessiones in sua diœcesi.* Si enim hæc verba approbationis, qua suos mihi Episcopus Passavienſis subjicit, subjectionem restringant *ad locum ita*, ut solùm tunc mihi subjecti sint, *si intra diœcesim, & non extra confiteantur*, omnino conceditur ea propositio: si autem verba approbationis non sic restringant subjectionem, sed Episcopus mihi simpliciter subjiciat ad audiendas confessiones suorum diœcesanorum sine ulla alia restrictione, videri posset alicui, non esse de mente illius constitutionis, quòd tali casu ejusmodi pœnitentes non possim absolvere extra diœcesin, de qua sunt pœnitentes, & Confessor sic approbatus; licèt per accidens existant alibi; cùm adhuc approbationem pro tali pœnitente Confessor retineat, ut notat Castropal. *cit. p. 4. tr. 23. D. unic. p. 17. §. 2. n. 9.*

Ratio id suadens esse posset; quia in 2434.
hac constitutione Clemens non condit novum jus, sed tantùm declarat dubia, suborta inter Regulares, & Ordinarios; adeoque in hoc puncto non adimit Regularibus ullum jus præexistens, & consistens cum jure, quod declarat; 2. quia jurisdictio absolvendi à peccatis exercetur in volentes; consequenter est voluntaria, quæ etiam in alieno territorio exerceri potest 3. quia etiam post dictam constitutionem (editam ante 29. annos, nimirum anno 1670. usque ad hunc annum 1699.) fortè in pluribus locis contrarius usus fuit, puta in iis casibus, ubi Regulares cum sæcularibus in peregrinationibus ad loca etiam extra diœceses (de quibus ipsi sunt) proficiscentes, eosdem liberè, nulloque contradicente absolvunt 4. denique magnæ omnino dubitationis esse posset, an hoc decretum unquam publicatum sit eo modo, quo id à nonnullis DD. requiritur, ut obtineat vim obligandi in actu secundo.

Confirmari posset ex eo, quod docet 2435.
Barbosa in Trid. *sess. 23. de reform. c. 25. nu. 9.* dicens: Parochum subditorum suorum confessiones posse audire in aliena prochia, *& ubique locorum*; idem sentientibus plurimis alijs, ibidem cit. ergo etiam poterit Regularis extra diœcesin Passavienſem respectu civis de diœcesi Passavienſi, si & ipse approbatus sit indefinitè, ac sine limitatione pro subditis diœcesis Passavienſis.

Verùm hìc observandum est, discri- 2436.
men esse faciendum, inter doctrinam, quæ stetit attento præcisè decreto CC. Tridentini de quo *n.* 2414. & doctrinâ, quæ nunc tenenda est attenta constitutione Clementis X. de qua *nu.* 2424. Quare ad rationem dubitandi in *nu.* 2434. Resp. etsi,

quòd ibi dicitur, sustineri posset, *spectato præcisè decreto CC. Tridentini* ex mente Doctorum, quos retuli *num.* 2416. attenta tamen illa Clementina non procedere, nisi Confessor approbatus sit ab Ordinario loci, ubi confessio fit.

2437. Ad primam rationem in *nu.* 2434. &. verum esse, quòd constitutio Clementis X. dubia plura declaret; probabilius tamen est, eam non esse *merè* declarativam, juris præexistentis; sed *etiam* dispositivam, ut colligitur ex ejus verbis *in §. 2.* ibi: *decernimus, & declaramus;* præsertim cùm graves AA. censuerint, ut notavimus *n.* 2416. non esse jure Tridentini determinatum, quòd Confessor debeat esse approbatus *ab Ordinario loci, ubi confessio fit;* quod tamen determinat illa Clementina.

2438. Ad secundam rationem in *nu.* 2434. Resp. verum esse, quòd jurisdictio absolvendi à peccatis exerceatur à Confessoribus in volentes, *sed subditos, & solùm per Ordinem ad eas causas, per Ordinem ad quas illis subjecti sunt.* Certum enim est, Judicem jurisdictione pollentem ad certum duntaxat territorium, vel in certum genus hominum, vel causas determinatas in aliqua linea causarum, sive civilium, sive criminalium, non posse jurisdictionem suam exercere circa illos, nisi casus propositus ex iis sit, per ordinem ad quos ei subjiciuntur. Cùm ergo Clemens X. *statuerit*, & *declaraverit*, quòd sæculares personæ non subjiciantur Confessoribus Regularibus in ordine ad forum pœnitentiæ, etiam supposita approbatione *alicujus* Ordinarij, *Papa inferioris*, nisi approbati sint *ab Ordinario loci, ubi fit confessio*, aliter circa ejusmodi personas jurisdictionem suam, in potestate clavium sitam, exercere non poterunt; quia illam exercerent in casu, secundùm quem non subjecti.

2439. Ad 3. ibidem Resp. verum esse, etiam jus Ecclesiasticum abrogari posse usu contrario, si is talis sit, qualis requiritur, ut lex abrogetur, vel in desuetudinem veniat; de quo egimus *hoc lib. t.* 2. ex hoc tamen solùm sequi, dictam Clementinam non obligare, ubi talis usus contrarius, vel consuetudo legitimè inducta est; non alibi *ad 4. in eodem num.* respondit aliquis Theologus etiam defacto non improbabiliter sustineri posse sententiam illorum DD. qui dicunt, legem Ecclesiasticam non obligare in actu secundo, antequam promulgata sit, in diœcesibus, aut Provincijs, si ea lex *dispositiva* sit; sed non, si *merè declarativa;* constitutionem autem Clementinam, de qua in præsens, in materia, & puncto approbationis, esse merè declarativam.

Sed hæc responsio valeat, quantùm potest; mihi tamen non videtur satisfacere, cùm rectè negetur minor. 2440. Deinde multi graves AA. docent, etiam legem merè declarativam indigere promulgatione, & hoc æquè, ac quando dispositiva est. Cùm enim declaratio juris præexistentis, de cujus sensu dubium est, & obscurum, solùm propterea fiat, ut constet, *in quo sensu verba juris obscuri, vel ambigui, subditos ligent, vel non ligent;* hoc autem tam parùm sciant subditi sine publicatione sensûs juris declarati, quàm sine promulgatione sciant, quid velit jus dispositivum, seu noviter constitutum; æquè necessaria erit promulgatio legis merè declarativæ, ac legis noviter constitutæ, seu dispositivæ; ergo si non improbabiliter tenet illorum Doctorum sententia in lege dispositiva, ut vult ille Theologus; pariter tenebit in lege merè declarativa. Cæterùm, juxta dicta *hoc lib. tit.* 2. Resp. legem Pontificiam censeri sufficienter promulgatam, si Romæ publicata sit, at hanc publicationem habet illa Clementina. Ergo.

Ad id, quòd habetur *in §. 7.* dictæ con- 2441. stitutionis Clementis X. de qua *n.* 2428. Resp. omnino concedi eam propositionem (nimirum Regulares) *ex hoc*, quòd possint absolvere *ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis*, non ideo etiam posse *à casibus Episcopo reservatis*: esto fortassis (ante hoc decretum) aliqui senserint oppositum, secuti regulam juris, *cui licet, de regul. jur. in 6. & L. juris gentium, §. adeò ff. de pact.* ubi recipitur argumentum à majori ad minus; præsertim cùm facultas absolvendi sit favorabilis, quando conceditur in favorem ejus, cui datur, ut in simili rectè notat Pyrrhus, Corradus *in praxi dispens: Apostol. l. 1. c. 5. nu. 27.* hoc tamen non obstante non videtur præjudicari privilegio eorum, quibus concessa est potestas absolvendi ab omnibus casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis.

Quo

Quoad alteram partem *in eod. n.* 2429. quòd subditus alienus à casu in sua diœcesi reservato, in alia, ad quam sine fraude reservationis transit, à Confessore approbato in hac (ubi talis casus reservatus non est) absolvi possit, videtur omnino affirmandum, si vel ab Ordinario suo, vel ex ipso transitu, ad talem locum Confessoribus pro tali diœcesi approbatis subjiciatur; cùm aliàs in non subditum jurisdictio inaniter exerceretur; videtur autem in dicto casu subjici per constitutionem cit. Clementinæ, ut constat *ex cit. Clement.* 57. Ergo.

## §. IV.

### *An Exempti possint audire confessiones sæcularium, si approbatio illis injustè denegetur?*

1442. SUpponend. in Clementina *Dudum, de sepulturis*; Extrava. Bonifacij VIII. *incip. super cathedram:* eodem, *Mendicantibus* (non enim loquitur textus indefinitè *de Exemptis*) ut, si ex odio, vel malevolentia, ubi à suis Superioribus præsentati sunt, repellantur ab Episcopo, possint confessiones audire, concessum esse, Verba Clementinæ citatæ sunt: *si fortè jam dicti prælati* (quibus scilicet præsentandi sunt rogantes approbationem) *quemquam ex dictis Fratribus præsentatis, eisdem ad hujusmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum; eo amoto, vel subtracto, loco ipsius, similiter eisdem præsentandus Prælatis possit, & debeat alius surrogari; si verò ijdem Prælati præfatis Fratribus ad confessiones* (ut præmittitur) *audiendas electis, hujusmodi exhibere licentiam recusârint: nos ex nunc ipsis ut confessiones sibi confiteri volentium liberè, licitèque audire valeant, & eisdem pœnitentias imponere salutares, atque eisdem beneficium absolutionis impertiri, gratiosè concedimus, de plenitudine Apostolicæ potestatis;* id quod etiam iisdem verbis habetur in Extravag. *super cathedram, inter communes.*

Postquam autem in CC. Tridentino, *sess.* 23. *cap.* 15. decretum hujus tenoris editum est (*quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant;* decernit tamen sancta Synodus, *nullum, etiam Regularem* posse confessiones *sæcularium, etiam Sacerdotum* audire, *nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen,* si illis videbitur: esse necessarium, *aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem,* quæ gratis detur, *obtineat, privilegijs, & consuetudine, quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus*) inter DD. super illo privilegio, de quo *num. præced.* controversia orta est, an illud *per hoc decretum Tridentini* sublatum sit, vel non? Non esse per hoc decretum Concilij sublatum, tenent scribentes, etiam post Tridentinum, Layman *lib.* 5. *summæ tr.* 6. *c.* 11. *num.* 4. Fagundez *l.* 7. *de* 2. *præcept. Ecclesiæ, c.* 2. *nu.* 15. & 58. Navart. Henriq. Vega, Miranda, & alij quos citat, & sequitur Castropalaus *cit. S.* 3. *nu.* 8. *V. num.* 2792.

Contrarium tamen tradit Suarez *cit. d.* 28. *sect.* 5. *n.* 6. & 15. ubi ait: ad hoc, ut Sacerdos potestatem absolvendi à peccatis, acceptam in collatione Ordinis, validè exerceat, Tridentinum expressè postulavit approbationem ejus, factam ab Episcopo, tanquam conditionem, ut Sacerdos idoneus reputetur, & patet ex textu, ibi: *nullus reputetur idoneus, nisi ab Episcopo approbationem obtineat;* ergo hac conditione non posita, nullus est usus potestatis à Sacerdote in ordinatione acceptæ; ergo undecunque contingat, illam deficere, idem procedit.

Sed ad hoc illi AA. respondent, id omnino procedere, *nisi aliunde idoneus judicetur, & approbetur*, nimirum ab ipso jure, quod clarè videtur insinuare etiam ipse textus Tridentini, ibi: *aut aliàs idoneus judicetur;* addunt nec dici posse, huic privilegio derogatum esse per Tridentinum, vi expressæ clausulæ: *privilegijs quibuscunque non obstantibus;* quia juxta plures DD. privilegium insertum juri communi (quale est dictum privilegium *Mendicantium*) indiget derogatione speciali. Deinde lex generaliter loquens non derogat dispositioni in casu speciali, cujus mentionem non facit; at dispositio illa in Clement. *Dudum*, & Extravag. cit. est in casu speciali; & decretum Tridentini generaliter loquens, non facit ejus mentionem specialem: ergo; & ipsa sentiunt non pauci, etiam referendi *nu.* 2792. Accedit, etiam in dato casu verificari verba decreti: *nullus reputetur ido-*

*idoneus, nisi ab Episcopo approbationem obtineat.* Nam habentes illud privilegium à Clemente, & Bonifacio pro tali casu concessum, approbationem habent à Lege Pontificia, seu Summo Episcopo, qui est Ordinarius in qualibet diœcesi; sic illi.

Hanc eandem sententiam, ab aliis fusè propugnatam esse, & copiosè, refert Archdekin in *Theol. tripart. p. 3. tr. 1. q. 18.* qui tamen *cit. p. 3. tr. 2. c. 2. n. 5. refert*, derogationem Urbani VIII. in oppositum, annotarià Card. de Lugo. *D. 22. de Pœnit. n. 29.* & quoad Confessionem *Paschalem* illud privilegium reprobari ab Alexandro VII. *propos. 13.* Cæterùm ipse *p. 3. tr. 1. q. 18.* in editione Colonienſi ad hanc quæstionem, *An Regularis manifestè idoneus, cui approbatio ab Ordinario injustè negatur, possit validè in illius diœcesi confessiones excipere?* rectiùs respondet negativè, cum Suarez, Vasquez, Lugo *de Pœnit. D. 21. sect. 3. n. 5.* quia negatio approbationis, non est approbatio, quam Tridentinum expresè requirit:

Dices 2. licèt Episcopus injustè neget approbationem Sacerdoti non Regulari, is adhuc non potest licitè, ac validè audire confessiones; ergo nec Regularis; etiam ex Ordine Mendicantium, licèt Episcopus ei injustè neget approbationem. Respondent. N. conseq. quia Sacerdos non Regularis eo casu, nec ab Episcopo, nec ex privilegio inserto juri communi habet approbationem; secus Regularis ex tali Ordine, ut constat ex jam dictis. Sic illi.

Quæres, unde colligi possit, quòd Episcopus *injustè*, seu sine justa causa neget approbationem Regulari Ordinis Mendicantium à suo Superiore, Ordinario pro approbatione præsentato? Respondet Rodriquez *in explic. Bullæ §. 9. d. 1.* & Fagundez *l. 7. in 2. præcept. Eccles. c. 2. n. 16.* si nullam hujus negationis causam legitimam exhibeat, nec apparet habere, posse, si Religiosis, vel Religioni detrahat, si alios Clericos, vel etiam Regulares, minùs opinione communi hominum, idoneos approbet: quibus merito addi potest, si, ubi potest, erga talem religionem vindictam, vel passionem ostendat, &c.

Dices 3. Ordinarius, Regulares, etiam simpliciter, & sine restrictione approbatos pro sua diœcesi, suspendens à confessionibus audiendis, seu revocans licentias, illis concessas, ex nova causa superveniente, quæ ipsas confessiones concernat, non tenetur eam causam Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ duntaxat, ubi eam aperiri postulaverit; ergo ex hoc, quòd Ordinarius ejusmodi Regularibus etiam à suo Prælato præsentatis, non exhibeat legitimam causam negatæ approbationis, non negat *injustè*, Ant. Constat. ex Constit. Clementis X. R. solutionem hujus Argumenti petendam ex *n. 2449. & seq.* sic ex mente Authorum (quos retuli *n. 2440.*) cæterùm rectius hoc negari, jam dixi §. *Hanc eandem.*

Præter ea, quæ in præmissis dicta sunt 2443.
not. 1. eum, qui constituitur Parochus, aut obtinet beneficium, cui animarum cura annexa est, non indigere alia approbatione; si tamen Parochus Officium illud, aut beneficium reliquit, non poterit sine nova approbatione confessiones excipere; sic Archdekin *cit. p. 3. tr. 2. c. 2. n. 2.* quamvis Mendo *in statera opinion. benignar. dissertat. 14. q. 13. n. 145.* censeat, eum, qui fuit Parochus, etiamsi sponte beneficium dimittat, actu approbatum esse; quia perseverat approbatio præstita in collationem beneficii, quæ non amittitur per dimissionem illius; ita Mendo.

Rationem reddit, quia Tridentinum intendit, quòd constet de idoneitate Confessarij, vel per approbationem Ordinarij, vel per publicum testimonium Ecclesiæ in collatione beneficij Parochialis; constat autem de idoneitate ejus, qui dimisit beneficium, siquidem id publicum testimonium præcessit, quod non extinguitur per eam dimissionem, illudque testimonium præcedens eodem modo actu se habet, sive ille retineat beneficium, sive dimittat; sicut ergo actu durat, & actu est approbatus, si retineat; sic etiam durat actu, si dimittat; quippe in eo testimonio publico Ecclesiæ nulla fit immutatio, sed in aliquo ad illud secuto, quod non minuit, nec tollit testimonium, de idoneitate. Sic ille

Sed hoc videtur limitandum nisi approbatio restricta sit ad tempus *retenti beneficij curati*; nec intelligi debet, nisi pro audiendis confessionibus in loco, ubi approbatus est ab Ordinario loci ex *constit. Clementis X.* de qua *n. 2426.*

Not. 2.

Not. 2. cùm approbatio non sit actus Ordinis, Episcopum posse illam conferre per Vicarium, vel alium quemvis deputatũ.

Not. 3. examen, in Ordine ad approbationem, non esse absolutè necessarium, modò aliunde de Sacerdotis aptitudine ad confessiones audiendas prudens judicium formari possit, colligitur ex Trident. *sup. in n.* 2414.

Not. 4. approbationem concedi posse cum restrictione ad certum genus personarum, certum locum, & tempus, quando justa causa occurrit.

Not 5. non teneri Episcopum stare judicio cujusvis alterius Ordinarij pro sua diœcesi, in qua possunt esse difficultates alijs non communes; si tamen Episcopus tantùm ostendat se contentum aliorum approbatione, Sacerdos aliâ non indigebit; sin minùs, in validè absolvet.

Not. 6. Parochum, aut alium, ob magnum populi ad se accursum, non posse ad audiendas confessiones sibi ascisere alium Sacerdotem, vel Regularem, vel sæcularem, non approbatum ab Ordinario loci, in quo fit confessio; secus taliter approbatos; constat ex *Constit. Clementis X.* de qua *n.* 2426. & tradit Andreas Mendo *in Statera opinionum benignar. dissertat. 1. q. 5. n. 76.*

Not. 7. ab eod. *n.* 77. tradi, Regularem ab Episcopo unius diœcesis approbatum, si hic ad aliam diœcesin promoveatur, indigere nova approbatione ipsius ad audiendas confessiones in illa; quia per priorem non verificatur, eum esse approbatum ab Ordinario loci, in quo fit confessio.

Not. 8. non licere Episcopo, Sacerdoti idoneo, sine justa causa, approbationem denegare; quia approbatio non est gratia arbitraria, sed est testificatio authentica de aptitudine personæ, ut illi ad confessiones audiendas jurisdictio conferatur; ergo cùm Sacerdotes ad illud munus sint Ordinati, non possunt sine injuria ab eo repelli, si debitâ doctrinâ, & prudentia instructi inveniantur. Ubi tamen nota, quòd, si Sacerdos idoneus etiam injustè reprobatus fuerit, non potest validè à peccatis absolvere. Quia negatio injusta approbationis, non est approbatio; Tridentinum autem ad validam à mortalibus absolutionem Ordinarij approbationem requirit. *Non obstantibus*, inquit, *privilegijs*; ubi tamen nota, quod dicitur de doctrina in approbando, debere etiam intelligi de moribus, ac probitate vitæ. V. *num.* 2792.

## §. V.

### *An Ordinarius, Regulares Exemptos, suspendere possit à Confessionibus audiendis?*

APprobationem priùs concessam, pos- 2444.
se denuo revocari ab ipso approbante, vel ejus successore, *si approbatus evadat indignus*, communis tenet; & ratio est; quia, si persona evadit inidonea, cessat declaratio authentica de illius idoneitate; evadit autem inidonea, si inhonestè, ac scelerate vivat, aut pravi exempli sit, cùm præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit integritas vitæ, ac morum honestas, ut expressè habetur in *cit. Constit. Clement. X.* §. 6. ubi dicitur, *hanc ipsam qualitatem* esse causam, quæ ad confessionis Ministerium pertinet, sic, ut ob ejus defectum Episcopus Regulares, à semetipso approbatos, suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis possit.

Quæstio tamen est 1. an valida sit ap- 2445.
probationis revocatio, si eam alicui datam Episcopus absque justa causa faciat? Negativam valde probabiliter sequitur Castropal. cit. quia stante idoneitate personæ per judicium, & testimonium authenticum Episcopi declaratâ non modò non prudenter, imò nec licitè, nec validè idoneitatis declaratio mutari potest; aliàs Episcopi jurisdictio non in ædificationem, sed ruinam foret. Hinc meritò docet Castropal. *cit. p.* 17. §. 3. *n.* 5. Episcopum Presbytero sæculari, vel Regulari examen, & approbationem negare non posse, si ex odio, aliove iniquo fine moveatur; tum quia id adversatur charitati, & Religioni; tum quia alienum est à munere Episcopali. Minùs autem approbationem negare potest reperto per examen idoneo; tum quia, non approbando talem, saltem consequenter, & facto declararet ineptum, quod est in tali casu falsum, tum quia justè petenti, vi muneris, & officij sui, tenetur adjudicare postulatũ, secundùm merita causæ; sic ille, plura subjungens *à n.* 7.

2446. Quæstio est 2. an, & qualiter Episcopus approbationem alicui, à se datam, simpliciter possit revocare? Ex justa causa, pertinente scilicet ad confessiones, posse revocare, jam ex dictis constat *n.* 2444. secus eâ seclusâ per *n.* 2445. Cœterùm &c. 1. Regulares, ad Confessiones audiendas, prævio examine, *simpliciter*, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, *nisi nova causa, pertinente ad confessiones* (de qua *n.* 2444. dictum est) *superveniente*; ita communis *ex motu proprio Pij V. edito* 1571. ac incipiente: *Romani Pontificis*, de quo V. Castropal. *cit. p.* 17. §. 4. *n.* 13. & habetur etiam in *Constitut. Clement. X.* §. 5. *incip. superna magni.*

Dixi, *prævio examine*; nam ad hæc verba notat Castropal. *cit. n.* 13. ex Suarez *tom.* 4. *de Pœnit. D.* 28. *S.* 8. *n.* 5. *si nullo examine* præcedente aliquem Regularem Episcopus approbaverit, posse ab illo etiam examini subjici; ubi tamen notandum ly, *nullo*. Nam si, ut fieri solet in Societate, domi examinatus, per viros intelligentes idoneus judicatus, ac *ut talis*, Episcopo præsentatus, probè gnaro, non præsentari, *ut tales*, nisi revera instructos idoneitate ad hoc munus, simpliciter approbetur, non verificatur, quòd approbatus sit *nullo examine* præcedente. Dixi: Regulares *simpliciter* approbatos *ab ipsomet Episcopo* non amplius revocari posse ad examen, aut suspendi à confessionibus audiendis, *nisi superveniente nova causa, pertinente ad confessiones*. Nam, si quidem simpliciter approbati essent, sed non *ab ipsomet* Episcopo, examine prævio, vel solùm ab ejus Vicario, aut moderni Episcopi antecessoribus, contrarium tenendum videtur ex *cit. Constit. Clement. X.* §. 5. ibi: *Regulares verò, ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine, simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo (secus autem ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis) approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, nisi nova superveniente causa, quæ ad confessiones audiendas pertineat.*

2447. Ex hoc enim videtur sequi, Regulares posse revocari ad examen, vel à confessionibus audiendis suspendi per Episcopum, licèt ab ejus Vicario, vel Antecessoribus Episcopis prævio examine (non autem *ab ipsomet*) approbati sint simpliciter, & sine ulla temporis limitatione. Verùm hoc *adeò indefinitè* non sequitur. Primò enim, si Regulares, specialiter præsentati Episcopo, cum attestatione præmissi examinis, per ejus Vicarium simpliciter approbati sunt, Episcopo ad talem præsentationem id demandante Vicario, censentur prævio examine approbati ab ipsomet Episcopo; sic enim non utcunque generaliter, sed specialiter agit per suum Vicarium; consequenter per se ipsum approbâsse censetur. Secundò non procedit etiam in hoc casu, nisi superveniente nova causa, pertinente ad confessiones; cujus ratio sumitur ex *n.* 2444. Censetur autem *nova causa superveniens, & ad confessiones pertinens*, si taliter approbatus, vel physicè, vel moraliter inidoneus fiat: *Physicè*, si fiat surdus, aut mutus; *moraliter*, si scandalosè vivat, pœnitentes in errores inducat, vel seducat vitæ licentiâ &c. ut constat ex *dict. supr.* Et quamvis Zenedo *de Quæst. Canon. q.* 26. *n.* 14. ac Fumus, V. *Absolutio n.* 23. censeant, approbationem, datam Regularibus, nullatenus revocari posse, non solùm ab ipso approbante, sed etiam ab ejus successore: hoc tamen intelligendum est, *absque nova superveniente causa, quæ pertineat ad munus audiendi confessiones*, ut (præter dicta) constat etiam ex *declarat. Congregationis Cardinal.* apud Barbos. *p.* 2. *de Potest. Episcop. allegat.* 25. *n.* 30.

2448. Quæstio est 3. an integer Conventus, vel Collegium Regularium, à confessionibus audiendis, suspendi per Ordinarium possit? &c. inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse, ut constat ex *cit. Constitut. Clement. X.* §. 6. id, quod etiam expressè habetur in dicta declaratione Congregationis Cardinal. [illegible] quo sequitur, quòd Ordinarij locorum [illegible], edicto suo generali, non possint nunc ullatenus, Religiosis omnibus, suspendere approbationem, semel factam, nisi denuò examinentur; sic Castropal. *cit. p.* 17. §. 4. *n.* 14. Ratio est, quia cæteroquin omnibus simul in eodem Conventu, vel Collegio facultas audiendi confessiones adempta foret; id quod Episcopi

piscopi nullatenus possunt, etiam ut delegati Papæ, inconsulta Sede Apostolica, ut constat ex *dict. hoc num.* quibus positis:

2449. Ad objectionem in *n.* 2443. & antecedens omnino haberi in *Constit. Clement. X.* ibi relata; sed procedere solùm, quando priùs approbatos suspendit à confessionibus audiendis *propter novam causam supervenientem, concernentem munus Confessarij*; non autem, quando negat approbationem petenti; à suis Superioribus præsentato; quia ibi nulla fit mentio de hoc casu, rejiciendi ab approbatione nondum concessa, & primùm concedenda; hinc meritò negatur consequentia; cùm ea Constitutio sit odiosa, nimirum restringens privilegia Regularium Exemptorum, quæ simpliciter favorabilia sunt, utpote fundata in favore Religionis.

## §. VI.

### *An Exempti, Legi jurisdictionis Ordinariorum, subsint quoad punitionem.*

2450. QUæstio procedit in casu, quo delinquerent in loco non exempto; pro quo videtur indefinitè affirmandum, ut insinuatum est *n.* 2402. & 1. ex Trid. *sess. 6. de Reform. c.* 3. ubi dicitur, *nullum Regularem, extra Monasterium degentem, etiam sui Ordinis privilegij prætextu, tutum censeri, quò minus si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundùm Canonicas Sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.* Secundò, ex c. *Volentes, de Privileg. in* 6. ubi habetur: *exemptos ratione delicti*, contractûs, aut rei, si hæc sint inita, vel sita in loco non exempto, *conveniendos coram Ordinario*; quod Capitulum in Trid. *sess. 7. de Reform. c.* 14. non modò confirmatur, & innovatur; sed etiam extenditur, *ut procedat etiam in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum.* Tertiò, ex *eod. Trid. sess. 25. de Regularib. c.* 14. ubi dicitur, quòd Regularis *exemptus, delinquens extra Claustrum*, si à Superiore, instante Episcopo, non puniatur, *possit ab Episcopo puniri.* Loquitur autem de delicto, ita notorio, ut populo scandalo sit.

2451. Nec juvat, si cum Cajetano, Navarro, D. Antonino, Sylvestro, & alijs apud Sanchez relatis *lib. 6. Consil. moral. c. 9. d.* 1. *nu.* 24. dicas, dicto Capitulo, *volentes*, per privilegia Mendicantium derogatum esse; nam, ut rectè notat cit. Sanchez, huic responsioni clarè obstat Tridentinum proximè relatum, innovans dictum capitul. & in fine addens: *privilegijs, & exemptionibus, adversus præmissa, non valituris.* Neque dici potest cum Henriquez *l.* 7 *de Indulgent. c.* 25. *lit.* O. quòd derogato c. *volentes*, censeatur etiam derogatum illud decretum Trident. *sess. 7. c.* 14. *de quo supra.* Nam hoc dici non potest, nisi concedatur derogatio c. *volentes*, concessa post Trid. at hoc dici nequit; quia illa est multò antiquior isto; 2. Tridentinum expressè illud innovat, & post hanc innovationem nihil invenitur, quo ea derogetur: his non obstantibus.

Resp. per cit. c. *volentes* (quod concedo manere in suo robore) nihil concludi 2452. contra Regulares exemptos *exemptioni personali* quoad in ipso contenta; ita Sanchez *cit. num.* 25. & alij, de quibus infrà. Prob. quia *in cit. c. volentes, §. 6. eos autem*; expressè dicitur, *quòd in eos* (qui, ne interdici, suspendi, vel excommunicari à quoquam valeant, privilegio Sedis Apostolicæ habent) *Ordinarij* (de quibus ibi) *jurisdictionem suam, quantùm ad ista: ubicunq; illi fuerint, penitus exercere non possint*; cùm ergo quoad ea, in quibus privilegium habent exempti; contra personas *exemptas personaliter*, ubicunque delinquunt, Ordinarij jurisdictionem suam exercere non possint, necessariò prior pars dicti Capituli, exemptos subjiciens, quoad visitationem, correctionem, vel punitionem &c. si contrahant, vel delinquant extra locum exemptum, intelligi debet de exemptis *exemptione solùm locali.* Et ita tenet expressè Covarr. *quæst. pract. c.* 11. *n.* 5. *quem citat*, & sequitur Barbosa *in cit. c. volentes nu.* 3. quod maximè verum vult, ubi exemptio ita ampla, & absoluta est; ut *in omnibus*, & *per omnia* concessa dicatur non obstante *quocunque Ordinariorum præjudicio*; ita, ut nulla detur conjectura, quæ restrictionem aliquam concludat. Confirmari potest ex jis, quæ habentur *cit. §. In eos autem*, ubi dicitur, *Ordinariorum jurisdictionem quoad illos cessare in ordine ad censuras, quando Monasterium privile-*

*vilegiatum est; ut ejus Monachi censuris à quocunque affici non possint, nisi illi Monachi mitterentur ad Prioratus, subditos Ordinarijs; quia tunc etiam, licèt utrobique sint Monachi, Ordinarij etiam quoad prædicta* (nimirum censuras) *eos judicant, quamdiu ibi manent.* Ubi manifestum est, dictum capitulum, subjiciens exemptos Ordinarijs, quoad contractûs, delicta, vel res in loco non exempto, loqui de casu, quo gaudent *exemptione tantùm locali.*

Deinde, quando privilegium exemptionis ab Ordinario non definitur loco, sed inhæret personæ, non debet exemptio restringi solùm ad locum; at ubi privilegium est *personale*, non definitur loco, sed inhæret personæ; ergo non debet exemptio talis personæ restringi solùm ad locum, sed vim suam habet ubique; ergo etiamsi contrahat, vel delinquat in loco non exempto; at tale privilegium personale habent Mendicantes, ut notat Sanchez *cit. nu.* 25. ergo. Major probatur. Nam in c. *Capella de privilegijs*, ubi, cùm Capellani capellæ, quæ habebat privilegium, ut ejus Capellani non possent excommunicari, prætendissent *etiam in alijs*, non *concernentibus dictam Capellam*, exemptionem ab Ordinario: respondit Papæ: servandum esse privilegium *in quantum exempti sunt ratione Capellæ*, seu ratione illius loci; non tamen in alijs; ergo quando quis *non ratione loci*, sed simpliciter, & *ratione sui* est exemptus, exemptio non debet restringi ad solum locum.

2453. Ex dictis colliges 1. Regulares Ordinum Mendicantium eximi ab omni specie jurisdictionis, & causarum, & jurium, tam in rebus, aut personis; quàm in causa mixta, ex re, & persona; adeóque ab omni jurisdictione Ordinariorum, mediata, aut immediata; principali, vel accessoria; quia gaudent exemptione universali, ut constat ex dictis; ita Sanchez *cit. nu.* 22. & apud eum Henriquez *cit. c.* 25. *nu.* 4. Secundò Regulares Ordinum Mendicantium, quoad contractus initos, delicta commissa, vel res sitas in loco non exempto, non subjici locorum Ordinarijs, quà talibus, quoad jurisdictionem, & forum. Nam, ut constabit ex sequentibus, rationes in contrarium loquuntur solùm de exemptis *localiter*, seu ratione loci. Hinc esto Prælatus Regularis sit negligens in correctione personarum exemptarum; non propterea devolvitur potestas corrigendi ad Ordinarium, seu Episcopum loci. Nam Episcopus in exemptos *personaliter* nullam habet jurisdictionem ordinariam; hoc enim importat *exemptio*; de jurisdictione autem delegata, dicemus in seq. Et ideo potestas corrigendi eo casu devolvitur ad Superiorem Regularem, cui subest Prælatus negligens; sic gloss. *in c. gravi, de offic. Ordinar. v. corrigere*; Decius in c. *ad hæc, de privilegijs, nu.* 8. & alij.

Colliges 2. processum Episcopi contra 2454
Regulares *personaliter* exemptos, sive intra, sive extra, sive contra personas, sive contra res earum, ipsamque sententiam, & inde secuta (qualiscunque sit causa, civilis, criminalis, vel spiritualis) ipso jure esse nullum. Nam ab eo gesta, censentur gesta, *tanquam à privata persona*; cùm nullam prorsus habeat jurisdictionem in illos; sic Henriquez *cit. c.* 25. *n.* 5. quem citat, & sequitur Sanchez *nu.* 27. Hinc etiam censuræ, contra personaliter exemptos ab Episcopo, etiam ignorante privilegium exemptionis personalis, latæ, ipso jure nullæ sunt; nam avocatio causæ cum decreto irritante, facit, ut acta à Judice prohibito, quantumvis ignorante, sint ipso jure nulla; cùm sic pro tali causa destituatur omni potestate, & jurisdictione; id, quod multis probat Covarruvias *quæst. practic. c.* 9. *nu.* 7. sed privilegium exemptionis ab Ordinario, ne in taliter exemptos censuram ferre possit, est avocatio causæ; ergo quando simul affert clausulam irritantem; ipso jure nullæ sunt ejusmodi censuræ in *personaliter* exemptos ab Episcopo, etiam ignorante privilegium exemptionis latæ, quando privilegium habet talem clausulam irritantem.

Talem porro clausulam habet privilegium nostræ Societati concessum à Paulo III. anno 1549. ibi: *nec ullis Prælatis contra aliquem de Societate, vel contra alios, eorum causa, aliquam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam ferre liceat; & si tulerint, eo ipso irrita, & nullius roboris sit.* Idem habet Compendium Minorum, V. *Exemptio, nu.* 23. Et in tali casu, censuram ab Episcopo latam *in neutro foro* servandam esse, docet

expres-

expresè Sanchez *cit. num.* 28. quia, ubi sententia est nulla defectu jurisdictionis inferente censuram, in neutro foro servanda est censura. Sic enim idem est, acsi ferretur à privato; at in præsenti casu est nulla defectu jurisdictionis inferente censuram, ut liquet *ex num. præced.* ergo. Et hæc de potestate Ordinariorum, *quà talium*, respectu exemptorum in his, in quibus exempti sunt. Cæterùm si Ordinarij locorum considerentur, in quantum illorum jurisdictioni, non *ut Ordinarijs*, sed *ut delegatis Apostolicæ Sedis*, Tridentinum subjicit Exemptos, plura sunt, in quibus eis, *ut delegatis* subsunt; quæ enumerat Sanchez *lib. 6. consil. moral. c. 9. dub. 2.*

## §. VII.

### *In quibus casibus Exempti subijciantur Ordinarijs locorum, ut delegatis Papæ?*

2455. POtissima quæstio est in casibus, in quibus subjiciuntur *vi Tridentini*, & diximus enumerari à Sanchez cit. sunt autem sequentes 1. quòd *prædicare non possint sine Episcopi licentia*, per Trid. *sess. 5. c. 21. & 24. c. 4. de Reform.* Deinde, quòd nequeant audire confessiones sæculariũ sine Episcopi licentia, *per sess. 23. c. 15. de reform.* Tertiò, *quòd si extra claustrum degant, ibique delinquant, possint ab Episcopo puniri, per sess. 6. cap. 3. de reform.* & per sensum contrarium, *ex sess. 25. c. 14. de Regularib.* Quartò, *quòd possint conveniri coram Episcopo in causis mercedum, & miserabilium personarum; & si non habent Conservatorem deputatum in tali loco, in omnibus causis civilibus*, per Trid. *sess. 7. c. 14. de Reform.* Quintò, *quòd, si exemptus intra Monasterium degens, deliquerit extra Monasterium, ita notoriè, ut populo scandalo sit, teneatur Abbas Episcopo instante, intra tempus ab Episcopo præfigendum, severè punire, ac de punitione Episcopum monere; secus talis delinquens puniri potest ab Episcopo*, per Trid. *sess. 25. c. 14. de Regular.*

2456. Sextò, *quòd non possint celebrare in Oratorio, nisi ab Episcopo designato, & debitis horis: & contra facientes oppositum, possit Ordinarius procedere per censuras, & alias pœnas:* & similiter, *si in missa aliquas ceremonias superstitiosas observent, vel alia, quæ Episcopo indecentia sacrificio videantur*, ut habetur in Trid. *sess. 22. decreto, de observand. & vitandis in celebratione missæ.* Septimò, *quòd Ordinarij possint examinare ad Ordines recipiendos;* Trid. *sess. 23. c. de reform.* Octavò, quòd si aliquos matrimonio conjunxerint, vel jam conjunctos benedixerint, id est, velârint, sint suspensi, si sine licentia Ordinarij, vel Parochi id faciant, donec Ordinarius ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, aut sponsos benedicere, eos absolvat, Trid. *sess. 24. de reform. matrimonij.* Nonò, quòd, si exempti turbent, & impediant jurisdictionem Ordinarij, possit contra illos per censuras procedere; & sic obtentum est contra Moniales exemptas, quæ conjugatam injustè, renitente viro, intra claustrum tenebant. Sic Salzedo, multos allegans *pract. Canonica, c. 3.* Decimò, quòd sine mandato sui Superioris in scriptis *obtento reperti extra Monasteria, puniri possint ab Ordinario: &, si studiorum causâ ad Universitates mittuntur, in conventibus habitare debeant, alioquin ab Ordinario contra eos procedi debet*, ut expresè habetur in Trid. *sess. 25. de Regular. c. 4.*

Undecimò, *quòd Moniales exemptas possit cogere Episcopus ad clausuram*, Trid. *ibid. c. 5.* 2457. Duodecimò, *quòd, si Monasterium, sive virorum, sive mulierum, habeat curam annexam personarũ sæculariũ, præter illas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, Religiosi exercentes hanc curam, subsint immediatè in his, quæ ad dictam curam, & administrationem Sacramentorum pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus diœcesi sunt sita*, quòd nunc renovatum est per novam constitutionem Gregorij XV. publicatam Romæ die 8. Februarij anni 1623. Decimotertiò, *quòd non possint ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputari, nisi de Episcopi consensu, & prævio examine*, ut habetur in Trid. *dict. sess. de Regular. c. 11.* cum quadam exceptione, quæ ibi ponitur. Vide Trid. *sess. 7. c. 7.* Decimoquartò, *quòd teneantur servare interdicta, & censuras ab Ordinario positas, ac ipso mandante, in suis Ecclesijs publicare;* item

*servare festa ab Ordinario posita*, Trid. *sess. 25. de Regular. c. 12.*

2458. Decimoquintò, *quòd Locorum Ordinarij possint, omni appellatione postposita, componere controversias omnes de præcedentia, quæ oriuntur inter Regulares, & sæculares tum in processionibus publicis, tum etiam in his, quæ fiunt intumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbella, & alijs similibus; & quòd possint compellere omnes exemptos, ut ad publicas processiones confluant, his tamen exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò vivunt;* sic habetur in Trid. *dict. sess. 25. de Regul. c. 13.* Decimosextò, *quòd Novitij eorum non possint bona renuntiare, nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarij, & hoc per duos menses ante professionem, & si Novitij ante professionem velint abire, possit Episcopus compellere, ut omnia, quæ sua erant, eis restituantur;* Trid. *sess. 25. de Regular. c. 16.* Item *quòd si puella major 12. annis velit ingredi Religionem, non possit ingredi, nec postea profiteri, nisi Episcopus, vel ejus Vicarius, eo absente, vel impedito, exploret ejus voluntatem, an coacta, vel seducta sit: & sciat, quid agat,* Trid. *ibid. c. 17.* item, *quòd si exemptus alleget, se vi emisisse promissionem, vel ante ætatem debitam, debet causas allegare coram suo Superiore, & Ordinario,* Trid. *cit. c. 9.* Hæc Sanchez *cit.* ex Trid. suis ubique locis citato. Sed plura sunt in his ipsis Tridentini dispositionibus tam ex mente ipsius Concilij, quàm alijs Regularium privilegijs moderanda. Quare

2459. Not. 1. qualiter intelligendum veniat, Regulares exemptos, quoad *facultatem prædicandi*, à Tridentino subjici locorum Ordinarijs, ut delegatis Papæ, dictum esse *à nu. 2406. quoad approbationem*, verò, Regularibus exemptis necessariam, ad audiendas confessiones sæcularium, accipiendam, ab Ordinarijs locorum, nihil esse statutum speciale de illis, *consideratis etiam ut delegatis Papæ*, nisi quod dictum est *à n. 2412.*

Not. 2. Regulares, solùm *localiter* exemptos à jurisdictione Ordinariorum, in his, in quibus exempti sunt, vi Tridentini non subjici jurisdictioni Ordinariorum localium, etiam ut delegatis Papæ, dum sunt in loco illo exempto, quantùm ex *vi c. volentes*, de quo suprà, ut constabit *ex nu. seq.* secus est, dum sunt extra locum exemptum, sed juxta *nu. 2450.* Exemptos autem *personaliter*, *vi c. volentes*, non subjici jurisdictioni Ordinariorum localium, etiam ut delegatorum Papæ, quoad contractus initos, delicta commissa, vel res sitas in loco non exempto, patet *ex n. 2452.* dixi *vi c. volentes:*

Nam, an non saltem, *vi Tridentini sess. 7. c. 14. de quo suprà*, dubitari potest? Resp. etiam in hoc negativè, in quantum Concilium citato loco innovat dictam constitutionem c. *volentes*, sic enim quoad contenta in illo plus non petit, quàm ipsum constituat; at ipsum in prædictis, per contenta in illo, nihil constituit quoad exemptos *personaliter*, ut probatum est *à n. 2452.* ergo *nec vi Tridentini* locorum Ordinarij, quoad contenta, in c. *volentes*, ut delegati Papæ plus possunt, quàm in eo contineatur; at ibi nihil continetur quoad exemptos *personaliter*, ut dictum est; ergo; ita Sanchez *cit. l. 6. c. 9. d. 1. n. 25.*

Ex hoc patet responsio ad contrarium fundamentum in *nu. 2450.* Nam ad illud decretum, quod retulimus ibid. Resp. cum Sanchez *cit.* quando jubet observari *cit. c. volentes*, plùs non velle, quàm Regulares, solùm *localiter* exemptos, quando delinquunt in loco non exempto, posse puniri à loci Ordinario; non autem exemptos *personaliter*. Et quoniam Concilium innovans c. *volentes*, quoad in illo contenta, illud extendit ad civiles causas mercedum, & miserabilium personarum, in his quoque non aliter gravare videtur exemptos, quàm in illis, quæ continentur in c. *volentes;* sed quoad contenta in c. *volentes* non gravantur, nisi exempti solùm *localiter*, non autem *personaliter*, ut constat ex dictis; ergo nec in dicta extensione: sic expresè docet Barbosa *in cit. c. 14. sess. 7. num. 9.* citans pro se Aldrete *in allegat. pro omnimoda Regularium exemptione p. 1. c. 8. nu. 17.* & complures alios.

2460. Nec obstat decretum Tridentini *sess 6. c. 3. de quo suprà*, Exemptos, qui, cùm degunt extra claustrum, delinquunt, non obstantibus privilegijs sui Ordinis, subjiciens punitioni, & correctioni Ordinariorum localium; nam hoc non ita indefinitè procedit, ut vult prima ratio in *num. 2455.* Primò enim non intelligitur, si delin-

delinquant extra clauſtrum, *ibi degentes de licentia ſui Prælati.* Nam Monachus dicitur *habitare intra Monaſterium*, quando ex licentia ſui Prælati degit extra Monaſterium, ut docet Abbas antiquus c. *cùm illorum, de ſent. excom.* Panormit. *c. Ex reſcripto, de Jurejur. n.* 5. Angelus, Sylveſt. Navarr. & Henriquez, quos citat, & ſequitur Sanchez *n.* 4. ergo procedit ſolùm in caſu, quo exemptus *ſine licentia ſui Prælati*, degit extra locum exemptum, ibidemque delinquit. Deinde idem decretum non videtur aliud velle, quàm decretum *ſeſſ.* 25. *de Regular. c.* 14. quod jubet, ut Religioſus publicè, ac notoriè ita delinquens extra Monaſterium, ut populo ſcandalo ſit, puniatur à ſuo Abbate ad inſtantiam Ordinarij; & ſi ab eo non caſtigetur, ſic requiſito, poſſit ordinarius punire.

2461. Barboſa quoque (cæteroquin non magnus admodum Patronus Regularinm) *in cit. loc.* Trid. *ſeſſ.* 6. *de Reform. c.* 3. refert ex Aldano *in compend. canon. reſolut.* 8. Febr. 1601. deciſſum eſſe, quòd Canonicus Regularis, juſſu ſui Superioris degens in ædibus Parochialis Eccleſiæ, ſuæ Congregationi unitæ, in qua curam animarum exercet, & Sacramenta adminiſtrat, non poſſit ab Epiſcopo puniri vigore hujus decreti (de quo *nu.* 2455.) quaſi extra Monaſterium degat, ſi delictum ibi commiſſum non concernat curam animarum, vel Sacramentorum adminiſtrationem. Imò textum illum in c. 3. de quo ſuperiùs (ubi dicitur exemptos, in loco non exempto delinquentes, puniri poſſe ab Ordinario loci) expreſsè limitant Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 33. *à. n.* 22. Miranda, Portel, Villalobos, & alij apud Barboſ. *cit. nu.* 7. volentes, eam punitionem, & correctionem, fieri non poſſe per cenſuras. Et ex his patet ſolutio ad rationem in *n.* 2455.

2462. Ad illud autem, quod retulimus ex c. 14 *ſeſſ.* 25. *de Regular.* notandum, texum non loqui *de qualicunque delicto notorio, ſed ita notorio, ut populo ſit ſcandalo;* & quidem comiſſo extra clauſtrum, ſeu locum exemptum; Superiorem autem ab Epiſcopo monitum depuniendo delinquente, ſatisfacere, ſi intra tempus præſcriptum de punitione ipſa, & ſententiæ executione Epiſcopum certiorem faciat, ut notat Barboſa *in cit. loc.* Trid. *nu.* 10. ubi nota, nullam in decreto Conciliari mentionem fieri, quòd talis Superior debeat Epiſcopum certiorem facere *de qualitate* pœnæ.

Si quæras, an hæc Tridentini decreta 2463.
vim ſuam adhuc obtineant reſpectu eorum, qui poſt Tridentinum per ſpecialia privilegia exempti ſunt *ab omnimoda* jurisdictione Ordinariorum, Delegatorum, & aliorum Judicum, maximè cum clauſulis efficaciſſimis, ac de plenitudine poteſtatis, motu proprio, & ex certa ſcientia, omnibus omnino contrarijs expreſsè derogantibus, eſto, ad ſui derogationem, ſpecificam mentionem exigerent, aut derogationi aliàs non ſubjacerent, niſi de verbo ad verbum, literis contrarium ſtatuentibus, inferantur. Sed hoc aliorum conſiderationi relinquo; videri tamen poſſunt dicta ſuprà.

Not. 3. quod attinet jus celebrandi in 2464.
oratorio non deſignato abEpiſcopo, & horis ſolùm non conſuetis, ut dicitur *n.* 2456. intelligendum, *ſecluſis privilegijs, non obſtante diſpoſitione Tridentini conceſſis* à Summo Pontifice, ut notatur apud Barboſam *in cit. Trid. decreto, de obſervand: & vitand: in celebrat. Miſſæ, ſeſſ.* 22. *c.* 8. *n.* 17. Nam intentio Concilij ſolùm eſt, *tollere abuſus*, ut rectè notat Barboſa *cit. n.* 16. abuſus autem dici non poteſt uſus privilegij à Sede Apoſtolica conceſſi; præterquam, quòd clauſula derogatoria, quæ ibi ponitur, ſit *merè generalis*, quæ non derogat juri ſpeciali. Qualiter autem intelligenda veniat ſubjectio exemptorum quoad examen prævium recipiendis Ordinibus, conſtat ex dictis à *n.* 2446. præſertim *n.* 2447. Quod verò *n.* 2456. dicitur *de Regularibus, ſine mandato ſui Superioris, in ſcriptis obtento, repertis extra Monaſteria*, expoſitum eſt ſupra *num.* 2460. & decretum hoc intelligendum eſſe duntaxat *de receſſu à Monaſterio, non qualicunque*, qualis eſt, ſi quis iret ad Superiorem propter graves vexationes immediati Superioris, cum pluribus docet Barboſa *in cit. c.* 4. *ſeſſ.* 25. *de Regular. n.* 9. & *ſeq.* Ea verò, quæ *n.* 2458. dicuntur *de proceſſionibus publicis*, intelligenda veniunt de his, qui exempti non ſunt ab ejusmodi ſupplicationibus, qualiter Gregorius XIII. perpetuò exemit Societatem JEſu, per con-

constitutionem anni 1576. ut rectè notat Sanchez *l. 6. Consil. mor. c. 9. d. 2. n. 12.*

2465. Dices: Concilio generali non derogatur, nisi facta ejus mentione; sed Gregorius, *in cit. constitutione*, nullam facit mentionem Concilii Tridentini; ergo per eam Concilii decreto nihil derogatum est; R. 1. majorem valde probabiliter negari, ut constat ex dictis alibi. Resp. 2. N. min. Nam ex proœmio dictæ constitutionis satis colligitur contrarium; dicit enim ibi: *quidam, forsitan moti auctoritate Tridentini &c.* & statim *ex certa scientia* subjungit privilegij concessionem, ut notat Sanchez *cit. n. 12.* & fusiùs Henriquez *de indulgent. c. 26. à n. 3.* Quæ verò tum in *n. 2458.* tum alibi, dicuntur de Novitiis, ea non habent indefinitè locum in Novitijs Societatis, ut liquet ex *cap. 16. sess. 25. de Regularib.* ibi: *per hæc tamen Sancta Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis JEsu, juxta pium eorum institutum, à Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & ejus Ecclesiæ inservire possit.*

## §. VIII.

### *An Regulares Exempti ad ea, in quibus subjiciuntur Ordinarijs locorum, possint compelli censuris?*

2466. REsp. non posse, nisi expresè in aliquo decreto, exemptos subjiciente Episcopo, caveatur, ut contra illos possit per censuras procedere; ita Thom. Sanchez *l. 6. Summæ c. 1. à n. 14. & l. 7. matr. D. 33. n. 22.* Nam vi decretorum Tridentini non possunt contra Exemptos plus, quàm ibi exprimatur in delegatione. Neque dicas: juxta *gloss. in cit. c. grave, V. literarum*, dicitur, quòd Judex, de quo in illo c. agitur, non potuit procedere contra exemptos, quia procedebat *ut Ordinarius, non ut delegatus*; ergo clarè indicat; secus esse, si procedat ut delegatus. R. ut quæstio *loc. cit.* proposita resolveretur, quòd non debitè processerit ille Ordinarius, satis fuisse, quòd ostenderetur, eum processisse ex potestate, quæ non extenditur ad tales personas, nempe ex potestate *Ordinaria*, contra *Exemptos*; hinc dist. conseq. ergo clarè indicat, secus esse, nimirum rectè procedere etiam contra exemptos, si procedat ut delegatus secundùm formam, qua exempti, pro tali casu ei subjiciuntur, C. secus N. *conseq.*

Præterea quæres 1. an Ordinarij locorum, tanquam Judices Papæ, delegati ad corrigendum Clericos, possint procedere contra Regulares Exemptos non facta mentione *de exemptis?* R. negativè; sic Felinus in c. *grave, de Offic. Ordin. n. 3.* Navarr. *l. 3. Consil. de Regular. Consil. 21. n. 4.* Nam in odiosis appellatione *simplicis* non venit *simplex qualificatum*, ex c. *statutum, de elect. in 6.* ubi Bonifacius VIII. statutum, ait, felicis recordationis Gregorij X. Papæ Prædecessoris nostri de iis, qui ad parœcialium Ecclesiarum regimen assumuntur, promovendis ad Sacerdotium intra annum, alioquin eisdem Ecclesiis privandis *quod (cùm sit pœnale) restringi potiùs convenit, quàm laxari*: declaramus ad Collegiatas Ecclesias, etiamsi aliàs parœciales extiterint, & assumptos ad earum regimen, non extendi: sed antiqua jura servari debere potiùs in eisdem: sed ea dispositio, delegans correctionem criminum, odiosa est, & loquitur solùm *de Clericis*, sine qualitate, adeóque simplicibus; ergo non venit intelligenda *de Clericis affectis qualitate, exemptionis*, præsertim, qui privilegio exempti sunt etiam à *Judicibus delegatis*, ut habet nostra Societas in Bulla Gregorij XIII. anni 1584. incipiente: *Ascendente &c.* 2467.

## §. IX.

### *An Regulares Exempti teneantur locorum Ordinarijs exhibere privilegium exemptionis?*

REsp. 1. communem esse Doctorum, quòd teneantur exhibere, quando exemptio *non est notoria*; quia Exemptos teneri exhibere Ordinarijs intra terminum ab ipsis præscriptum privilegia exemptionis, habetur c. *cùm personæ, de Privil. in 6. junct. gloss. V. tradere*; cujus ratio est, quia secus præsumitur pro eorum subjectione; cùm Episcopus intentionem suam, in materia subjectionis, respectu omnium, qui sunt in ejus diœcesi, fundatam habeat in jure communi, nisi *probent se exemptos*, qui se tales dicunt, ut constat ex dictis superiùs: Dixi, *quando exem-* 2468.

*exemptio non est notoria*; secus enim etiam citati ab Ordinario, non tenentur, coram privilegium exemptionis exhibere; ita Navarr. c. *cùm contingat, de Rescript. causa* 6. *n.* 6. Henriquez *l.* 7. *de Indulgen. c.* 25. *n.* 6. & complures alij, 1. ex c. *si duobus*, 7. *de Appellat.* ubi dicitur: quòd si quis appellavit ad Papam, & citatus à Judice suo non comparuit, nec responsalem dedit, excommunicatio contra eum lata teneat, pro contumacia, *nisi Judex sciret eum appellâsse.* Ubi *gloss. V. nisi*, ait: si notum ei erat, quòd non erat de sua jurisdictione, nec tenet sententia, nec tenebatur comparere. *Quia qui scit, certiorari non debet.* Nam notoria probatione non egent. Ex hoc colliges, cùm privilegium exemptionis, quo gaudent Mendicantes, *sit notorium*, præsertim propter longam possessionem, quâ in eo privilegio, ac usu sunt, nec citatos ab Ordinario teneri comparere, id, quod sequitur ex *præced.* sic Henriquez *cit. à n.* 7. *lit. F.* Sylvester V. *Exemptio q.* 7. & alij; præsertim, cùm habeant privilegium, relatum à Tabiena, V. *Exemptus*, & Armilla, V. *Exemptio*, quòd non teneantur exemptionem suam, utpote notoriam, allegare. An autem Ordinarij eos censuris ad hoc cogere possint? diximus *n.* 2466. Colliges 2. quòd Exempti per Sedem Apostolicam à jurisdictione Ordinarij, non teneantur ad *jus reverentiale* ipsi Ordinario; & ideo in introitu Episcopi non teneantur ire obviam illi, & honorem, quem alij faciunt, præstare; sic Paulus de Castro *in L. fin. C. de bonis Libert.* apud Sanchez *l.* 6. *Consil. moral. c.* 9. *d.* 2. *n.* 36. Colliges 3. quòd nullus Ordinarius, invito Prælato, & Regularibus, in Ecclesiam exemptam convocare possit processiones, celebrare Ordines, aut publicas missas, vel alia Officia Divina; nec ibi exercere judicia; quorum omnium ratio est; quia exemptio ab ejus jurisdictione in Ordine ad ejusmodi actus ei obstat; sic Henriquez *cit. c.* 26. *qui c.* 25. *n.* 9. latè probat, quòd Episcopus non possit visitare Regulares exemptos; sed Prælatus Regularis.

## §. X.

### *An Exemptio Regularium sit odiosa, & ideò restringenda?*

AFfirmativam prosequitur Author libelli, cui titulus: *Epitome quæst. selectorum de Juribus Ordinarij, & Exemptorum, p.* 1. *q.* 1. quamvis apponat aliquas deinde limitationes ad finem, ut non procedat 1. si exemptio *restricta* careret effectu; 2. si sit ex causa onerosa, non aliunde compensata; 3. quando vitandam restrictionem suadet æquitas; 4. si exinde sequeretur absurdum: 5. respectu eximentis. Ratio ipsius est, quia talis exemptio est *odiosa* 1. quia est recessus à jure communi, & præjudicans jurisdictioni Ordinariæ, quæ est valde favorabilis, & intentionem suam habet fundatam in jure communi ubique, & in omnes suæ diœcesis, per c. *cùm Episcopus, de Offic. Ordin. & c. omnes Basilicæ*, 16. *q.* 7. 2. quia juri communi, tanquam publicæ pacis, & tranquillitatis causâ constituto, magis favendum est, & statuta illi contraria, quoad fieri potest, strictè accipienda, & ad illud redigenda, c. *cùm dilectus* 8. *de Consuet.* sed tale quid sunt exemptiones, cùm sint recessus à jure communi, &, ut loquitur Trid. *sess.* 24. *c.* 11. *de Reform. inde perturbationes, & dissolutiones excitentur.* 3. quia dispositio, in qua concurrit simul *favor*, & *odium*, simpliciter odiosa censetur; at hoc habet exemptio Regularium. Continet enim *odium*, ut ex præmissis constat; *favorem*, cùm respiciat favorem Religionis, ut communiter docent contrarij; ergo. 2469.

Verùm contrarium (nempe privilegium, exemptionis esse simpliciter *favorabile*, consequenter non strictè, sed latè accipiendum) multò probabilius est; ita Suarez *l.* 8. *de Legib. c.* 27. *à n.* 7. Sanchez *l.* 6. *Consil. moral. c.* 9. *d.* 1. *n.* 40. Henriquez *cit. l.* 7. *de Indulg. c.* 25. *n.* 6. Quia dispositio, quæ *directè* intendit favere, simpliciter favorabilis est, licèt indirectè alius gravetur, quando sic disponens novit gravamen inde subsequens alteri, ut probavimus *supra à n.* 551. sed exemptio Regularium *directè* intendit favere 2470.

Regularibus, & quidem ob favorem totius Religionis, propter magna ejus merita, vel præstita, vel præstanda Ecclesiæ DEI, ut constat ex ipsis decretis eorum exemptionis: ergo. Nec rationes in contrarium intentionem suam probant. Omnino enim negatur, exemptionem Regularium *odiosam esse*. Nam ista dispositionis qualitas unicè desumenda est *à fine directè intento*, qui unicè est, favere, propter magna talis Religionis merita in Ecclesiam DEI, summis Pontificibus per hoc specialiter intendentibus ejusmodi Religiones conservare, ac remunerationibus istis, ad DEI gloriam in Clero, & populo propagandam, non solùm promovere; sed etiam ab infectationibus protegere, ipsis soli Sedi suæ quoad subjectionem reservatis.

2471. Ad 1. prob. R. intentionem Episcoporum pro subjectione omnium in sua diœcesi, etiam Regularium, *esse omnino fundatam in jure communi, at non absolutè, sed solùm sub conditione*, in ipso etiam jure communi expressa, *nisi probent se exemptos*, ut clarè constat ex *dict.* superiùs; vel privilegium exemptionis notorium sit, ut notavimus *nu.* 2468. malè autem Author Epitomes, de qua supra, allegat c. *cùm Episcopus, de Offic. Ordinar.* ex eo intendens probare, jure communi *absolutè* Regulares omnes, intra Episcopi diœcesin physicè existentes, subjectos esse locorum Ordinariis: nam hoc capitulum, prout ab ipso citatur, nullo loco illius tituli reperitur, extra sextum.

2472. Ad 2. rationem in contrarium in *num.* 2469. R. data majore. N. *min.* 1. quia omnino negatur exemptionem Regularium *esse recessum à jure communi*, hoc vulnerantem, seu lædentem, ut constat ex *n.* 2471. Minùs rectè dicitur, eam esse contrariam, seu damnosam juri communi; cùm omnino certum sit, longè rectius, & utilius esse bono communi, in Ecclesia DEI esse quarundam Religionum exemptionem à locorm Ordinarijs, quam subjectionem, ut liquet ex innumeris fructibus animarum, qui non rarò, si Pontifici immediatè subjecti non forent, nunquam evenissent. Quod ibid. dicitur: per has exemptiones *excitari perturbationes, & dissolutiones*, ex Tridentino *sess.* 24. *de Reform. c.* 11. prorsus malè applicatur *exemptioni Regularium Mendicantium*. Textus enim clarè loquitur de *exemptionibus eorum, qui honorarijs titulis* (*Protonotariatus, Acolytatus, Comitis Pallatini, Capellani Regij* aut aliis hujusmodi) in Romana Curia, aut extra, decorantur, quibus eo titulo exemptio indulgetur, de quo plura Barb. *in cit. c.* 11.

Ad 3. in *n.* 2469. R. N. ma. *ex dict.* 2473
Nam, ut sæpe dictum est, ratio dispositionis *favorabilis*, vel odiosæ non rectè sumitur, nisi *à fine directè intento* à disponente; qui, si sit, ei, cui aliquid concedit, *directè favere*, vel beneficium, aut gratiam præstare, dispositionem reddit *simpliciter favorabilem*, esto per accidens, & indirectè gravet alium; cùm hoc habeat omnis favor directè factus uni, quin propterea simpliciter contineat odium, quòd alios indirectè gravet, seu obligationem imponat, ne illum in usu suæ concessionis impediant, cujus intuitu, aut titulo, dispositio rectè dici possit simpliciter odiosa.

Præter hæc not. exemptiones Regularium non necessariò intelligi debere ad terminos Concilij Tridentini, *nisi huic specificè, ac formaliter, & in individuo derogetur*. Nam 1. hoc non habet locum, ubi Tridentinum per clausulam solùm generalem (*non obstantibus privilegijs*) derogat privilegio exemptionis concesso *in remunerationem*, vel *titulo oneroso*, aut cum clausula, *ut derogari non possit, nisi de verbo ad verbum illorum fiat expressa mentio*: ut docet Castropalaus *p.* 1. *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 21. §. 4. *à. n.* 3. & apud illum Sanchez, Suarez, Salas, Azor & alij; quia tunc indigent derogatione *speciali*, saltem tacita, qualis foret sub hac clausula; *non obstantibus privilegijs sub quacunque forma concessis*; aliàs hæc verba (*sub quacunque forma*) forent superflua; cùm tamen verba aliquid operari debeant, ut dicitur c. *si Papa, de privileg. in* 6. Ratio autem est, quia ut rectè notat Castropalaus *cit. n.* 6. & apud eum Garcia *p.* 4. *de benefic. c.* 5. *à nu.* 30. non est, unde dicatur, *Tridentino non derogari per privilegia post illud concessa*, nisi fiat ejus vel generalis, vel specialis mentio, cùm in decreto ultimo ejusdem Concilij (ut notavimus suprà) *sess.* 25. declaretur; *omnia in dicto sacro Concilio statuta de morũ reformatione & Ecclesiastica disciplina, ita decreta fuisse, ut in his salva semper*

*semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.*

2475. Ex hoc enim sequitur, quòd, cùm Pontifex aliquid decernit in favorem alicujus Religionis, per ejusdem exemptionē non contradicat Concilio, aut eis decretis; cùm omnia, quæ in illis statuta sunt, habeant conditionem, *nisi Pontifex aliud velit*, ut liquet ex illis verbis: *salva semper authoritas Sedis Apostolicæ.* Quod confirmari potest ex motu proprio Pij V. (apud Garciam cit.) edito 1570. quo declaravit, *neque speciali, neque generali derogationæ Concilij Tridentini* opus esse in quibusvis concessionibus Apostolicis, propria manu Papæ signatis: jura autem, & privilegia Societati Iesu concessa esse *in remunerationem meritorum*, manifestum fit legenti constitutiones Apostolicas, quibus ejus institutum, & privilegia, vel conceduntur, vel confirmantur; quòd cumprimis liquet ex Gregorij XIII. constitutione: *quanto fructuosius*, &: *Ascendente Domino*; cui meritò adjungi potest, quod dixit ipsum sacrum generale Concilium Tridentinum, cujus verba retulimus *n.* 2465.

2476. Ex hoc sequitur 2. privilegio exemptionis, Regularibus concesso, post Tridentinum, absque speciali derogatione Tridentini, non obstare clausulam, quam interdum apponunt Summi Pontifices, in concessionibus, vel confirmationibus privilegiorum post Tridentinum, qua revocant, vel limitant concessiones contra dispositа in Trid. nimirum *dummodo decretis Concilij Tridentini non adversentur.* Nam ut *num.* 2475. dictum est, indulta Summorum Pontificum post Tridentinum, non obviant, seu non contradicunt illius Concilij decretis, ex hoc, quòd careant speciali mentione, ac derogatione illius Concilij. Quòd, si dicas per hanc sequelam inutilia & superflua reddi ea verba: *dummodo decretis Tridentini non adversentur*; R. N. id sequi 1. quia suum effectum habent in his, quibus specificè derogavit Tridentinum; 2. quia sufficit, quòd derogarent, si quæ Tridentino contraria reperirent; cùm sæpe contingat, quædam ante Tridentinum concessa, ejusdem decretis subsecutis adversari, nec exprimi in supplicationibus pro confirmatione.

## §. XI.

*An Exemptio concepta sub verbis:* ab omni jurisdictione totaliter eximimus, *intelligatur etiam de jurisdictione, quam Ordinarij habent jure speciali?*

RESp. affirmativè. Nam stante salva 2477.
jurisdictione Ordinariorum, etiam de jure speciali competente ipsis, non maneret verum, per illam exemptionem Ordinarijs, relatè ad taliter exemptos, sublatam esse jurisdictionem *omnino*, & *totaliter*; qualiter non maneret verum, si penes eos remaneret jurisdctio voluntaria. Sic enim eo ipso remaneret *aliqua*, & *aliquo modo* competentiæ, quo falsum evaderet sublatam *omnem*, & *aliquo modo competentem.*

Hinc etiam not. exemptionem generaliter concessam non limitari per subsequentem expressionem aliquorum actuū, aut casuum; tum quia sæpe contingit, ejusmodi actus exprimi solùm exempli causa, vel ad efficacius significandam voluntatem eximentis, præsertim in quibusdam materijs, quibus Ordinarij cæteroquin magis se opponunt, aut exemptorū quies exigit: tum quia in materia tam favorabili, qualis est exemptio Regularium *ex num.* 2470. lata interpretatio tenenda est. 2478.

Not. 2. sub exemptione à superioritate, & jurisdictione *quorumcunque Ordinariorum*, etiam venire Ordinarios, per ordinem ad jurisdictionem, quam habent *ut delegati Papæ*, nisi hæc firmetur per clausulam ejusmodi exemptioni non merè generaliter, sed specificè derogantem, saltem tacitè juxta dicta *n.* 2474. Nam talis Ordinarius, habens jurisdictionem delegati Pontificij, est *aliquis Ordinarius*; ergo venit sub his terminis *quorumcunque Ordinariorum*; ergo etiam ad eum extendit se dispositio illa exemptionis, utpote singulariter favorabilis *ex n.* 2470.

Nec obstant, quæ Author Epitomes, de qua *n.* 2469. affert in contrarium *p.* 1. *q.* 9. Nam licèt verum sit, *quòd in generali concessione non veniant ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, ut dicitur in c. *in generali*, 81. *de Regul. jur. in* 6. non tamen probat, quòd Pontifex, 2479.

*totaliter* eximens aliquem à superioritate, & jurisdictione *quorumcunque Ordinariorum*, , cum clausula, motûs proprij, & ex certa scientia, non esset verisimiliter in specie exempturus etiam ab iis, qui habent jurisdictionem ordinariam, ut delegati Papæ; cùm oppositum facere potuerit, & non fecerit. Neque per hoc sibi præjudicare voluit, concedendo ejusmodi exemptionem; sed potiùs jurisdictionem, quam sibi, ac sanctæ Sedi immediatè reservavit, eximendo à jurisdictione *quorumcunque Ordinariorum*, *soli* (etiam pro tali casu, sine concursu aliorum) reservare. Unde nec illud juvat, quod adducit ex Rotæ decisione 505. *in Salmantin. jurisdict. nu.* 1. dum dixit: exemptum ab Ordinario *respectu unius qualitatis*, *subesse eidem respectu alterius*, præsertim specialis, eò quòd non capiat ea, quæ sunt speciali nota digna. Nam hæc decisio hìc malè applicatur, ut manifestum erit consideranti. Rota enim loquitur de exemptione ab Ordinario *considerato sub aliqua certa qualitate*, à qua sine dubio non rectè fit transitus, *ad aliam*: quæstio autem hìc procedit de exemptione à jurisdictione *quorumcunque Ordinariorum*; at sub hoc termino *quorumcunque*, non excluditur; sed quilibet includitur; ergo. Minùs autem probat jurisdictionem ordinariam Legati de latere, esse speciali nota dignam, ut scilicet sub specifica derogatione non veniat, cujus oppositum in simili constat ex *nu.* 2404.

## §. XII.

### *De jure ordinario Archiepiscoporum in subditos suorum Suffraganeorum.*

2480. ARchiepiscopum esse Judicem Ordinarium in sua diœcesi, non autem in tota Provincia, colligitur *ex c.* 10. *h. t.* ubi dicitur, quòd Archiepiscopus impeditus possit consecrationem sui Suffraganei alteri committere; & clariùs *ex cap. conquestus*, 9. *q.* 3. ubi habetur, Archiepiscopum nihil posse in suorum Suffraganeorum subditos, nisi *in casu negligentiæ* per ipsum supplendæ, vel *causâ per appellationem ad ipsum devoluta*, vel ex speciali privilegio, aut consuetudine, vel casibus in jure expressis; sic Barb. *in c.* 11. *h. t. nu.* 3. id quod etiam Anicetus Papa scripsit ad Episcopos Galliæ, ut habetur c. *Archiepiscopus*, 9. *q.* 3. ibi: *Archiepiscopus nihil de Episcoporum causis, aut de alijs communibus*; & Calixtus ad eosdem in c. *nullus Primas*, 9. *q.* 3. ibi: *nullus Primas, vel Metropolitanus Diœcesani Ecclesiam, vel Parochiam, aut aliquem de ejus parochia præsumat excommunicare, vel judicare, vel aliquid agere, absque ejus consilio, judicio, &c.*

Cæterùm Archiepiscopus confirmatus, 2481.
licèt nondum consecratus, potest omnia, quæ sunt de potestate jurisdictionis; *gl. in cit. c. cùm ex illo, V. confirmâsse, de translat. Episcopi*; potest confirmare suos Suffraganeos; & illis mandare, ut se Archiepiscopum electum debeant consecrare, *gloss. loc. cit. c.* 2. *eod.* Pirhing, *de translat. Episcoporum*, *num.* 3. *not.* 3. eosque consecrare, aut eorum consecrationem ex causa alteri committere, *cit. c. quod Sedem*; excommunicatos à Suffraganeo, causa ad ipsum per appellationem delatâ, & cognita, quòd per injustitiam excommunicati sint, si ad Episcopum remissos ille absolvere nolit, recepta cautione juratoria, absolvere per c. *ad reprimendam*, 8. *h. tit.* Est suorum Suffraganeorum, seu Coëpiscoporum, qui exempti non sunt, Ordinarius, & immediatus Judex per ordinem ad ea, quæ ad ipsorum officium spectant, 9. *q.* 3. *c.* 1. 2. *& c. quia cognovimus*, 10. *q.* 3. & colligitur etiam ex c. *Pastoralis h. t.* ibi: respondemus, *quòd Archiepiscopus ipsum ad suscipiendam delegationem hujusmodi compellere nequit invitum*: *cùm in eum* (*exceptis quibusdam articulis*) *nullam habeat potestatem, licèt Episcopus suus eidem sit Metropolitana lege subjectus.* 2482.

Quæres, quid competat jure ordinario Vicarijs generalibus Archiepiscoporum, dum ipsimet Archiepiscopi sunt vel in provincia, vel non longè distantes? R. istos Suffraganeos Archiepiscopi per censuras nihil posse, idque ob reverentiam, & dignitatem muneris Episcopalis, ut dicitur c. 1. §. *officiales, h. t. in* 6. ibi: *Officiales autem Remensis Archiepiscopi* (quamdiu in sua Provincia, vel circa illam extiterint) in Suffraganeos interdicti, suspensionis, vel excommunicationis proferre sententias, *non attentent.* Et hoc idem ab Officialibus aliorum Metropolitanorum, circa ipsorum Suffraganeos (quibus ob reveren-

verentiam Pontificalis officij deferri volumus in hac parte) præcipimus obſervari.

2483. Præter hæc not. quosdam caſus exceptos eſſe, in quibus Archiepiſcopus exercere poteſt poteſtatem judicialem in ſubditos Suffraganeorum, etiam extra appellationem. Primus eſt, cùm viſitat Provinciam. Hoc enim jure communi liberè facere poteſt, c. *cùm Apoſtolus*, c. *Sopitæ*, c. *ſuper eo*, c. *cùm nuper*, *de cenſib. & c. cùm officij*, 16. *de præſcript.* Secundus caſus eſt, ſi contingat aliquid, quod concernit ſtatum totius Provinciæ, v. g. ſi vigeret aliqua conſuetudo prava, quæ tollenda foret, & Suffraganei forent negligentes, c. *Ex frequentibus*, *de inſtitut.* Reliqua videri poſſunt apud *gloſſ. in c. Paſtoralis*, *V. Exceptis*, *h. tit.* Hoſtienſem *in ſumma*, *eod.* §. *ſunt autem diſtinctæ*, & alios.

2484. Ulteriùs quæri poteſt, an, quod dictum eſt de Officiali Archiepiſcopi relatè ad Epiſcopos Suffraganeos, quòd in Coëpiſcopum cenſuram ferre non poſſit, etiam procedat de Delegato Archiepiſcopi? Reſp. etſi non deſint affirmativam ſequentes, rectiùs tum dici negativè; quia de Delegatis id cautum non eſt; ergo ſtamus regula communi, quòd Delegatus in cauſa ſibi commiſſa erga ſubditum delegantis (qualis eſt Epiſcopus comparatione Metropolitani ſui) majorem illo poteſtatem habeat, atque ſi neceſſitas poſtulare videatur, etiam per cenſuram eum compellere poſſit, arg. c. *ſanè*, 11. *de offic. delegati.* Accedit, quòd diverſa ſit ratio *in Delegatis*, *& Officialibus*: Nam hi idem habent Conſiſtorium cum Archiepiſcopo; at verò ab illis, ſi ſeveriùs procedant, appellari poteſt ad Archiepiſcopum, uti Joan. Andr. annotavit *in fine hujus c.*

Quæri poteſt 2. an ſi Vicarius Archi- 2485.
epiſcopi in hujus Suffraganeum, cenſuram ferret, licèt ageret illicitè, ut dictum eſt *n.* 2482. tamen cenſura teneret? Reſp. dicendum negativè; nam Officiales Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum nihil validè præſtare poſſunt, niſi quòd ipſis communi jure, vel ſpeciali voluntate conſtituentis conceſſum eſt, uti ex communi dixi in c. 2. *de offic. Vicarij*, *in 6.* cùm itaque jus commune Officiali neget poteſtatem ferendi cenſuras in Coëpiſcopos: conſequenter neque Archiepiſcopus talem poteſtatem Vicariatui ejus contra Canonum ſtatuta annectere poſſit, ſequitur, quòd Officialis in Coëpiſcopum nec licitè, nec validè cenſuras ferre queat.

* * *

# QUÆSTIO XXXII.

## IN TIT. XXXII. DE OFFICIO JUDICIS.

2486. POſt Officia Judicum in ſpecie ſubjiciuntur ea, quæ ſunt officij Judicum in genere, & vel ſpectant ipſum judicium, vel quæ extra illud fiunt, vel juri ſunt adſtricta, & actioni ſubſerviunt. Et hæc dicuntur ſpectare ad *officium* Judicis *mercenarium*; quæ verò à juris debito ſunt ſoluta, & Judicis arbitrio relicta, ex æquitate decidenda ſunt; ceſſante actione, dicuntur pertinere ad *officium* Judicis *nobile*, ut cùm principaliter poſtulatur reſtitutio in integrum, *c. 2. h. t.* Nobile igitur officium Judicis eſt, quod per ſe ſtat, & nulli actioni deſervit. *Mercenarium*, quod deſervit actioni, nimirum civili, & ideo hoc Judex impertiri non poteſt, niſi ad inſtantiam partis, ſive præcedente actione, hoc eſt, jure petendi, quod ſua intereſt, vel quod ſibi ab altero debetur: his præmiſſis.

### ARTICULUS I.

### *De Poteſtate Judicis.*

UT Judex ritè fungatur munere ſuo, 2487.
debet habere poteſtatem cognoſcendi, & pronuntiandi de controverſijs litigantium. Poteſtas Judicis eſt, quæ datur ad dirimendas lites, & tollenda gravamina ſecundùm æquitatem, ut privatim, & publicè tranquillitati conſulatur; ſeu eſt munus publicum cognoſcendi, & definiendi res judicio poſtulatas. Duplex eſt, nempe Imperium, & jurisdictio. *Imperium* hìc ſignificat poteſtatem jubendi, coërcendi, exequendi. Hoc etiam duplex eſt; nempe Imperium *merum*, &

*mixtum.* Imperium merum potissimum consistit in *jnssione*, *coërcitione*, & *executione*, lege ipsa dictante pœnam, & quasi exercente jurisdictionem, præmissa tamen causæ cognitione, ut Judex non sit merus executor, prout colligitur ex *L.* 1. §. 4. *ff. ad Senat. Consult. Turpilian.* Hoc habet tres gradus; Potestas enim coërcendi pœnâ mortis naturalis, est primus gradus meri Imperij; secundus, coërcendi pœna mortis civilis, qua scilicet alicui aufertur jus Civitatis, ut si deportetur ad metallum, ad carceres perpetuos, &c. tertius est coërcendi pœna non capitali v. g. mutilatione, fustigatione, relegatione, bonorum publicatione, vel alia pœna pecuniaria. Imperium autem mixtum includit Imperium, & jurisdictionem; per hanc intelligitur potestas cognoscendi, & pronuntiandi; non exequendi. Unde potestas habens omnia tria, secundùm prima duo, est jurisdictio, secundùm tertium, est Imperium, cui sufficit aliquis gradus, etiam infimus, ut junctum jurisdictioni dicatur Imperium *mixtum.*

2488. Jurisdictio igitur strictiùs accepta est potestas, seu vis obligandi alios per suas leges ad actiones, ad quas expedit subditos esse obligatos; dividitur in *simplicem*, & *Imperium.* Imperium est, quod nobili Judicis officio exercetur; *jurisdictio simplex*, quæ officio Judicis mercenario. *Nobile Judicis Officium* Jurisconsulti vocant, quod per se stat, hoc est, quod non præcisè deservit, & alligatur actioni partis litigantis; sed motu proprio, etiam non exigente parte, aut saltem non habente actionem, strictè dictam exercetur. Jurisdictio autem alia est *contentiosa*, qua scilicet dirimuntur controversiæ litigantium; alia *voluntaria*, qua exercentur ea, quæ non pertinent ad controversias litigantium, ut conferre beneficia, concedere privilegia, conferre Ordines, &c. sic Haunold. *tom.* 5. *de Jure tr.* 1. *n.* 92. alia rursùm est *ordinaria*, alia *delegata*, de quibus jam est actum suprà *de Offic. & potest. Jud. Ordin. & delegat.*

2489. Præter hæc not. 1. *sententiam Judicis* in genere, esse pronuntiationem Judicis super re à litigantibus proposita; Haunold. *tom.* 5. *de Jure*, *tr.* 5. *n.* 1. alia est *definitiva*, quæ principalem causam determinat, seu cujus decidendæ causa principaliter ad Judicem itum est: alia *interlocutoria*, quæ fertur super emergentibus, & incidentibus, non tangendo causam principalem, nec illi finem imponendo; Haunold. *cit. n.* 7. ubi Maranta illam definit, quòd sit sententia, quæ fertur inter principium, & finem causæ; quod quidem verum esse censet Haunoldus *cit.* sed non universaliter 1. quia quandoque datur interlocutoria post sententiam definitivam, saltem in executione; juxta *L.* 25. §. 2. *ff. de re judicat.* 2. quia aliquando perimit causam, ut si Judex pronuntiet, *se esse incompetentem*; vel cùm exceptionem peremptoriam reprobat.

Not. 2. ad potestatem Judicis pertinere, 2490.
supplere ea, quæ desunt Advocatis partium, *quatenus juris sunt.* Nam ea, quæ sunt facti, non supplet Judex, ut dicitur in c. tit. *ut quæ desunt Advocatis partium &c.* & Barbosa *in c.* 2. *h. t. n.* 3. Advocatum dare parti, quæ illum habere non potest; &, si det domesticum, non propterea recusandum esse, *c.* 1. *h.t.* quando pars est in extrema necessitate, ut Advocatum conducere non possit, potest Judex Advocatum cogere, ut gratis serviat. Felin. *in cit. c.* 1. potest condemnare partem in fructibus, interesse, & expensis, licèt hæc à partibus non petantur, nisi cum clausula: *Jus, & Justitiam ministrari.* Aliàs autem non judicat super non petitis; sic Barb. *in c. fin. h. t. n.* 4. & 5. Nam *fatus est Judex, qui ultra petita judicat. L. ult. C. de fidecommiss. libert.*

Not. 3. Judici Ordinario competere 2491.
jurisdictionem, vel plenam (quæ nimirum in supremo Principe residet, & *plenitudo potestatis* dicitur) vel non plenam, quæ inferioribus communicatur à supremo Principe, vel Republica, & Magistratu Superiorem non recognoscente. Objectum autem, circa quod versatur Judex, aliud est spectato ejus Officio *nobili*, aliud, spectato *mercenario.* Nam ad hoc pertinet omne, pro quo conceditur actio; ad illud autem, quæ etiam secluså actione, ut est absolutio à censuris, admissio postulationis, restitutio in integrum, dare veniam ætatis, &c.

Not. 4. licèt Judex non teneatur *absolutè*, ut simul sit Advocatus, consequenter suppleat exceptiones, vel allegationes partium, per incuriam, aut inscitiam Advoca- 2492.

vocatorum omissas, ut est *exceptio præscriptionis*, vel *Senatûs Consulti Velleiani*, *&c.* posse tamen id facere implorato nobili ejus officio, ut colligitur ex *L. unic. C. ut quæ desunt Advocatis.* Quod maximè procedit, quando talis exceptio in ipsis actis relucet. Nam, licèt non sit Judicis, aliorum facta, & ab iis dependentia proponere, debet tamen fundamenta juris, ipsis factis applicare, & secundùm hæc pronuntiare. Et ideo etiam præsumptio supplenda est, si allegatum sit factum, ex quo nascitur; ut colligitur ex *L. 15. §. 3. ff. ex quibus causis major*, & *L. 4. C. ad exhibendum.*

2493. Not. 5. quòd Judex nobile officium dupliciter exercere possit 1. ex officio, *motu proprio*, nullo rogante; ut, cùm nemine denuntiante, vel accusante, procedit ad inquisitionem, & crimina punienda; 2. *imploratus à parte læsa*, quo casu imploratio est instar actionis, ac est medium extraordinarium, aliàs nimirum non instituendum, nisi cùm ordinarium actionis remedium deficit, *arg. L. In causa, ff. de Minorib.* Ex hoc patet, qualiter differat *actio, & imploratio officij.* Illa enim supponit jus ex parte agentis; & debitum, seu obligationem, ex parte ejus, contra quem actio tendit, ut dicitur *in Institut. de Actionibus, in principio:* qui autem implorat Judicis Officium, nullum jus prætendit, sed æquitatem, propter quam Judex succurrere potest, & quandoque debet.

2494. Not. 6. quando imploratur Judicis officium, loco actionis (ut cùm principaliter imploratur restitutio in integrum) litis contestatione opus esse; secus, si tantùm incidenter, ante, vel post ingressum causæ, ita c. *Judicis 2. h. t.* hoc tamen limitat Layman *in cit. c. 2. n. 3.* ut procedat, si officium Judicis imploretur principaliter contra *certam personam*; à qua aliquid petitur, & necessaria sit cognitio causæ. Illud ad extremum, de Judicibus in genere, monet Cæpolla apud Barbosam, *axiom. l. 9. c. 88. n. 17.* dicens, expertum se esse, essèque utilem cautelam, ut scilicet aliquis bonam causam habens non tantùm concludentia, sed etiam frivola adducat. *Cùm enim quandoque imperiti judicent, sæpe aliquid per socordiam, & ignorantiam committunt, instarq; boum sunt, fitq;, ut magis moveantur per rationem, quæ minus facit; & aliquando nihil valet, quàm per rationem urgentem, quæ eorum capita non intrat, adeóque in hoc ipso fallendi sunt, ne errent*, ut ait Quintilianus *l. 2. c. 17. nam ratio gravis, quandoque nimis subtilis est Assessoribus*, ut inquit Zasius, *de cumulatione actionum, ad §. sin minus, n. 22. in fine, de actionibus.*

## ARTICULUS II.

### *De Officio Judicis Ordinarij.*

PRæcipuum *Judicis officium est*, lites componere. Nam *verecundæ cogitationis est, lites execrari. L. 14. ff. de alienat. jud. mutandi causa.* Quando componere non potest, debet utrinque causam audire, auditam examinare, & secundùm rationem Canonibus, Legibus, consuetudini consonam determinare *citissimè;* nec ab his recedet, cùm Judici non liceat *de Legibus* judicare, *sed secundùm ipsas, c. in istis, dist. 4.* ubi S. Augustinus refertur dicens: *in istis temporalibus, quanquam de his homines judicent, cùm eas instituunt; tamen, cùm fuerint institutæ, & firmatæ, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas.* & c. *summopere 11. q. 3.* ubi Gregorius, *summopere*, inquit, *præcavere debent Rectores Ecclesiarum, & qui publica judicia exercent, ut in dictandis sententijs nullatenus levitate, aut furore ducti sint præcipites; sed causis priùs diligenter ventilatis, cùm res, quæ ignorabatur, pleniter ad notitiam venerit, tunc Divina, & humana lex resolvatur, & tunc secundùm quod ibi constitutum est, remota personarum acceptatione, definitiva proferatur sententia.* Dixi, *citissimè*, id est; intra triennium, prout decisum est in jure civili, quod etiam sequuntur Canones, ut docet Zoësius *h. t. n. 2.* quamvis, ut diximus suprà, Tridentinum in causis Ecclesiasticis exigat minus tempus. 2495.

Præter hæc not. 1. quando jura partium sunt inæqualia, non posse Judicem, *relicto jure probabiliori sequi minus probabile.* Nam propositio opposita est secunda inter damnatas ab Innocent. XI. 2. Martij 1679. Unde si dicas: *quilibet operatur prudenter* (consequenter licitè) *dum sequitur opinio-* 2496.

*opinionem probabilem, etiam relictâ probabili, vel probabiliori in oppositum;* ergo etiam Judex operatur prudenter, dum sequitur opinionem probabilem; licèt relinquat probabiliorem in oppositum: Respondetur 1. cum Patre de Cardenas *in Crisi Theol. tr. 1. de probabil. dissertat. 15. c. 15. a. 3. n. 627.* cum dist. anteced. quilibet operatur prudenter, dum sequitur opinionem probabilem, *limitatam nova circumstantia contractûs, aut novæ Legis N. non ita limitatam, transf. & sic distincta conseq. N. conseq.*

Exemplum dat Cardenas: sit probabile, *quòd hæc domus sit Petri;* sed etiam probabile, vel probabilius, quòd non sit Petri, sed Pauli; in casu, quo Judex procedit, cùm ex contractu saltem tacito, cum Republica inito, in susceptione muneris, *promovendi bonum publicum, meliori modo justitiam administrando,* advertit hanc novam circumstantiam obligationis, non manet illi probabile, licere definire causam ex arbitrio, & decidere pro Petro v. g. quia uni inæquali merito causæ etiam alterius; aut etiam habenti minus meritum, contra habentem majus, adjudicare causam per sententiam, non est ministrare justitiam *meliori modo, quo potest;* adeóque sub hac circumstantia non manet probabile, quòd possit illam adjudicare Petro.

2497. Resp. 2. juxta principia alibi tradita: dist. anteced. quilibet operatur prudenter, dum sequitur opinionem *practicè* probabilem C. solùm *speculativè* probabilem, N. ant. & sub hac distinctione conseq. opinio probabilis esse non potest, *nisi sit in re incerta; & nitatur fundamento* non levi, sed *gravi, seu digno hominis prudenter operantis; nec evadit practicè probabilis, nisi consideratis omnibus circumstantijs, in executione inseparabilibus, nitatur tali fundamento.* Certum autem est, quòd operatio, quæ proponitur probabilis, seu prudenter fieri posse citra culpam, *seclusa certa circumstantia,* quæ in executione reperitur, non maneat probabilis, nec prudenter fieri posse citra culpam: *attenta tali circumstantia,* quæ in praxi, seu executione inseparabilis est; ergo licèt Judici probabile sit, domum esse Petri; & prudenter se operari, dum sequitur opinionem probabilem, si *practicè* talis sit; secus tamen est, si non sit *practicè* probabile, hoc est, si non consideret operationem suam sub circumstantia suæ obligationis ex contractu tacito cum Republica, de justitia partibus ministranda meliori modo, quo commodè potest.

Ex hoc inferes, Judicem quidem non te- 2498.
neri ad sequendam opinionẽ *strictiorem,* quæ scilicet favet legi, sed *probabiliorem,* quæ remotior apparet à falso. Sæpiùs enim contingit, strictiorem esse minùs probabilem, & minùs remotam à falso; ergo saltem in eorum sententia, qui volunt, etiam privatum ex duabus oppositis debere sequi probabiliorem, illatio rectè procedit *de Judice in judicando;* quidquid sit de privatis; cùm ille teneatur ex nova circumstantia contractûs, ad bonum publicum promovendum meliori modo, quo potest; quod sanè non faceret adjudicando causam uni, contra alterum, habentem æquè, vel magìs probabile jus pro parte sua; sic Cardenas *cit. D. 15. c. 4. n. 352. & c. 11. n. 566.*

Not. 2. cùm *opera justitiæ non sint ve-* 2499.
*nalia* (ut dicitur in Trid. *ff. & C. ad L. Juliam repetundarum*) Judicem munera pro functionibus sui officij accipere, prohiberi, *c. qui rectè, 11. q. 3.* ubi Gregorius, *qui rectè judicat, & præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat; quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit: bonis malè utuntur, qui justè pro temporali lucro judicant. Tales quippe ad veritatem, non justitiæ defensio, sed amor præmij provocat: quibus, si spes nummi subtrahitur, confestim à justitiæ defensione recedunt. Acceptio nummorum prævaricatio veritatis est.* Unde & pro justo dicitur: *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit;* & S. Augustin. citatus, *c. non licèt 71. ead. caus. & quæst.* ibi: *non licèt Judici vendere justum judicium, etsi licèt Advocato vendere justum patrocinium; & Jurisconsulto rectum consilium;* id, quod etiam habetur & L. 2. *de condict. ob turpem causam;* & ideo si litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, non potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. Nam opposita propositio est 26. inter damnatas ab Alexandro VII. Cæterùm, inter æquales probabilitates, posse Judicem alterutram amplecti

plecti juxta boni viri arbitrium, licèt illa electio per consequens cedat in utilitatem amici, modò amicitia ad hoc principaliter non moveat, docet Ludovicus Engel, *hoc tit. nu.* 8. sed rectiùs hoc negatur cum Layman *l.* 1. *sum. tr.* 1. *c.* 5. *nu.* 16. Nam in casu, quo Actor probatione non vincit Reum, hic absolvendus est; & pro eo pronuntiandum, seu sententiandum; verùm sic jam accedit Reo pondus novum ex reflexione ad dictam regulam, quo prævalet adversus Actorem.

2500. Quæres 2. an Judex obligetur ad imponendam pœnam lege præscriptam? Resp. esse probabiliùs, quòd sic; ne lex pœnalis reddatur frivola, de quibus Zoësius *cit. à nu.* 3. Suarez *de legibus l.* 5. *c.* 11. nisi adsit justa causa, quæ vel suspendendam ad ad tempus, vel mittigandam suadeat, prout contingere potest ex variis circumstantijs, ætatis immaturæ, ob sexus imbecillitatem &c. de quibus *lib.* 5. *ubi de delictis puerorum.*

2501. Quæres 3. an Judex, *certò sciens*, Reum falsis allegationibus onerari, ac convinci, possit eum absolvere, vel debeat condemnare? Zoësius *cit. nu.* 7. affirmat, quòd debeat eum condemnare, si solùm agatur *civiliter*, quia his prævalet bonum commune; negat, *si criminaliter*; quia innocentem cognitum, ut talem, occidere, est intrinsecè malum; ita etiam sentit Layman *l.* 3. *summæ tr.* 6. *c.* 2. *n.* 8. oppositum tenens in causis civilibus, & minoribus criminalibus; sed de hoc jam egimus alibi.

2502. Quæres 4. qualiter procedere debeat Judex? Resp. quòd in causis civilibus procedere non debeat, nisi *postulatus*; in criminalibus verò *ex officio*, seu per viam inquisitionis; Layman *lib.* 3. *summæ*, *tr.* 6. *c.* 2. *n.* 2. qui etiam annotat, Judicem non teneri, ordinariè, retractare sententiam justè latam, propter instrumenta postea reperta; sic etiam Molina *tom.* 2. *d.* 568. & plura Layman, *loc. cit.*

## ARTICULUS III.

### *Qui possint esse Judices?*

2503. RESp. quòd omnes, qui nec naturâ, nec lege prohibentur, ut dicitur 3. *q.* 7. *c.* 1. *& L.* 12. §. 7. *ff. de Judicijs.* Propter hoc, officium Judicis exercere non possunt 1. servi, L. *cùm Prætor ff. de re judic.* nisi interveniat error communis, L. *Barbarius ff. de officio Prætoris*, 2. fœmina, *c. mulierem* 33. *q.* 5. *L. alienum C. de Procurat.* nisi habeat administrationem bonorum, quibus jurisdictio, vel Imperium annexum est, c. *dilecti, de arbitris*; vel sit Superior, ut Abbatissæ respectu subditorum, sic Barb. *in c. dilecta, de majorit. & obed.* tertiò minor 20. annis, *c. cùm vigesimum*, 41. *de offic delegat.* ibi: *cùm vigesimum annum peregeris, dari potuisti in ætate hujusmodi delegatus*; de jure autem civili minor 18. annis, *gloss in cit. L. cùm Prætor*, V. *impubes*; quartò, notati juris infamiâ, *cit. L. cùm Prætor*: quintò excommunicati, suspensi, hæretici, & schismatici, *c. quod Sedem*, 10. *de offic. Judic. Ordin.* ubi Pontifex, ab Archiepiscopo Turonensi consultus, *an ipse impeditus possit alteri Coëpiscopo committere suum munus?* respondit Pontifex, *quòd sic; dummodo quòd in tali articulo constituto, & tuas vices* (ut dictum est) *tibi committere licet; & consecrandus, munus debet ab eo consecrationis accipere: cui eas duxeris committendas, dummodo Catholicus habeatur, & impedimentum ei ex subtractione gratiæ Apost. Sed. non obsistat. cap. audivimus* 24. *q.* 1. ubi Alexander II. ad Valerianum Episcopum Martyrem scribens, *audivimus*, inquit, *quòd Henricus, Ravennas dictus Archiepiscopus, visus sit, te excommunicare.* Verùm, *quia excommunicatus, te excommunicare non potuit, Apostolica authoritate te, tuosq; absolvendo, mandamus, exinde nunquam curare, c. excommunicamus* 13. *de hæret.*

# QUÆSTIO XXXIII.

## IN TIT. XXXIII. DE MAJORITATE, ET OBEDIENTIA.

2504. CUm ex gradûs, & ordinis distributione, inter personas Ecclesiasticas nascatur in aliquibus quædam præeminentia, quæ hìc vocatur *majoritas*, & consistit in quadam prærogativa, qua major minori præstat; in alijs autem *obedientia*, seu submissio, quam minores debent majoribus, quatenus illicitum nihil exigunt, aut nihil tale præcipiunt (nam *DEO magìs parendum, quàm hominibus*, c. *si Dominus* 11. *q.* 3. in dubio tamen parendum Superiori præcipienti, c. *quid culpatur*, 23. *q.* 1.) de utroque præsenti titulo agitur.

### ARTICULUS I.

### *De Majoritate.*

2505. *Majoritas*, qua quis alijs præeminet, varijs modis contingere potest. Primò enim contingit *ratione ordinis*; sic Presbyter major est Diaconô, c. *statuimus*, 15. *h. t.* ubi dicitur, quòd qui major est *ordine*, licèt in Ecclesia posteriùs receptus, in loco, & portione præferatur: similiter ratione ordinis major est Episcopus Presbyterô; ut colligitur *ex c.* 2. *&* 4. *eod.* Secundò *ratione benedictionis, vel consecrationis*. Sic Abbas major est Monacho ratione benedictionis; Episcopus consecratus, ratione hujus, major est electo, *c.* 12. *&* 16. *eod.* Tertiò *ratione administrationis*, aut *dignitatis*; sic Archidiaconus major est Archipresbytero. Similiter Cardinalis, etiam non Presbyter, dignitate major est reliquis etiam Presbyteris non Cardinalibus, *c.* 11. *h. t.* sic quoque Canonista major est Legista, ut ait Vallensis *hìc nu.* 2. Quartò *ratione antiquitatis*, seu temporis; ita prior & major habetur, qui priùs fuit ordinatus, ut dicitur *c.* 1. *h. t.* Quintò *ratione jurisdictionis*, seu potestatis in alios ad illis imperandum, disponendum, emendandum &c. Sextò *ratione Excellentiæ*, seu prærogativæ *ipsius ordinantis*; sic ordinati à Summo Pontifice, ordinatis ab inferiore præferuntur, *c.* 7. *h. tit. junct. glossa*. Et quamvis talis propterea non eximatur ab obedientia Episcopi, ut dicitur *c.* 7. *h. t.* tamen in beneficiorum concursu alijs cæteris paribus, præferendus est, Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell.* §. 3. *n.* 116. sic Doctor Universitatis Pontificiæ, & Cæsareæ dignior est Doctore Universitatis solùm Electoralis, vel Archiepiscopalis; sic Gonzalez, *cit. n.* 115. & Nobilitatus ab Imperatore, vel Rege, præfertur Nobilitato ab inferiore; Tiraquellus, *de Nobilit. c.* 6. *n.* 7.

Præter hoc not. 1. quòd olim, hæc re- 2506.
latio *majoritatis*, magni fiebat, & inferiores cogebantur ad deferendum Majoribus magnum respectum. Hinc Diaconus coram Presbytero non nisi jussus sedebat, *c. non oportet, & c. Diaconi, dist.* 93. ibi: *Diaconi, ita se Presbyteri, sicut Episcopi ministros esse cognoscant.* Priùs promotus, cæteris paribus, antecedebat alios, c. *certum* 1. *h. t.* ubi Gregorius Augustino, Anglorum Episcopo, *sit honoris*, inquit, *ista distinctio, ut ipse prior, & major habeatur, qui priùs fuerit ordinatus, communitatis consilio, & concordi actione.* Et ideo in multis locis præ cæteris observatur Senior. Hodie mores, & consuetudo parùm hæc curat, sed immeritò.

Not. 2. si comparetur *imperium* cum 2507.
*Sacerdotio*, illud huic non præesse, sed subesse, ut dicitur c. *Solicitæ*, 6. *h. t.* sensus est, quòd potestas laica præcellat *in temporalibus*; Ecclesiastica, *in spiritualibus*; & sicut Spiritus est superior corpore, cujus est illi subesse; sic potestas spiritualis se habeat ad temporalem. Nam spiritualia potiora sunt temporalibus. Et ideo de Sacerdotio dicitur illud Jeremiæ 1. *Ecce constitui te super gentes, & regna.* Nam dignitas Pontificialis est luminare majus, quod præest dici; & Regale est luminare minùs, quod præest nocti, seu carnalibus; sic *cit. cap. Solicitæ*, 6. *h. t.* & Barb. *ibid. n.* 1.

Not. 3. *majorem* etiam dici respectu 2508.
honoris, & prælationis; sic Barb. *in c.* 1. *h. t.* Et ideo Seniores de jure in dicendis sententi-

sententijs, & subscribendo, præferendi sunt, cæteris paribus; & antiquior in Collegio, alijs præfertur; sic ille. Cæterùm non ubique attenditur titulus majoritatis. Licèt enim ante omnia consideranda sit nobilitas statûs, & amplitudo jurisdictionis (propter quam omnes præcedit Papa; & post illum Cardinales etiam non Episcopi, qui præeminent Patriarchis, & Archiepiscopis, isti Episcopis, & hi Presbyteris non Episcopis) hoc tamen ex quorundam locorum consuetudine non observatur.

Unde, quando contingit aliquos esse statu, & jurisdictione pares, attenditur prærogativa ordinis, ut dicitur c. *fin. dist.* 15. *c.* 5. *dist.* 93. *& c.* 15. *h. t.* Hinc Cardinales Episcopi præferuntur alijs Cardinalibus Presbyteris; hi, Diaconis; &c. & Barb. *in cit. c.* 15. *nu.* 3. cum Tiraquel: *de jure primogenit. in præfat. nu.* 151. ex eodem colligit dignitatem etiam antiquitati præferendam esse. At, licèt hoc postremum non modò valde rationabiliter, & de jure procedat, etiam inter Canonicos Ecclesiarum Cathedralium; de consuetudine tamen, vel ex particularium Ecclesiarum statutis, in multis hodie Canonicatibus id non observatur; & solùm habetur consideratio antiquitatis sic, ut, qui prior in Canonicum est receptus, licèt non sit in Sacris, præcedat receptos posteriùs etiam constitutos in dignitate alterius Ecclesiæ. V. Barbos. *lib.* 1. *Juris Ecclesiastici, c.* 21. *à nu.* 86. talem consuetudinem reprobantem tanquam non rationabilem.

2509. Not. 4. quòd post nobilitatem statûs, & jurisdictionis amplitudinem, attendatur dignitas ordinis *ex n.* 2507. si tamen aliquos in præmissis contingat esse plures, ei præcedentiam de jure competituram, pro quo stat dignitas ordinantis, vel conferentis, ut constat *ex c. Per tuas*, 7. *h. t.* Nam ordinatus à Papa præferendus est ordinato ab inferiore, si pares sint in dignitate, jurisdictione, ordinis gradu; licèt alter tempore prior sit, ut habetur *c.* 12. *de præbend. in* 6. ab obedientia tamen propter hoc non eximuntur; ut constat ex textu *cit. c.* 7. ibi: *etsi decens sit, ut illis, quantùm convenit, à te inter alios tibi subditos, deferatur, quos benignitas Apostolica, collatione ipsius ordinis, honoravit; per eam tamen* ab obedientia, *quam aliàs tibi debent, minimè absolvuntur*; textus autem in c. 12. loquitur sic: qui auctoritate Apostolica in aliqua Ecclesia in Canonicos sunt recepti, *debent in præbendarum assecutione cæteris anteferri* Legatorum, vel aliorum quorumcunque auctoritate receptis antea in eadem. Eum quoque, qui ad mandatum Legati, vel alterius auctoritate Apostolica sibi specialiter in hac parte concessa fungentis recipitur: auctoritate Apostolica receptum esse dubium non existit.

Similiter ex his, qui dignitate, jurisdictione, ac ordine pares sunt, is præferendus est illi, qui ab inferioribus per ipsum Papam exemptus est, propter majorem dignitatem eximentis, seu conferentis exemptionem, ut colligitur *ex c.* 6. *de Privileg. in* 6. quod confirmatur *ex dict. c.* 12. *de præbend in* 6. ubi receptus in Canonicum *authoritate Papæ*, in consecutione præbendæ, primò vacaturæ, præfertur recepto *authoritate inferiorum*, licèt priùs tempore receptus sit. Ex hoc colliges, eam regulam: *qui prior tempore, potior jure*, valere solùm, *cæteris paribus*. Nam *tempore posterior*, sed *dignitate prior*, de jure præcedit antiquiorem; quod etiam dicendum venit, si priorem tempore, superet alio titulo ex præmissis: dixi *de jure*. Nam secus est de legitima consuetudine, vel statuto particularis Ecclesiæ. Plura de his Barb. *l.* 1 *Universi juris Ecclesiastici, c.* 43. *à n.* 181.

## ARTICULUS II.

### *De Obedientia.*

EX hoc, quòd unus sit major altero, nascitur obedientia in minore, quam hic illi debet, juxta *gloss. in c.* 1. *dist.* 93. *V. obedientia*: Hæc in tribus consistit 1. in reverentia exhibenda; 2. in judicio obeundo, quatenus scilicet inferior citanti parêre debet. 3. in mandato majoris suscipiendo; intellige, cæteris paribus, & in his, quibus ad invicem sunt, c. *omnes* 4. *h. t.* ibi: *omnes Principes terræ, & cæteros homines, Episcopis obedire, B. Petrus præcipiebat*, ita Clemens Papa III. esto Gonzalez ibid. dicat, esse S. Clementis I. in Epistola ad Jacobum, Fratrem Domini; idem habetur *c.* 13. *eod. &* 3. *q.* 3. *c.* 93. 2510.

Debetur autem obedientia potiùs proximo Superiori, quàm remotiori, quatenus contra leges Superioris nihil præcipit, c. *inter*, 8. *h. t.* Sic Religiosus potiùs Abbati parêre debet, quàm Episcopo; & non Episcopi, sed Abbatis jussu ordinandus est, c. *si quis Monachus*, 28. *&* c. *cùm pro utilitate* 34. 16. *q.* 1. ibi: *cùm pro utilitate Ecclesiæ aliquos Monachorum Episcopus probaverit in Clericatus officio promovendos, cum Abbatis voluntate debent ordinari.* Et ideo Clericus, Episcopi subditus, nec ab Archi-Episcopo sine illius consensu transferendus est, c. *conquestus* 9. *q.* 3. ubi Nicolaus Papa, scribens ad Rodulphum Bituricensem Archi-Episcopum, *conquestus*, inquit, *est Apostolatui nostro, Frater noster* Sigedodus, Archi-Episcopus Narbonensis, *quòd Clericos suos, eo invito, ad judicium tuum venire compellas, & de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure Patriarchatûs tui disponas*: cùm hoc nec antiquitas (cui Patres sanxerunt reverentiam) *habeat, & auctoritas sacrorum Canonum penitus interdicat:* nisi fortè pro causis, quæ apud se terminare non possunt, ad te quasi ad Patriarcham suum provocaverint, vel si Episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare voluerint, *Parentes enim, vel Patriarchas nihil privilegij habere, præ cæteris Episcopis, nisi quantum Sacri Canones concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus:* ita ut secundùm Nicænas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis: præterquam, si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam, vel ipsius Rectorem quolibet speciali privilegio decreverit honorare.

2511. Dixi, *in his, in quibus sunt ad invicem*, nimirum relatione Superioritatis, & subjectionis. Nam Superiori præcipienti aliquid subdito in materia, per ordinem ad quam illi, quà tali, non est subjectus, in tali materia non tenetur parêre, ut constat ex Trid. à nobis relato superiùs. Ex hoc sequitur, Regulares Episcopo, non *ut Ordinario*, sed solùm ut delegato Papæ subjectos in certis casibus, præcipienti aliquid, extra tales casus, impunè non parêre. Nam vel præcipit *ut Ordinarius?* & sic subditi non sunt; vel *ut Papæ delegatus?* & sic, præcipit in materia, pro qua commissionem non habet. Quando autem dicitur, subditos majoribus suis debere reverentiam etiam in præcepto, seu *mandato ejus observando*, intelligi debet, nisi illicita præcipiat, vel mandet. Nam ad illicita non datur ulla obligatio. In dubio autem, *num illicitum sit?* quod Superior præcipit, obtemperandum esse Superiori; cùm præsumptionem pro se habeat, & multa frequenter faciat ex justis causis, ac circumstantijs, quas ignorant subditi, nec illis aperire quandoque expedit, c. *quid culpatur.* 23. *q.* 1.

Sed quid, si subdito solùm sit probabile, 2512.
rem præceptam, *non esse peccatum;* probabiliùs autem, *quòd sit peccatum?* tenebitúrne tunc obedire Superiori, & exequi rem mandatam? ad hanc quæstionem respondent aliqui, nunquam, vel ferè nunquam contingere, ut, ubi dubium est, an aliqua actio sit intrinsecè mala, & Lege Divina, & naturali prohibita, Superior sciens dari opinionem verè probabilem de turpitudine intrinseca talis actionis, audeat illam præcipere subdito, quamvis ipse probabilius existimet, actionem illam ex se esse licitam. Hinc concludunt, Adversarios (qui scilicet volunt esse licitum quotidianum usum opinionis, minùs probabilis, & minùs tutæ) recurrere ad casum rarissimum, qui vix accidere potest, & salvâ prudentiâ præcipientis, nunquam videri posse contingere; licèt concedant, posse non semel accidere, ut Prælatus præceptum imponat subdito, exequendi actionem, quæ de se est indifferens, quam tamen ipse subditus putat sibi illicitam, vel quia existimat, valde nocivam suæ sanitati, aut honori; vel quia putat fore sibi laqueum graviter delinquendi. At, quòd in hoc casu teneatur obedire, nulla est difficultas. Sic illi:

Respondent ulteriùs, admisso, quòd Superior ductus opinione probabili, favente libertati contra legem, præcipiat subdito, ut exequatur actionem, quam ipse subditus sibi persuadet esse illicitam ob fundamenta opinionis probabilioris, stantis pro lege adversus libertatem; subditum tamen *in sensu compositio illius judicij* non posse obedire Prælato; quamvis enim sciat obediendum esse Superioribus perinde ac ipsi DEO, scit tamen, id intelligendum secundùm doctrinam Bernardi, & alio-

aliorum Sanctorum Patrum, quando homo contraria DEO non præcipit.

Unde docent, subditum retento judicio, quo absolutè, & non restrictè sibi persuadet, esse intrinsecè malam, certam actionem, peccare, si illam exequeretur; quia ageret contra conscientiam; neque retento hoc judicio, posse bona fide formare dictamen, quòd hìc & nunc sibi liceat illam exercere: implicat enim, ut bona fide quis credat, sibi hìc & nunc licitam esse actionem, quam absolutè, & non restrictè judicat esse malam secundùm se; & demum volunt, quòd subditus absolutè in illo casu teneatur obedire, quia, ut rectè inquit P. Suarez *lib. 6. de Legib. c. 8. n. 6.* subditus debet judicium suum deponere, ut est communis doctrina, & in praxi necessaria; ac proinde tenetur deponere propriam opinionem, & in operando sequi opinionem Prælati; quia potest, ac debet avertere considerationem à motivis, quæ ipsi persuaserant, rem illam esse illicitam; & mentem erigere ad contemplandum, quòd Superior locum DEI teneat, dum tanquam Superior præcipit; ac proinde, quòd DEUS per os ejus loquatur; cùm ergo DEUS non nisi honesta, & licita præcipere possit: opinio favens libertati, quæ ante præceptum apparebat subdito minus verisimilis, post præceptum illi apparebit verisimilior; sic illi.

2513. In hac quæstione videtur 1. casum, de quo in præsens agitur, non esse adeò rarum, ut nunquam, vel vix unquam contingere possit. Nam plura sunt exempla in Sacris Canonibus, ubi etiam Majores multa ordinârunt, & præcepta dederunt, à summis deinde Pontificibus reprobata, tanquam institutis Sacrorum Canonum adversantia, licèt ipsis præcipientibus non viderentur esse mala, & illicita. Nam & ipsi homines sunt, & in quæstionibus facti, in quibus quandoque fundant mandata sua, errare possunt. Videtur 2. eam propositionem: *subditus in sensu compositi judicij, quo sibi persuadet, mandati executionem esse illicitam*, ob fundamenta opinionis probabilioris stantis pro lege, adversus libertatem, *non potest obedire Prælato*, esse distinguendam, & omnino concedendam, quando mandati executio est *manifestè* illicita. Nam in hoc casu locum habet, quod assumitur ex D. Bernardo; si autem non sit manifestè illicita (ut contingit in casu præsenti, ubi *de illicito* est solùm major apparentia veri, sed *cum incertitudine, quòd existat lex eam prohibens*) neganda est ex Doctrina S. Patris nostri Ignatij, cujus verba in aurea epistola de obedientia universaliter præscribunt hanc regulam: *ut cæco quodam impetu, & sine ulteriori examine obedientia prompta exhibeatur in omnibus*, in quibus nihil *evidenter* DEO contrarium præcipitur, in omnibus, quæ *manifesto* peccato conjuncta non sunt.

Nec obstat ratio, quæ affertur pro im- 2514.
possibilitate, *quòd in sensu compositi dicti judicij licitè obediat.* Nam dupliciter potest subditus executionem mandati *judicare, illicitam judicio absoluto, & directo* 1. judicando illam esse *illicitam* intrinsecè, ac *in se*: 2. illam esse illicitam solùm *extrinsecè, & in apparentia motivorum*, ejus malitiam, seu prohibitionem suadentium. In sensu composito hujus secundi judicij *directi*, quo subditus judicat, motiva directè suadentia malitiam executionis mandati, habere majorem apparentiam veri, quàm motiva directè suadentia ejus bonitatem, licitè, ac religiosè subditus sibi imperat executionem mandati, Imperio regulato non per illud dictamen *directum*; sed *reflexum* super incertitudine motivorum actus, directè suadentium malitiam, & saltem moraliter certum principium, quòd non erret, aut contra Deum agat, qui facit, quòd Superior præcipit, *ubi non est manifestè peccatum.* Ex hac enim reflexione subditus sic directè discurrit: qui facit, quod Superior præcipit, bene agit, si materia præcepti *non sit manifestè peccatum*; sed licèt mihi appareat *extrinsecè* verum (nimirum vi motivorum directè suadentium) quòd materia præcepti hìc & nunc sit peccatum, non est tamen *manifestè peccatum*; ergo hìc & nunc bene ago, etiam in sensu composito illius judicij directi.

Primum autem judicium, quo quis directè, ac categoricè judicet de veritate *intrinseca* actionis hìc & nunc exercendæ quoad bonitatem, vel malitiam ejus, non est necessarium ad honestè operandum. Potest enim quis prudenter assentiri veritati objecti *in se*, licèt ea non appareat in se, sed solùm in alio, prout contingit, cùm

judicamus, *Deum revelâsse Incarnationem Verbi, licèt nec revelationis*, nec *Incarnationis intrinseca veritas appareat in se, sed solùm in alio*, nimirum in motivis credibilitatis. Nam nemo dubitat, fidem Divinam, qua supponit non pro *actu credendi*, sed *actu volendi credere*, seu pro actu imperante actum credendi, esse moraliter bonum, & formaliter honestum; & tamen hoc imperium non procedit, nisi ex judicio credibilitatis, quod non judicat, absolutè, ac categoricè de veritate intrinseca existentiæ revelationis; sed solùm extrinseca, *prudenti nimirum credibilitate revelationis factæ*; ergo à fortiori, ut voluntas in rebus incertis, ac inevidentibus, quæ non apparent in se, sed tantùm probabiliter in alio, gravi nimirum fundamento, suadente prudenter talem operationem esse eligibilem, inclinet intellectum, non requiritur, quòd judicium dirigens voluntatem statuat *absolutè*, ac *categoricè*, talem electionem esse honestam *in se*; sed solùm *modaliter*, quòd habeat apparentiam veri in alio de sua honestate.

2515. Dices: in casu, quo subditus obedit voluntate directa ex illo dictamine reflexo, de quo suprà *nu.* 2514. eo ipso evadit illi probabiliùs contra dictamen directum de malitia objecti, quòd in eo casu executio mandati careat malitia; ergo non probatur, dari casum, quo quis bene operetur contra dictamen probabiliùs Resp. verum esse, in dato casu subdito, ex illo dictamine reflexo, evadat probabiliùs, executionem mandati, hìc & nunc non esse malam; sed hoc dictamen reflexum non esse necessarium. Ratio hujus est, quia licèt pro licita executione mandati, quæ habetur ex apparentia motivorum actus directè judicantis, *licitam executionem*, non accedat novum pondus *ex parte intellectûs*, seu major apparentia veri, vi cujus excedat apparentiam motivorum contra licitam executionem mandati, dummodo pro illa accedat majus pondus *ex parte voluntatis*, seu major ratio boni pro executione mandati (quæ in actu primo appareat licita) potest voluntas intellectum inclinare, ut apud se judicet, sibique persuadeat, se bene acturum, exequendo mandatum, licèt in contrarium sit major apparentia veri, ut diximus suprà.

Ratio est, quia bene simul, etiam tempore, in eodem intellectu componuntur hæc duo judicia: *quòd hìc & nunc liceat exequi mandatum, habet rationabilem apparentiam veri; & quòd non liceat, habet majorem apparentiam veri, sed utrinque incertam*; si ergo in tali casu proponatur voluntati in hac quæstione, *utrinque incerta*, esse conducibiliùs, suum judicium vincere, & accedere parti, quæ habet rationabilem apparentiam veri de licita executione, poterit in re incerta, ac inevidenti, flectere in eam partem, qua judicet, se licitè exequi mandatum. Quid enim cohibebit? quò minùs aut voluntas imperet, vel intellectus imperanti pareat? *Non major apparentia veri pro inhonestate executionis*; hæc enim apparentiæ veri, licèt minori, *pro honestate executionis*, non tollit vim motivam in actu primo, nec sistere potest motum in actu secundo, qualiter fit, ubi sunt æqualia pondera in bilance, ut diximus *supr. à n.* 971. deinde stante etiam æquali *pondere intellectuali* in oppositis, voluntas expræponderantia boni in uno, flectere potest intellectum in partem determinatam, omissa electione alterius, ex dictis.

Dices, tale imperium non fore *prudens*; sed hoc negatur cum concipiatur ex prævio judicio, fundato in rationabili apparentia veri pro honestate executionis, non obstante majori apparentia veri in oppositum. Nam hæc nullatenus elidit illam, ut paulò antè diximus. Si dicas, non esse judicium prudens, quo quis sibi persuadet, *verum esse, quòd liceat mandatum exequi*, quando hoc ipsum apparet magis propinquum falso, quàm verò, præsertim retento judicio, quo sibi persuadet, *esse verum*, quòd non liceat mandatum exequi; aliàs enim simul judicaret, *esse verum, quòd liceat; & esse verum, quòd non liceat.* Resp. negando assumptum, si non obstante majori apparentia veri pro inhonestate executionis, ex gravi fundamento nihilominus apparet verum, seu si datur apparentia veri pro honestate actûs; hanc autem simul consistere posse cum illa, hìc in præmissis hoc *num.* dictum est; cùm utrumque judicium possit esse verum. Neutrum enim judicat *de veritate objecti in se*, sed solùm *de veritate in apparentia*, quam habet una pars pro se, & altera in oppo-

oppositum, secluſa certitudine unius ex oppositis.

2516. Ad id, quod in *n.* 2512. additur, Resp. non requiri, quòd, ut subditus honestè exequatur mandatum, *retineat* judicium, quo apud se judicet categoricè, *esse in se verum*, quòd *non liceat* executio mandati, cùm ponatur operari ex judicio, quo catogoricè judicat, *esse in se verum*, quòd *liceat*, quo eo ipso recedit à priori. Ut autem ex hoc judicio *prudenter* procedat, satis est, quòd non obstante majori apparentia veri pro inhonestate, maneat etiam apparentia veri pro honestate, nixa fundamento gravi; esto non recurrat ad dictamen reflexum, quo *ratio liciti* evadat illi probabilior. Hinc valde diversa sunt: subditus in sensu composito judicij, quo sibi persuadet, *esse verum in se, quòd executio mandati non sit licita*, non potest concipere prudens judicium, quo sibi persuadet, *esse verum in se, quòd executio mandati sit licita*, & subditus in sensu composito judicij, quo sibi persuadet, *esse verum solùm apparenter, quòd executio mandati non sit licita*, non potest concipere prudens judicium, quo sibi persuadet, *esse verum in se, quòd executio mandati sit licita.* Nam hoc secundum omnino negatur, cùm hæc duo sibi non contradicant; in primo autem casu subditus deberet deponere illud judicium, quin *esse licitum* appareat probabilius opposito; quod facilè fit, considerata ejus incertitudine, & gravi fundamento nihilominus militante pro honestate executionis; quibus per accidens solùm insinuatis:

2517. Not. 1. *obedientiam*, de qua in *Rubrica hujus tituli*, sumi largè pro executione cujuscunque rei, quæ potest cadere sub præceptum, quæ est obedientia solùm *generalis*, & reperitur in quolibet actu exequente materiam præcepti, licèt non operetur ex fine obedientiæ *specialis*, qui est intendere submissionem sui per conformitatem cum intellectu, & voluntate legitimi Superioris, quà talis; licèt Barb. *in c. 1. h. t. nu. 11.* velit obedientiam hic sumi prout est virtus *specialis*; sed non bene. Nam hoc non exigunt de necessitate etiam Ecclesiasticæ, imò nec divinæ leges, *ex dict. n.* 434.

2518. Not. 2. subditos, Episcopi decreto non obedientes, esse excommunicandos, ex *c. si quis*, 2. *h. t.* intellige, in negotijs pertinentibus ad statum Clericalem, in quibus subsunt; dummodo tale decretum non adversetur sacris Canonibus, *c. Institutionis*, 24. *q.* 2. Casus autem, in quibus aliqui putant, Episcopum statuere posse contra Canones, & constitutiones summorum Pontificum, refert Barb. *de offic. & potestat. Episc. p.* 3. *allegat.* 93. *à n.* 31. sed hoc non procedit de potestate Episcopi, *jure ordinario*, ei competente, ut consta ex dictis *nu.* 1103. Excusatur tamen Judex inferior ab inobedientia, si differat executionem sententiæ Principis, aut Superioris, qua condemnavit aliquem ex motu iracundiæ, aut vindictæ, alióve modo, non servato juris, aut rectæ rationis ordine, ut colligitur ex *L. Vindicari, C. de pœnis*, & resolvitur à Covarruv. *in reg. Peccatum, p.* 1. *n.* 5.

Not. 3. ubi agitur de controversia *subjectionis*, & *obedientiæ*, nihil esse attentandum in præjudicium Rei, vel possessoris, antequam citetur, ut dicitur *c. inter quatuor*, 8. *h. t.* Nam citatio est omnium actionum instituendarum principium, caput, basis, & fundamentum judicij, *ff. fori, Institut. de pœna temerè litigant.* Hinc immeritò sæpe proceditur ad dictandas pœnas subditis non auditis, majori plerumq; damno, quàm fructu boni communis. 2519.

Not. 4. titulo dictæ obedientiæ, etiam Abbates, & Sacerdotes, qui Episcopo diœcesano subsunt, teneri ad ejus Synodum venire, & ad hoc per censuram compelli posse, ex *c. quod super his*, 9. *h. t.* hunc tamen Canonem loquentem *de Sacerdotibus*, Piasecius *in Praxi nova Episc. p.* 2. *c.* 2. *n.* 2. & alij, intelligunt de Sacerdotibus, *qui animarum curam habent*, juxta Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 2. loquentem autem de Abbatibus, & alijs Exemptis ex Trid. *cit.* idem affirmat Barbosa *in cit. c. nu.* 3. qui aliàs, cessante exemptione, Synodo interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur; non autem his, qui non habent Capellas, seu membra, aut populum non exemptum, idque per cap. *Ex ore, de privileg.* 2520.

Cæterùm textus loquens de Abbatibus, rectiùs intelligitur de illis, qui habent populum, de quibus loquitur, c. *Abbates*, 18. *q.* 2. Hi enim *propter populum* tenentur vocati accedere Synodum, etiamsi sint

sint exempti per c. *Ex ore*, *de privileg.* secus est *de non habentibus populum*, nisi alia causa rationabilis subsit, c. *Episcopus* 11. *dist.* 18. quod etiam procedit de Sacerdotibus sæcularibus, & beneficiatis, qui curati non sunt, cùm populum non habeant, nisi Synodus indicta foret ad Cleri totius reformationem, vel edenda statuta generalia pro tota diœcesi. V. Azor *p. 2. l. 3. cap. 47. q. 3.* Quod verò diximus ex Barbosa *de exemptis*, qui aliàs cessante exemptione Synodo interesse deberent, nec generalibus Capitulis subsunt, est ex jure novo Concilij Trid. *sess. 24. de reform. c. 2.* quod tamen Pirhing *h. t. num. 12. §. verum*, videtur intelligere solùm de illis, *quorum Ecclesijs annexa est animarum cura*. Mendicantes autem, ad Synodū diœcesanam, venire non tenentur, ut notat Piasecius *cit. in praxi Episc. p. 2. c. 2. a. 1. n. 3.*

2521. Not. 5. Superioriſſas Monialium (ut sunt Abbatissæ, Præpositæ, Priorissæ) *ratione publici muneris* esse capaces jurisdictionis non annexæ Ordini, ut sunt nominare Clericos ad beneficia, & punire propter inobedientiam in his, quæ ad gubernationem sui monasterij, Monialium, & rerum subjectarum pertinent, ut colligitur *ex c. dilecta*, 12. *h. t.* Pro cujus intelligentia præter ea, quæ diximus suprà, not. 6. fœminas, sicut sunt capaces dignitatis Ecclesiasticæ, sic etiam ratione sui muneris publici capaces esse alicujus jurisdictionis Ecclesiasticæ non supponentis Ordinem, juxta dicta *loc. cit.* Et ideo ratione dignitatis possunt habere collationem beneficiorum, ut notat Abbas *in cit. c. 12. nu. 3.* ac in eis instituere, institutione dante possessionem, & titulum; non autem authorizabili, per quam datur potestas exercendi curam animarum, ligandi, ac solvendi; sic Frater Emmanuel *tom. 1. q. 17. a. 12.* apud Barbos. hìc *n. 3.*

2522. Not. 7. nec Abbatissis, nec ulli non Clerico, competere potestatem excommunicandi sibi subjectos; cùm ea potestas spectet ad potestatem Clavium Ecclesiæ, cujus mulier, & non Clericus, incapax est; sic Abbas *cit. nu. 3.* Unde, si Clerici, vel alij mulierum Regularium subditi egerent correctione pœnali *per censuras*, Abbatissa deberet implorare officium Superioris, ut dicitur *cit. c. 12.* Hinc cùm *in cit. c. 12.* dicitur, quòd Abbatissa, de qua ibi, Honorio III. conquesta *de in obedientijs suarum Canonicarum* (non Regularium) eas ab officio, & beneficio *suspenderit*, non intelligitur *de suspensione, quæ est censura*, cujus violatio inducit irregularitatem; sed quæ est *pœna*, privando fructibus beneficiorum, & prohibendo ab exercitio, seu functionibus officiorum suorum; V. Azor. *cit. p. 1. l. 13. c. 10. q. 6.*

2523. Not. 8. Clericum, Episcopo subjectum, non teneri ad obedientiam ei præstandam *in scripto*, vel *per juramentum*, ut habetur *in c. Legebatur*, 3. *h. t.* sed sufficere, promissionem manualem, seu verbalem; at hoc intellige de simplici Clerico, nullam administrationem habente. Parochi enim, & Curati, tempore investituræ, tenentur juramentum obedientiæ præstare Episcopo, in quo tamen attenditur cujusque Ecclesiæ consuetudo. Excipi etiam debet casus, quo Canonici Regulares, Priori suo, inobedientes forent. Nam tales ab illo excommunicari possunt; & licèt à Papa, vel ab alio absolverentur; deberent præstare juramentum de obediendo suo Superiori; si autem forent incorrigibiles, expellendi essent de consortio fratrum, ut dicitur *cùm in Ecclesijs*, 10. *h. t.* V. infra dicenda, *à n. 2526.*

2524. Not. 9. Metropolitanum non posse exigere juramentum à suo Suffraganeo *ultra formam Canonicam*; & si exigat, non teneri parêre; & si juret; juramentum non tenere, *cap. dilecti filij*, 13. *h. tit.* intellige, non tenere *quoad ea*, quæ juravit *ultra formam.* Ex quo colligitur, Capitulum, etiam invito Prælato, posse se opponere, si ex facto Episcopi, vel alterius Prælati, præjudicium infertur Ecclesiæ, prout in casu hujus c. se oppositAchidiaconus, & Capitulum Castellanum Archiepiscopo, & Patriarchæ Grandensi apud Gregor. IX. Summum Pontificem; cùm ille ab Episcopo Castellano juramentum ultra formam Canonicam exegisset.

2525. Not. 10. præter pœnas, inobedientibus statutas, de quibus *num. 2518. inobedientiæ notam* incurrere non obedientem Apostolicis Canonibus, ut habetur *c. Illud Dominus*, 5. *h. t.* ibi: sed *cùm spiritualia sint temporalibus digniora, & obedientia melior sit, quàm victimæ, & auscultare, magis, quàm adipem arietum offerre, non debue-*

*debuerat idem Episcopus, pro temporali commodo Herbipolen. Ecclesiæ, notam incurrere inobedientiæ, & Apostolicis jussionibus contraire: hanc notam* vocant aliqui *infamiam Canonicam*; quæ tamen, sublato peccato, ex quo nata est, per pœnitentiam tollitur, ut notat Abbas *in cit. n. 5. infine.*

2526. Not. 11. circa incorrigibiles (de quibus *nu.* 2518.) posterioribus temporibus aliqua, specialiter observanda, esse præscripta novissimè ab Innocent. XII. qui confirmans decretum de ejectis, & ejiciendis, edictum à sacra Congreg. 1. Maij, 1693. statuit. 1. quòd firma maneant, decreta de Apostatis, & ejectis, edita à sacra Congregatione Concilij; & Urban. VIII. anno 1624. confirmata. Secundò, de novo statuit, quòd *annus integer*, qui in prædictis decretis anni 1624. præscribitur in pœnitentia, & jejunio ad ejiciendos incorrigibiles, *ad sex tantùm menses continuos* in posterum coarctetur, & restringatur.

Tertiò, quòd facultas Generalibus Ordinum, de consilio, & assensu, ex gravioribus Religiosis, in singulis Capitulis, & Congregationibus generalibus, ad causas ejiciendorum eligendis attributa; extendatur etiam ad quoscunque Provinciales, qui electis pariter in Congregationibus provincialibus, 16. gravibus ex propria Provincia Religiosis, à Generali confirmandis, de illorum consilio, & assensu, causas hujusmodi cognoscant, & ad effectum ejiciendi incorrigibiles suæ Provinciæ, & electionem pronuntiandi, accedente approbatione Generalis, definiant, salva semper S. Sedis, & S. Congregationis Concilij, in casu recursûs, & appellationis, auctoritate.

## ARTICULUS III.

### *An Minor exercere valeat jurisdictionem in Majorem?*

2527. CAsus iste proponitur in c. *cùm inferior*, 16. *h. t.* ubi Archi-Diaconus Firmiensis in Episcopum ibi consecratum, & confirmatum, ac ejus Ecclesiam, jurisdictionem exercere voluit; eò quòd illa Ecclesia priùs, quàm ab Archi-Episcopo Colocensi, de licentia Papæ, in Cathedralem erigeretur, sub suo Archidiaconatu fuerit. Re delata ad Gregorium IX. Pontifex id absonum judicans, eò quòd *inferior regulariter Superiorem nequeat solvere, & ligare*; sed *Superior, inferiorem*: mandavit Archi-Episcopo Colocensi, ut dicto Archi-Diacono inhibeat, ne de cætero aliquid hujus, erga Episcopum, & ejus Ecclesiam attentare audeat, cùm dictus Episcopus à jurisdictione ipsius Archi-Diaconi ipso facto sit exemptus; sic c. *cùm inferior.*

Ex hoc c. Colliges 1. Ecclesiam Collegiatam, vel Conventualem, non modò Sæcularem, sed etiam Regularem, ipso facto fieri exemptam à jurisdictione Prælati, Episcopo inferioris, si legitimè erigatur in Cathedralem; constat ex casu *numeri præced.* Unde fit, quòd, si Episcopo, de novo constituto, assignata sit *propria diœcesis*, intra cujus fines Archi-Diaconus existit, etiam iste illi subjectus erit, *arg. c. Regenda*, 10. *q.* 1. *& c. cùm personæ 7. de Privileg.* Deinde Monasterium Religiosi Ordinis erigi posse in Ecclesiam Cathedralem, sic, ut ejus Prælatus, sive Regularis, sive sæcularis ibidem Episcopus sit, ut habetur in *cit. c. cùm inferior; & c. 1. ne Sede vacante*, juncto c. *nullus* 28. *de elect. in 6.* 2528.

Colliges 3. in textu signatè dici, quòd inferior *regulariter* Superiorem nequeat solvere, & ligare. Nam per accidens fieri potest oppositum, v. g. ratione delicti; non quidem sic, quòd, si Episcopus delinquat intra fines Archi-Diaconi sibi subjecti; vel Archi-Episcopus in diœcesi sui Suffraganei, hic ab illo puniri possit (quia inferior nequit *ligare* illum, cujus jurisdictioni subordinatus est, ut rectè notat Layman *in cit. c. 16. n. 3.*) sed, si Episcopus extraneus delinquat in territorio Prælati non exempti, Abbatis v.g. vel Præpositi. Nam delinquens in territorio non subjecti, aut non subordinati Judicis, ratione delicti sortitur forum; quia tunc in tali loco habetur ut persona privata; sic Abbas in c. *sanè, de foro compet. n.* 4. Limitari etiam debet dictum, *quòd Superior non subjiciatur inferiori*, ut non procedat, quando ille huic se sponte subjicit in his, à quibus lege, vel Canone non prohibetur; sic Superiores, Episcopi, imò & summus Pontifex, suis se confessarijs rectè subjiciunt. 2529.

2530. Colliges 4. illam regulam : *qui potest ligare, potest & solvere, ac è converso*, non esse accipiendam *indefinitè*. Nam in pluribus casibus fallit 1. *in foro conscientiæ*. Nam Parochus jure ordinario non potest excommunicare, potest tamen solvere ab excommunicatione non reservata; 2. *in foro externo*; nam Legatus à latere percussores Clericorum, etiam existens extra Provinciam, potest absolvere; non tamen existens extra Provinciam potest ligare, seu excommunicare, ut diximus *supr. de Offic. Legat.* Procedit ergo solùm, quando unum eorum alicui competit ex officio, nimirum jure ordinario; secus, si solùm ex commissione nudæ potestatis ad solvendum, vel ligandum. Regulares enim à pluribus casibus, Papæ reservatis, ac etiam censuris, vi suorum privilegiorum, possunt solvere, quin jure ordinario possint peccata reservare, vel censuras infligere.

Colliges 5. Papam, nisi aliud exprimat, non intendere juri tertij præjudicium, saltem grave, inferre; ut colligitur ex *cit. c. cùm inferior*, ibi: *quòd, si per hoc jura Archidiaconi Firmiensis lædantur in diœcesi Colocensi, tum ipsi aliunde, in eadem diœcesi, ubi Archiepiscopus expedire judicaverit, competentem compensationem facere debeat, absque præjudicio tamen juris alieni.*

## ARTICULUS IV.

### *An per lapsum in hæresim, vel schisma, Prælatus Ecclesiæ amittat jurisdictionem, & jura sua?*

2531. ANte resolut. not. aliud esse, *Ecclesiam* aliquam, aliud, *solùm* ejus *Prælatum*, vel *solum Capitulum*, in schisma, vel hæresim labi. Primum contingit, cùm & Prælatus Ecclesiæ, ac totum ejus Capitulum, atque Clerus, in tale crimen prolabitur; quo posito: 1. si tantùm *solus* Episcopus, aut Prælatus Ecclesiæ; non autem Capitulum, vel Clerus; vel *solum* Capitulum, aut Clerus, non autem Prælatus, in hæresim, vel schisma prolabatur, Ecclesiam non privari jurisdictione, vel juribus suis; sic Felinus in c. *Inter quatuor* 8. *h. t. n.* 3. Nam delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare, per *Reg.* 76. *in* 61. præsertim, cùm Prælatus neque per pactum Ecclesiæ jura, sine Capituli consensu, possit alienare; minùs ergo per delictum. Et ideo licèt Procurator Monasterij committeret crimen falsi in judicio, vel aliud, propterea Monasterium patietur jacturam causæ; sic P. Ludovicus Engel *de Privilegijs Monasteriorum, privileg.* 26.

Similiter Monasterium non tenetur de depositio illo, quod culpâ Religiosi est deperditum, aut deterius effectum, nisi quatenus res deposita in Monasterij utilitatem conversa est, ut inde locupletius factum sit, ut tradit Molina *de Just. tr.* 2. *D.* 525. Lessius *de Just. l.* 2. *c.* 27. *d.* 3. *n.* 12. addens, idem dicendum esse, si depositum sit apud Abbatem, cujus rationem dat Sanchez *in Præcept. Decal. tom.* 2. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 29. quia nec ex delicto peculiari Abbatis tenetur Monasterium.

Dixi: *si solus Prælatus*, vel *solum Capitulum*, aut Clerus labatur in hæresim, vel schisma; quæstio autem potissima est, *an, si Episcopus unà cum Clero, & populo universo, labatur in hæresim, vel schisma*; jura, & privilegia talis Ecclesiæ nihilominus maneant penes illam? affirmativam sequitur Joannes Andr. c. *Inter quatuor*, *n.* 4. & Abbas *ibid. n.* 5. Nam tali casu res se habet, sicuti si omnes peste, aut ruinâ extincti sint. Nam adhuc privilegia loco adhærebunt. 2532.

Deinde, bona Ecclesiarum non solùm sunt deputata ad usum Prælati, & Capitali, sed præterea etiam ad reparationem templi, quod Divino Numini dicatum est, & ad alimoniam pauperum (c. *fin.* 16. *q.* 2. *quatuor* 12. *q.* 2.) quibus ex alieno facto præjudicium generari non potest, c. *non debet*, *eod.* Et ideo in præjudicium Ecclesiæ, Prælatus, & Capitulum, veteres consuetudines Ecclesiæ remittere non possent; Innocent. ad c. *accedentibus*, *de Prælat.* Angelus *conf.* 177. & si confiteantur, se recepisse pecuniam, eandemque in rem Ecclesiæ conversam esse, si aliter de conversione verè constet, minimè eis credetur; alioqui enim (inquit D. Antoninus ad c. *gravis*, *in fin. depositi*) daretur occasio delinquendi, & sic contra veritatem confitendi, & deinde pecuniam inter se dividendi, & consumendi, aut bona

na Ecclesiæ ad agnatos transferendi; Panormit. *ad dict. c. 1. n. 18.*

2533. Confirmatur 1. quia hoc procedit, si testator dixisset, *velle se, bona sua ob delictum admissum ad alios pervenire.* Etenim, ut eleganter decidit Felinus *cons.* 34. legatum factum de certis bonis cuidam Xenodochio hac conditione, quòd singulis annis certum anniversarium celebraret; &, si non faceret, alteri Ecclesiæ applicaretur: certè si Gubernatores dicti Xenodochij certis annis anniversarium illud intermiserint, non privatur hospitale suô legatô. Sed an idem sit, si Monasterio legatum fuerit: & omnes Monachi in celebratione dicti anniversarij negligentes sint, latiùs examinat, quem vide *loc. cit.*

Confirmatur 2. quia Prælatus, *delinquendo* non solùm non transfert dominium rei Ecclesiæ, sed nec possessionem quidem, etiamsi adjecta fuerit clausula *constituti*, hoc est, quòd constituerit, se eam nomine emptoris possidere; quia non tam apud ipsum, quàm apud Ecclesiam, rei Ecclesiæ possessio est, Alex. Ripa, & alij *ad L. 1. ff. de acq. poss.* & ideo morte ejus possessio *non vacat*, id, quod pluribus verbis explicat Tiraquellus *in lib. de Constit. part. 3. lim. 16.*

2534. Confirmatur 3. quia delictum Prælati adeò non nocet Ecclesiæ, ut Prælatus remotus, vel depositus, non admittatur ad declarandum, aut testimonium ferendum super contractibus, seu actibus præcedentibus, per eum perperam factis, quatenus Ecclesiæ suæ ex eo præjudicaret, Laur. Calcaneus *consil. 125. n. 20.* Baldus ad c. *Si verò, qui feud. dare poss.*

Confirmatur 4. licèt regulariter producens instrumentum, cogatur eodem contra se uti, possitque ex illo condemnari (Alex. & alij ad §. *editiones, ff. de edendo*) quasi videatur approbare personam scribentis illud (Baldus *ad L. si quis testib. C. de Testibus*) tamen, si Ecclesia, vel ejus Procurator ignoranter produxit instrumentum falsum, per Prælatum confectum, nullum sibi in eo præjudicium facit, c. *cùm venerabilis*, & ibi Felinus *n. 27. de except.* ubi dicitur, quòd excipiens non videatur fateri ea, quæ in exceptione includuntur.

2535. Negativam autem sequuntur alij, volentes, quòd si Ecclesia aliqua in hæresim, aut schisma labatur juribus, ac privilegijs Ecclesiasticis privetur ita, ut aliæ inferiores, in Spiritualibus antea subjectæ Ecclesiæ, ac populi Christiani, immunes ab illa efficiantur, saltem post sententiam declaratoriam hæresis, aut schismatis incursi, pro quo citatur D. Thom. *22. q. 39. a. 3.* apud Layman *in cit. c. 16. h. t. n. 1.* Fundamenta hujus opinionis sunt sequentia apud Peckium ad Regulas Juris Canonici, *Reg. 76. à n. 5.* Quia Prælatus potest præjudicare juribus Ecclesiæ; primò ex eo, quòd, *Prælatus navem Ecclesiæ, publicis utilitatibus, seu rerum bellicarum transvectionibus dolosè subtraxerit: utique hæc navis in damnum Ecclesiæ publicata, fisco Principis adscribitur. L. jubemus 1. C. de Sacros. Eccles.* Secundò, quia, si quis Virginem Sanctimonialem, & Deo dicatam, aut rapuerit, aut solicitaverit, aut corruperit, bona ejus Monasterio, ubi consecrata, professa, & velata est, pro solatio addicuntur *L. Raptores, C. de Episc. & Cler.* si tamen ea, quæ præest Monasterio, intra unum annum, postquam cognovit, facinus tale admissum esse, res ejusmodi non vendicet, nascitur sanè hac illius negligentiâ præjudicium Monasterio, & Fisco Principis adjiciuntur: §. *fin. in auth. de Sanctissimis Episc.* quod & de bonis hæreticorum alibi, constituit Justinianus, *L. in §. si quis, de prædictis 2. in auth. ut cum de appell. cognos.*

Tertiò ex eo, quòd (ut in Africana Synodo legitur) Prælati qui negligunt loca, sibi subdita, in unitate Catholica lucrari, si à vicinis Episcopis moniti infra sex menses id non effecerint, alius, qui ea convertit, sua faciat, & Ecclesia illius Prælati, dominium amittat, *c. 1. de præscript. c. placuit. 2. 16. q. 3.* Quartò ex eo, quòd ex negligentia Prælati contra Ecclesiam currat præscriptio, c. *auditis, de præscript.* & si ipse, aut Procurator Ecclesiæ instrumenta Ecclesiæ in judicio non exhibuit, noceat hoc illius factum Ecclesiæ ipso jure, & non nisi in integrum restitutione postulata adjuvetur, *c. 2. de restit. in integrum.*

Quintò ex eo, quòd si Episcopus, vel 2536.
Prælatus feudum à Rege non *personæ*, sed *Ecclesiæ* datum, propter suam culpam perdat, utique *eo vivente*, nullum ex illo feudo fructum Ecclesia habeat. Neque tamen sufficit, quòd eo mortuo ad Eccle-

siam vertatur, §. *fin. de Capit. Corradi in usibus feud.* quia fructus medio tempore percipiendi, & fortè per Prælatum non consumpti, in rem Ecclesiæ convertorentur, c. *cùm in offic. de Test.* Sextò, quia, si Episcopus delinquat, & sciens, prudensque alienum servum ordinet, eum Domino suo, ut est in Concilio Aurelianensi, cum duplici satisfactione recompensare debet, c. *si servus* 54.

Septimò, quia Episcopus, si non acquirit Ecclesiæ, cùm potest, in fraudem non acquisiviſſe censetur. *L. in fraudem, ff. de Jure Fisci;* quia tenetur Ecclesiæ utilitatem pro viribus procurare: si tamen ab emphyteuta (qui per biennium in solutione Canonis cessavit, *L. invenimus 2. C. de Sacros. Eccles.*) Canonem spontè recipiat, solus utique impedit, ne pœnæ commissio locum habeat. Octavò, quia exceptio spoliationis Prælati, Ecclesiæ nocet, c. 2. *de Ord. cog.* & subinde ex falsitate per Prælatum admissa (*c. cùm ex literis, de Restit. in integrum*) adversus illam pronuntiatum fuit. Postremò ex eo, quòd Ecclesia pupillis æquiparetur, Clem. *quia contingit, de Relig. domib.* Unde sicut (teste Ulpiano) si Tutor dolo fecerit, in pupillum datur actio, *L. 1. §. hoc edicto, ff. ne vis fiat ei, qui in poss. &c. L. fin. de Administr. Tut.* ita & hic quoque ex delicto Prælati rectè videtur Ecclesia teneri.

2537. In his opinionibus inter se oppositis, quorum fundamenta retulimus ex Peckio *cit.* illa probabilior videtur, quæ docet Ecclesiam, cujus Prælatus cum Capitulo, & Clero in hæresim labitur, saltem post sententiam declaratoriam hæresis, perdere jura sua omnia, & privilegia, prout apertè colligitur ex c. *Ut commissi*, §. *Privandi, de hæreticis in 6.* ubi Bonifacius VIII. Inquisitoribus hæreticæ pravitatis sic scribit: *Ut commissi Vobis officij debitum, utiliùs, & uberiùs exequamini, Sanctæ memoriæ Innocentij, Alexandri, & Clementis, Prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, Vobis, & Vestrum singulis, privandi, vel privatos nuntiandi, dignitatibus, ac illis beneficijs Ecclesiasticis de diœcesanorum, vel eis absentibus, Vicariorum suorum consilio, & officijs publicis, ac honoribus quibuscunque, eosdem hæreticos, credentes, receptatores, & defensores ipsorum, eorúmque filios, & nepotes, plenam concedimus facultatem.*

Ex hoc textu, hæreticos, ipso jure privatos esse, à die commissi criminis, omnibus beneficijs Ecclesiasticis, ante hæresim adeptis colligit Barbosa *in cit. c. Ut commissi, n.* 10. pro eadem opinione referens Covarruv *l. 3. Variar. c. 8. n. 4.* Flamin. Paris. *de Resignat. benefic. l. 3. q. 1. à n.* 31. Ledesmam, Azor, Sanchez, Anton: Riccium, & alios. Et ratio est, quia hæretici, & schismatici quoad favores extra Ecclesiam sunt. Non igitur convenit, eos juribus, ac privilegijs Ecclesiæ gaudere. Idem dicendum est de lapsis in schisma, ex c. *Novatianus 7. q. 1. c. didicimus*, 24. *q. 1.* quorum primo de Schismatico, sic loquitur Nicolaus Papa: *qui ergo nec unitatem Spiritûs, nec unionem pacis observat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque à Sacerdotum Collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui Episcopatûs nec unitatem voluit tenere, nec pacem;* & altero, Cyprianus ait: *didicimus, omnes hæreticos, & Schismaticos nil habere potestatis, ac juris.* Hæc tamen limitanda sunt, ut non procedant, quando vel unus ex Conventu contradicit, & in fide, ac unitate Ecclesiæ manet. Nam in tali casu, alijs privatis, jura Ecclesiæ penes ipsum remanebunt. Nam licèt gesta à majori parte valeant, *ad utilitatem Ecclesiæ*, etiam minori contradicente; unius tamen contradictio impedire potest, quò minùs valeant gesta ad delictum, & damnum Ecclesiæ imputandum.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ in 2538.
*n.* 2532. ℟. non esse paritatem in casu ibi allato. Nam in his, quo omnes peste, vel ruinâ extinguuntur, id contingit citra illorum culpam; secus est, ubi jactura jurium decernitur in pœnam delicti, prout contingit, cùm Ecclesia, hoc est, totum Corpus, vel totum Monasterium, prolabitur in hæresim.

Ad 2. ℟. etsi verum sit, quòd bona Ecclesiæ non sint tantùm deputata in usum Prælati, & Capituli; sed etiam in templi reparationem, & pauperum alimoniam: quia tamen Prælatus cum Capitulo repræsentativè est *Ecclesia*, quoad jura distribuendi ea bona in eos fines, & ratione delicti totius corporis cum suo capite se constituit indignum eo jure, quod habebat,

reti-

retinendo, talis Ecclesia non patitur *ex alieno*, sed proprio delicto.

Ad 3. constabit ex dicendis à *num. sequenti.* Ad 4. R. aliud esse damnum, quod Ecclesia patitur *in non acquirendo*; aliud, quod patitur *in jam acquisitis*, ex delicto Prælati, & Capituli; quid porrò possit, vel non possit Prælatus, & Capitulum *simul*, quando ex utriusque delicto Ecclesia damnificatur, constabit ex *num.* 2539. Quod dicitur in *n.* 2533. *& seqq.* solùm probat ex delicto *solius* Prælati Ecclesiam non pati jacturam jurium suorum, quod ipsi asserimus *sup. n.* 2531. Nec aliud concludi potest ex eo, quod dicitur in confirmatione. 4. *n.* 2534.

2539. Ad ea, quæ producuntur pro sententia negativa *à n.* 2435. in quantũ intendunt, solum Prælatum ex delicto suo Ecclesiæ causare posse amissionem jurium suorum, cujus oppositum tenuimus supr. *n.* 2531. Resp. præmittendum, solum Prælatum *in rebus acquisitis* Ecclesiæ nocere non posse; secus *in acquirendis*, sicut servus respectu Domini eidem nocere non potest in jam quæsitis; secus in acquirendis, *L.* 1. §. *fin. ff. de stipulat. servorum*; & debitor respectu Creditoris, per L. 2. *ff. qui in fraud. credit.* Ratio autem hujus est, quia Prælatus est defensor, & Procurator Ecclesiæ *generaliter* constitutus; non autem Dominus rerum ad eam pertinentium, per c. *Fraternitatem*, 2. *de donat.* Fraternitate tuam credimus non latere, *quòd, cùm Episcopus, & quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non Dominus: conditionẽ Ecclesiæ meliorare potest; facere verò deteriorem non debet.* Accepimus autem, quòd Prædecessor tuus graves donationes in rebus Episcopatûs fecit in detrimentum Ecclesiæ, suis Canonicis inconsultis. Unde, quoniam donationes de jure non tenent, indulgemus tibi, ut liceat donationes hujusmodi tam à Clericis, quàm à Laicis, legitimè revocare; & 14. *q.* 1. *c.* 1. in mandato autem, seu constitutione generali non continetur facultas per delictum Ecclesiæ præjudicandi, *L.* 1. *ff. de magist. convent.* & docet Felinus *consil.* 34. *nu.* 8. *cùm nemo debeat alterius odio prægravari*; juxta c. *Non debet*; ergo talis actus donationis cum damno in jam acquisitis, quod ex ejus delicto Ecclesia patitur, ob defectum potestatis validè celebrandi actum damnificativum, nullus est, consequenter in bonis acquisitis Ecclesiæ nocere non potest. Hoc confirmatur ex eo, quia Prælatus non potest *expressè* sine debita solennitate, & causa, bona Ecclesiæ alienare per c. *sine exceptione*, 12. *q.* 2. ergo multò minùs *tacitè*, & delinquendo.

2540. Dices 1. ex hoc sequi, quòd nec Prælatus cum Capitulo possit Ecclesiæ præjudicare etiam in acquirendis. Nam Prælatus etiam cum Capitulo non potest alia, nisi quæ cadunt in potestatem Prælati, & Capituli; non autem ea, quæ sub eorum potestatem non cadunt; at *delinquendo nocere Ecclesiæ* sive in acquisitis, sive in acquirendis, non cadit sub eorum potestatem; ergo. Resp. quando dicimus, quòd Prælatus cum Capitulo nocere possit Ecclesiæ, cùm labitur in hæresim, vel schisma, procedere non tantùm de damno in bonis acquirendis, sed etiam acquisitis; in alijs autem casibus, extra tale delictum, duntaxat in acquirendis, non in jam acquisitis. Ratio primi est, quia id de utroque delicto expressè habetur *in cit. jurib. n.* 2537. *& seq.* quæ, cùm odiosa sint, ad alios casus non expressos extendi non debent. Ratio secundi est, quòd non acquirendo non tam dicatur *nocere*, quàm *non prodesse*; unde licèt non possit imputari Ecclesiæ delictum Prælati cum Capitulo in his, quibus propriè *nocet*, extra casum hæresis, vel schismatis; potest tamen in aliis, solùm quando *non prodest*; idque propterea, *quòd talem elegerit*, præsertim, cùm minùs sit *aliena non acquirere*, quàm *sua deperdere.* Nam damnum ex negligentia Prælati, non nisi ad tempus nocet Ecclesiæ, scilicet *tantisper*, donec Prælatus vivit; quia indignus est, ut adjuvetur, & in omnem eventum Ecclesiæ beneficium restitutionis conceditur, & ut notat Curtius ad *L. servus, C. de pactis, n.* 6. quia contra Prælatum, qui data opportunitate acquirendi, noluit acquirere, datur actio ad interesse, pro modo, & ratione lucri cessantis.

2541. Hinc Resp. ad object. N. sequel. & suppositum, quòd damnum, Ecclesiæ proveniens ex lapsu Prælati cum Capitulo in hæresim, supponat in eo juridicam potestatem delinquendi, aut delinquendo nocendi nocumento inducto via jurisdictionis, qua

pollet; hoc enim damnum imponitur Ecclesiæ à jure, suppositò lapsu in hæresim, vel schisma; quod etiam procedit, quando nocet non acquirendo; quibus præmissis.

Ad 1. in *nu.* 2535. Resp. 1. ibi, ubi sermo est de navi publicanda, & fisco Principis adscribenda, non agi *de lapsu Prælati in hæresim, vel schisma*, propter quem concedimus, ex tali delicto amitti jura Ecclesiæ; sed tantùm de dolosa navis subtractione, quando ea utilitatibus boni publici necessaria erat. Unde, qui admittunt in dicto casu dispositioni juris civilis locum esse, dicunt speciali jure, & ex necessitate publica receptam esse dictam legem *Jubemus, C. de sacros. Eccles.* nec illam fundari in mero delicto, sed solùm velato, & incluso in administratione; quod, cùm in Prælati persona propriè puniri possit, punitur in ipsa navi, sic tamen, ut admittatur Ecclesia, ut hoc damnum acceptum recuperet, si Prælatus solvendo non sit, restitutione in integrum; sic Bartholus, Alciatus, & Castro, *in cit. L. Jubemus.*

2542. Ad 2. in *nu.* 2535. Resp. ex ibi adductis solùm sequi, quod *nu.* 2539. admisimus, nimirum Prælatum præjudicare posse in non acquirendo, id quod etiam probat objectio tertia. Hoc tamen ipsum damnum, ex Prælati negligentia Ecclesiæ datum in non acquirendo, intellige secundùm dicta *nu.* 2540. Hinc etiam &c. ad 4. Nam eo casu Ecclesiæ liberum est, vel restitutionem in integrum petere, vel contra negligentem Prælatum, aut Procuratorem, judicio experiri; id, quod aliis non permittitur, quamdiu Procurator solvendo est. Et quamvis aliqui hanc doctrinam (*quòd Prælatus Ecclesiæ præjudicare possit in non acquirendo*) velint locum non habere in causis ordinis, ut docet D. Antonin. apud Pekium *cit. nu.* 6. hic tamen de hoc dubitat, cùm ardua possit esse res, & amplum patrimonium hæretici, vel Raptoris, in cujus tamen acquisitione Prælati negligentia nocet.

2543. Ad 5. Resp. in eo casu solùm probari, Prælatum Ecclesiæ nocere *in non acquirendo;* Ecclesiæ autem sufficere, quòd res feudalis ad ipsam redeat, præsertim cùm incertum sit, an Prælatus fructus ex feudo suæ personæ concesso consumpsisset, an non? Ad 6. Resp. illam duplicem satisfactionem nihil probare contrà dicta nostra; cùm non dicatur præstanda *ex bonis Ecclesiæ, sed Prælati*, qui servum alienum sciens ordinavit.

Ad 7. Resp. in eo, qui non acquirit, cùm potest, legem favore Fisci præsumere dolum, & fraudem; in Prælato autem potiùs negligentiam, quàm malitiam, per c. *ad nostram, de appellat.* Ad 8. dico, verum esse, quòd Ecclesia in dicto casu tenebatur ex facto Prælati, sed ideo, quia illius Castri possessio ad ipsam pervenerat ex spolio Prælati; consequenter ne lucrum haberet ex ejus delicto, potuit judicio experiri.

Ex his colligitur, solum Prælatum de- 2544.
linquendo non posse præjudicare in juribus, & bonis jam acquisitis, ut constat ex *n.* 2531. posse tamen in acquirendis, ut dictum est *n.* 2539. & confirmatur plerisque argumentis, quæ adducta sunt à *nu.* 2535. Sic autem Prælatus simul cum Capitulo, & Clero labatur in hæresim, vel schisma, spoliari Ecclesiam, vel Monasterium juribus, & bonis, etiam præhabitis ex *n.* 2537.

## ARTICULUS V.

### *An Prælatus per reditum ad veram fidem recuperet amissionem jurium & bonorum?*

2545. QUæstio est, an Ecclesia, cujus Episcopus, & totus Clerus; vel Monasterium, cujus Prælatus cum toto Capitulo, vel in hæresim, vel schisma prolapsus est, cùm hi ad Fidei Catholicæ unitatem reversi sunt, eorum restitutionem exigere possit? Resp. P. Ludovicus Engel *de Privilegijs Monasteriorum, Privilegio 26. nu. 2. respondet his verbis: si Religiosi omnes in aliquo Monasterio delinquant, & incorrigibiles sunt:* non propterea bona Monasterij *ad profanos usus* transferenda (utpote quæ semel ad cultum divinum destinata sunt) sed expulsis incorrigibilibus alios ejusdem Ordinis, vel in horum defectu alterius Ordinis inducendos esse; si nulli prorsus Regulares tale Monasterium suscipere velint, tum demum & non priùs, ad Clericos sæculares, non autem ad Laicos transferenda, juxta *c. inter quatuor, de Relig. dom. c. Relatum*, 7. *Ne*

*Cleri-*

*Clerici, vel Monachi*, cap. *possessiones, de rebus Eccles. non alien.*

1546. Cæterum in hac quæstione videtur distinquendum. Nam vel illa bona, & jura, propter tale delictum amissa, adhuc vacant, dum fit redditus à Schismate, aut hæresi ad unitatem Ecclesiæ, ac veram fidem? vel jam possidentur ab alijs? deinde, si jam possidentur ab aliis, rursum distinguendum est, an translatio eorum jurium, quæ jam possidentur ab aliis, *facta sit authoritate Papæ*, an non? quo posito:

Resp. bona, & jura amissa in dato casu, per reditum ad unitatem fidei Catholicæ, ipso jure, veluti jure postliminij, recuperari ab Ecclesia, quæ illa propter lapsum in hæresim, vel schisma, prius amisit, *si adhuc sint vacantia*; si verò ab aliis jam possessa, quin *interim authoritate Papæ, amissorum translatio in eos facta sit*, Ecclesiam sic privatam, per Judicis sententiam restituendam esse. Primam partem docet Immola, & Felinus; secundam Innocent. & Abbas *in c. inter quatuor, 5. h. tit.* quos citat, & sequitur Layman *in dict. n.* 8. Ratio sumitur *ex cit. c. inter quatuor*, ubi sequens casus habetur.

Constantinopolitana Ecclesia in schisma, ac rebellionem inciderat: quamobrem Catholicæ, quæ ante subjectæ erant, Ecclesiæ, se ab illa separârunt, obedientiam, & subjectionem denegantes. Sed posteaquam à Venetis Constantinopolis recepta, & Catholicus Patriarcha institutus fuit, is petijt ab Innocentio III. ut Ecclesiæ, atque Episcopi, qui tempore schismatis pro liberis habeantur, nunc, mutato rerum statu, ad pristinam subjectionem obligati declarentur. Ad hoc respondit Papa: in absentia illorum Episcoporum, qui nec citati, nec convicti sunt, nihil se, in eorundem præjudicium statuere posse: *quòd si verò Patriarcha judicialiter contra illos agere velit, justitiam se ipsi non negaturum.* Ubi vides, quòd Papa judicet, *justam esse petitionem Patriarchæ*, ut Ecclesia Constantinopolitana restituatur pristinis juribus, licèt addat, *hanc restitutionem fieri non posse, nisi citata, & audita parte, cujus interest.*

1547. Dixi: *quin interim authoritate Papæ amissorum translatio in alios, vel aliam Ecclesiam facta sit.* Nam si interim eorum jurium, ac bonorum translatio in aliam Ecclesiam *absolutè* facta sit, & non tantùm sub conditione, *dependente ab Ecclesiæ rebellione*, etiamsi postea talis Ecclesia revertatur ad unitatem Fidei, aut recedat à delicto, propter quod *absolutè* spoliata est, bonis in alios jam *absolutè* per Papam translatis, non ampliùs restituitur. Sic Immola, & Felinus *cit.* post Barthol. *in L. Gallus, 29. §. & quid si tantùm, ff. de liber. & posthum. nu.* 11. quos citat, & sequitur Layman *dict. c.* 8. *n.* 4. Ratio enim est, quia restitutio in integrum, facta à Principe, non aufert jus alterius, nec alius est sensus legis primæ & seqq. C. *de sententiam passis* dicentium, *quòd restitutus recuperet bona*, quàm, *si non sint jam in aliâ translata.* Id, quod etiam expressè tenet Abbas in c. *Inter quatuor, cit. num.* 2. Nam restitutio fieri debet sine præjudicio aliorum, quibus interim jus quæsitum est, arg. *L. 2. ff. de decurionib.*

Quod P. Engel *cit.* adducit, *ex c. inter quatuor, 5. de Religios. domibus*, quando locus religiosus debet reformari, ut, quando omnes in tali loco sunt incorrigibiles, non propterea bona Monasterij *ad profanos usus* (utpote, quæ semel ad cultum divinum destinata sunt) nec, quamdiu per Regulares remanere potuerint ordinata, ad sæculares Clericos, esse transferenda, omnino constitutum est *in cit. inter quatuor*: sed de hoc, quòd expulsis illis incorrigibilibus, alii *ejusdem Ordinis*, & *primùm in horum defectu* alterius Ordinis Regulares inducendi sunt, nullatenus reperitur in textu. Verba dicti Capituli sunt; *inter quatuor* (& infra) *de Monasterijs quoque Græcorum in sæculares Canonicos convertendis Fraternitati tuæ respondemus: quòd quamdiu Monasteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad sæculares Clericos transferenda; sed si Regulares defuerint, propter eorum defectum, in eis sæculares Clerici poterunt ordinari*; ubi clarè, solùm definiri, Monasteria, *quamdiu per Regulares remanere potuerint ordinata*, non debere transferri *ad sæculares Clericos*; & solùm hoc fieri posse, *si defuerint Regulares*; ergo si in aliqua Provincia, vel Regno contingat, Monasteria non remanere ordinata per ejus inquilinos; vel, nec reformari valeant in suo Ordine, sed id rectiùs obtineri per alios Regulares

gulares, licèt alterius Ordinis, nihil fit contra dictam constitutionem c. *inter quatuor*, ut dicitur in c. *Relatum*, 17. *Nec Clerici, vel Monachi.*

2548. Et licèt in *cit. c. Relatum* expresè dicatur, ut hæc ordinatio, & reformatio fiat per Religiosos *ejusdem Monasterij, vel Ordinis*, si tales haberi possint, prout necessitas ordinationis, & reformationis exigit; hic tamen ordo solùm præscriptus est *Episcopis*, & locorum Ordinarijs, si per eos talis ordinatio, & reformatio facienda est, ut constat ex *cit. c. Relatum*, in quo continetur rescriptum Alexandri III. ad Episcopum Lundonensem, cui quærenti, quid faciendum, *cùm Monachi sæculariter vivunt?* sic rescripsit Pontifex: relatum est, *quòd Monachi de H. sæculariter vivant, & alios exemplo suo corrumpant.* Ideóque mandamus, quatenus eos ad observantiam regulæ, appellatione remota, compellas: vel, si tibi restiterint ausu temerario, *eis ejectis*, Fratres *alterius Ordinis* (*si non potest præscriptum Monasterium in suo ordine reformari*) in illud inducas: ut *labores impiorum justi edant: & illi tandem rubore perfusi, ad sui Ordinis observantiam revertantur.*

Ratio autem, cur hic Ordo reformationis observandus sit *ab Episcopis*, est, quia ipsi, extra necessitatem, statum Ecclesiæ mutare non possunt; nisi in casibus à jure expressis: secus est de Papa; hic enim ex justa causa licitè potest in Monasterio, in quo v. g. ejus Professi malè vivunt, illos amovere, & inibi alterius Ordinis Regulares, imò etiam Clericos sæculares, non observato prædicto ordine collocare; id probant plura exempla ejusmodi translationum, de quorum jure non attinet disputare, ut rectè observat Wagnerek ad *cit. c. Inter quatuor 5. de Religios. dom.* Rationem autem illius ejectionis, & bonorum translationis in alios pro tali casu assignat ipse Pontifex, ibi: *ut labores impiorum edant justi*: in quæ verba scribit Gonzalez *ad cit. c. Relatum, n. 3. in fine*, dicens: Pontificem respexisse ad illud Psalmi 10. *justi tulerunt spolia impiorum*; ubi agitur de Ægyptijs, mari rubro submersis; & eorum spolijs Israëlitico populo datis. Huc plurimùm facit textus in c. *quicunque, cum duob. seq. 23. q. 7.*

Dixi *n.* 2546. *bona propter lapsum in hæresim amissa*, ubi privatus ad unitatem veræ Fidei redit, *si adhuc vacantia sint*, veluti jure postliminij, *recuperari*; pro cujus intelligentia notandum, quòd *postliminium* rectè declaret Azor *tom. 3. l. 1. c. 4. q. 5.* affirmans, esse jus, quo restituuntur alicui, à captivitate reverso, sua pristina bona, quæ propter captivitatem amiserat. Videtur desumpta declaratio ex definitione, quæ affertur *L. Postliminium, ff. de capt. & postlim. reverf.* in hunc modum: *postliminium est jus, amissæ rei, recipiendæ ab extraneo, & in pristinum statum restituendæ inter nos, & liberos populos.* 2549.

Ex dictis percipitur intellectus verborum textûs *L. si quid bello, ff. de capt. & postl.* ubi sic: *si quid bello captum est, in præda est, nec postliminio redit*: sensus est (inquit *Molin. de just. tract. 2. disp. 18. 2. ex dictis*) si quid bello captum est, *in præda est*, id est, *ad capientem pertinet*: *nec postliminio redit, ut reddendum sit antiquo Domino, à quo hostes illud usurpaverant.* Intelligitur autem de rebus mobilibus, & præterea exceptis iis, quibus postliminij privilegium concessum est.

Denique (ut dilucidiùs explicemus cum Molina *cit. §. ex rebus*) privilegium postliminij est, quo res capta ab hostibus, atque adeò quasi extra limen, & terminum regni perducta, cùm revertebatur, sive bello extracta de hostium potestate, sive quacunque alia ratione, perinde reputabatur, ac si nunquam fuisset extracta: atque adeò omnia jura, quæ antea habuerat, obtinebat, eaque ratione, si ad aliquem antea pertinebat ad eundem revertebatur.

* * *

# QUÆSTIO XXXIV.
## IN TIT. XXXIV. DE TREUGA, ET PACE.

1550. INduciæ à Latinis dicuntur *quædam cessatio à bello ad certum tempus inter hostes pacta*; ita dictæ, quòd in diem certum à pugnando otium præbeant. Non dissidet *Jurisc. L. 49. ff. de capt. & postl.* *Induciæ*, inquit, *sunt, cùm in breve, & in præsenti tempore convenit, ne invicem se lacesserent hostes.* Hæc definitio, *Treugæ* aptari potest: *Treuga* enim, ut ait Sylv. V. *eod. est securitas præstita personis, & rebus ad tempus, discordiâ nondum finitâ.* Est duplex, una *conventionalis*, ex partium conventione formam accipiens, & servanda etiam infidelibus, *c. 23. q. 1. c. noli*: altera *Canonica*, quæ scilicet per Jus Canonicum inducitur, *c. 1. & 2. de Treuga & Pace.* Nam *in dict. cc.* præcipitur 1. ut certis diebus à bello abstineatur; diebus Dominicis, tempore Adventûs usque ad octavam Epiphaniæ; ac tempore quadragesimæ, usque ad octavam Paschæ, *c. 1. h. t.* secundò, ut à certis personis abstineatur, veluti Presbyteris, Monachis, Conversis, Rusticis, Mercatoribus, ac etiam animalibus, quorum usus est in arando, ut dicitur *c. 2. h. t.* sed (ut rectè notat Zoësius *h. t. n. 4.*) hæc lex Canonica, propter longâ consuetudinem, non ampliùs obligat; quod tamen non procedit quoad Ecclesiasticos. Nam in hos violenta manuum injectio, etiam hodie, interdicta manet sub pœna anathematis. Not. autem 1. Principem tam Ecclesiasticum, quàm Laicum, posse quandoque ex causis justis, & gravibus, compellere non tantùm ad Treugam, sed etiam pacem.

Pax autem, prout hìc accipitur, est conventio, per quam, ut dissidium inter inter Principes componatur, securitas, & vitæ quies utrinque promittitur. Extenditur aliquando etiam ad conventiones eorum, qui sunt subditi, quo tamen casu non tam pacis, quàm *concordatorum* nomine utimur. Dicitur *habitualis, & perpetua discordiæ peremptio, voluntariè inter litigantes facta*; quo differt à Treuga, seu indicijs, quæ breves sunt, aliquot dierum, vel solùm ad certum tempus; si enim longæ sint, prope ad pacem accedunt, ut notat Doctor, Philippus Braun *h. t.*

Not. 2. Treugam, seu inducias *conventionales* juribus gentium annumerari, c. *jus gentium, 7. dist.* 1. Nam hosti fides servanda est ex naturali æquitate, ut dicitur *cit. c. Noli 23. q. 1.* intellige, si & is datam fidem observet, juxta c. *Pervenit 3. de jurejurando, & 28. q. 2. c. 2.* Not. 3. quòd Episcopus possit per censuras punire, treugam violantes; & ad treugam compellere etiam Laicos, ut docet Abbas in *cit. c. 1. h. t.* & Barbosa ibid. *n. 4.* imò & inimicos excommunicare, si pertinaciter reconciliationem facere recusaverint, c. *perlatum, dist. 50.*

# QUÆSTIO XXXV.
## IN TIT. XXXV. DE PACTIS.

CÙm litis eventus plerúmque dubius sit, etiamsi quis habere videatur justam causam litigandi; ideo solent litigantes, ad vitandas expensas quandoque à lite recedere per pacta, & transactiones; & de pactis in præsenti titulo agitur, in proximo de transactionibus.

### ARTICULUS I.
### *Quid sit Pactum?*

1551. PActum à pactione dictum (*L. 1. §. 1. ff. de Pactis*) vel à pace (*c. pactum, de Verb. signific.*) quia per pacta pax fieri solet; ad transactionem, & contractus, comparatur ut genus ad suas species: definitur, *duorum, vel plurium in idem placitum, & consensus. L. 1. cit. & L. 3. ff. de pollicitationibus.* Dicitur *duorum*, vel *plurium* consensus, seu conventio, de aliquo nimirum *dando*, vel *non dando, faciendo*, vel *omittendo*, quam definitionem etiam recipit Layman *in opere moral. l. 3. tr. 4. c. 1. n. 1.* Ex his facilè colliges naturam pacti, sitam in consensu non unius tantùm, sed minimùm duorum; nec eo

qualicunque, sed super aliquo faciendo, vel omittendo; aliàs enim, qui tenent eandem conclusionem, consequenter in eadem veritate judicio conveniunt, paciſci dicerentur, contra communem. Pactum sic expositum, non differt à contractu latè sumpto; at verò à contractu *strictè* sumpto distinguitur tanquam genus à specie. Contractus enim, strictè sumptus, eas tantùm conventiones continet, quæ *ultro citroq.* pariunt obligationem, (*L. Labeo 19. ff. de Verb. signific.*) pactum verò salvatur in donatione acceptata, ubi donatarius non obligatur.

Ex hoc sequitur, pactum etiam differre à pollicitatione, seu promissione simplici, & nondum acceptata; hæc enim solùm consensum offerentis explicat; pactum verò utriusque, *L. pactum, ff. de pollicit. gloss. V. offerentis.* Hinc Covarruvias in c. *quamvis 2. in 6. de pact.* & Barbosa in c. *qualiter, de pactis n. 4.* docent, *ex pollicitationibus nullam nasci obligationem, etiam naturalem*, hoc est talem, quæ in conscientia obliget; & ideo ejusmodi pollicitationes, ante acceptationem, semper sunt revocabiles, nisi sint privilegiatæ, vel juratæ, ut volunt aliqui; sed de hoc V. *num. 2553.*

2552. Effectus autem pacti, ac veluti proprietas, est naturalis obligatio; *juxta regul jur. 48. ff. de Reg. jur.* ibi: *naturâ debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus. Quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm, quæ inter eos placuerunt, servare? L. 1. ff. de Pact.* Ratio autem ex eo sumitur, quia utroque jure præcepta est pactorum observatio, ut videri potest c. *Antigonus, & c. qualiter de pact.* quod Barbosa in c. *Antigonus n. 1.* intelligit etiam de pactis *nudis*; cùm textus loquatur *indefinitè*. Imò in c. *quærenti, de Verb. signific.* Judex, etiam per censuras ad pactorum observantiam cogere potest. De jure autem naturali ex *cit. Reg. jur.* constat; de jure demum civili exinde colligitur, quia concedit illis retentionem soluti ex tali pacto; & negat ejus repetitionem solutori, ut dicemus *inferius. Naturales* autem *obligationes non solùm eo æstimantur, quòd actio aliqua eo nomine competat; verùm etiam, quòd solutâ pecuniâ repeti non possit;* Greg. *in Syntagmat. l. 21. c. 3. n. 6.*

Dixi primò, *nisi sint privilegiatæ*; hoc est, nisi speciali favore, & juris dispositione habeant, quòd etiam ante acceptationem promissorem obligent; sed sic non carent omni acceptatione, etiam *legali*, quam aliqui dicunt acceptationem fictam; ratio autem est, quia nulla promissio ex se præcisè, & sine acceptatione promissarij obligat promittentem; ita Layman *cit. n. 3.* Sanchez *l. 1. de Matr. D. 7. n. 14.* Less. *l. 2. de just. c. 18. d. 6. n. 38.* Pirhing *de pactis* §. *1. n. 2.* Omnis enim promissio, naturâ suâ respectiva est ad alterius, nimirum promissarij voluntatem, si scilicet acceptet; *& nemo sua voluntate efficere potest, ut res sua alteri acquiratur, sine ejus consensu*, ut colligitur ex c. *si tibi c. quodam, de præbend. in 6.* ubi Clerico ex promissione beneficij per Episcopum facta negatur jus in re ad illud, antequam acceptet. Quia tamen Princeps per legem suam, boni publici causâ, pollicitanti potest obligationem imponere, ut promissionem impleat, esto nondum acceptata sit, hinc fit, quòd eæ solùm pollicitationes, quæ hoc juris privilegium habent, etiam ante acceptationem obligent hominis; sed non legis. 2553.

Hinc censent aliqui, quòd, si quis Civitati, vel Reipublicæ ob causam (puta incendium, terræ motum, vel ruinam, aut gratitudinem pro collato honore) pollicitus est, pollicitatio hæc etiam ante acceptationem veram; sed non fictam, seu legalem obliget, ut etiam per sententiam Judicis ad impletionem promissi promissor cogi possit, ut habetur *L. 1. 3. & 4. ff. de pollicit.* Loquimur autem de vera promissione (non nudo proposito) eaque externa, seu signo sensibili manifestata; quia solius offerentis promissum, ut debitum exigi potest, ut dicitur *L. 3. cit.* ergo non, quod est merum propositum.

Pollicitationem factam Ecclesiæ, Hospitali, vel piæ causæ, similiter *privilegiatam* esse, docet Molin *de Just. tom. 2. D. 263. §. dubium* Felinus *in c. 1. de pact.* Filliucius *de contract. tr. 33. c. 2. n. 27. &c.* Sed probabiliùs negant Layman, Less. Sanchez, suprà citati cum Pirhing jam cit. nisi munitæ sint voto, vel juramento. Nam talis pollicitatio ex se, & jure naturæ (secluſa acceptatione) nullam parit obligationem ex *n. 2551.* Non etiam dispositione juris,

tis, vel beneficio legis; quia nullum jus, nulla talis lex extat; & quæ affertur, appellat solùm *vim juramenti.*

2554. Et ideo aliud est, quòd talis promissio ante acceptationem obliget *in vi promissionis*; aliud, quòd in *vi voti*, vel juramenti appositi? Primum nego, cùm illi hoc nulla lege constitutum sit; secundum concedo cum Layman, & Less. *cit. quia juramentum servandum est, quoties sine dispendio salutis servari potest, c. si verò, de jurejurando*; intellige, si juramentum ex se validum sit. Ex hoc casu nascitur, tali pollicitatione jurata, etiam ante acceptationē non solùm obligatio Religionis (ex vi juramenti) sed etiam probabiliter justitiæ, beneficio juris; ex quo patet, cur in *n.* 2551. dixerim, *nisi sint juratæ.*

Ex hoc colliges, pollicitationem factam Ecclesiæ, vel causis pijs, ante acceptationem ejus, semper licitè revocari; ratio constat *ex dict. à nu.* 2551. excipe, nisi munita sit favore voti, vel juramenti appositi, ut monui *supr.* ita Sanchez *lib.* 4. *moral. c.* 41. *nu.* 7. loquimur autem de promissione de se valida, ut agam pluribus *infrà.*

Præter allatam differentiam pacti, & pollicitationis, est & alia; quòd hæc, non autem pactum, possit fieri absenti sine epistola, vel alio ejus nomine acceptante. Pactum enim petit *consensum duorum*, Sylvester V. *pactum q.* 1. Porro illa differentia, quam affert Cardinalis de Lugo, *tom.* 2. *de Just. D.* 23. *S.* 3. *n.* 46. (*quòd pactum, non autem pollicitationem, præcedat quidam tractatus*, & ultro citroque conventio inter paciscentes) accidentalis est, non essentialis. Nam si quis sine omni tractatione prævia promittat alteri, & is acceptet, erit verè pactum. Hinc quando Ulpianus *ex L.* 1. *ff. de pact.* ait: *pactum celebrari, cùm aliqui ex diversis animi motibus in unam sententiam decurrunt*, aliud non vult, vel intelligit, ac utriusque in idem consensum, & placitum; sic gloss. apud Pirhing *loc. tit.* Ex dictis per oppositum colliges, *pollicitationem acceptatam*, vel per ipsum promissarium, vel alium ejus nomine (cui pro ipso stipulari concessum est) revocari non posse per promissorem, esto res tradita non sit; nec etiam per ejus hæredes, si ipse priùs è vivis excessit. Nam obligatio jam contracta est; & hæredes in locum defuncti succedunt; ita Layman *cit. n.* 4.

Quæstio est, quid agendum in hoc ca- 2555.
su? Cajus per Epistolam promittit Titio 1000. florenos, & antequam nuntius cum epistola ad Titium pertingat, pollicitationem intimet, & is acceptet, Cajus moritur. Quæritur: ad quem spectent, vel cui tradi debeant dicti 1000. floreni; an donatario? an hæredibus defuncti? Prima sententia stat pro donatario, ita Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 6. *nu.* 5. Less. *l.* 2. *c.* 18. *d.* 6. *nu.* 46. Secunda stat pro hæredibus defuncti, cum Layman *cit. num.* 5. Covarruv. *p.* 3. *in rubr. de testam. n.* 26. & *L.* 2. *resol. c.* 14. *n.* 13. Molina *de justit. l.* 2. *D.* 263. *2. juxta hactenus &c.*

Secunda opinio videtur probabilior 1. quia sic expressè dicitur *L.* 2. *ff. de donat.* ibi: *si quis donaturus mihi pecuniam, dederit alicui, ut ad me perferret, & ante mortuus erit, quàm ad me perferat, non fieri pecuniam domini mei, constat.* Et hoc verum est, inquit Glossa, *quamvis mihi dictam pecuniam postea tradat.*

Deinde, si hæc pecunia deberet tradi donatario, esset ex eo, quòd jus acquisiverit vel ex pacto, vel ex donatione, vel ex mandato? *non primum*; quia omne pactum, consequenter etiam donatio, per quam quis acquirit jus in rem donatam, petit duorum consensum in idem; sed hic non intervenit ante mortem, ut liquet ex casu; *non etiam post mortem*, quia per mortem consensus donantis extinguitur, ut patet ex c. *si gratiosè, de rescript. in 6. Non* denique etiam *ex mandato.* Nam mandatum, si nondum executioni dari cœpit, extinguitur morte mandantis; L. *mandatum*, C. *mandati*, & §. *præterea*, *Instit. eod.* ergo.

Dices 1. donatio valida, seu ex parte 2556.
donantis perfecta, parit jus donatario; sed donatio, de qua casus est, est talis donatio; ergo. Not. donationem solùm ex parte donantis perfectam, non dici *validam simpliciter*, sed tantùm *secundùm* quid, & cum addito, scilicet *ex parte donantis.* Nam donatio *simpliciter valida*, revocabilis non est à donante, cùm carere non possit suo effectu, scilicet obligatione. Hinc fatetur ipse Sanchez *de matr. lib.* 1. *D.* 7. *nu.* 33. & *l.* 3. *D.* 33. *n.* 7. non sufficere ad perficiendum pactum, si poste-

rior paciscentium ; intellecto prioris consensu ex epistola, vel nuntio, coram aliis suum consensum exprimat ; sed requiri, quòd eundē intimet priori paciscenti, vel saltem ejus nuntio, tanquam instrumento ad id destinato ; si enim secus, eorum consensus non uniuntur moraliter : sed in nostro casu id non contingit ; nam cùm appellit epistola, vel nuntius, vel mortuo jam Donatore donatarius consentit, nec in instrumento (quod exspirat morte Principalis) nec in hæredibus consentire potest ; hi enim non succedunt, nisi in juribus ante mortem contractis ; ergo.

2557. Dices 2. gratia, expedita ex parte concedentis, executioni dari debet, licèt concedens moriatur, antequam procedatur ad executionem ; sed donatio est quoddam genus gratiæ ; ergo si nuntius, qui fert epistolam, non sit merus mandatarius, sed executor, & traditor rei donatæ, etiam post mortem donantis debet exequi. Resp. majorem veram esse de gratia, *facta in provisionibus beneficiorum, dispensationibus, & similibus gratijs, quæ ex debito officij Ecclesiasticæ potestatis procedunt* ; non autem aliis, merè *gratuitis, vel pactis, aut contractibus ad absentem directis*, nisi privilegiati sint, vel jurati, ut dixi sup. Nam de illis gratijs factis, non autem de alijs, extat specialis dispositio juris, ut etiam ante hominis acceptationem irrevocabiles sint, & executioni mandari debeant, etiam post mortem concedentis, arg. c. *si tibi, de præbend. in 6.*

Dixi : *gratijs factis.* Nam in dictis gratijs, per ordinem ad quas concedimus majorem, aliæ dicuntur *factæ*, nimirum ab ipso statim principali ; aliæ *faciendæ*, nimirum à Commissario, vel Delegato. Illæ ab executore executioni dari debent etiam post mortem concedentis Principalis ; quia jam sunt *factæ* ; secus istæ, si res adhuc sit integra, c. *si cui, de præbend. in 6.* & Sanchez *de matr. lib. 8. D. 28. n. 48. & 64.* Verùm hoc ad alias causas extendi non debet. Porro in dato casu nostro Nuntius ille non est executor donationis *factæ*, sed tantùm *faciendæ*, ex voluntate Domini ; atque adeò est merus mandatarius.

2558. Dices 3. si in dato casu moriatur donatarius, antequam donationem acceptet, hæredes illius acceptare possunt ; sed hoc est signum, quòd donatarius, cui succedunt hæredes, etiam ante acceptationem acquisiverit jus ; ergo. R. N. ma. quia loco ejus acceptare nulli competit, nisi publico tabellioni, vel alteri, cui pro illo stipulari concessum est : ut servo pro suo Domino, Procuratori, seu Syndico pro Principe, vel sua Civitate ; ita Layman *cit. n. 5. & ad. 3.*

Quamvis autem ex jure civili relato sup. constet, in nostro casu, Donatario non permitti, ut rem sic donatam acceptet ; videtur tamen lex illa non velle aliud, juxta Layman §. *nihilominus*, quàm illam acceptationem *civiliter* cassare, concedendo jus hæredibus, eam rescindendi. In praxi tamen putat securum donatarium, qui etiam post mortem donatoris, rem donatam, sic missam, acceptat, & servat, donec ab hæredibus repetatur. Quia sic & Nuntius tradendo, & donatarius recipiendo, sequitur voluntatem defuncti, benignè interpretando illam, utpote gratiosam ; ita Layman *loc. cit.* Illud tamen nota, donationem, vel promissionem beneficij, factam absenti, ante acceptationem sic manere ligatam, ut Episcopus illud alteri invalidè conferat ; nisi donatarius, vel promissarius consensum acceptativum dare recuset inter terminum præscriptum, c. *si tibi absenti, de præbend. in 6.* Verùm, cùm pro alijs causis, & casibus, non habeatur talis lex, ab hoc ad alios casus extensio fieri non debet. Quare casus iste, quoad hunc effectum, numerari non debet inter promissiones simplices, sed privilegiatas, de quibus *sup.*

Quæstio altera est, cui restituere debeat 2559.
Nuntius, qui rem in casu proposito donatam, injustè detinuit, vel absumpsit ? ac propterea in causa fuit, ut res vivo donatore ad donatarium non perveniret ? Molina *D. 263. §. juxta hactenus*, censet, quòd rem donatam debeat reddere hæredibus defuncti, & donatario compensare damnum ex jactura rei donatæ ; cùm illi hæc jactura injustè causata sit ; Layman autem judicat, satisfieri, si donatario compenset damnum, dando illi rem missam, vel æquivalens, hæredibus autem non teneri ad aliquid *ante sententiam Judicis.*

Ex dict. colliges, naturam pacti sitam esse in consensu non unius tantùm, sed minimùm duorum, idque non qualicunque,

que, sed super aliquo faciendo vel omittendo; aliàs enim, qui consentiunt, in eandem conclusionem, seu veritatem, paciscì dicerentur, contra communem, ut notatum est superiùs.

## ARTICULUS II.

### *Quotuplex sit pactum?*

2560. PRæcipua divisio pacti est in pactum *nudum*, & *vestitum*, seu *legitimum*, ut notat Abbas in c. 1. *de pactis*, *num.* 4. quamvis etiam aliæ divisiones communiter afferantur. Nam alia sunt pacta *publica*; quæ fiunt à Principe causâ Reipublicæ, qualia sunt pacta *de indutijs*, *de pace*, *&c.* dicunturque *fœdera*, *L. Conventionum*, *15. ff. de pact.* alia sunt *privata*, quæ ineuntur a privatis; alia sunt pacta *expressa*, quæ consensu, verbis, aut literis expressa constant; alia *tacita*, quæ censentur facta paciscentium consensu, vel voluntate solùm præsumpta. Sic, qui debitori reddit cautionem, seu Chirographum, censetur tacitè paciscì de non petendo debito, *L. 2. ff. de pact.* atque adeò remittere debitum; Streinius *in summâ Juris Canon. p. 1. tit. 6. §. 1. n. 2.*

Ex pactis privatorum alia dicuntur *juris gentium*, quæ nituntur solùm naturali æquitate conventionis; alia *legitima*, quæ, præter naturalem æquitatem, juvantur etiam auxiliò legis, ut patiant actionem, L. *Conventionum*, *ff. de pact. &c.* Alia sunt *pacta in rem*, quando quis generaliter paciscitur, ne petatur; alia *in personam*, ne vel à se, vel alia persona petatur; L. *Juris gentium*, *ff. eod.* Alia iterum sunt pacta *obligatoria*, quibus paciscentes obligantur ad aliquid faciendum, vel dandum; alia liberatoria, quibus obligatio tollitur. &c.

Pactum *nudum* est, quòd nititur sola paciscentium voluntate, & naturali æquitate, quin jure civili confirmetur; hinc nullam regulariter in foro externo (ut vitentur lites) parit obligationem efficacem cum actione civili conjunctam, sed tantùm exceptionem, L. *Juris gentium*, *cit. §. sed cum nulla.* Dixi *regulariter*, propter dicenda *n.* 2613. Pactum *vestitum*, seu legitimum est, quod, propter partium conventionem, & naturalem æquitatem, habet etiam quoddam juris adminiculum, ratione cujus uni partium adversus alteram in foro externo conceditur actio, hoc est, facultas prosequendi jus suum coram Judice, L. *juris gentium*, *cit. §. 1.* si autem petas, unde colligi debeat, quòd aliquod pactum habeat tale juris adminiculum? Resp. si habeat unum ex sequentibus modis, quibus pactum, *ex se nudum*, vestiri dicitur.

## ARTICULUS III.

### *Quibus modis pactum vestiatur?*

REsp. 1. pactum censeri *vestitum*, si transeat in contractum *nominatum*, *& in suo genere perfectum*; Molina *cit. tr. D. 255.* Nam utroque jure, vero contractui nominato conceditur actio. Exemplo sit: alicui promisisti *de mutuo*, te daturum 100. aureos, & alter acceptavit. Hæc conventio est *nudum* pactum, cujus naturalem obligationem Jus civile quidem non tollit; multò minùs executionem ejus prohibet, vel retractat: ne tamen tot in judicijs lites fiant, non confirmat, hoc est, non vult, *ut Judex debitorem ad ejus executionem compellat*, *nisi transeat in contractum nominatum*, *vel alio modo vestiatur.* Quando autem pactum ex se nudum transeat in contractum nominatum? dicam *inferiùs.* 2561.

Secundò pactum vestiri censetur, *secuta impletione* saltem ex una parte. Tunc enim implenti conceditur facultas agendi, hoc est, coram Judice petendi, ut & alter pactum impleat, vel rem sibi traditam restituat, prout Actoris interest, sic, ut Judex illi debeat suum auxilium, *L. naturalis*, *5. §. si quidem*, *ff. de præscriptis verbis*; quo casu, si alter sit in mora culpabili, is, qui implevit, de jure Canonico, & naturali licitè potest resilire, re sua repetita; secus, si legitimè sit impeditus ab implendo, & implere velit, ut dicam in seq. ita Layman *lib. 3. tr. 4. c. 2. n. 2.* 2562.

Not. autem, actionem, qua is, qui pactum implevit, repetit rem suam, datam ob causam, causa non secuta vocari *conditionem dati ob causam, causâ non secutâ*; eam verò, quâ compellitur contrahens, ut præstet id, de quo conventum est, vel quantum alterius interest, *datum non esse*, 2563.

dici *actionem in factum*, seu *præscriptis verbis*. Qui igitur pactum ex parte sua sic implevit per rei conventæ traditionem, ei competit alterutra harum actionum, quam maluerit, L. *naturalis cit.* L. *quoniam*, *C. eod.* de quo infra, ubi dicam, quando in pactis, & contractibus detur locus pœnitentiæ?

2564. Tertiò vestitur pactum, cùm adjicitur aliud pactum, jure civili firmum, L. *juris gentium, cit. §. quin imò*, v. g. vendis Cajo domum, eo pacto, ut cùm volueris, *te inquilinum habeat*. Hæc pactio seorsim, & sine venditione, esset pactum duntaxat *nudum*; quia tamen adjicitur *venditioni* per cohærentiam cum ea, vestitur. Not. tamen ex Pirhing *de pact.* §. 1. *nu.* 5. requiri, quòd pactum adjiciatur ei, quo vestitur, *in continenti*, & non ex intervallo; nimirum antequam ad alia divertamus, ut explicat Haunoldus *de Jure*, & *just. tom* 3. *tr.* 8. *c.* 1. *à n.* 18.

2565. Quartò vestitur stipulatione. *Stipulatio* autem est contractus, olim interrogatione, & responsione perfectus, v. g. dicente uno, *promittis dare* 100. *aureos pro hoc equo*? & respondente altero: *promitto*, L. *ex placito*, 3. *C. de rerum permutatione*; hodie tamen promissiones, & pacta communiter confirmantur vel instrumento publico Notarij; vel manu propria, aut obsignatione promissoris; Molin. *tr.* 2. *D.* 255. *n.* 5. Si verò instrumentum deperdatur, ejus contenta probantur per testes, qui illud perlegerunt, si deponunt de tenore, & quòd erat sine vitio, *c. cùm olim, de privilegijs.*

2566. Quintò vestiuntur pacta legis auxiliò, seu assistentiâ, ut notat *gloss. in L. Juris gentium*, §. *sed cùm nulla*, *V. igitur ff. de pactis.* Nam ex donatione acceptata, jure novo oritur actio civilis ad rei traditionem, L. *si quis*, 5. & *sed si quidem*, *C. de donationibus.* Idem est, de acceptata simplici donatione dotis, idque in favorem matrimonij, L. *unic. C. de rei Uxoriæ actione*, L. *ad exactionem*, *C. de dotis promiss.* Idem extenditur ad nudam promissionem, qua quis promittit solvere debitum alienum, sive hoc ex naturali, sive civili obligatione proveniat; vel, qua quis promittit solvere *alio die*, aut *loco* debitum proprium, quod ipse debebat, vel ex alia causa, vel alio modo, L. 1. & 2. *ff. de constitut. pecun.* & *constituta*, *Institut. de actionib.* Molin. *D.* 255. *n.* 7.

Sextò vestitur pactum *juramento* appo- 2567.
sito. Nam ex pacto, solo jure civili irrito (ut est alienatio fundi dotalis, vel alienatio facta per minorem sine debita solennitate) si appositum sit juramentum, jure civili conceditur actio, authent. *Sacrament. impuberum*, *C. si adversus venditorem.* Constat etiam ex jure Canonico teste Covarruv. *in cap. quamvis*, *de pact. p.* 2. §. 4. *n. ult.* ita Layman *cit n.* 2. *in fine* Lessius, *lib.* 2. *de Just. c.* 17. *n.* 25. Excipe pactum, de quo *nu.* 2571. & seq. Ex hoc à fortiori colliges, pactum *juratum*, non irritum jure civili, censeri vestitum. Pactum enim *juratum*, sed irritum jure civili, non parit naturalem obligationem *justitiæ*; sed tantùm civilem, non naturà pacti, sed beneficiò juris, respicientis juramentum; ex *n. seq.* Addit Pirhing prædictis, de pactis §. 1. *n.* 5. *in fin.* pacta etiam vestiri hoc ipso, *quòd fiant in judicio*, L. 4. §. *fin. ff. de fidejussionib. Tutorum.* Secundò, etiam *quasi contractu.* Nam ex quovis contractu datur actio; patet *ex Institut. tit. de obligationib.* in Judicijs autem *quasi contrahitur*, L. 3. §. *item scribit*, *ff. de pecul.* & *quæ in judicijs fiunt*, *omnem contractuum solennitatem superant*, L. 2. & 19. *C. de testam.* ergo.

Not. autem, signatè à me dictum, pactum *juramento vestiri*, non exprimendo ly *confirmari*, ut abstraherem ab ea quæstione, an pactum, seu contractus, *invalidus jure solùm humano*, consequenter *non obligans ex justitia*, per appositum juramentum sic convalescat, ut non tantùm *ex vi juramenti*, & *virtute religionis obliget*; sed etiam *ex vi pacti*, & *titulo justitiæ*? Ex quo vides, aliud esse, pactum *juramento vestiri*, aliud, *confirmari*, ut bene notat Pirhing *l.* 2. *decret. tit.* 24. *de jurejurand. n.* 131. nam si pactum solùm *vestiatur* juramento, non parit naturalem obligationem *justitiæ*; secus, si *confirmetur.*

## ARTICULUS IV.

### *An pactum juratum obliget in vi pacti, & justitiæ?*

IN quæstione proposita, pactum, jure 2568.
tantùm humano irritum, juramento

*con-*

*confirmari*, docet Pirhing *cit. n.* 132. & apud eum Layman *l.* 4. *tr.* 3. *c.* 8. *num.* 1. Sanchez *l.* 3. *in decal. c.* 12. *n.* 5. *&* 11. quoties juramentum appositum à jurante observari potest citra peccatum, vel exigi ab eo, in cujus favorem editum est: negativam tamen sequitur Tamburinus *l.* 3. *in decal. c.* 3. §. 6. & probabilem censet Suarez *l.* 1. *de juram. c.* 29. *n.* 1. mediam viam init Bonacina *de Contractib. d.* 3. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 6. ex c. *si diligenti*, *de foro compet.* ubi docet, contractum, propter bonum commune irritum jure solùm humano, appositio juramento *confirmari*; secus, si sit irritus propter *bonum duntaxat privatum.* In hac re mihi probabilior videtur sententia negativa; ita Gibalinus, *de forma negotiationis humanæ l.* 3. *c.* 3. *n.* 9. Nam pactum, *jure humano duntaxat irritum*, ex se non obligat *ex justitia*; cùm, ut tale sit nullum; sed nec obligat *ex justitia*, accessione juramenti. Nam juramentum non habet vim obligandi, nisi ex virtute Religionis; ergo

1569. Dices 1. quòd vim obligandi, in dato casu tale pactum accipiat *ex dispositione juris*; quia jus, ejusmodi contractus, cæteroquin irritos, vult, juramento supposito, *perpetuò firmos*, *& observandos*, sed R. N. ant. nam quando lex tales contractus, cæteroquin irritos, *servari præcipit*, non aliam causam exprimit, quàm *reverentiam juramenti*, ut habetur c. *si verò*, *de jurejur.* ubi Alexander III. juramentum servari præcipit, promissioni appositum; *ne Auctores*, inquit, *perjurij videamur*; & in c. *cùm contingat*, idem præcipit Innocent. III. *ne prætextu invalidi contractûs viam contingat perjurijs aperire.* Ecce *perjurijs*, *non injustitiæ*, *non injurijs.* Volunt ergo jura, contractus ejusmodi, humana lege irritos, *sed juratos*, nihilominus *firmos*, firmitate, quam habent *ex vi juramenti; & virtute Religionis*; non autem *firmos* aliqua firmitate, quam contractus jure validi & firmi habent *ex vi pacti*, *& virtute justitiæ.*

1570. Dices 2. Contractus, jure solùm humano irriti, sed appositio juramento vestiti, non sunt rescindibiles; ergo sunt validi; ergo juramento *confirmati*; patet prima conseq. Nam ideo contractus in se validi, sed jure humano rescindibiles, rescindi possunt, quia lex dat actionem ad petendam eorum rescissionem; sed quando adest juramentum, lex non dat talem actionem; ergo quando adest juramentum, sunt validi. R. C. ant. N. conseq. ad prob. C. ma. & min. N. conseq. Nam ex datis præmissis, solùm sequitur: *ergo quando adest juramentũ*, *tales contractus non sunt rescindibiles.* Omnis quidem contractus *rescindibilis*, dissolutione ejus, supponitur *validus*; sicut etiam, quando conceditur actio ad petendam ejus rescissionem: at *non ex eo*, quòd detur actio petendi, quod juratum est. Ex hoc colliges, quòd jura assistant non tantùm obligationi *justitiæ*, sed etiam *juramenti*, dando scilicet actionem petendi, quod juratum est, intuitu virtutis religionis: sed ex hoc juris beneficio malè infertur *determinatè* obligatio, *& vinculum Justitiæ*, consequenter *confirmari directè*, pactum jure nullum.

Dices 3. Leges dicunt, quòd juramenta in contractibus, *ex metu* factis, servanda sint, *solutione saltem momentanea*; absolutè verò, si facti sint *sponte*; ergo signum est, quòd pactis sponte factis, & juratis, voluerint dare valorem supposito juramento, consequentet vim obligandi *ex justitia*; præsertim si dicatur, leges illas irritantes, cùm adest juramentum, quoad effectum annullandi pactum, tunc suspendi. R. C. ant. N. conseq. Nam ex eo, quòd leges contractus juratos, *ex metu* factos, & factos sponte, agnoscant validos, illisque tribuant actionem, quòd statim relaxari possint à Superiore; non autem istis solùm sequitur, quòd in his non inveniant eandem rationem favendi, sicut in factis *ex metu*; non autem, quòd, si aliunde essent nulli, velint illis tribuere valorem (propter appositum juramentum) vel vim obligandi ex justitia. 1571.

Cæterùm esto sententia opposita probabiliter dicat, in casu appositi juramenti, jus non velle intelligi conditionem appositam, pro tali casu irritantem quoad effectum obligationis ex justitia; atque adeò pactum illud pro tunc velle manere in statu, quem haberet, si non extaret lex irritans, uti docere videtur Lessius *l.* 2. *Just. c.* 17. *n.* 25. probabilius tamen videtur, quòd lex in dato casu suam irritationem non suspendat, etiam in hominis privati commodum; cùm favori, quem lex, jubendo servari talia pacta jurata, intendit,

satis-

satisfiat per hoc, quòd *reverentiâ juramenti*, concedat actionem petendi rem juratam, ut dictum est; & hæc suspensio nullo juris textu firmetur.

## ARTICULUS V.

### *Qui paciſci possint?*

2572. COmmunis regula est, quòd paciſci possint *omnes, qui non prohibentur naturâ, vel lege;* quia paciſci est de genere permissorum, ut notat Pirhing *cit.* §. 1. *n.* 7. Naturâ prohibentur omnes, qui consentire non possunt; quia consensus est de natura, seu substantia pacti.

2573. Pro reliquis nota 1. quòd quidem unicuique permissum sit paciſci pacto, *quo se ipsum obliget*, nisi jure prohibeatur; sed non eo, *quo obliget alterum*, *L.* 11. *ff. de obligat. & actionibus.* Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 1. *n.* 4. *hinc factum alienum promitti non potest*, *L. in stipulantem*, & *L. stipulatio ista*, *ff. de Verb. signif.*

Not. 2. quòd nemo paciſcendo possit alteri, sed sibi acquirere, *L. stipulatio ista*, ℈. *alteri ff. tit. cit.* Nam ejusmodi obligationes inventæ sunt, ut quisque acquirat, quod suâ intereſt: à dictis duabus regulis excipe 1. casum, cùm quis stipulatur pro eo, cujus juri subjectus est, & promissorem illi obligare potest, ut servus pro suo Domino, filiusfamilias pro Patre; Regularis pro suo Prælato, vel Monasterio, *L. cit.* & §. *si quis Instit. de inut. stipul.*

2574. Advertendum tamen, quòd tale pactum, vel contractus, si reciprocus sit, claudicet, donec is, qui acceptavit, vel contraxit *nomine sui Superioris*, non habito priùs mandato ejus, rem intimet Superiori, & hic sui subditi factum, ratum habeat, vel respuat. Si autem ratihabitio accedat, æquivalet mandato; & retrotrahitur ad diem actûs gesti, ut dicitur c. *cùm quis*, *de Sent. excom. junct. Reg.* 10. *de Reg. Juris in 6.*

2575. Factam exceptionem extendit Layman *cit. n.* 4. ad publicum Tabellionem, stipulantem, vel acceptantem pro altero, in publica scriptura promissionem, etiam extra judicium; si enim fiat in judicio, nemo dubitat, juxta *n.* 2567. *V. c. quanquam*, *de usur. in 6.* Sanchez *l.* 1. *de matr. D.* 7. *n.* 11. Molin. *tom.* 2. *D.* 264. *&c.* excipe 2. eos, qui aliorum administratores sunt. Nam Tutor pro Pupillo; Curator pro Minore, prodigo, & amente; Rector Ecclesiæ, seu Parochus pro Ecclesia, causis pijs, & bonis ad conscientiam pertinentibus, stipulari potest, *L. eum*, *qui*, *ff.* §. *ult. de constituta pecunia.* Et quidem de Rectore Ecclesiæ verum est, licèt agat sine authoritate Superioris; modò sit in favorem, & commodum Ecclesiæ; c. *pactum*, *de pact. in 6.* Layman *in cit. c. n.* 2. Nam, licèt Parochus ex se non possit alienare bona Ecclesiæ suæ, vel agere in ejus damnum, c. *Abbatibus* 12. *q.* 1. & Abbas *in c.* 1. *de his*, *quæ fiunt à Prælatis*: potest tamen illis prodesse acquirendo, acceptando, &c. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 1. *Coroll.* 2. Minor autem agens per Procuratorem, sine Tutoris authoritate, esto invalidè agat, *l.* 1. & 2. *ff. qui legitimam personam standi*, (intellige in ijs, quæ in ejus damnum sunt) in ijs tamen, ubi pro Minore pronuntiatur, non agit invalidè; quia lex, quæ Minoribus læsis, ob debilitatem ætatis, subvenit, non debet obesse rebus prosperè gestis, Layman *in cit. c. pactum*, *n.* 2. & constat *ex Reg.* 61. *de Reg. Jur. in 6.* ubi dicitur: *quod ob gratiam alicujus conceditur*, *non esse in ejus dispendium retorquendum.*

2576. Not. 3. quòd nemo *invitus* paciſci cogatur, *gloss. in L.* 2. *C. quæ sit longa consuetudo.* Ex quo sequitur, ad pactum requiri consensum *voluntarium*, & *liberum*, non coactum. Quid porro huic regulæ adversativè operetur vis, & metus? dicam in seq. Not. 4. *Lege* à paciſcendo *prohiberi* 1. *impuberes*, intellige, juxta *n.* priorem, scilicet in damnum suum; non autem in commodum; 2. *prodigos*, qui bonis suis interdicti sunt; 3. *Minores*, sub Curatore constitutos, sed intellige ut suprà *loc. cit.* jure autem Ecclesiastico illi paciſci prohibentur, quibus prohibita est alienatio sine consensu Prælati, vel Capituli. Excipe Rectorem Ecclesiæ, juxta dicta *n. priore.*

2577. Not. 5. pactis privatorum, etiam juratis, juri publico derogari non posse, c. *si diligenti*, *de foro compet. L. inter* 24. *ff. de pact.* jus enim publicum, pactis privatorum mutari non potest, *L. jus publicum*, *ff. eod.* Layman *in c. ex parte*, *de Constit. n.* 2. Not. 6. quòd Monasterium, habens privilegium v. g. sepeliendi, possit ei derogare

rogare pacto inito cum Rectore Ecclesiæ de non sepeliendis ejus Parochianis in Ecclesia sua, cæteroquin privilegiata, c. *pactum*, *de pact. in 6.*

1578. Ex his sequitur 1. non solùm illicitum, sed etiam invalidum esse pactum, præjudicans juri alterius, non consentientis (*c. plerique*, *de pactis*) præsertim juri publico ex *n.* priori; & juri Ecclesiæ, c. *plerique cit.* hinc irritum est pactum in præjudicium juris Ecclesiæ Parochialis; hoc enim est debitum Ecclesiæ Parochiali, c. *fin. de Parochijs.* Sequitur 2. pactum, quod ineunt Clerici v.g. elocantes domum, vel vineam, ut sibi solvantur decimæ, alioquin debitæ Parochiali Ecclesiæ, irritum esse; quia tale pactum est in Ecclesiæ Parochialis præjudicium; unde Parochus eas potest repetere, vel actione personali contra Parochianos, qui eas persolverunt; vel reali contra eos, qui acceperunt; habetur *cit. c. plerique*, & apud Pirhing, *de pact.* §. 3. *num. 6.*

Sequitur 3. quòd, quamvis quilibet fidelium possit sibi eligere sepulturam in qualibet Ecclesia, habente jus sepeliendi, etiam non Parochiali (*c. 1. de sepulturis*) pactum tamen, quo obligetur habere sepulturam in alia, quàm Parochiali, esse nullum ex c. *plerique cit.* quia est in præjudicium Ecclesiæ Parochialis, consequenter non valet. Si autem Religiosi, qui pacto renuntiârunt suo privilegio (ut dixi *n.* priori) post hoc impetrent novum ejusmodi privilegium, recipiendi ad sepulturam quoscunque volentes: non valet adversus pactum initum, nisi ejus in tenore privilegij mentio fiat, quia Pontifex in concessione privilegiorum non vult agere in præjudicium tertij, nisi quantum exprimit. Pirhing *cit.* §. 3. *n.* 10.

## ARTICULUS VI.

### *De quibus rebus paciſci liceat?*

1579. REsp. licitum esse paciſci de qualibet re honesta, consistente in commercio humano, sive præsente, sive absente, sive etiam futura, & non existente, modò sit paciſcentium propria (nam res, aut jura aliorum in pactum utiliter deduci non possunt, nisi juxta dicta *n. supr.*) & *possibilis*; quia nemo potest ad impossibile obligari, *Reg. nemo*, *de Reg. jur. in 6.* sive sit impossibile *de facto*, v.g. *ut quis non moriatur*; sive *de Lege.* Sic impossibile dicitur, quod jure, licèt solùm humano, nobis sub culpa prohibitum est, ut notat Pirhing *de pact. n. 26. ex c. faciat 22. q. 2. junct gloss. V. quod potest.* & L. *filius*, *ff. de conditionibus institutionum*, ibi: *quæ contra bonos mores fiunt: ne facere nos posse, credendum est.* Hinc juramentum super tali re præstitum, omnino irritum est, c. *ad nostram*, *de jure jurand.*

Hinc sequitur 1. pactum, in præjudi- 1580.
cium juris alieni, irritum esse; quia jure naturali prohibitum est lædere jus alienum; 2. pactum Clericorum in præjudicium cultûs Divini, irritum esse, ex eadem ratione, Layman in c. *ex parte Constit.* quia est contra eorum vocationem; & cultus Dei est juris publici, cui non derogatur pactis privatorum; quod verum est, licèt ejusmodi pactum à Papa confirmetur, arg. c. *ex parte*; quia confirmatio data *in forma communi*, non dat valorem actui, c. *cùm dilecta*, *de confirm. utili*, *&c.* 3. pactum, etiam juratum, de hæreditate viventis, si absque illius consensu fiat, irritum esse, L. *ult. C. de pact.* Layman *in c. quoniam*, *de Constitut. n.* 7. ubi ait: prædictam legem irritantem, esse talem *non per rescissionem*, vel *impedimenti oppositionem*: *sed interpretationem, & declarationem.*

Ubi obiter not. legem irritantem, seu ipsum *irritare*, tripliciter sumi, 1. cùm actus aliquis rescinditur; 2. cùm impedimentum opponitur, quo stante res non fit validè; aut certa forma actûs præscribitur, qua non servata nulliter celebratur, 3. cùm lex actum gestum declarat ex alio jure, vel capite, nullum esse. Lex irritans, primo, & secundo modo sumpta, nisi exprimat, non extenditur ad præterita; quia pacta, & contractus æstimari debent secundùm leges, & consuetudines, *eo tempore vigentes*, quo initi sunt; tum quia contrahentes de futuris, & supervenientibus, cogitare non poterant; tum denique, quia jure, per contractum acquisito, privari non debent. Aliud est de lege irritante solùm *per declarationem.* Nam hæc extenditur etiam ad præterita, ut notat Layman *cit. n. 6.* quia, qui jus declarat, non de novo condit; sed, quod ante

positum est, denuntiat, L. 19. L. *hæredes palàm*, §. *si quid de Testament.* ubi dicitur: *qui declarat, nihil tunc dat, sed datum significat.*

2581. Sequitur 4. contractum usurarium irritum esse; quia servari non potest citra peccatum; quod verum est, licèt confirmetur à Principe ex certa scientia, vel cum causæ cognitione suppleat defectum actûs ortum ex jure humano positivo, c. *sicut*, *cit.* & ideo ad valorem contractûs non proficit ea Principis confirmatio, vel sublatio defectûs ex jure humano; si laboret etiam alio, ex jure naturali, vel Divino, ut contingit in contractu usurario. Sequitur 5. omnem pactionem simoniacam irritam esse; cùm non sit de re licita, & honesta; sed impossibili lege, tum Divinâ, tum humanâ, c. *pactiones*, *de pact.* omnis autem pactio circa Spiritualia, vel eis annexa pro aliquo temporali, semper continet labem simoniæ, c. *quæsitum*, *de rerum permutat.* Hinc irritum est pactum, quo aliqui privata conventione, sine Superioris authoritate paciscuntur, ut una pars, jure, & lite beneficij v. g. quod habet, cedat; altera verò temporale quid offerat; quia videtur simoniacum, c. *cùm pridem*, *de pact.*

Ubi autem intercedit solùm simonia juris humani, & illa transactio fit authoritate Superioris, valida est pro foro externo; licèt aliquid temporale detur; non quidem pro jure dubio, cùm Spirituale sit; sed expensis in litem factis, arg. c. *nisi essent*, *de præbend.* vel in sustentationem cedentis, vel ob bonum pacis, dubium litis eventum, aut redimendam vexam; ita Layman *oper. mor. l. 4. tr. 10. c. ult. n. 59.* imò, si hac ratione detur aliquid temporale in casu proposito, existimo licitè fieri in foro conscientiæ; quia c. *cùm pridem*, videtur procedere solùm ex præsumptione simoniæ; præsumptio autem cedit veritati. Qui autem totum beneficium cessit, non servato per cessionarium pacto, potest suum beneficium repetere; & hoc ei reddi debet, si cessio facta est in manu Superioris, *cit. c. cùm pridem.*

2582. Sequitur 6. irritum esse pactum de succedendo post mortem Prælati, vel beneficiati; quia iniquum est, & SS. Canonibus repugnans. Ecclesiæ enim, & beneficia, non per hæreditariam quasi successionem, sed canonicam electionem, vel institutionem obtineri debent non priùs, quàm vacent, c. *accepimus*, *de pact. c. transmissa*; *& c. ad extirpandas*, *de fil. Presbyt. c. 2. de conceff. præbend. c. Apostolica*, 8. *q.* 1. in his tamen, quia sunt juris humani, dispensare potest Pontifex, Pirhing *de pact. n.* 21. Sequitur 7. irritum esse pactum, quo quis, ut in Ecclesia, vel beneficio instituatur, promittit pensionem annuam, vel augmentum pensionis antiquæ se soluturum, c. *cùm Clerici*; *de pact* quia intervenit vitium simoniæ. Et hoc procedit non tantùm de pensionis *augmento*, quæ priùs legitima Episcopi authoritate de tali Ecclesia solvi consuevit (præsertim si pactum antecedat collationem, vel institutionem) sed etiam de pacto propria authoritate Clerici, majorem pensionem solvendi; sic Abbas hìc *n.* 1.

Not. autem 1. quamvis in *cit.* c. dicatur, Clericum, qui tali pacto beneficium consecutus est, adeptâ taliter Ecclesiâ spoliandum esse, non posse intelligi textum tanquam solùm irritantem, *duntaxat rescindendo*; quia cùm simoniacum sit pactum, ipso jure nullum est ex *num.* 2581. quod verum est, sive pactum antecesserit, sive factum sit in ipsa collatione. Not. 2. si pactum fuit jam post collationem, non posse dici simoniacum; quia sic jus spirituale obtinuit sine promissione rei temporalis: quia tamen Ecclesiam constituit censualem contra juris prohibitionem (c. *prohibemns*, *de censibus*) peccat, & puniri debet; sic Abbas in c. *cùm Clerici*, *n.* 2. Not. 3. posse quidem Episcopum, cum consensu Capituli beneficio vacanti (auctis ejus redditibus) pensionem imponere, vel antiquam augere; sed non in ipsa collatione; quia periculum est pactionis simoniacæ, si solutio pensionis in commodum Collatoris directè, vel indirectè cedat, ut patet ex c. *unic. Ut Ecclesiastica beneficia* Layman *cit. lib. tr. 2. c. 18. nu.* 4.

Sequitur 8. omne pactum, quod ob- 2583.
servari non potest sine detrimento animæ, vel periculo æternæ salulis, irritum esse. Sic enim non est de re honesta, & licita. Et secundum leges etiam civiles, pactum rei turpis, & impossibilis de jure, aut facto, nullam obligationem inducit; ita Greg. IX. c. *pactiones*, *de pact. L. pactum*, *C. de*

*C. de collat.* Hinc generaliter pacta, quæ contra leges, vel bonos mores fiunt, nullam vim habent, L. *generaliter, de verbor. obligat. L. pacta, C. de pact.* Sed hoc intellige, si lex sit irritans *impediendo*, ut notat Sanchez *lib. 3. de matr. D. 5. nu. 4.* apud Portel. *quæst. regul. p. 1. casu 13. n. 2.* non autem merè prohibendo, nisi sit pactum de aliquo futuro, cui lex resistit; illud prohibens sub culpa. Nam ad peccatum non datur obligatio. Not. præterea, pactum rei *perpetuò* impossibilis *de facto*, non obligare; hìc enim locum habet regula c. *nemo, de reg. jur. in 6.* si verò sit impossibilis solùm *ad tempus*, sublato impedimento, pactum tenet; Pirhing, *de pactis n. 26.* his præmissis:

1584. Quæres 1. an obliget pactum ob turpem causam? Resp. tametsi pactum ob turpem causam, antequam opus, de quo pactum est, præstetur, non obliget, cùm sit de re turpi, & illicita: satìs tamen probabile esse, quòd præstito opere turpi, is, qui implevit, licitè petat rem promissam, vel priùs acceptam retineat; & promissor obligetur dare; quia sic pactum citra peccatum impleri potest; sic *D. Th. 2. 2. q. 62. a. 5. ad. 2.*

1585. Quæres 2. an obliget pactum liberorum cum parentibus, quo accepta dote, vel legitima renuntiant hæreditati? Resp. quamvis *cit. Lex pactum, C. de Collat.* improbet pactum filiæ cum Patre, dum nuptui traderetur, quòd dote contenta nullum regressum ad paterna bona habeat, ut dicitur c. *quamvis, de pact. in 6.* Si tamen tale pactum juramento, nec vi, nec dolo præstito, ab eadem firmatum sit, omnino servandum esse; quia juramentum præstitum super actu, in favorem jurantis à jure civili irritato, absque vi, & dolo, ac alterius præjudicio, quod citra peccatum servari potest, servandum est, ut dicitur c. *quamvis, & c. cùm contingat, de jurejurando*; intellige tamen, si aliunde validum sit.

Hæc resolutio procedit 1. si pactum (quo renuntiatur paternæ hæreditati) factum sit, dum filia nuptui traderetur, sive post, sive ante nuptias, & constitutam dotem 1. quia etiam hìc ratio decisionis (nimirum *reverentia juramenti*) locum habet. Et propter hoc idem dicendum est de juramento filij, vel aliorum consanguineorum, esto in textu solùm de filia sit sermo. Nam *filia* ibi ponitur solùm exempli gratiâ; quia ratio decisionis est communis omnibus hæredibus necessarijs, sive descendentes, sive ascendentes sint; imò locũ habet etiam in casu hæreditatis, etiam fraternæ; ita Pirhing. *cit. nu.* 30. Procedit 2. de pacto minorum 25. annis, modò puberes sint. Nam & hi ligantur ex pacto jurato; secus impuberes, licèt pubertati sint proximi, & capaces doli. Nam hi ob imperfectam ætatem ex illo non obligantur *civiliter*, quo minùs restitutionem in integrum petant, & absolvantur. Colligitur ex authent. *Sacramenta impuberum, C. si adverf. vendit.*

Sed quid, si filia ignoravit pactum, de quo agimus; jure civili esse reprobatum. Resp. adhuc teneri; quia per hoc consensus jurantis non impeditur; Covarruvias *in c. quamvis, p. 2. in relection. 3. n. 5.* quod verum est de filia, etiam nondum emancipatâ. Nam ex causa dotis potest fieri pactum inter Patrem, & filiam familias etiam jure civili, ut notat Covarruv. *cit.* Et licèt hoc pactum juratum fiat eo tempore, quo filius, vel filia religionem ingreditur, adhuc tenebit *ex vi juramenti.* Unde Monasterium, emissa deinde professione, non succedit ejus loco in paternam, vel aliam hæreditatem, cui filia priùs pacto jurato renuntiavit. Quia non succedit nisi ex jure, & persona professa; sed hæc ante professionem, ubi adhuc renuntiare potuit, se illo jure abdicavit, & consequenter in Monasterium non transtulit; sic Covarruv. *p. 3. §. 2. nu. 3.* quod intellige, sic renuntiatio sit spontanea; non, si coacta (ut sæpe fit) parentibus liberos suos, ex practicata tali renuntiatione, Religioni dantibus.

1586. Quæres 3. an dicta procedant etiam in casu, quo post tale pactum aucta sunt bona Patris? duplicem sensum potest habere quæstio; primò, ut juramentum se extendat solùm ad bona, ex quibus *tunc* existentibus dos desumpta est; 2. ut *etiam* ad ea, quæ postmodum acquirentur; quo posito: Resp. ad quæst. mulierem, quæ juravit, quòd velit esse contenta dote, quam accepit *secundùm vires bonorum tunc existentium, ex illis* nihil posse exigere, etiamsi postea aucta sint; bene tamen *ex augmento*, nisi etiam expressè *huic* renun-

renuntiaverit. Nam jurata renuntiatio ad plùs non obligat, quàm renuntiatum sit. Covarruv. *cit.* §. 1. *n.* 2. Et quamvis aliàs donatio revocetur propter supervenientiam liberorum, renuntiatio tamen hæreditatis jurata non revocatur, etiamsi postea liberos acquisiverit : Covar. §. 3. *nu.* 8. Et hæc constitutio c. *quamvis*, obligat etiam Laicos ; nam & hi, *ratione juramenti*, sortiuntur forum Ecclesiasticum, adeóque cogi possunt ad observantiam juramenti ; cùm hìc agatur de vitando peccato. Unde & Judices Laici, secundùm hunc Canonem, in suo foro procedere debent, ut dicitur in c. 2. *de jurejurando, in* 6. quod universaliter verum est in omnibus canonibus, ubi periculum est animarum. Sed :

2587. Quæres 4. an hæc renuntiatio jurata valeat etiam in casu, quo renuntians nullam priùs portionem, vel dotem accepit à Patre? R. illam constitutionem in dicto casu locum non habere ; quia vis constitutionis est, ut obligetur, *dote accepta* ; ergo si nullam dotem accepit, habet regressum ad bona Patris perinde, acsi pactum illud non fuisset juratum ; dos enim succedit loco alimentorum. Unde sicut juri alimentorum renuntiari non potest, sic nec juri dotis ; ita Gail. *lib.* 2. *observ.* 147. *nu.* 13. excipe, nisi aliunde habeat, aut habere possit alimenta suo statui competentia ; tunc enim non debentur à parentibus.

2588. Quæres 5. quid dicendum, si pactum sit extortum, dolo, vi, metu, vel callida persuasione Parentum, aut aliorum. Resp. pactum vi extortum, sicut & juramentum, defectu voluntarij, nullum esse ; sicut etiam, si dolo, causante ignorantiam, vel errorem circa substantiam pacti. Ubi verò intervenit dolus, vel metus non tollens voluntarium sufficiens ad juramentum, pactum quidem servandum est propter reverentiam juramenti ; Judex tamen eum, in cujus favorem juratũ est, cogere potest, ad illud relaxandum, & in ejus defectu ipse relaxare ; quia potest læsorem compellere, ut læso compenset damnum, reponendo eum in statum veterem.

2589. Quæres 6. quid, si Pater tali filio, suppositа ejusmodi renuntiatione jurata, nihilominus aliquid testamento reliquisset, vel in vita donâsset? seu, quod idem est, an supposito filiæ pacto jurato ; quòd velit contenta esse dote accepta, vi hujus prohibeatur aliquid exigere de sibi legatis, vel sponte postea donatis à Patre? R. negativè cum Gail. *lib.* 2. *observ.* 148. *nu.* 11. quia pactum juratum *de non petenda hæreditate*, quod in præsens ponimus, non extendit se, nisi ad casum *necessariæ successionis* ; non autem *legati*, vel *donationis gratuitæ*.

Quæres 7. quid si tale pactum, vel renuntiatio facta esset non sic simpliciter, *ut Patri liberum esset disponere de illis bonis*, sed in expressum, vel tacitum favorem v. g. *Fratrum, aut ijs deficientibus, aliorum cognatorum lateralium*? R. quòd in eo casu, deficientibus illis, quibus favere cupiebat, filia licitè, validéque succedat tam ab intestato, quàm ex testamento ; quia sic cessat causa principalis illius pacti, scilicet favor eorum, quorum causa pactum est initum ; ita Covar. *cit.* §. 3. *n.* 4. 2590.

Qnæres 8. quid si de hoc ipso dubium fit? Resp. in tali dubio renuntiationem interpretandam esse cum minimo præjudicio renuntiantis. Nam renuntiationes, *de non succedendo*, sunt odiosæ, & stricti juris. L. *pactum*, 3. *de collat.* & ideo ultra casum expressum extendi non debent. 2591.

Quæres 9. quid dicendum, si filius, vel filia renuntians supervixit parenti? R. in eo casu non solùm filium, vel filiam, sed etiam liberos eorum, & hæredes, excludi ab hæreditate, cui sic renuntiatum est ; quia tunc urget c. *quamvis* ; & hæredes ipsius non possunt avo succedere, nisi vi juris, quod habet Mater ; sed hæc in dato casu jus nullum habet ; excipe tamen, nisi persona renuntians, vi talis pacti, esset enormiter, & multùm ultra dimidium læsa. Tunc enim non obstante renuntiatione, etiam juratâ, potest petere juramenti relaxationem, & restitutionem in integrum. 1. quia non præsumitur in tantam læsionem consensisse jurans, nec de illa prægogitâsse ; 2. quia ex enormi læsione præsumitur dolus, & comparatur dolo vero, seu proposito, sine quo reipsa fieri non potest enormis læsio ; Abbas in c. *cùm contingat, de jurejurando n.* 23. 2592.

Quæres 10. quid si priùs objit, quàm Parens? Resp. quòd Molina *tr.* 2. *de Jure & just. D.* 579. *nu.* 14. doceat, etiam eo casu liberos, & hæredes filiæ, quæ jura- 2593.

to

to pacto renuntiavit hæreditati paternæ, jure succeſſionis carere; ſed contrarium videtur probabilius, etiam ſine relaxatione juramenti; quia nec prohibentur juramento Matris (cùm ejus obligatio ſit tantùm perſonalis) nec vi pacti. Quia pactum jure naturæ irritum appoſitione juramenti non confirmatur in ratione pacti, ſeu contractûs, ut diximus *à nu.* 2568. in cujus contrario ſuppoſito procedit reſolutio Molinæ; & aliunde impedimentum, vi cujus Mater carebat in actu ſecundo jure ſuccedendi, nimirum juramentum, ejus morte tollitur; ergo.

Verùm, etſi hoc rectè dicatur ſub terminis propoſitis; tenenda tamen eſt ſententia Molinæ, quando pactum ſic eſt juratum, ut paciſcentibus ſit *inſtar legis perpetuò valituræ.* Tunc enim obligatio juramenti taliter emiſſi non eſt merè *perſonalis;* ſed inſtar legis annullantis omne jus in id deinceps, ſuper quo tale pactum initum eſt, æque, acſi lege Superioris, inhabilitante ad aliquam ſuper eo prætenſionem, jus illud, ejusmodi pacto ceſſum, legitimè ablatum eſſet.

1394. Quæres 11. an valeat pactum affirmativum *de ſuccedendo*, quo ſcilicet Titius Cajo promittit, quòd ipſum velit hæredem nominare? R. jure civili non valere: L. *pactum*, & L. *fin. C. de pact.* nec etiam per appoſitum juramentũ ſic convaleſcere, ut, ex vi talis pacti, promiſſario detur actio *ex juſtitia;* quia cenſetur contra bonos mores propter annexum periculum non ex objecto, ſed ſubjecto, nimirum vitio cupiditatis bonorum temporalium, præbendi anſam machinandi mortem promittenti; quod bono communi grave incommodum eſt; ita Covar. in c. *quamvis*, *p.* 2. §. 1. *n.* 8. & *p.* 3. *initio*, *n.* 2. Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 125. *nu.* 2. Layman, *lib.* 4. *tr.* 3. *c.* 8. *n.* 4. & *in c. quamvis*, *de pact. n.* 2. excipe pacta gentilitia familiarum, quæ ex uſu recepto, præſertim Germaniæ, inter illuſtres familias fiunt in defectu Succeſſionis. V. Pirhing, *de pact.* §. 40. *n.* 34. *in fin.*

1395. Dices 1. ergo ſi non obſtante tali promiſſione jurata Titius alium à Cajo hæredem inſtituat, non erit perjurus? R. N. illatum; quia eſto non ligetur *vi pacti*, ligatur tamen *vi juramenti;* hinc, ut licitè agat, priùs petere debet relaxationem juramenti. Dices 2. ergo in tali caſu inſtitutio alterius erit invalida, & Cajus contra ipſum, aut ejus hæredem habebit actionem; nam ex pacto promiſſario, & negativo naſcitur actio, ut dictum eſt; ergo etiam ex affirmativo, de ſuccedendo. R. N. totum illatum; quia talis diſpoſitio nullo jure irritatur; & paritas non tenet, quia, quòd in primo caſu detur actio, eſt, quòd juramentum ſit de re, non præbente anſam machinandi mortem; in ſecundo autẽ caſu juramentũ non eſt tale.

Inſtabis: ergo nec valebit juramentum, cùm ſit de malo opere patrando: ſed negatur illatum; aliud enim eſt juramentum *eſſe illicitum*, aliud *ipſum eſſe de re illicita*, & *mala.* Illud ſæpe parit obligationem; ſecus iſtud. Unde cùm dicitur: *juramentum contra bonos mores præſtitum non obligat*, intelligendum eſt, quando ipſum eſt *de re illicita;* Suarez hic *lib.* 2. *c.* 15. *nu.* 3. Sanchez, *l.* 3. *c.* 9. *n.* 13. Hinc, ſi lex, contra cujus prohibitionem juratur, non obligat ſub culpa, ſemper obligat, tale juramentum ex vi religionis; Layman *cit. num.* 7. Unde not. quòd humanæ leges prohibentes, vel infirmantes pactiones, quarum finis proximus eſt *commodum paciſcentium*, non ſoleant eos obligare ſub culpa; ſecus, ſi finis proximus ſit *bonum Reipublicæ;* talia enim pacta contra *has leges*, etiam jurata, non obligant; cùm ſint de re illicita, & contra jus publicum; ſecus illa; ſic Layman *cit.* excipe, *niſi honeſtari poſſint.*

1396. Ex hoc colliges 1. etſi Princeps Catholicus peccet, abſque maxima neceſſitate in ſua provincia hæreticis permittendo, aut promittendo exercitium publicum: poſtquam tamen publicâ, & juramento confirmatâ fide pollicitus fuit, eum obligari ad ſervandum; quia quæ non ita intrinſecè mala ſunt, quin aliquâ ratione cohoneſtari poſſint, hac ipsâ juramenti circumſtantiâ cohoneſtantur; ita Layman *l.* 4. *tr.* 3. *c.* 7. *n.* 3. *in fine.*

Colliges 2. ſi pactum turpitudinem contineat ex parte exigentis, vel acceptantis, illud juramento non veſtiri, conſequenter actionem non dari; Molina, *tom.* 1. *l.* 2. *d.* 149. §. *quatuor*; Sanchez *de Matr. l.* 4. *d.* 20. *n.* 5. & *lib.* 3. *moral. c.* 12. Idem dic de pacto per vim, vel metum extorto; Layman *cit. c.* 8. *n.* 2. conſequenter à parte remittendum eſſe, vel à Superiore

relaxandum. Hoc enim exigit innocentiũ defensio,& tranquillitas Reipublicæ, & ne quis ex iniquitate sentiat commodum. Juramento autem sic soluto, cessat ejus obligatio etiam quoad DEUM. Omne enim juramentum promissorium, tacitam habet conditionem, nisi promissarius obligationem remittat, vel legitimus Judex ex justa causa rescindat; Sanchez *l. 3. moral. c. 22. num. 15.*

Colliges 3. quòd actus gestus, contra prius juramentum, validus quidem sit; sed illicitus, si pendet à mera facultate agentis; sic matrimonium de præsenti, initum contra priora sponsalia, etiam jurata, valet; c. *sicut, de Sponsal.* Azor *p. 1. mor. instit. l. 11. c. 6. q. 3.* Ferdinandus Rebellus *p. 2. de Just. l. 1. q. 9. n. 13.* Not. autem, quòd juramentum aliud sit, *per se stans*; aliud *confirmatorium actûs*, cui adjicitur: illud solùm obligat ex virtute religionis; istud præterea facit, ut ex actu, cui adjicitur: aliàs, & de se invalido nascatur alia quædam obligatio vel saltem actio.

Advertendum tamen, quòd juramentum promissorium, adjectum promissioni, restringi debeat juxta materiam actûs, supra quem cadit. Nam accessorium sequitur naturam sui principalis, *Reg. 24. de Reg. Jur. in 6.* nec jurans præsumitur, se aliter voluisse obligare; Castropalaus *tom. 3. l. 14. D. 2. de Juram. p. 14.* hinc easdem conditiones, vel restitutiones recipit, quas de Jure, vel consuetudine habet actus promissionis, cui juramentum adhæret; Tamburinus *in decal. l. 3. c. 3. §. 4. n. 3.* Promissio autem communiter habet quatuor conditiones generales 1. *si potuero*, intellige licitè; 2. *si Superior legitimè non contradicat*; 3. *si res non fuerit notabiliter mutata*: 4. *si promissio fuerit acceptata, aut non remittatur à parte.* Not. verò, non esse idem, juramentum *esse validum*, & juramentum *esse confirmatorium actûs*, ei tribuendo valorem v. g. *in ratione pacti.* Primum enim habet, quandocunque servandum est, propter honorem DEI; esto ei, in cujus favorem fit, nullum jus pariat; contractum autem de se nullum juramento non confirmari, constat ex *dict. n. 2568.* quamvis nihilominus servari debeat, ut dictum est *n. cit.*

* * *

## ARTICULUS VII.

### *De Confirmatione pacti per Superiorem.*

IN c. *quoties, de pactis*, habetur, conventiones, & pacta, quæ v. g. fiunt in Ecclesijs, per consensum Pontificis, & ratihabitionem postea præstitam, confirmari. 2597. Sermo non est de pactis jure naturæ irritis (hæc enim nulla humana authoritate convalescere possunt) sed aliquo saltem modo validis, spectato jure naturali; Layman *in cit. c. quoties*: sed in hac re nihilominus distinguendum est. Nam pactum subditorum, sine consensu Superioris initum, & nullum, *jure* scilicet *duntaxat humano*, vel requirit eum consensum Superioris ad substantiam actûs in initio, vel solùm per accidens? Tunc autem requiritur *ad substantiam*, cùm petitur per modum auctoritatis, & licentiæ; secùs, si solùm per modum simplicis consensûs. Si requiritur secundo modo? pactum statim in principio valet, & per consensum Superioris postea præstitum, confirmatur; sic enim nihil deerat in initio ad substantiam actûs: si verò requiritur primo modo? pactum per præstitam postea Superioris ratihabitionem non valet pro tempore actûs gesti sine tali consensu, propter rationem oppositam.

Exemplum habetur in Tutore, qui, licèt authoritatem præstet, post contractum à pupillo initum; per hoc tamen eum non confirmat, *L. obligari 9. & Tutor ff. de Auctor.* Tutor. Excipe, nisi ratihabitio æquivaleat mandato. Tunc enim fictione juris retrotrahitur ad diem actûs gesti, & perinde valet, ac si in principio actûs adfuisset consensus, & mandatum Superioris, per *Reg. 10. de Reg. Jur. in 6.* tunc autem æquivalet mandato, cùm rem sine mandato nostro, sed nomine nostro gestam, approbamus, c. *cùm quis, de sent. excom. in 6.* 2599

*Fictio juris* eo fine inventa est, ut suppleat defectum veritatis; hinc definitur, *legis adversus veritatem, in re possibili, ex justa causa dispositio*; unde in iis casibus, ubi locum habet, quoad certos effectus tantum operatur dispositione juris, quantum veritas. Adhibetur non solùm Jure Civili, sed etiam Canonico, teste Joanne 2598.

Strei-

Streinio *in proleg. Juris Canon.* §. 14. *per totum;* differt à præsumptione; quia illa *semper* est contra veritatem; hæc autem *sæpe* stat cum veritate. Jus enim fingit aliud, quàm est; sic fingit mulierem stipulatam, quæ non est, *L. unic. in princip. C. de rei uxor. actione.* Fingit natum, quod non est, L. *qui in utero, ff. de statu homin.* fingit mandâsse, qui non mandavit, &c. c. *cùm quis cit.*

Hìc notant aliqui, non ad omnia subditorum pacta requiri Superiorum consensum; talia dicunt, quæ Prior Conventualis, vel Guardianus inibat de consensu Capituli super juribus Parochialibus, aut similibus Articulis, cum Prælatis, Capitulis, & Rectoribus Ecclesiarum, quæ firmiter observari præcipiuntur, c. *quia ex eo, & c. fin. de pact. in* 6. etsi non accesserit consensus Provincialis, Generalis, vel Papæ; nec approbata sint in Capitulis eorum Generalibus, vel Provincialibus. Unde per cit. Capitula, edita à Bonifacio VIII. censet Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Reg. q.* 27. *a.* 3. derogatum esse privilegijs Fratrum Minorum, quæ habebant ab Alexandro IV. & Honorio IV. ut scilicet invalida essent, quæcunque pacta, quæ Minores, etiam Guardiani fecissent, vel sui Ordinis statuta, & consuetudines, absque consensu & licentia Generalis, vel Provincialis. Verùm hoc privilegium denuò revalidatum est per Sixtum IV. ut videri potest apud Layman in c. *quia ex eo, n.* 2. Unde in hoc cujusque Ordinis leges, consuetudines, & privilegia, post prædictam Bonifacij VIII. constitutionem, inspicienda sunt.

## ARTICULUS VIII.

### *De primo effectu pactorum, qui est obligatio?*

2599. EFfectum pactorum communiter Doctores ajunt, esse duplicem: *obligationem, & actionem*, vel saltem *exceptionem.* Et quamvis pacto simplici negari possit actio; nequit tamen obligatio; quia licèt Magistratus negare possit actionem, propter causam aliquam, vel compulsionem ad solvendum debitum juris naturalis: nequit tamen decernere, *non esse reddenda ejusmodi debita*, nisi id ratio boni publici exigat; ut notat Layman *in c. quæ in Ecclesiarum, de constitut. n.* 7. Hinc in foro conscientiæ, ex omni etiam nuda conventione acceptata, obligatio oritur, sive ex justitia, sive ex fidelitate. Id verò pendet ex intentione promittentis, utram harum obligationum contrahere voluerit; teste Layman *in opere morali. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 1. §. *explicatur, &* 12. *n.* 1. Ex circumstantijs autem adjunctis, si videlicet Chirographum, aut testes adhibiti, vel manus stipulatio intercesserit, conjectura sumi potest, intentionem promittentis fuisse, se obligare *ex justitia*; ita Layman *cit. c.* 12. *n.* 1. *& porro.*

Not. autem, omnem obligationem fundari, vel *in honestate*, & *decentia* (& sic inducit *debitum morale*, quod quidem sit laudabile, non tamen præceptum) vel *in necessitate*, qua tenemur aliquid agere, vel non agere. Quando hæc necessitas oritur ex nostro consensu, atque adeo ex naturali æquitate servandæ fidei; vel etiam aliunde, ut ex naturali lumine dictante, nos ad aliquid teneri, obligatio dicitur *naturalis*; si verò provenit ex authoritate legis civilis, approbantis contractum aliquem, aut conventionem, dicitur *obligatio civilis*; ita Schneidewinus *l.* 3. *tit.* 14. *de obligationib. n.* 11. Hinc naturalis obligationis causa, & fons, est duorum vel plurium in idem consensus, *l.* 1. *ff. de pactis*; vel alia naturalis æquitas, quæ suadet quem obligari, esto expressè non consenserit, ut notat Bartolus *in L. Julianus, ff. de condictione indebit:* apud Schneidew. *cit. & de obligatione naturali tantùm, n.* 8. fons autem civilis obligationis, est dispositio, vel approbatio legis; quæ porro utrumque habet, dicitur *obligatio mixta.* Ex quibus concludes, obligationem in communi, esse juris vinculum, quo necessitate adstringimur ad aliquid faciendum, vel omittendum. 2600.

Ex omni igitur pacto, *etiam nudo, & jure valido*, oritur obligatio *naturalis* (non autem, *civilis*, teste Molina *de contract. tr.* 2. *D.* 255. aliàs enim pactum nudum haberet actionem *civilem* contra dicenda à *n.* 2610. talis obligationis, nimirum legitimus utriusque consensus ad aliquid faciendum, vel non faciendum; seu promissio acceptata. Omnis autem talis promissio, non iniqua, habet naturale vinculum, seu naturalem æquitatem servandæ fidei, 2601.

fidei, ut ait Greg. *Syntag. l. 21. c. 3. n. 6.* Gibalinus *l. 3. de forma negotiationis humanæ, c. 1. n. 6.* Licèt enim jure civili non approbetur, juveturque in tantum, *ut actionem ei concedat*, ut dicemus; certum tamen est, ab eo non reprobari, sed potiùs probari, tanquam rectæ rationi congruam. Et propterea Prætor, exceptionem, compensationem, & retentionem ejusmodi pactis tribuit, impeditque conditionem; ut observat Gibalinus *cit.* qui omnes effectus sunt civiles; atque adeò supponunt aliquam validitatem; ne alioquin Prætor eorum concessione iniquus sit.

2602. Effectus hujus obligationis *naturalis tantùm*, seu nondum per legem approbatæ (si enim secus, parit etiam obligationem civilem, & actionem) tres simpliciter numerat Layman *in opere morali cit. c. 2. nu. 1.* scilicet: *exceptionem, L. juris gentium, §. sed cùm nulla ff. de pactis* (quæ definitur, *actionis exclusio, L. 2. ff. de except.* & notat Lancellot. *l. 3. institut. jur. Canon. tit. 8.*) 2. *compensationem*, quòd, si naturaliter debitum solutum sit, solutori negetur repetitio. 3. quòd pro ejusmodi naturali debito efficaciter obligetur Fidejussor, possitque pro eo pignus retineri; ita ille.

2603. Hinc sequitur 1. quòd, si tuus creditor tecum, etiam nudè, pactus est, de non petendo unquam debito; & deinde agat contra te, illud repetendo, opponi possit exceptio pacti *de non petendo, L. si unus, §. pactus, ne peteret, ff. de pactis*; & tenet Schneidewinus *cit. de effectibus obligationis naturalis tantùm, nu. 23.* Ratio sumitur ex primo effectu *cit.* sequitur 2. licèt non habeas actionem ad petendum Legatum relictum, ut in testamento minùs solenni, cui jus civile non assistit (L. *ex imperfecto, C. de testam. gloss.* & Barthol. *in L. 1. ff. de condict. indebit.*) si tamen hæres solvit, illud repetere non potest, L. *naturales, ff. de oblig. & act.* Nam repetitionem soluti impedit naturalis obligatio, L. *fidejussor, §. fidejussor, ff. de fidejussoribus.*

2604. Sequitur 3. quòd, si pactum *nudum* inivisti cum pupillo, sine Tutoris auctoritate, licèt ex hoc eum convenire non possis (nam naturalis obligatio ex pacto nudo *actionem* non parit in foro Laico, *L. juris gentium, §. sed cùm nulla, ff. de pact.*) si quis tamen pro illo fidejubeat, is efficaciter (*naturaliter* nimirum, & civiliter) obligetur, & rectè conveniri possit, L. *Marcellus, ff. de fidejussor.* Schneidewin, *cit. n. 26.* Sequitur 4. pro naturali debito tantùm, pignus constitui posse, L. *quæsitum, ff. de pignoribus.* Sequitur 5. naturaliter tantùm debitum compensari posse cum debito efficaci, L. *etiam, de compensationib.* Sequitur 6. solam naturalem obligationem novari, & in constitutum deduci posse, ut debitum exigi, & peti valeat, L. 1. *§. illud, ff. de Novationibus*; & L. *§. debitum autem, ff. de pecunia constituta.* Est autem *novatio*, prioris debiti, & obligationis, partibus sic volentibus expressè, in aliam obligationem transfusio, vel transactio.

Obligatio *civilis tantùm*, cujus originem diximus haberi à dispositione, vel approbatione legis (ut notat Gregorius *in Syntagmat. l. 21. c. 3. n. 8.*) producit quidem *actionem* (hoc est, *jus persequendi in judicio, quod sibi debetur*) non tamen *executionem*; cùm elidi possit oppositione alicujus exceptionis, ob defectum obligationis naturalis, ut docet Schneidewinus *cit. §. de effectu oblig. civil. in 6.* Ubi adverte in jure civili obligationem *civilem*, dici presse pro ea, quæ est à lege; quæ verò à jure *honorario*, seu à Constitutionibus Ducum, Marchionum, Comitum, qui Superiorem recognoscunt, vocari *prætoriam*; illa de se perpetua est; non ista; Haunold. *cit. n. 17.* Ea tamen obligatio, quæ inducta est consuetudine, aut statuto, *civilis* dicitur, teste Gothofredo; non *prætoria.* Cæterùm in præsens nobis sermo est, non de omni obligatione, sed ea tantùm, quæ venit ex pactis, & contractibus; his positis: 2605.

Quæstio est, *an pacta nuda, per legem sic infirmentur, ut eo casu neque naturalem pariant obligationem?* qua in re supponendum; 1. aliqua pacta, & contractus esse jure naturæ irritos; talis est contractus *de usuris solvendis*; est enim de pacto; & de his nobis non est sermo; sed iis tantùm, qui, *secluso jure positivo, seu humano*, essent ex se obligatorij; qualis est professio Novitij ante finem probationis, vel annum 16. ætatis, vel donatio ab eo facta tempore novitiatûs, &c. Quòd enim ejusmodi 2606.

modi actus hunc irriti sint, non habent ex natura rei, sed solùm dispositione humani juris. Quæstio ergo est, an, quando jus humanum aliquod pactum, vel contractum reddit irritum, qui jure naturæ cæteroquin validus esset, sic eum annullet, ut ab eo tollat omnem vim obligandi, etiam in conscientia, seu naturalem?

Prima, & communior sententia affirmat, excepto testamento; sic Azor *p.* 3. *instit. moral. l.* 6. *c.* 9. Sanchez *de matr. l.* 1. *D.* 7. Lessius *de just. l.* 2. *c.* 19. *nu.* 35. & plures alij: secunda docet, si servata sint, quæ jure naturæ requiruntur, ex illis pactis, quantumvis irritis humana lege, oriri naturalem obligationem; sic Panormit. *in c. plerig., de immunit. Eccles. &c.* Tertia est media, quæ docet, acquisita ex testamento, aut contractu, jure nullo, posse in conscientia retineri, dum per sententiam Judicis auferantur; posse tamen facilè, per Judicem, dominium rei sic acquisitæ auferri; ita Suarez *l.* 5. *de Legib. c.* 32. Reginaldus *l.* 25. *num.* 105. & alij apud Wadingum *de Contractib. D.* 2. *dub.* 2. §. 2.

3607. In hac re dubitandum non est de potestate Legislatoris, an possit, vel non possit auferre à contractibus, sine solennitate præscripta celebratis, omnem vim obligandi, etiam in conscientia; patet apertè in matrimonio inito sine solennitatibus à Tridentino præscriptis, sine quibus matrimonium initum omnino nullum est: his præmissis, Resp. cum Haunoldo *de jure, & justitia, tom.* 3. *tr.* 8. *c.* 1. *n.* 27. non infirmari universim hujsmodi pacta, quin obligationem naturalem inducant; pat. 1. *ex L.* 5. §. 2. *ff. de solutionib. & liberat.* ubi expresè, *in pacto usurario, naturalis obligatio sustinetur*, etsi jure irritum sit. Deinde constat ratione; quia si ejusmodi pactis non subesset obligatio naturalis, iniquæ essent leges, prohibentes *repetitionem eorum*, quæ ex hujusmodi pactis soluta sunt; possent enim aliàs repeti condictione indebiti: sed jura, quæ statuunt ea repeti non posse, iniqua non sunt, L. *naturaliter, ff. de condict. indebit. &* L. *frater à fratre, ff. eod.* ergo.

3608. Dices 1. *L.* 7. §. 4. *ff. de pact.* dicitur: *cùm nulla subest causa propter conventionem, hic constat non posse constitui obligationem*; ergo nuda pacta obligationem non pariunt, sed exceptionem. R. sermonem esse de obligatione *civili*, quæ det actionem; non autem naturali; aliàs enim nec exceptio daretur, ut patet ex nostra ratione.

Dices 2. si in pactis, jure nullis, daretur obligatio naturalis, injustè ageret, vel Judex cogens alium reddere, quod justè possidet; vel pars petens rescissionem pacti; Judex enim non potest obligationem naturalem elidere, vel jus alteri acquisitum tollere, nisi in casibus jure expressis v. g. *injuriæ, doli*, vel *privilegij ætati infirmæ concessi*; sed pacta, de quibus agimus, non sunt jure expressa; & tamen rescindi possunt; ergo. R. N. secundam partem min. si enim non adsit aliqua earum circumstantiarum, Judex quidem auxilium negare potest; sed non elidere obligationem.

Difficultas tamen adhuc supereſt quænam sint illa *pacta jure nulla*, quæ tamen obligationem naturalem pariunt? quæ verò secus? cùm in responsione diximus ejusmodi pacta non sic *universim* infirmari, sed modò aliqua infirmari, aliqua non? qua in re judico. 1. tunc à lege sic infirmari contractum, ut nec in conscientia, seu naturaliter obliget, cùm exprimit, quòd eum *nullatenus* velit esse validum; & paciscentem reddit *inhabilem* ad validè contrahendum, non observata solennitate essentiali, quam præscribit. 2. quando pactum irritatur *immediatè propter bonum publicum*; tum enim irritè conatur privatus paciscens boni communi derogare, ut dixi *supr.* secus, si inhabilitas à lege inducta est in pœnam criminis immediatè, vel in favorem privati paciscentis, ut notat Wadingus *cit. n.* 8. aut alia causa simili. Ratio est, quia solùm in prædictis casibus admittuntur pacta jure irrita, nec naturaliter obligare, ut liquet in matrimonio, & professione religiosa; secus in alijs. 3609.

## ARTICULUS IX.

### *De altero pactorum effectu, qui est actio.*

PEr *actionem* intelligimus jus, in judicio prosequendi sibi debitum; hoc enim, ne nimium excrescant lites, ac in 3601.

eas facilè descendant partes ( cùm conventiones innumeræ sint ) non omnibus conceditur; sed certis tantùm, quibus jus positivum favere vult ex certis causis; & 1. pactis *vestitis nomine specifico alicujus contractûs* concedi actionem in utroque foro, *civili* scilicet, & *Canonico*, communis omnium doctrina est. 2. pactis vestitis *implemento saltem unius partis* concedi actionem, constat ex dict. *n.* 2565. Tertiò pactis, quæ vestiuntur per cohærentiam cum aliquo contractu concedi civilem actionem, fusè ostendit Gibalin. *cit. l.* 3. *c.* 1. *num.* 11. Quartò pactis, quæ vestiuntur juris privilegio speciali ( quamvis juxta Haunoldum *tom.* 3. *de just. tr.* 8. *c.* 1. *nu.* 22. non tam eo casu *vestiantur*, quàm *eleventur* ad naturam contractûs ) concedi actionem vel ex eo liquet, quòd eam afferat ipsum privilegium. Idem est, quæ vestiuntur adjecta stipulatione, *n.* 2565.

De pacto, *juramento vestito*, disputant aliqui, num civilem obligationem? Bartolus *in L. juris gentium*, §. *quin imò*, *n.* 16. *ff. de pact.* & fusiùs *L. si quis pro eo*, *ff. de fidejussorib.* affirmat in uno solùm casu, quando scilicet libertus promittit, sub jurejurando, Patrono operas, ut habetur *L. ut jurisjur ff. de operis liberorum*, alibi; cùm enim hìc fiat mentio de isto tantùm casu, concludit negativè àcontrario de aliis. Et hæc est communior opinio Interpretum juris Cæsarei, ut notat Molina *tom.* 2. *de jure & just. tr.* 2. *D.* 256.

2611. Existimo tamen 1. pacto nudo, si *juramento* vestiatur, jure *Canonico*, actionem concedi; ita Felinus *in cap.* 1. *de jurjur.* quem refert, & sequitur Molina *tit.* §. *duabus*; cujus ratio constat *ex dict. nu.* 2567. *& seqq.* nec in hoc magna difficultas est. Existimo 2. eandem concedi *de jure civili*; sic Molin. *cit.* cum Panormit. Covarruv. & alijs ibid. Ratio est, quia ex pacto jure civili, & Canonico irrito, utroq; jure datur actio civilis, si non sit contra bonos mores, qualiter non est alienatio fundi dotalis, vel facta à juniore, *si illud pactum juramento confirmetur*; *c. cùm contingat*, *de jurejur. c. cùm mulieres*, *eod. in* 6. *& c. quamvis*, *de pact.* & habetur in authent. *Sacramenta impuberum*, C. *si adversus venditionem*, ergo magis *ex pacto nudo jurato*, cùm ex se naturaliter obliget; non illud.

Potissima tamen quæstio hujus articuli est *de pacto nudo*, *qua tali*, an pariat actionem *civilem*, idque tam jure civili, quàm Canonico? ex pacto nudo, *quamdiu manet nudum*, & non evadit vestitum, seu legitimum, jure civili non dari actionem, communis ferè omnium consensus est; sic Haunold. *cit.* 1. *nu.* 31. *ex L.* 7. *ff. de pact.* ubi dicitur: *igitur nuda pactio* (cui scilicet nulla subest causa, puta *dati* vel *accepti*) *obligationem* (intellige, ut communiter interpretantur, *civilem*) *non parit*, *sed parit exceptionem.* Hinc sequitur, quòd si *Titius* simpliciter promisit, se 100. aureos mutuò daturum *Cajo*, isque vicissim 100. Titio debeat ex venditione, eo casu Cajus Titium petentem certum aureos sibi debitos, possit repellere, exceptione promissi mutui, licèt non possit contra Titium instituere actionem, idque dispositione juris civilis, ne multiplicentur lites. 2612.

Sed nota, quòd Schneidewinus *l.* 3. *de oblig. tit.* 14. *de pactis*, *n.* 8. doceat, hanc regulam: *nudum pactum*, *jure civili*, *actionem non producit*, limitari in pluribus casibus. 1. si dos per nudum pactum promissa sit, & hoc favore dotis, L. *unic. C. de rei uxoriæ actione*; 2. si nudo pacto aliquid donare conveniśti. *L. si quis argentum*, 35. §. *fin. C. de donationibus*; 3. Si nudo pacto constituam, me soluturum, quod alius tibi debet, ut supra diximus. Verùm in his casibus meritò negatur pactum tale, *manere nudum*; cùm eo ipso juris privilegio evadat legitimum, ut constat ex dictis, & docet Gibalinus *de forma negotiationis humanæ*, *lib.* 3. *c.* 1. *a.* 6. *nu.* 7. *&c.*

An verò pacta nuda, *de jure canonico*, pariant actionem? plurimùm dissident Authores. Negant Gonzalez in c. 1. *de pact. n.* 13. Gibalin. *cit. n.* 12. Haunold. *tom.* 3. *de jure & just.* 8. *c.* 1. *n.* 42. & alij, quorum fundamentum est. 1. quia id nullo juris canonici textu probatur; 2. quia Canones, qui adducuntur in favorem, aliud non volunt, quàm quod voluit in edicto suo Prætor, ubi *L.* 7. §. 7. *ff. de pact.* dixit: *pacta conventa servabo*; sed ex hoc non probatur actio, etiam jure Prætorio, ut est communis Juristarum, teste Haunoldo, 2613.

nold. *n.* 38. ergo; 3. probant solùm actionem minùs strictam, nempe imploratione officij Judicis, in casu, quo non est diu disceptandum, an pactum intervenerit? sed ejus probatio offertur in continenti; 4. quia ratio, ob quam pactum, jure civili, actionem non producit, videlicet, ut litium, & controversiarum sit finis, etiam militat jure Canonico; c. *finem, de dolo & contumac.* c. *juris gentium*, 2. *de re judicat.* 5. denique omnes textus, qui afferuntur, agunt de pactis legitimis, non nudis.

Affirmativam sequuntur Molin. *de Jure, & Just. tom.* 1. *tr.* 2. *D.* 257. §. *quoad* 2. Wagnereck *in c.* 1. *de pact.* §. *sed amplectimur*; Wadingus *de contract. D.* 1. *d.* 2. §. 5. Pirhing *de pact.* §. 5. *n.* 36. quorum sententiæ ut probabiliori accedo. Ratio est. 1. ex c. *Antigonus, de pactis*; ubi dicitur, quòd *si unus paciscentium, ob non servatum pactum conventus, se non cohibuerit, Ecclesiasticam sentiat disciplinam*, hoc est, coërcitionem; ergo transgressor pacti coram Judice potest conveniri; *convenire* autem alterum, est idem, quod apud Jurisconsultos, *in jus vocare, vel actionem contra eum instituere*; & canon, de pactis, *sine distinctione* loquitur; ubi autem jus non distinguit, nec nos distinguere debemus; igitur intelligi non potest tantùm de pactis *legitimis*, ex quo patet responsio ad quintum fundamentum. Deinde c. *qualiter*, eod. Episcopus Carthaginensis, in causa minorum, & pauperum oppressorum à ditioribus, nolentibus servare pacta, recurrit ad Papam, qui mandavit Episcopo Calaritano, *ut studiosè curet servari promissiones, & designet Judicem, qui cogat pactis stare*; hoc autem clarè est *actionem* dare; ergo. Ma. constat ex *l.* 8. *epist.* 38. Greg. M. unde sumptum est c. *qualiter*, in quo non sic expressè refertur casus, ut ibi. Nec dici potest, esse tantùm *imprecationem* Judicis; hoc enim appellat tantùm officium liberum: at verò in casu nostro res obligationis est.

Tertiò, quia tunc pacto in judicio datur *actio*, quando ei lex assistit, L. *legitima ff. de pactis*, *L. unicâ*, *C. de condict. ex lege*; sed pactis, indefinitè, modò licita sint, lex canonica assistit per c. *qualiter*; & ratio est, quia Jus Canonicum vult, *ut Judices assistant*, ubi est periculum peccati; pacta verò nuda naturaliter obligant, igitur jus illud vult per Judices compelli paciscentes, ad eorum observantiam; hoc autem est dare actionem; ergo.

Nihilominus tamen hæc sententia 2614.
limitatur 1. ut procedat in causis pertinentibus ad Judicem Ecclesiasticum, vel agendis in locis Ecclesiæ subjectis; nam in alijs locum habere potest denuntiatio Canonica, ut Prælatus Ecclesiæ, ad peccatum evitandum, cogat promittentem, stare pactis; ita Molina *cit. D.* 257. *n.* 3. ubi tamen notandum est, jam ferè usu receptum esse, etiam in foro Laicorum, ut etiam ex simplici promissione, animo se obligandi factâ, concedatur actio, ne scilicet forum externum ab interno discedat, & peccatis janua pandatur; sic Cardin. de Lugo *de Contract. D.* 22. *S.* 5. *n.* 56.

Limitatur 2. ut procedat in casu pacti initi, animo se obligandi *ex justitia*; unde non sufficit animus se obligandi ex virtute fidelitatis, aut veracitatis. Judex enim, *justitiæ* Minister est. Quoniam autem hodie, præsertim, qui faciles in promissis sunt, illum animum nunquam, aut rarò, etiam in foro Ecclesiæ ex ejusmodi promissis compellitur promittens ad observantiam, ut notat Layman *in c.* 1. *de pactis.*

Limitatur 3. ut procedat de pactis, *ubi causa expressa est*, ob quam promittitur; si enim nulla sit adjecta, nec ab Actore ostendi possit, aut à promittente non concedatur, non datur etiam Jure Canonico actio; sed promittens opponere potest promissario exceptionem conditionis appositæ, aut causæ pendentis in futurum; secus est, si promissio sit propter obsequia præstita, vel titulo mutui (sic enim jam intelligitur causa reciproci oneris) vel meræ liberalitatis; donatio enim accepta, etiam jure civili actionem parit. Hæc tamen limitatio tertia (juxta Layman *in opere mor. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 3.) locum non habet in promissione facta Ecclesiæ; præsumitur enim adesse sufficiens causa, *pietatis* scilicet, & *religionis*. Ubi breviter nota, per pactum *sine causa*, non intelligi pactum conceptum *sine causa movente*, sed conceptum *sine negotio*, quod præstet materiam contractui. Sic, si, cùm mihi deberes centum, tecum pactus sum *de non petendo*,

*petendo*, pactum est cum causa, quo scilicet volui esse tecum liberalis; Vid Gibalin. *tom.* 1. *l.* 3. *c.* 1. *a.* 6. *n.* 2.

2615. Hæc limitatio tertia procedit etiam in promissione scriptô facta, idque in utroque jure. Nam quantumcunque creditor exposcat debitum ex ejusmodi promissione, etiam exhibitione scripti, si causa expressa non sit, debitor absolvitur, nisi causam subesse probet, patet 1. ex L. *cùm de indebito* 25. *ff. de probat:* ubi dicitur: *si de solutione indebiti quæstio est, & cautio indiscretè* (seu causâ non adjectâ, ex qua debeatur, gloss. ex Accursio) *loquitur, tunc eum, in quem cautio exposita est, compelli, debitum esse, ostendere, quod in cautionem deduxit;* & c. *si cautio, de fid. instrument.* expressè dicitur: *si cautio, quam quis indebitè exposuit, indeterminatè* (seu non expressâ causâ debiti, ut ait gloss. hic) *loquatur, adversarius tenetur ostendere, quod in ea continetur.* Ubi: Barb. in hunc locum *n.* 1. *ajt:* debitor absolvitur, *si in scriptura debiti non exprimatur causa, quare fuit promissum, nisi creditor probet causam.* Et confirmatur quia stipulatio sine causa non valet. *L.* 2. §. *circa ff. de exceptione doli mali, junct. L.* 25. *§. fin. ff. probat.* igitur nec simplex promissio.

2616. Ad 1. in contrarium in *n.* 1613. Bz. negando assumptum, ut constat ex *dict. à cit. num.* §. *affirmativam.* Ad 2. ibid. minorem negat Wadingus *cit.* §. 4. contendens ex nudo pacto dari actionem jure Prætorio: Bz. 2. N. ma. quia ex edicto Prætoris non habetur imperium, factum Judici sub pœna coërcendi violatorem talis pacti, secus de Jure Canonico, per dicta *n. cit.* Ad 3. ibid. negandum est, ex dictis, quòd allati Canones importent *meram* imploratiorem Judicis, ut impendat officium suum *nobile* læso ex violatione talis pacti. Ad 4. Bz. etiam Jus Canonicum cupere lites minui, sed *majori cautione peccati*, quam non ita curat jus civile. Igitur illa ratio non militat eodem modo, Jure Canonico pro actione neganda. Ad 5. constat ex *n.* 2613. §. *affirmativam, in fine.*

Ad extremum nota, quòd, quamvis etiam jus civile pacto nudo concedat actionem, cùm apponitur causa, qua vestitur, ut dixi supr. adhuc tamen inter illud Jus, & Canonicum quoad hoc discrimen sit; quia de Jure Canonico sufficit causa, ob quam promittitur, in promisso expressa, vel notitia de ea per confessionem debitoris, aut legitimam probationem creditoris, esto id neuter executioni mandârit, quod promisit: jure autem civili requiritur, quòd saltem ex parte unius paciscentium, promissum adimpletum sit; sic Cardinal. de Lugo *cit. n.* 57. Molina *D.* 257. *n.* 10.

* * *

# QUÆSTIO XXXVI.

## IN TIT. XXXVI. DE TRANSACTIONIBUS.

*Transactio*, saltem aliquo modo reducitur ad pactum. Licèt enim litem dissolvat; mutuo tamen consensu transigentium, obligationem utrinque parit ad standum pactis in transactione initis; & ideo statim subjungitur titulo de pactis; in transactione enim reipsa intervenit pactum, quo uterque cedit aliquid, & aliquid acquirit, ut constabit per decursum hujus tituli.

### ARTICULUS I.

*Quid, & quotuplex sit transactio?*

2617. AD 1. Bz. quòd transactio sumatur latè, & strictè. *Latè*, pro cujusque negotij compositione, vel quolibet actu, quo ab obligatione receditur, *L. Transacta ff. de Verb. signif. strictè*, pro pactione non gratuita, super re dubia, & controversa, seu super lite incerta, necdum finita, ut colligitur ex *L.* 1. *ff. de transact.* Dicitur 1. *pactio non gratuita;* quia in transactione quælibet pars, propter dubium litis eventum, alteri aliquid cedere debet, *L. Transactio* 38. *C. h. t.* & ex hoc differt à *compositione amicabili*, per quam unus alteri gratis cedit; nullo dato, aut retento, c. *super eo* 7. *h. t.* ibi: tale damus responsum, *quòd transigi super re sacra, & litigiosa non potest; etenim res sacræ, ut possideantur aliquo pacto, vel retento, seu promisso, speciem credimus habere simoniæ; aliàs, si gratis,*

*gratis, & amicabiliter inter se litigantes componant, sacris canonibus nequaquam dicimus obviare.*

2618. Dicitur 2. *super re dubia.* Nam si unus transigentium, *tempore transactionis*, sciat, nullum sibi jus competere super re litigiosa, vel accipienda, vel retinenda, tum transactio invalida est 1. in foro conscientiæ; quia sic omni titulo caret ad illam accipiendam; vel retinendam; 2. etiam in foro externo. *L. in Summa 65. de Condict. in debit.* vel saltem (si Reus ita transegit) actione, vel doli exceptione rescindi poterit L. *sub prætextu 19. C. h. t. junct. gloss. in c. 7. h. t. V. dato.* Si autem, bona utriusque fide, peracta sit, rescindi non potest, licèt post hoc inveniantur probationes evidenter ostendentes, alterum non habuisse ullum jus super re, de qua transactum est; & in neutro foro nascitur obligatio restituendi sic acceptum, vel retentum, nisi læsio foret nimis gravis, præsertim, interventu alicujus fraudis. L. *Lucius*, 78. §. *fin. ff. ad senat. Consult. Trebell. & l. 19. ac 29. C. h. t.* cùm tali casu quilibet incerto eventui se sponte committat, sicut in ludo.

1619. Not. autem, quòd hoc non procedat 1. si una pars dolo agat, fraudulenter occultando ea, quæ manifestari debebant. *L. 19. C. h. t.* secundò, si constet, unum eorum læsum esse multùm, & valde graviter *ultra dimidium*, Mynsingerus *Centuriâ 6. observ.* 91. tertiò, si læsus esset *minor 25. annis*; vel *Ecclesia.* Nam his subvenitur restitutione in integrum. *L. 1. & 2. C. si adversus transact.* Dicitur 3. *de re controversa*, seu *lite incerta*, nimirum dubia, & incerta, *non utcunq.*, sed *propter litem motam*, necdum finitam; *vel movendam*, *L. 2. C. h. t.* modò sit dubium in facto, licèt non in jure. Wesenbecius *h. t. n. 5.* Hinc in transactione semper debet lis esse (*L. 1. ff. h. t.*) vel metui (L. 2. *C. eod.*) & aliquid dari, retineri, vel promitti; L. 38. *h. t.*

Ad 2. 3. transactionem aliam esse *realem*, per quam scilicet res ipsa, de qua transigitur, afficitur, & hæc transit ad hæredes cum ipsa re, L. *juris gentium*, 7. §. *Pactorum*, *ff. de pactis*; aliam *personalem*, quæ afficit solùm personam, dum vivit, & cum ea extinguitur, c. *de cætero 5. h. t.* ibi: de cætero noveris, quòd, cùm aliquis ad extraordinarium Judicem literis impetratis cum adversario suo componit, postmodum in Ecclesia, de qua agitur, jus aliquod habiturus: si compositio non est juri contraria, non est à loci Episcopo reprobanda; sed census absque Episcopali auctoritate, cui præest, Ecclesiæ sub hoc prætextu solutus, vitam ejus, qui solverit, non excedit. Ex quo textu colligitur, per transactionem, factam sine authoritate Episcopi, *Prælatum*, sed *non Ecclesiam* constitui censualem; adeóque in eo textu distingui *inter transactionem* rei, seu *realem*; qua nimirum obligetur res; & *personalem*, quæ constituat obligatam personam.

## ARTICULUS II.

### *De his, qui possunt, vel non possunt transigere?*

REgula est, quòd transigere possint 2620.
omnes, qui liberam rerum suarum administrationem habent, ac donare, vel alio quovis modo alienare; L. *in re*, 21. *C. Mandati*, etiamsi sint fœminæ. L. *sanum 7. C. h. t.* dixi, *administrationem liberam*; hoc enim verbum importat casum, quo non requiritur alterius licentia, gloss. *in Clement. dudum, de sepult. V. liberè*; seu, quo non requiritur alterius auctoritas; Barbosa *in Clem. cit. n. 23.* adeóque, ubi res fieri potest non obstante contradictione; Barb. *in c. 3. de Offic. Ordinarij, n. 14.* Ex hoc per oppositum colliges, eos, qui non habent *liberam* administrationem, seu facultatem alienandi, transigere non posse. Et ideo *Tutor*, vel *Curator*, sine Judicis decreto, de bonis immobilibus, vel mobilibus pretiosis, quæ servando servari possunt; *Procurator* cum mandato solùm generali; *pupillus*, aut minor in damnum rerum suarum; *prodigus*, cui interdictum est bonis, transigere non possunt; quia non habent *liberam*, administrationem. Procurator etiam cum libera, & generali administratione, non potest transigere: Barb. *in c. 3. h. t. n. 2.* nec habens mandatum generale cum clausula ratihabitionis; idem ibid. *n. 5.*

Quamvis autem Abbas, vel Prior Conventualis Ecclesiæ, cum Ecclesiastica, vel sæculari persona coram delegato, vel ordinario Judice transigere valeat; id tamen non potest *sine consensu Capituli*; secus tamen, si, præter mandatum procuratorium

ad agendum, habeat literas à Capitulo, id est, quidquid super tali negotio egerit, ratum habebit; & multò magis, si habuit simplex mandatum transigendi, ut dicitur c. *Contingit* 3. *h. t.* ubi dicitur: si Abbas, vel Prior à Capitulo suo de ratihabitione transactionis, quam fecit Prælatus nomine Ecclesiæ, literas habuerit, *transactionem ab eo non posse revocari.*

2621. Not. præterea 1. prædictam regulam, *quòd Abbas, vel Superior Ecclesiasticus, sine consensu Capituli, transigere non possit*, intelligendam de transactione *alienante* res Ecclesiæ sic, ut recuperari non possint; secùs, si fiat solùm causâ litis terminandæ, reservato jure recuperandi rem, datâ pecuniâ, quo Ecclesiæ conditio evadat melior; sic gloss. *communiter recepta in L. Nulli* 13 *ff. h. t. V. Transigere.*

Not. 2. eandem regulam debere intelligi de transactione *voluntaria*, non *necessaria*, quæ scilicet fieri debet vi statuti, aut Principis jussu ad diuturnas lites componendas, vel vitanda gravia scandala. Nam constitutio, de bonis Ecclesiæ non alienandis, intelligenda venit de alienatione *voluntaria*; non ea, quæ fit necessitate cogente; sic Layman *l.* 3. *summæ, tr.* 4. *c.* 31. *q.* 1. *n.* 4.

Not. 3. Prælatum Ecclesiæ, Ordinario subjectum, ad transigendum super rebus, & juribus Ecclesiæ, non tantùm indigere consensu Capituli, ut dictum est; sed etiam sui legitimi Superioris, cui talis Ecclesia subjecta est, ut definivit Alexander III. *in c. statuimus 2. h. t.* ubi casus est de transactione super decimis Ecclesiæ debitis, quam citatus Pontifex tenere definivit, *si celebrata sit etiam de consensu Ordinarij*; sic Barb. ibid. *à n.* 1. *& alij, junct. gloss. V. Personam.*

2622. Sed advertendum, quòd textus solùm loqui videatur de transactione super decimis, inter personas *Ecclesiasticas*, ibi: statuimus, ut, si super decimis, *inter vos, & personam Ecclesiasticam*, de assensu Episcopi, vel Archiepiscopi sui, compositio facta fuerit, rata, & inconcussa persistat. Et ideò Gonzalez hìc *n.* 2. ex hoc textu sequentem assertionem deducit: *transactionem super decimis cum Ecclesiastica persona, & Superioris authoritate, valere.* Verùm id textus expresè non dicit; & ideò Gonzalez ad hunc textum ait, *non esse certum*, sed dubium, an transactio, de qua incit c. *Statuimus*, facta sit inter *solas personas Ecclesiasticas*, vel *personam Ecclesiasticam, & Laicam.* Nam, ut notat Hostiensis hìc V. *inter vos*, hæc decretalis directa fuit ad Laicos, cum quibus super decimis transactum est.

2623. Videtur igitur dicendum, transactionem super decimis inter personas Ecclesiasticas cum consensu Ordinarij, omnino valere, ut habetur c. *statuimus 2. h. t.* Nec obstat, decimas jure Divino esse debitas Parochis, ut fusè probat Gonzalez hìc *n.* 3. Nam in decimis Ecclesiasticis, excommuni Doctorum sententia, duo considerandasunt. 1. obligatio alendi ministros Ecclesiæ, & hæc est juris naturalis, Divini, & Ecclesiastici; 2. *quota, & quantitas decimarum*, & hæc est juris tantùm Ecclesiastici, ut pluribus probat Suarez *tom.* 2. *de Relig. tr. de decimis, c.* 9. *n.* 10. Covarruv. *l.* 1. *Variar. c.* 17. *n.* 2. Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 22. Ex quo sequitur, quòd transactio, consuetudo, vel privilegium *in materia decimarum*, locum habeat, cùm versantur circa ea, quæ sunt juris tantùm positivi. Et ideo accedente justa causa, & Superioris auctoritate, jus decimarum, *quoad quotam*, rectè mutari, vel minui potest. Ex quo patet solutio ad rationem in contrarium. Concedo enim decimas, *quoad substantiam*, non autem *quoad quotam*, esse juris Divini.

2624. Dices, in c. *Venerabilis*, 8. *de Confirm. utili* dicitur: super quibusdam decimis, mediante Albanensi Episcopo, tunc Apostolicæ Sedis Legato *amicabilis compositio* intervenit, *quòd, quantò citius eam authoritate Apostolica confirmari contingeret, statim deberet executioni mandari:* ergo in transactione super decimis facta, necessaria est confirmatio, & non sufficit authoritas Episcopi, vel *Ordinarij.* Verùm hìc textus solùm agit de transactione super decimis inter Episcopum ex una, & Regem Cypri ex alia parte, ut constat ex inscriptione illius Capituli, & notat Innocentius Cironius apud Ganzalez *cit. n.* 8.

Dices 2. in c. *Veniens*, 8. *h. t.* etiam *inter personas Ecclesiasticas* requiritur *auctoritas Papæ.* Respondent aliqui eam transactionem fuisse inter *Rectorem Ecclesiæ*, ac *Colonos* Monasterij consequenter non inter

ter *Ecclesiasticos*; sed ex textu patet, eam transactionem esse factam *inter Rectorem Ecclesiæ, & Monachos*, quibus suberant Coloni, à decimarum solutione liberati.

Respondent alij, ideo in hoc casu desideratam esse *Apostolicam authoritatem*, quia agebatur de re magni momenti, & graviori causa; causas autem graviores sumo Pontifici reservari, ut dixmus alibi; sic Barbos. *l. 1. Univers. jur. Eccles. c. 26. n. 25.* quia agebatur de remissione magnæ partis decimarum. Sed hæc expositio non congruit textui, qui sic habet: *Veniens ad Apostolicæ Sedis Clementiam* magister G. de Favil. sua nobis insinuatione monstravit, *quòd Monachi* majoris monasterij, terras in parœcia Sanctæ MARIÆ de Marchia excolunt, & ab eadem Ecclesiæ Coloni eorum omnia Ecclesiastica tam necessaria, quàm voluntaria suscipiunt Sacramenta, & tamen eidem Ecclesiæ *decimas solvere contradicunt*: arbitrantur autem, se posse tueri, *cujusdam transactionis prætextu inter præfatos Monachos, & quendam Sacerdotem* memorati Guilielmi *prædecessorem factæ*, ut de duabus carrucatis terræ, quas in dominio suo Monachi tenent, tertiam tantùm decimarum partem exsolvant: Mandamus, quatenus, nisi præfati Monachi transactionem præscriptam, *auctoritate Apostolica* confirmatam esse, docuerint, cùm aliàs *inter personas facta potiùs, quàm inter Ecclesias videatur*, ne pacta inter alios facta alijs obesse patiamur: *ipsos, & agricolas, decimationes ex quibuslibet rebus provenientes, ex integro, & illarum, quas illicitè detinuerant, justam æstimationem restituere eidem Ecclesiæ compellatis.*

Ex hoc textu colligitur. 1. transactionem illam esse factam inter Rectorem Ecclesiæ, & Monachos, consequenter inter personas Ecclesiasticas; 2. factam esse sine Superioris consensu, ut habet Rubrica *dict. c. 3.* non fuisse *realem*, sed tantùm *personalem*, ut liquet ex textu adeóq; non fuisse validam, tanquam realem; & ideo nec præscriptionē transactionis posse prodesse sine confirmatione Papæ *in vi transactionis realis*; cùm facta sit sine solennitate *per modum privilegij, seu exemptionis à solutione decimarum Ecclesiæ Parochiali debitarum*, quam exemptionem solus Romanus Pontifex concedere potest, juxta *c. à nobis, 1. c. Ex parte, 10. c. ad audientiam, 12. c. penult. de decimis, c. si de terra, 61. c. accedentibus, 15. c. dudum, 31. de privileg.*

Dices 3. ergo saltem transactio *inter personam Ecclesiasticam, & Laicos facta, super decimis, non valebit, esto facta sit cum authoritate Episcopi.* Resp. probabilius concedi illatum, ut docet Suarez *cit. l. 4. de decimis, c. 51.* Gonzalez *ad c. 2. h. t. n. 8. in fin.* & alijs cum Rebuffo *de decimis, q. 13. à n. 17.* Et quamvis Barb. *in cit. c. 2. n. 3.* & gloss. V. *Personam*, velit, *quòd valeat compositio inter Laicos & Clericos*, ut minùs, quàm decima res solvatur, vel de aliquibus rebus non præstetur; hoc tamen ibid. limitatè tradit. 1. si fiat cum utilitate Ecclesiæ, vel approbatione Summi Pontificis, aut talis compositio magno temporis intervallo 30. annorum firmata sit; sic etiam Abbas *in c. Albericus, de testib. in 6.* & Rebuff. *à n. 26.* aliàs enim authoritas Episcopi extenderet se ad relaxandum jus commune, *circa quotam decimarum.* 2625.

Si tamen contingeret, quòd inter Clericos, & Laicos, sine authoritate legitimi Superioris, fieret transactio super decimis, non vitiaretur *in totum; sed valeret pro vita componentium*, quin tamen eo mortuo, qui fecit, successori præjudicet. Ex quo colliges tale pactum, seu transactionem non fore *perpetuam*, nec parere obligationem, nisi *personalem* (qua teneatur Clericus transigens) quin Ecclesiam afficiat; sic Layman in *c. statuimus, 2. h. t. n. 2.* & habetur tum in *c. de cætero, 5. eod.* ibi: *vitam Titij excedere non debet*; tum in *c. Veniens, 8. eod.* ibi: *cùm inter personas transigentes tantùm facta, Ecclesiam ipsam, & successores* (seu Parochos) *non afficiat.*

Præter hæc not. 1. quòd Superior alicui causam, secundùm jura decidendam delegans, non auferat illi facultatem admittendi transactionem; cùm partes ad concordiam reducere universim pertineat ad officium Judicis, ut constat *ex tit. 32. de officio Judicis.* 2626.

Not. 2. litigantem super beneficio cōram Judice, à Papa delegato, transigere posse absque consensu Ordinarij; & sic factam valere, si alio titulo jure contraria non sit; sic Alexander III. in *c. de cætero, h. t.*

*h. t.* Ex quo textu, etiam illud habetur, per transactionem litis finiendæ institutam, authoritate Judicis delegati onus imponi posse, non quidem ipsi *beneficio* Ecclesiæ, vel Capellæ, super qua transigitur; sed parti transigenti; *at solùm ad certum tempus*, nimirum vitæ ejus; ita textus.

Not 3. quòd, ubi jus expressum non est, Judex benigniorem partem sequi debeat, habita ratione personarum, loci, temporis &c. si autem lex expressa est, secundùm eam judicare, nisi supremus sit; sic Honorius III. in c. *Ex parte, fin. h. t.* ubi scribens ad Cardin. Presbyt. *tit.* S. Praxedis *poteris*, inquit, *etiam ad componendum interponere partes tuas, & interdum aliquid severitati detrahere, prout* (statu imperij, & excedentium multitudine, provida deliberatione pensatis) *videris expedire*: exceptis nimirum casibus, qui compositionis, seu dispensationis remedium non admittunt, utpote *conjugij Sacramentum*, quod, cùm non solùm apud Latinos, & Græcos; sed etiam apud fideles, & infideles existat, à severitate canonica circa illud recedere non licebit. *In his verò, super quibus jus non invenitur expressum, procedas* (æquitate servata) *semper in humaniorem partem declinando*, secundùm quod personas, & causas, loca, & tempora, postulare videris: hoc tamen intellige de iis, quæ in Judicis potestate sunt. Nam compositio, transactio, & dispensatio ad ea se non extendit, quæ certam ex divina lege constitutionem, aut obligationem habent.

## ARTICULUS III.

### *De quibus rebus transigi possit?*

2627. RESP. transigi posse de omnibus dubijs, & controversis, nisi aliquo jure prohibeantur, ut docet Hostiensis *in Summa n.* 3. Talia sunt; 1. si quis alteri cederet spirituale, vel illi annexum, pro temporali. Nam talis transactio simoniaca foret, c. *super eo*, 7. de quo *supr. c. præterea*, 9. *h. t.* ubi ab Ornensi Episcopo rogatus Lucius III. *an teneat transactio, quando inter Laicos, & Viros Religiosos, de præsentatione alicujus Ecclesiæ, quæstione suborta, transigitur, ita, quòd præsentationem Laicus obtineat; religiosi verò novam, vel majorem percipiant in Ecclesia, in qua priùs nullam, vel majorem habere consueverant portionem?* ad quod Pontifex, *cùm igitur ipsa pactio simoniaca meritò videatur*, respondit, *quòd de jure non tenet, nec ex ea religiosi ullum debent commodum obtinere.* Ex quo textu deducitur, quòd sicut super jure præsentandi, ita super annexo, non possit transigi, ut recedatur à lite, temporali aliquo interveniente.

Similiter transigi non potest de publico crimine capitali, L. 18. *C. h. t. junct. gloss. V. Capitali*; nec de criminibus publicis, non capitalibus; L. 18. *cit.* excepta accusatione de crimine falsi L. *penult. C. eod.* nec de privatis, in quibus criminaliter agitur *cit.* L. 18. nec de causis civilibus circa relicta in testamento, vel codicillo, in scriptis, si dubium oritur ex instrumento. Unde etiam non valet transactio de re per sententiam decisa, L. 7. *ff. h. t.* nisi dubitetur, an sententia sit lata? vel nisi appellatio, aut revisio intervenerit, vel adhuc appellari possit; L. 7. & 11. *ff. eod.*

Præter hæc not. 1. transactionem pro- 2628.
priè dictam super beneficio, seu jure beneficiali, si propria authoritate fiat, tanquam simoniacam *condemnari*, c. *constitutus*, 4. *h. t.* ubi habetur, quòd inter Gasparem, & Alexandrum, Clericos, controversia erat super quadam Capella, quam ipsi per transactionem, fide invicem data, finiêrunt. Sed cùm Alexander transactione stare nollet, ad Pontificem causa devenit, qui respondit: *hujusmodi transactionem continere speciem simoniæ*: quare eâ in irritum revocatâ, controversiam inter dictos Clericos secundùm jura dirimendam esse. Idem habetur in c. *super eo*, 7. *h. t.* ubi dicitur: *si de Ecclesiastico beneficio*, aut *quavis re spirituali* litigetur, transactionem fieri non posse, ita, ut retento, vel accepto *spirituali*, viciſſim aliquid detur, vel remittatur: cùm talis commutatio, seu reciproca obligatio, *speciem simoniæ habeat*: at verò, *amicabilem, & gratuitam compositionem in talibus fieri posse.*

Dixi: *transactionem propriè dictam*, si scilicet causa beneficialis dubia sit; nam si possessor beneficij liquidum jus habeat; & injusto petitori v. g. pecuniam offerat, non *pro jure suo acquirendo*, vel stabiliendo, sed solùm *redimenda vexa*, vel injuria; in conscientia & coram Deo simoniæ Reus non erit; in

foro

foro tamen externo ex præsumptione conventionis simoniacæ securus non erit; nisi alterius injusta vexatio notoria sit. Dixi 2. *propria authoritate*; nam si uni parti litigantium, super beneficio, detur aliquid temporale: non in compensationem dubij juris, sed ob aliam causam, v. g. ob bonum pacis, & concordiæ, si Judicis authoritate fiat, hoc factum damnari non debet, tanquam simoniacum, & illicitum; ut colligitur ex *c. 2. de Arbitris; & c. nisi 21. de præbend.*

2629. Not. 2. illicitam esse transactionem super jure *Patronatûs* interventu rei temporalis, ut habetur c. *Præterea 9. h. t.* cùm enim inter quosdam Laicos, & Religiosos, controversia esset de jure præsentandi ad Ecclesiam Parochialem, eamque sic transegissent, ut jus præsentandi ad Laicos pertineret; Religiosis autem ex dicta Ecclesia pensio annua, quæ antea dari solita non est, proveniret: *hanc pactionem simoniacam esse respondit* Lucius III. ac proinde irritam, ex quo Religiosi nullum commodum percipere possint.

2630. Not. 3. nec super *Spirituali subjectione* licitum esse transigere data re aliqua temporali, per c. *Præterea*, 10. *h. t.* cùm enim contraversia esset de Capella quorundam Monachorum, utrum subjecta esset Ecclesiæ matrici? Monachi *confitebantur subjectam olim fuisse;* sed postea *transactione quadam liberatam;* quia censum annuum constituerant matrici Ecclesiæ solvendum, *ut Capella à subjectione ejus eximeretur.* Sed pro majore, seu matrice Ecclesia allegabatur, quòd super *Spirituali subjectione* transigere non liceat. Ad hæc respondit Cœlestinus III. cùm Fratres confiteantur, *Capellam illam matrici Ecclesiæ subjectam fuisse;* at verò *per transactionem*, quippe irritam & simoniacam *liberata non sit*, ideo contra illos sententiam ferendam esse. Neque referre, ait Pontifex, quòd determinatè non sciatur, quantus fuerit census ille; quia quantuscunque fuerit, constat transactionem de censu solvendo pro exemptione à Spirituali subjectione simoniacam esse.

Ex hoc textu colliges 1. in pacto simoniæ non attendi (an quis pro acquirendo beneficio, vel re Spirituali, multùm, vel parùm dederit) si adfuit animus reciprocam pactionem instituendi. Sic enim verè jam appretiatur spirituale re temporali, ut constat ex textu. Colliges 2. ubi constat locum aliquem, vel personam olim alteri subjectam fuisse, præsumi adhuc subjectam, nisi contrarium ostendatur. Nam, *olim subjectus præsumitur etiam hodie subjectus; & olim possessor, etiam hodie præsumitur possessor.* Sic Alcianus *de præsumpt. Reg. 2. præsumpt. 12.* Covarruv. *in c. Raynutius, de Testam.* §. 11. *n. 2.* Colliges 3. quòd, si Reus per exceptionem confiteatur aliquid, quod deservit intentioni actoris, Actor possit confessionem rejicere, vel acceptare, ex eadem oppugnando Reum; prout contigit in præsenti casu, ubi Monachis excipiendo dicentibus, *se super subjectione transegisse*, Actor confessione usus, acceptavit confessionem prioris subjectionis; nec transactione, utpote simoniacâ, sublatam, vel extinctam esse probavit, ut liquet ex dictis: Colliges 4. super re judicata transactionem fieri non posse, per L. 32. *C. h. t.* & L. 23. §. 1. *ff. de Condict. indebit.* Nam res judicata non est res dubia, nec lis incerta; quia pro veritate habetur, L. 207. *ff. de Reg. juris;* intellige, si certum sit, sententiam latam, aut rem judicatam esse; L. 11. *ff. h. t.*

## ARTICULUS IV.

### *De forma transactionis, & ex quibus causis rescindi possit.*

2631. NOt. spectato jure naturali, & Canonico, nullam certam *verborum* formam requiri ad transactionem, & fieri posse vel purè, vel sub conditione, L. 9. *C. h. t. in*, vel *extra* judicium; *cum*, vel *sine* scriptura, *L. 28. C. eodem;* modò pro remissione litis aliquid contra præstetur, aut fiat (nam in hoc præcipuè forma transactionis consistit) & fiat super re dubia, ac jure incerto, *L. 2. C. h. t.* Not. 2. posse etiam apponi pœnam solvendam ab eo, qui recesserit, *L. 15. 37. & 40. C. h. t.* & si pœnæ adjiciatur clausula, *rato manente pacto*, contravenientem ad utrumque teneri, L. *qui fidem*, 16. *ff. h. t.* L. *cùm proponas*, 17. *C. eod.* Cæterùm, modus transigendi an pacto nudo? an contractu nominato? vel innominato? (sic enim fieri posse habetur ex L. 2. *ff. h. t. &*

L. 6. *ac* 15. C. *eod.*) est extra substantiam transactionis.

2632. Not. 3. transactionem specialem, de re aliqua certa, vel sub certo titulo, non extendi ad alia, L. *si unus*, 27. *ff. de pact. junct. gloss V. noceat*, & L. 3. C. *h. t.* Si autem sit generalis, seu indefinita, æquivalere universali, & extendi ad omnia particularia sub eo genere contenta, L. *tres Fratres* 35. *ff. de pact.* & L. 29. *ac* 31. C. *h.t.* excipe 1. nisi aliquid dolo in transactione universali occulteur; 2. nisi sit aliquid eorum, de quibus non præcessit tractatus.

2633. Cæterùm transactio, *jure civili*, duobus modis fieri solet 1. simplici acceptilatione, quod fit, cùm debitor, cui movetur, vel movenda esset lis, offert aliquid v. g. pro 100. de quibus est lis, 50. & interrogat, an sibi 50. velit? & 50. solvat; ac Creditor seu Actor respondeat, *se acceptare*, ut colligitur ex L. 2 *ff. h. t.* & L. 15. C. *eod.* secundò acceptilatione, præcedente Aquiliana stipulatione v. g. cùm Titius prætendit à Cajo sibi deberi centum, e. g. *ex venditione*, vel alio simili contractu citra stipulationem; & Titius Cajum interroget, an, quod debet ultra 50. promittat se soluturum, animo novandi? & Cajus respondet: *promitto*, simul sub hoc interrogans Titium actorem, an hoc habeat acceptum, & is respondeat: *habeo*; dicitur Aquilina stipulatio, ut explicat glossa *in cit.* L. 2. *in casu.*

2634. Ad alteram partem tituli nempe transactionem rescendi posse ex variis causis 1. ex interposito metu injustè incusso, L. 13. C. *h. t.* secundò, si dolo extorta sit, L. 13. & *penult. h. t.* (ut si instrumenta noviter reperta essent, prius dolosè occultata. Si læsio contingat dolo; transactio rescindi potest, non autem secus; esto in re læsio intervenerit, sed sine dolo; & hoc ex L. *Lucius* 78. §. *ult ff. ad S. C. Trebell.* Nam ibi rescissio transactionis super universali fidei commisso totius hæreditatis negatur; licèt ex instrumentis deinde pateat magnam læsionem interveniisse. Tertiò, si intervenit error substantialis L. 29. C. *eod.* quartò, mutuo consensu partium, L. 14. C. *eod.* quintò, per errorem calculi, nisi & super hoc errore transactum sit, L. *unic.* C. *de errore Calculi*: sextò per restitutionem in integrum, intellige, si exinde læsio contingat. Nec obstat, L. 5. C. *de dolo malo*, ubi tribuitur actio in factum in transactione immodicè læso; quia dicta lex procedit in casu læsionis interveniente dolo, ut patet ex ultimis ejus verbis; similiter quando L 65 §. 1. *ff. de Condict. indebit*: conceditur repetitio, intelligitur, ubi intervenit transactio solùm imperfecta, vel aperta calumnia.

## ARTICULUS V.

### *De effectu transactionis.*

PRimus, & principalis effectus transactionis semel bona fide, & legitimè celebratæ, est, *finire litem*, L. 10. C. *h. t.* Hinc invita altera parte transigentium, revocari, aut rescindi non potest, *L. 5. C. h. t. & l. 16 C. eod.* nec quidem sub prætextu novorum instrumentorum ad litem sopitam pertinentium, *L. 19. & 29. C. h. t.* esto adhuc res integra sit, & contractus ex neutra parte completus, *L. 39. C. h. t.* nisi instrumenta priùs dolosè occultata essent, ut diximus in præcedentibus. Hinc omnia instrumenta, probationes, & jura partium, in contrarium allata, post ritè factam transactionem, irrita sunt, & inania, c. *sicut grave* 1. *h. t.* ubi habetur, quòd personæ quædam Ecclesiasticæ controversiam, quam inter se, de bonis, aut juribus suis habebant, salubri transactione finierint, petentes à Gregorio 1. Pontifice, ut eam auctoritate sua confirmaret: quamobrem, respondit Pontifex, *instrumenta omnia, & quidquid aliud est, quod partiuni, aut alteri, super causis transactione finitis favere posset, jam pro irrito, & vacuo habendum esse solámq. transactionis conventionem observandam. Sed, etsi in ea per incuriam, vel imperitiam defectus aliquis commissus sit, se illum Apostolica authoritate, & confirmatione, ex certa scientia supplere.* 2635.

Ex hoc textu sequitur, transactionem, bona fide, & sine dolo factam; parere exceptionem *litis finitæ*, ut instar rei judicatæ haberi debeat, ita, ut si gravis læsio partis post transactionem appareat *propter nova instrumenta* postea reperta, tamen transactio firma sit, nec rescindi debeat; nisi læsio facta sit *in ipsa transactione.* Hujus postremi ratio est ex Layman *in cit. c.* 1. *n.* 2. quia, si læsio contingat *in ipsa transactione*, ubi jus revera dubium, quod una pars habebat, majus, aut majoris ponderis

tunc

tunc erat, quam æstimabatur, inæqualitas hæc in conscientiæ foro ad æqualitatem reduci debet: imò etiam in conscientiæ foro remedium rescissionis (*ex L. 2. C. de rescind. vendit.*) dari deberet, perinde, ut in aliis onerosis, ac reciprocis contractibus, si læsio ultra dimidium justi fuit; sicuti bene cum Bartolo, & aliis docet Molina *tr. 2. de just. D. 556. n. 16.*

1636. Not. tamen, talem rescissionem in transactionibus concedi vix solere, nisi læsio *enormissima* sit; ideòque dolus præsumatur; uti docet Layman *in c. ult. n. 2. & hic, n. 2.* vel nisi minor natu, aut Ecclesia in hujusmodi transactione læsa sit; tum enim ei Judicis officio succurritur per in integrum restitutionem, juxta *L. 1. & 2. C. si adversus transactionem.*

Alter effectus est, quòd, esto transactio, actionem civilem non pariat, si celebrata sit *nudo pacto* (nam ex nudo pacto de Jure Civili non nascitur actio per superiùs dicta) pariat tamen exceptionem, *L. 17. C. h. t. nimirum litis finitæ, c. 1. de litis contestatione in 6.* Et quamvis sit exceptio peremptoria, tamen opponi potest ante, vel post litis contestationem; & litem decidit, ac si res in judicio decisa esset; & ideo in *c. 1. h. t.* vocatur, *decisio causæ*; quia æquiparatur rei judicatæ; *L. 20. C. h. t.* non tamen nisi inter partes; Zoësius *hic n. 4.* Pro fine notandum, eum qui fuit *Advocatus* alicujus in certa causa posse postea esse testem ejusdem in instrumento transactionis super ea, c. *ex literis, 6. h. t.* quia sic non est Advocatus, & testis, *in eadem causa.*

* * *

# QUÆSTIO XXXVII.
## IN TIT. XXXVII. DE POSTULANDO.

1637. *Postulare*, hìc idem est, ac in judicio apud Judicem exponere suum, vel amici desiderium, vel alterius desiderio contradicere; *l. 1. §. 2. ff. h. t.* Est munus *publicum*, & hoc sensu tam pro Actore, quàm Reo postulari potest; imò etiam ij, qui Advocati non sunt, dum pro se causam agunt apud Judicem, postulare possunt. Cæterùm *postulare*, strictiùs loquendo, sumitur *pro munere Advocati*; qui alias etiam Patronus causæ, Orator, & Causidicus vocatur, ut notat Tholos. *in Syntag. Jur. Univers. c. 2. n. 6.* Nam hujus jus est, postulare pro alio, nimirum, ut clienti jus suum reddatur, de qua *V. Cod. in Tit. de Advocat. diverf. Judic.* quamvis autem, & Advocatus, & Procurator, *postulare* dicantur; tamen plures inter eos differentiæ numerantur à Pirhing *h. t. n. 2.* his positis.

### ARTICULUS I.

*Qui possint postulare de jure civili?*

1638. REsp. quòd omnes, qui nullo jure prohibentur. Prohibentur autem aliqui edicto, aliqui lege, aliqui sententia. qui prohibentur *edicto*, sunt in triplici ordine. Nam aliqui prohibentur *in totum*, ut nec pro se, nec pro alijs postulare possint; tales sunt minores 17. annis; furiosi, surdi; *l. 1. §. 3. ff. h. t.* aliqui tantùm *pro alijs*, ut mulieres; cæci; infames; *cit. L. §. 59.* Excipe tamen mulierem ratione tutelæ in causa filij; arg. c. *Ex parte 67. de appell.* Layman *in c. de Judic. n. 3.* aliqui *pro certis tantùm* possunt, nimirum, parentibus; liberis; fratribus; sororibus, uxoribus; & alijs conjunctis, fortè ad quartum gradum, ut notat Pirhing hìc *n. 4.* quibus adde illos, qui pro aliis tutelam, vel cautionem gerunt, L. *cit. §. est æquissimum*, & *§. ut initio*; & omnes infames, c. *Infames 3. q. 7* Nam infames, *edicto*, ne quidem volente adversario, admittuntur L. 7. *ff. h. tit. Lege* prohibentur, qui SS. Ecclesiæ Mysterijs non sunt imbuti, *C. fin. h. t.* Judices, & Arbitri, in eadem causa; L. 6. *C. h. t.* Potentiores, L. 1. &c. *C. ne potentior*; Pacti cum altero de quota litis L. 5. 1. *C. h. t.* vel alio pacto, quo alios vexent, inito, *L. 6. §. 2. c. h. t. sententiâ* verò prohibentur omnes, quibus vel in totum, vel ex parte advocantibus est interdictum, *L. 8. c. h. t.* Et hæc de jure civili. Not. autem, litigantes posse sibi pro libitu Advocatos eligere, L. *2. c. h. t.* quamvis interdum contingat, si partes ob inopiam, vel metum potentioris adversarij Advocatum habere nequeant, illis aliquem à Judice assignari ex officio, *ex* L. *1. c. h. t. & ff. 7.* L. *eod.* Et quo-

quoniam munus Advocati publicum est, nemini negare potest suum patrocinium sine probabili, seu justa causa; secus foro perpetuò interdicendus, neque unquam admittendus ad postulandum, per *L. 7. C. h. t.*

## ARTICULUS II.

### *Qui possint postulare de jure Canonico?*

2639. QUæstio est, qui postulare, vel Advocatum agere Jure Canonico prohibeantur? Resp. 1. Clericum constitutum in sacris, vel etiam in minoribus, si beneficiatus sit, prohiberi postulare in causa sæculari coram Judice sæculari, *c. Clerici, 1. h. t. & c. Sacerdotis 3. eod.* Excipe, nisi pro se ipso, vel Ecclesia sua, vel (si necessitas postulat) pro conjunctis, aut miserabilibus personis postulet, vel in judicio agat, c. 1. *& 3. h. t.*

2640. Ex hoc colliges 1. Clericum, etiam in Sacris constitutum, habere personam legitimam standi in judicio, pro se, & suis proprijs necessitatibus agendo, advocando, procurando; sic expressè habetur in c. 1. *h. t.* ibi: *nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ, fuerint prosecuti*; aut pro miserabilibus fortè personis, quæ proprias causas administrare non possunt; sic Barbosa *ibid. n. 4.*

Colliges 2. Clericum *non beneficiatum*, & carentem patrimonio, licitè posse postulare, seu Advocatum, aut Procuratorem agere coram Judice sæculari; Barb. *cit. n.* quod à fortiori procedit coram Judice Ecclesiastico; intellige tamen, si alijs medijs statum non dedecentibus, non possit egestatem sublevare.

Colliges 3. Monachos non posse in foro sæculari postulare *nomine suo, & pro se*; quia nihil proprium, ac nullius rei dominium habent *in sua persona particulari*: posse tamen *nomine sui Monasterij* cum licentia sui Prælati, si ejus utilitas, vel necessitas hoc exigat, c. 2. *h. t. c. Monachi à Monasterio 16. q. 1.* nec tantùm pro rebus Monasterij; sed etiam pro amicis ejus ex titulo gratitudinis; sic Innocentius in c. 1. *h. t.* Hinc Salzedo (apud Barbos. *cit. in c. 2. h. t. n. 2.*) refert Lupũ Abbatem, Monachos suos aluisse ex lucro suæ Advocationis.

2641. Colliges 4. per eadem jura, quibus conceditur, vel prohibetur Monachis postulare, idem etiam concedi, vel prohiberi Canonicis Regularibus; cùm & hi, ratione professionis, proprium non habeant, nisi in communi; Barb. *cit. n. 2. in fin. c. 2.* ubi hoc definitum est *de Monachis*, non ratione Ordinis *Monachalis*, sed ratione *professionis*, vi cujus non habent proprium; sic Vivianus *in hunc Tit. n. 2.*

Ex hoc colliges 5. Scholasticos Societatis Iesu cum licentia suorum Superiorum, licitè postulare *pro se, & nomine suo*, etiam in foro sæculari; quia status eorum nec ratione Ordinis, nec ratione suorum votorum, quibus constituuntur verè Religiosi, adimit illis, etiam *in propria ipsorum persona*, dominium rerum temporalium, ut constat ex Greg. XIII. *in Constitut. Ascendente*; consequenter habere possunt proprium. Ratio ulterior est; quia omnes, qui habent, vel habere possunt proprium, possunt sua repetere, & agere de mandato Prælati, ut expressis verbis docet Hostiensis *in summa, de postulando, n. 7. sub fin.* Deinde *Clerici* pro se possunt postulare, in judicio etiam sæculari, ut constat ex c. 1. *& 3. h. t.* Scholastici autem Societatis sunt verè *Clerici*; ut per se patet. Nec obstat, quòd sint *Clerici Regulares*, seu Religiosi. Nam 1. Religiosis non est prohibitum postulare cum licentia Prælati pro se, & rebus suis, si habeant proprium. 2. quia Clerici, etiam non regulares, pari passu ambulant in hoc puncto cum Regularibus, ut notat Hostiensis *cit. ex c. fin. ne Clerici vel Monachi*; at Clerici non Regulares pro se licitè postulant, quando habent proprium; ergo & Regulares. Sed de his plura dicemus *l. 2. tit. 1. de judicijs.*

2642. Præter hæc not. 1. Clericum, qui præsumit esse Advocatus *contra Ecclesiam*, cujus est Clericus, vel in qua beneficium habet, propter hanc ingratitudinem, posse illo privari; *c. fin. h. t.* ibi: *Clericus autem, qui contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinet, pro extraneis Advocatus, vel Procurator esse præsumit, tanquam ingratus, potest (maximè si Clericus sit ejusdem Ecclesiæ) beneficio hujusmodi spoliari.* Not. 2. prohibitum postulare, seu advocare, non prohiberi allegationes juris domi conficere, ac consilium etiam in scriptis petentibus dare; ita Sanchez *in decal. tom. 2. lib. 6. c. 13. num. 32.* Unde, qui Jurisperitos, aut viros literatos, ab alijs consul-

sultos, propter justa consilia, quæ rogati consulentibus præstant, persequuntur, aut etiam damnificant, nec sani consilij sunt; nec justitiæ amatores, circumventionis potiùs, quàm causæ meritò intenti.

2643. Plura sunt, quæ pertinent ad officium, & munus Advocati; sed hæc tractari solent in Theol. morali, cùm agitur de statibus hominum: illud certum est: Advocatum peccare contra justitiam, si vanis, ac inutilibus evasionibus de consilio protelat litem (cujus victoriam scit obtineri non posse) eo fine, ut clienti possessionem rei alienæ prolonget, gravi detrimento adversæ partis.

* * *

# QUÆSTIO XXXVIII.

## IN TIT. XXXVIII. DE PROCURATORIBUS.

2644. CUm contingat, multos rebus suis ipsos superesse, qui vel nolint, vel non possint per se ipsos agere; sed agere, vel conveniri per alios, nempe Procuratores, sic dictos, quòd sint quasi *pro alio Curatores*; ideo convenienter de his præsenti titulo (cùm transeamus ad judicij præparatoria) tractandum est.

### ARTICULUS I.

*Quis, & quotuplex sit Procurator?*

2645. PRocurator hìc is dicitur, qui aliena negotia mandato Domini administrat, L. 1. *ff. de Procuratoribus.* Dicitur 1. *aliena negotia.* Hinc *Procurator in rem suam* non est propriè Procurator; sic enim, nec illi, nec contra illum datur actio mandati, gloss. *in cit. L. 1. V. aliena, cùm gloss. margin. Per actionem* intelligitur jus persequendi in judicio; quod sibi debetur. Tale jus competit mandanti respectu ejus, qui mandatum suscepit, ut præstet mihi, quanti meâ interest, mandatum non fuisse expletum, vel omnino, non modo præscripto, vel dolosè, & negligenter, vel perperam; vel, ut tradam, quod ad eum pervenit ex re gesta, vel occasione mandati &c. Et hæc dicitur *actio mandati directa.* Actio verò mandatarij, dicitur *actio mandati contraria*, de quibus videri potest Manzius *de actionib. ad §. 17. actio mandati, Institut. de actionibus, fol.* 220. Per *negotia* autem hìc intelliguntur tam judicialia, quàm extrajudicialia, ut definitio etiam conveniat Procuratori tam *ad lites*, quàm *negotia.*

Dicitur 2. *de mandato Domini*, quo differt. 1. à negotiorum gestore, qui sine mandato aliena negotia gerit, L. 2. *de negot. gestor. junct. gloss. margin. ff. h. t.* Secundò à Tutore, & Curatore. Nam hi non mandato Domini, sed publica authoritate Legis, vel Magistratûs agunt. 3. à defensore, qui tenet partes Rei, & defendit etiam sine mandato; non autem Procurator, qui propriè tenet vices Actoris. Additur deinde specialiter ly *Domini*, ut excludantur meri administratores, qui nec Domini sunt, nec locò Dominorum habentur, sic, ut utantur jure suo, fructus faciendi suos, qualiter id possunt Episcopi, Prælati &c.

Ex hoc colliges, *verum* Procuratorem esse, qui habet legitimum Domini mandatum; &, si omnium bonorum, vel negotiorum, esse Procuratorem *generalem*; si tantùm alicujus, vel aliquorum, esse *specialem.* Procurator generalis est alius *cum*; alius *sine* clausula, *cum libera*, hoc est, cum plena, & libera potestate agendi, & administrandi ea omnia, quæ ipse Dominus potest. Hinc, carens ea clausula, non potest alienare, nisi fructus, & res, quæ facilè corrumpi possunt. Alius item *est in rem alienam*; alius *in rem suam*; alius *judicialis*; alius *extrajudicialis*; alius *ad negotia*; alius *ad lites*; de quibus fusè Legistæ. Pereyra *in Elucidar. n.* 1059. inter *Mandatarium, Procuratorem, & negotiorum gestorem* constituit discrimen; nam quamvis Mandatarius, & Procurator in eo conveniant, quòd uterque aliena negotia, mandato sibi à Domino facto gerenda gratuitè suscipiat (*l. 3. §. negotia. ff. de negot. gest.*) tamen juxta Molin. *tom. 2. Disp.* 551. Procurator est veluti pars subjecta Mandatario, utpote latiùs patenti. Procurator enim presse, ac propriè dicitur, qui instrumentum à mandante accipit ad aliquid, loco, & nomine ipsius in judicio, 2646.

aut extra judicium agendum. Negotiorum gestor juxta Molin. *Disp.* 553. est ille, qui negotium alterius absque mandato ipsius tam formali, quàm virtuali utiliter agit. Nam exigente id naturâ rei, & communi bono, ne res absentium, & minorum perirent, decretum est, ut utrinque nasceretur obligatio, nempe ex parte gestoris; & illius, cujus negotium ageretur.

## ARTICULUS II.

### *Qui possint, vel non possint constituere Procuratorem?*

2647. REsp. ex L. *Mutus*, 43. §. 1. *ff. h. t.* quod possit quilibet non prohibitus; hoc Universitas potest ad agendum, & defendendum, c. *quia in causis* 7. *h. t.* ubi Innocentius III. Scholaribus Parisiensibus id ipsum ex eo quærentibus, cùm Universatas ipsorum ad agendum, vel respondendum commodè interesse non possit; rescribit, licèt de jure communi hoc facere valeatis, *instituendi tamen procuratorem super his, auctoritate præsentium Vobis concedimus facultatem;* & talis jure civili propriè vocatur *Syndicus l.* 1. §. *quibus autem. ff. quod cujusque Universitatis nomine &c.* Hinc, qui sunt Domini litis, & possunt mandare, dare possunt Procuratores, nisi aliunde prohibeantur. Prohibentur autem excommunicati vitandi, intellige ad agendum; secus ad defendendum; *c.* 15. *h. t. c. nemo;* item filiifamilias in causa, in qua nequeunt ipsi experiri, *l.* 8. *ff. h. t.* pupilli, & minores sine consensu, & authoritate Tutorum, vel Curatorum, L. 11. *C. eod.* servi, ad litem, non autem ad negotia peculij; Haunold. *tom.* 5. *de jure cit.* Constitui etiam potest *tacitè*, v. g. si ipsi tradantur instrumenta litis, arg. *L. fin. C. de pactis conventis.* Præterea prohibentur fœminæ, nisi agant pro parentibus, morbo, vel ætate impeditis, aut iis, qui eorum nomine pro ipsis agant L. 41. *ff. h. t.* Milites *L.* 54. *ff. h. t.* Potentiores, ne jus tenuiorum opprimatur per potentiam eorum *L.* 1. *C. h. t.*

2648. Not. autem 1. quòd Procurator constitui possit à Domino, etiam absens, vel per epistolam, aut Nuntium; quia non desideratur verborum solennitas, *cit. L.* 1. *ff. h. t.* Deinde, quòd etiam Procurator Procuratorem constituat, habens ad id mandatum speciale, vel constitutus in rem suam *c.* 1. *h. t. in* 6. sed primò post litem contestatam. Nam per hanc fit Dominus litis; Zoësius *cit. h. t. n.* 4. Hinc admittitur non tantùm Paterfamilias, sed & Filius, etiam Patre insscio, *L. tam ex contractibus, ff. de Judic.* Not. 2. Officium Procuratoris minùs esse honestum, quàm Advocati; cùm versetur circa ea, quæ sunt facti; Zoësius *h. t. n.* 1. *ex L.* 1. §. *penult. ff. h. t.* Et ideo, licèt infamis rejiciatur *à postulando;* non tamen *à procurando;* quia, ut ajt Zoësius *h. t. nu.* 5. Procuratoris officium non tam est honorificum, quàm vile.

## ARTICULUS III.

### *Qui Possint constitui Procuratores?*

RESp. parem esse regulam, quòd pos- 2649.
sit quilibet idoneus constitui, nisi aliunde prohibeatur c. 1. *h. t. in* 6. ibi: *non indiscretè Judex censetur egisse, Procuratorem Laicum ad agendum, vel defendendum, in causis spiritualibus admittendo; cùm regulariter, qui non prohibetur expresse ad exercendum Procuratoris officium, idoneus debeat reputari; L.* 18. *C. h. t. L.* 54. *ff. eod.* Ex hoc sequitur 1. etiam *Laicum* constitui posse Procuratorem in causis spiritualibus, tam ad agendum, quàm defendendum, *cit. c.* 1. sequitur 2. etiam infames posse constitui Procuratores; ratio est ex *n. priori;* sequitur 3. constitui posse sive unum, sive plures, vel singulos in solidum, vel tantùm omnes conjunctim, *c. si duo*, 6. *h. t. in* 6. Prohibentur autem minores 15. annis, sed solùm in judicio, *c. qui generaliter*, §. *fin. h. t. in* 6. intellige de Jure Canonico; jure tamen civili admittitur major 17. annis, per ℣. *ead. leg. Instit. quibus ex causis manumittere non liceat.* V. quæ dixmus à *nu.* 2647. Textus *c. generaliter* sic habet: *qui generaliter constituitur ad negotia Procurator, agere, ac experiri potest, exceptis his casibus, qui mandatum exigunt speciale. Ne dum verò ad negotia, sed etiam ad judicia potest filiusfamilias absque Patris assensu fieri Procurator. Licèt autem quis post* 17. *annum Procurator ad negotia licitè deputetur: ad judicia tamen, nisi major* 25. *annorum fuerit, deputari nequibit.*

ARTI-

## ARTICULUS IV.

### *Pro quibus causis constitui possit Procurator?*

2650. REsp. quòd pro omnibus, non prohibitis. Nam, cùm edictum in L. *Mutus*, *ff. h. t.* sit prohibitorium, quidquid non est prohibitum, intelligitur concessum ex L. *cùm Prætor*, *ff. de re judicat.* Et ideo intervenire potest Procurator in omnibus causis civilibus, tam pecuniarijs, quàm liberalibus, seu statum concernentibus; temporalibus, & spiritualibus; & ad lites tam præsentes sive inchoatas, sive futuras, & nondum exortas, tam in secunda, quàm prima instantia, seu instantia appellationis. Hinc ad matrimonium contrahendum admittitur Procurator, c. *fin. h. t. in 6.* quod etiam procedit de sponsalibus.

Prohibetur constitui Procurator pro causis criminalibus, ubi agitur de pœna capitali, vel alia corporali, c. *veniens*, 15. *de accusat.* L. 1. *ff. an per alium causæ appellationis &c.* L. *pen. §. ad crimen. ff. de publ. judic.* saltem ex parte *Rei*, quando contra illum criminaliter agitur ad prædictam pœnam, c. *Tuæ 5. h. t.* quod etiam procedit de accusatore, qui, in defectu probationis, obligatur ad pœnam talionis. Excipe tamen, nisi *Reus*, criminaliter accusatus, in persona commodè adesse non possit; tunc enim ei ad defendendum Procurator conceditur, L. 3. *C. de accusat.* Plura de hac quæstione diximus *l. 5. Tit. 1.*

## ARTICULUS V.

### *De modo constituendi Procuratorem.*

2651. PRocurator non tantùm præsens, sed etiam absens constitui potest, modò consentiat, seu ratum habeat; L. 1. & 2. *h. t.* non tantùm ad præsentes, sed etiam ad futuras lites, L. 3. *ff. eod.* nec tantùm unus; sed etiam plures super eadem causa, seu lite, idque vel conjunctim; vel singuli in solidum, c. *non injustè*, 14. *h. t. c. si duo 6. eod. in 6. L. pluribus*, 23. *ff. eod.* Constitui etiam potest *tacitè*, v. g. si ipsi tradantur instrumenta litis, arg. *l. fin. C. de pact.* conventis.

Potest autem constitui vel in judicio, vel extra. *In judicio* constituitur 1. quando Dominus ipse præsens, coram Judice, Procuratorem eligit, ejusque personam confirmat, vel promittit, vel cavet, se ratum habiturum, quidquid ille egerit, vel gesserit. 2. si Actor, vel Reus conventus, literas mandati offerat Judici, aut mittat, aut ad acta dirigi curet; *extrà judicium* Procurator ad agendum constituitur, vel coram Notario, & testibus; vel si non sit copia Notarij, literis privato, vel ad majorem securitatem publico sigillo munitis. Censetur autem *sigillum publicum*, sigillum Regis, Principis, Episcopi, Civitatis, Universitatis, ac cujuscunque Judicis Ordinarij; sic Haunold. *eit. tom. 5. tr. 2 n 435.* Et hi modi constituendi relevant Actoris Procuratorem à satisdatione, §. 3. *Institut. de satisdationibus*; quia tamen sine mandato Procurator non admittitur, ut mox dicemus, sit:

### §. I.

### *De Mandato Procuratorio.*

AD constitutionem Procuratoris requiritur etiam, quòd habeat *mandatum à Domino*, seu principali, de quo nisi fidem faciat, in judicio non est admittendus ad agendum, *l. licèt*, 24. C. *h. t. & c. Alia 1. eod.* ubi habetur sequens casus: cùm Episcopi Solonitani causa Romæ decidenda esset, quidam eò accesserunt, ut causam ejus prosequerentur: sed Episcopus rescripsit, se illos non misisse, ideòque, quæ cum ipsis acta sunt, irrita esse oportere. Postea autem, cùm idem Episcopus alios submitteret, neque ipsis fidem habendam esse judicavit Greg. I. Pontifex, eò quòd *mandatum procuratorium exhibere non potuerint.* Mandat itaque idem Gregorius, ut personam instructam *cum mandato legitimo*, subscriptionibus Capituli, & testium roborato, aliisque actis authenticis, transmittat; ut, quidquid cum tali Procuratore actum fuerit, de jure subsistat. 2652.

Ex hoc textu sequitur 1. de gestis cum Procuratore *falso*, seu, qui mandatum non habuit, non teneri Dominum, seu Principalem, sed ipsummet Procuratorem conveniri posse, ut habetur *cit. L. licèt*, *L. 3. §. falsus ff. rem ratam habere*; ac *L. Plautius*,

*tius, 61. ff. de Procurat. junct. gloss. marginal.*

Sequitur 2. quòd Procurator in judicijs non admittatur, nisi mandatum legitimè factum ostendat. Excipe 1. personas conjunctas, in quibus mandatum non desideratur; quales videntur esse omnes in linea recta in infinitum, L. *sed & hæ. 35. ff. h. t.* in linea verò transversa sit tantùm mentio fratrum, & sororum; Zoësius *h. t. n.* 7. excipe 2. *consortes* ejusdem litis; Nam hi pro se invicem, etiam absque mandato, in judicio agere possunt, *l. 2. C. de Consortibus.* Si autem de mandato dubitetur, Procurator oneratur *satisdatione de rato, l. 2. C. h. t.* Dixi autem superiùs, *Procuratorem, sine mandato, in judicio non admitti ad agendum.* Nam defensionem Rei quilibet potest suscipere, etiam sine mandato, & invito Actore; modò satisdet de judicato solvendo, & legitimam personam standi in judicio habeat, L. *exigendi 12. C. h. t. junct. gloss. V. potest.*

2654. Notandum autem, mandatum, quo Procurator constituitur, debere esse sufficiens ad id, pro quo constituitur. Nam si Actor, vel Reus det Procuratorem non habentem sufficiens mandatum (v. g. *ad agendum tantùm*, non autem ad defendendum) perinde censeri debet, ac si nullus datus fuisset. Nam paria sunt, *aliquid non fieri, aut eo modo fieri*, quo non debuit, *l. 1. § quod si nemo. ff. quod cujusque Univers. nomine, junct. gloss. V. aut inhabilis*, & colligitur ex c. *Constitutis 12. h. t.* Nam, cùm controversia esset inter Henricum Priorem Sagiensem, & Titum Laicum, super quadam pecunia, quam Titus, nomine uxoris suæ mutuo datam, à Priore repetebat: hanc causam Greg. IX. Ottoni Subdiacono suo commisit. Sed Prior ille, post libellum sibi oblatum, non acceptâ à Subdiacono Auditore licentiâ, Româ discessit, Procuratorem relinquens, data ei potestate *ad agendum duntaxat.* Auditor autem ille, quia videbat, Procuratorem ratione hujus mandati, idoneum non esse ad defendendum, Priorem contumacem esse judicavit, & parti alteri, præmissa taxatione, ad certam pecuniæ summam ratione expensarum, condemnavit; quod Auditoris factum Papa postea ratum habuit.

Præter hæc not. 1. *Mandatum* dici, quasi *manu datum*: solebant enim veteres in mandatis dandis sibi invicem manus dare; Molin. *tom. 2. disp.* 548. & Azor *tom. 3. lib. 9. Mandatum cap. 1.* sic definit: est contractus, quo quis officium honestum, & lege permissum gratuitò exequendum suscipit expresè, vel tacitè. Dicitur (*officium honestum*) quia juxta Instit. *de mandato, §. illud quoque*, mandatum de re mala nec dari, nec accipi potest: nec, si detur, obligat accipientem. Additur (*lege permissum*) quia corruit, si opponatur legi naturali, vel positivæ. Particula (*gratuitò exequendum*) denotat, hunc contractum ex amicitia originem trahere: si autem negotium gerendum, pacta mercede, quis suscipiat, erit *locatio* operarum, non *mandatum*: per particulas (*expresè*, vel *tacitè*) innuitur mandatum dupliciter contrahi, nempe, *expresè*; ut si tibi mandavero, ut mihi librum emas: & *tacitè*, ut si sciens, & tacens patiar, ut meum negotium geras. Ex quo patet prima divisio mandati, in *tacitum*, & *expressum*; secunda, in mandatum *voluntatis*, & *necessitatis*: voluntatis dicitur illud, quod pendet à voluntate mandatoris; necessitatis est, quod lege constitutum, quale habent Tutor, Curator, Procurator, Syndicus. Quòd mandatum sit contractus juris gentium, nominatus, bonæ fidei, nudo consensu initus, quo negotium aliquod gratis efficiendum voluntariè suscipienti committitur expresè, vel tacitè; si autem suscipienti honorarium promittitur, cum obligatione justitiæ, erit potiùs contractus innominatus: *do, ut facias.* 2655.

Not. 2. Mandatum Procuratoris posse esse *generale*, vel *speciale*: illud est, quando quis alteri committit omnia sua negotia, vel bona administranda; istud, quod ad certam tantùm litem, vel negotium in specie. Generale aliud est cum clausula *cum libera*, aliud sine hac clausula, advertendum autem clausulam *cum libera*, idem esse, ac *cum plena potestate*, acsi nominatim omnium negotiorum mandatum datum esset. Hinc procurator, vi mandati generalis *cum libera*, potest alienare, exigere æs alienum, novare, solvere &c. Et ea clausula extendit mandatum generale etiam ad ea, quæ alioquin speciale mandatum requirunt; excepto 2656.

matri-

matrimonio, & iis, quæ mandatarius dolo, aut mala fide ageret; sic Haunold. *tom. 4. de Just. tr. 10. c. 6. n. 702. & seq.* ubi addit Procuratori cum dicta clausula non licere donare, nisi rationabiliter judicaret, Dominum donaturum. Ea verò, pro quibus Procurator eget mandato speciali, & in quibus non sufficit mandatum generale cum clausula *sine libera*, *V.* apud Haunold. *cit. c. 6. Controvers. 8. à n. 695.*

2657. Not. 4. quòd mandatum Procuratorium continere debeat, 1. nomen constituentis; 2. nomen Procuratoris constituti. 3. nomen ejus, contra quem; 4. in qua causa; 5. coram quo; 6. ad quos actus (v. g. an ad *agendum*, vel *defendendum*) 7. quòd ratum habiturus sit Dominus, quidquid Procurator constitutus concesserit. Præter hæc inserendus est annus, & dies, quo Procurator constitutus est; denique stylus cumprimis Curiæ, ubi Procurator constituitur, bene observandus est, ut monet Wesenbecius *h. t. in ff. n. 7.*

## §. II.

### *De Satisdatione Procuratoris.*

2658. SUpponendum *cautionem* differre à *satisdatione* propriè dicta, tanquam genus à specie. Nam jurans, se ad finem litis permanere in judicio, *cavet* quidem cautione juratoria, sed non *satisdat*, strictè loquendo, §. 2. *Instit. de satisdationib.* Hinc satisdatio, *latiùs* accepta, fit vel pignoribus, vel fidejussoribus: *strictiùs* autem, & maximè propriè fit, dato fidejussore uno, vel pluribus, *l. 1. ff. qui satisdare.*

Satisdationum judicialium tres sunt species 1. judicio sisti. 2. rem ratam haberi, vel habitum iri, seu de rato: 3. judicatum solvi, seu solutum iri. Satisdare *judicatum solvi*, est cavere de litis æstimatione; *judicio sisti*, est cavere, quòd quis usque ad sententiam definitivam in judicio persistere velit: *Rem ratam haberi*, est cavere, quòd quis ratum habebit, quod alter mandato suo concesserit. His præmissis:

Not. 1. quòd hodierno jure, Reus conventus non teneatur universim ad satisdationem *judicatum solvi*, sed *judicio sisti*, §. 2. *Instit. h. t.* Si caret bonis immobilibus, requiritur cautio fidejussoria; vel, hac deficiente, pignoratitia, *de judicio sisti*, *l. 1. ff. in jus vocati.* Si autem Reus possideat bona immobilia, ad litis æstimationem sufficientia, in Judicis territorio, non adigitur ad aliam cautionem, quam ad nudam promissionem, *l. 15. ff. qui satisdare.* Ubi tamen adverte, non esse idoneum fidejussorem illum, qui gaudet privilegio fori, nisi huic possit renuntiare. Cæterùm Viri illustres, & in dignitate constituti cavent sufficienter cautione juratoria, *judicio sisti*; quod etiam procedit de his, qui probant, se nec fidejussores, nec pignora habere posse: Haunold. *tom. 5. tr. 2. à num. 495.*

Not. 2. satisdationem exigendam, & præstandam esse ante litis contestationem (*l. 40. §. 3. ff. h. t.*) alioquin Procuratore recusante Reus absolvetur refusis expensis; advertendum autem esse jure constitutum in Procuratore Rei, ut, etsi mandatum idoneum habeat, nihilominus de judicato solvendo caveat, nisi ipse Principalis pro eo satisdationem præstare malit, *L. unic. C. de satisdationib.*

Not. 3. Procuratorem Actoris, exhibentem Judici mandatum, non teneri cavere *de rato*; secus, teneri. §. 3. *Instit. h. t.* si autem Reus præsens constituit Procuratorem, debere pro hoc cavere, *judicatum solvi*; & de comparendo ad audiendam sententiam; sic Haunold. *cit. n. 505.*

## ARTICULUS VI.

### *Quomodo finiatur Officium Procuratoris?*

IN hac quæstione distinguendum est 2659. inter Procuratorem *ad lites*, & *ad negotia*. Uterque habet, quòd aliena negotia, mandato Domini, administret; id, quod non habet *Advocatus*. Nam hic causam agit ex officio suo, & jus ejus ostendit, ac defendit, tanquam custos, & vindex justitiæ; quod, propriè loquendo, non est *administrare* Domino, sed meritis causæ: *Procurator* autem, quidquid agit, nomine Principalis litigantis agit, & litem dirigit velut Domini administrator. Præter hoc *Advocatus* est, qui pro altero in judicio præsente, & causam pro se agente postulat; *Procurator*, qui pro absente; Procurator tenetur actione mandati, quia cum ipso contrahitur, si cum adversario concluserit, *l. 8. ff. mandati l. 10. C. de Procurat. Advocatus*, non tenetur actione mandati, etiamsi causam malè egerit; sed

solùm prævaricatione, *l.* 8. *ff. C. de Advocat. diverſ. Judic. Procurator* post litem conteſtatam fit Dominus litis, hoc eſt, inſtantiæ litis, per *c.* 1. *h. t. in* 6. non autem *Advocatus*, *l.* 1. *C. de errore Advocati*: *Advocati* officium eſt publicum, ut diximus *n.* 2648. *&c.* quibus poſitis ſit:

## § I.

### *Quomodo finiatur Officium Procuratoris ad lites?*

2660. RESP. Procuratorem ad lites, ante litem conteſtatam liberè revocari poſſe; non autem poſtea, c. *quamvis* 2. *h. t. in* 6. ubi dicitur, *fieri poſſe, etiam ſine cauſa*, *L. ante litem*, 16. *eod.* & procedit de Procuratore ſive *Actoris*, ſive *Rei*, ita Pirhing *h. t. n.* 89. ubi addit Procuratorem ſimiliter poſſe officio reſignare, paucis caſibus exceptis, de quibus idem, ibid: Verba cit. c. *quamvis*, ſunt ſequentia: *quamvis Procurator poſſit, ante litem conteſtatam, etiam ſine cauſa, liberè à Domino revocari; poſtea tamen, ipſo nolente nequibit: niſi eum cum Domino inimicum fieri, vel ſuſpectum, aut adverſario affinitate conjungi, vel ejus hæredem fieri, ſeu ingredi religionem, aut in longum peregrinari, vel ægritudine, aut vinculis detineri contingat, ſeu alia rationabilis cauſa ſubſit, propter quam ſit meritò revocandus.*

Ex quo textu communiter deducunt hanc regulam; quòd Procurator ante litem conteſtatam, etiam ſine cauſa revocari poſſit; poſt litem conteſtatam non ſine rationabili cauſa; ſic Vivianus *in Rationabili*, *l.* 1. *pag.* 524. & alii communiter; quod tamen limitatur in Procuratore in rem ſuam; ſic Caſtro, *in l. fin. ff. de durat. n.* 2. dicitur autem Procurator *in rem ſuam conſtitui*, quando conſtituitur quidem ad alienum negotium mandato Domini gerendum (nam in proprio non poteſt quis eſſe Procurator) ſed in ſuum commodum, quod dupliciter fieri poteſt, nimirum *ex parte Actoris*, ſi ei vel vendidit, vel alio modo ceſſit jura, & actiones ſuas, ut pro ſe in judicio exigere poſſit; *l.* 34. *&* 55. *ff. h. tit. ex parte* vero *Rei*, ſi hic ei vendidit, vel ceſſit hæreditatem, in qua ſunt creditores; quo caſu talis ceſſionarius, ſeu Procurator in re eſt debitor eorum creditorum. Illud etiam, quòd Dominus, poſt litem conteſtatam, non poſſit liberè revocare Procuratorem, limitant Doctores, ut non procedat, ſi Dominus, à quo conſtitutus eſt, ſit *Epiſcopus*, *Uſufructuarius*, aut *habens Majoratum.* Nam eo ſublato per mortem, exſpirat ejus mandatum; & ſucceſſor in dignitate, uſufructu, vel Majoratu, poterit alium nominare, id, quod in beneficialibus indefinitè procedit.

Præter hæc not. 1. ſi Procurator, legitimè revocatus à Domino ſit coram teſtibus, & hæc revocatio provenit ad ejus notitiam, ſententiam contra ipſum latam in præjudicium Domini, eſſe nullam, c. *ex inſinuatione*, 3. *h. t.* quod accipe, ſi etiam revocatio Procuratoris, vel Judici, vel adverſario intimata ſit. Nam ſecus, non obſtante revocatione, valet, c. *Mandato*, 13. *h. t.* ut mox patebit ex textu: *L.* 65. *ff. eod. L. unic. C. de ſatisdand.* 2661.

Caſus in c. *Ex inſinuatione*, hic fuit. Cùm inter Archidiaconum Sagienſem, & Magiſtrum Gaſparem controverſia ſuper præbenda mota eſſet, Archidiaconus, præſentibus duobus Clericis, Procuratori ſuo inhibuit, ne mandato, ſeu inſtrumento ſuo procuratorio uteretur: ſed ipſe ſpreta ea inhibitione, ſeu revocatione, nihilominus litigavit, & contra ſe latam ſententiam reportavit. Accidit autem, ut unus ex duobus Clericis, qui de revocatione iſta teſtari deberet, vitâ excederet. Hoc in caſu mandat Clemens III. ut recepto juramento tum à Clerico ſuperſtite, tum ab ipſo Archidiacono, præbenda illa, non obſtante ſententia priùs lata, eidem reſtituatur; dummodo Canonicum aliud non obſtet impedimentum: facta autem reſtitutione, ſi idem Archidiaconus inſtitutionem ſuam probaverit, tunc ea rata permanere remota appellatione debeat.

In c. *Mandato* expreſsè definitum eſt, 2662.
ſi Dominus Procuratorem ad judicia conſtitutum, ignorante adverſario, vel Judice poſt litem conteſtatam revocavit acta cum Procuratore revocato valere. Ex quibus juribus colliges. 1. Procuratorem, etiam per inſtrumentum conſtitutum, revocari poſſe ſolis verbis, vel ſcripturâ; conſtat ex caſu c. *Ex inſinuatione;* intellige tamen, ut revocatio probetur per duos teſtes, ut ponitur in textu. Ex eod. colli-

ges

ges 2. in causa non criminali, ac non famosa,& valde ardua, per unum testem fieri semiplenam probationem, ita, ut ei juramentum deferri possit; quo præstito probatio compleatur, patet ex textu *cit. c.* 3. Colliges. 3. judicium agitatum,& factum, revocato Procuratore, si Judex, vel pars contraria revocationem ignoravit, tenere; & ideò, ut revocatio Procuratoris, ad nullitatem actorum effectum habeat, ad Judicem, vel adversarium venire debet; ut constat ex *cit. c. mandato.*

2663. Not. 2. Rescriptum impetratum à Procuratore, cui revocatio est intimata, esse ipso jure nullum; nec valere processum, vel sententiam, vi talis rescripti latam,si revocatio etiam pervenit ad notitiam adversarij,*c. constitutũ in nostra*, 4.*h.t.*Nam,cùm in criminali aliqua causa, quæ erat inter Tullensem Episcopum,& Decanũ, Episcopus duos Presbyteros Procuratores destinâsset ad Sedem Apostolicam; sed paulò post de fide illorum dubitans, mandatum procuratorium ab eisdem revocâsset. Illi nihilominus ( tametsi literas mandati revocatorias recepissent ) in judicium ingressi, unà cum adversario, *literas Apostolicas ad Judices delegatos impetrârunt.* Coram his Episcopus excipiens, inducas sibi dari postulavit ad probandum; quòd falsi Procuratores fuerint: sed Judices exceptione ipsa, tanquam inutili rejecta, dilationem concedere recusârunt: quare Episcopus ad Sedem Apostolicam appellavit. Verùm eâ non obstante, Judices, lite non contestata, ac judicij ordine prætermisso, testes contra Episcopum receperunt, eumque à Tullensi Ecclesia removerunt. Mirabilia hæc visa sunt Innocentio III. sed vera esse credidit, quia viri Religiosi, providi, honesti, cùm juramento de iis testati fuerunt. Quamobrem idem Innocentius processum Judicum illorum *irritandum*, seu *potiùs irritum* esse judicavit, propterea, quòd falsi Procuratoris exceptio non solùm ante, sed etiam post latam sententiam objici possit; ita ut judicium, seu acta judicij nullius momenti sint, si talis exceptio prabata fuerit. Ex hoc enim textu sequitur. 1. quòd Procurator revocatus, & de hoc certificatus, *sciente parte adversa*, non possit *rescripta à Papa obtinere; & obtenta non valere;* sic Abbas, Hostiensis, & alij, Alagona *in cit. c.* 4. *h.t.* & exceptionem contra falsum Procuratorem opponi posse in quacunque parte judicij; Barbosa *in dict. c.* 4. *num.* 2. imò & post latam sententiam, Layman *ibid. n.* 2.

Not. 3. revocationem in contemptum 2664.
Judicis, præsertim Sedis Apostolicæ, & in præjudicium adversarij factam, postquam in causa concluſum est, non tenere; & revocantem debere condemnari adversario in expensas, c. *auditis*, 8. *h. tit.* cùm enim controversiæ quædam essent inter Episcopum Egitanensem, & Episcopum Colubrienſem; quas Papa Judicibus delegaverat; & cum justitia processûs Judicum delegatorum in dubium revocaretur, impetravit Colubrienſis Episcopus, ut causa tota ad Sedem Apostolicam avocaretur. Verùm, cùm tota causa processuum examinata, & concluſa esset, ut nihil restaret, præter sententiam ferendam; idem Episcopus Procuratorem, quem pro causa illa constituerat, non absque Sedis Apostolicæ contemptu, adversariæ partis dispendio, revocavit. Sed ea revocatione non obstante, Honorius III. sententiam tulit, *processus illos Judicum, & quæ inde secuta fuerunt, irrita pronuntians*, insuper Episcopum Colubrienſem condemnans in expensis, quas Egitanensis fecit ex eo tempore, quo Procurator revocationis literas accepit, & quas idem Episcopus faciet; quoad Colubrienſis per se, vel per idoneum Procuratorem adveniat in negotio principali legitimè processurus. Ex quo sequitur, acta cum Procuratore,quantumvis revocato, tenere, si revocatio mandati fiat *in contemptum Judicis, & dispendium partis, ad quam revocatio non pervenit;* & illum, qui taliter mandatum revocavit,condemnandum in expensas ab adversario factas.

Not. 4. Procuratorem, qui habet à 2665.
Domino potestatem substituendi alium Procuratorem, sed non revocandi semel substitutum, non posse à se substitutum, post mandatum ab illo susceptum, revocare, etiamsi eo usus non sit; excipe delegatum Sedis Apostolicæ, vel Procuratorem ad omnes causas generaliter, c. *quamvis, de offic. Judic. deleg. in* 6. *& c. is, qui, de Procur. in* 6. Procurator enim, ut dicitur *in cit. c. Is, qui*, qui per facultatem à domino acceptam, alium sibi substituit, revo-

*revocare non potest substitutum*, postquam is mandatum suscepit. Præterquam, *si Procurator, etiam revocandi potestatem à Domino acceperit.* Tametsi aliud dicendum sit, *de delegato Sedis Apostolicæ;* quippe, qui causam à subdelegato, arbitratu suo revocare potest, si res adhuc integra sit, c. *quamvis*, 6. *de offic. delegati, in* 6. ubi habentur sequentia: *si delegatus Papæ causam totam alteri subdelegârit, ab eodem revocare, seu jurisdictionem reassumere potest, si res integra sit, seu judicium nondum cœptum, per partis citationem:* cujus ratio est, quia jurisdictio non censetur efficaciter transjisse in subdelegatum, nisi cùm eam exercere cœpit.

2666. Discrimen autem inter *Procuratorem*, & *delegatum Sedis Apostolicæ* videtur in eo esse, quòd hic potestatem subdelegandi habeat *à lege;* at Procurator ad lites facultatem substituendi, ante litis contestationem, habeat non à lege, sed *ab homine;* concessa autem ab homine facultate *substituendi*, non eo ipso concessa intelligitur facultas *revocandi.* Deinde, etiam inter *Ordinarium*, & *Delegatum* Judicem, discrimen est; quòd *Ordinarius* causam alteri delegatam, etiam postquam cœpta, imò lis contestata est, revocare, aut reassumere valeat, per L. 58. *ff. de Judicijs*, ibi: *Judicium solvitur vetante eo, qui judicare jusserat:* si autem delegatus vices suas subdelegavit; censetur functus officio suo, & jurisdictione privatus, postquam alter uti cœpit.

## §. II.

### *Quomodo finiatur officium Procuratoris ad negotia?*

2667. NOt. differre *Procuratorem*, *à Negotiorum gestore*, & Nuntio. Procurator enim agit alterius mandato; at negotiorum gestor juxta Molin. *D.* 553. est ille, qui negotium alterius absque mandato ipsius tam formali, quàm virtuali utiliter agit. Nam exigente id, naturâ rei & communi bono, ne res absentium, & minorum, perirent, decretum est, ut utrinque nasceretur obligatio, nempe ex parte gestoris; & illius, cujus negotium ageretur. Ex hoc colliges inter *Mandatariũ, Procuratorem, & negotiorũ gestorẽ* esse discrimen. Quamvis enim Mandatarius, & Procurator, in eo conveniant, quòd uterque aliena negotia, mandato sibi à domino facto, gerenda gratuitè suscipiat, *l.* 3. §. *negotia, ff. de negot. gest.* tamen (juxta Molin *tom.* 2. *D.* 551.) *Procurator* est veluti pars subjecta mandatario, utpote latiùs patenti. Procurator enim presse, ac propriè dicitur, qui instrumentum à mandante accipit ad aliquid, loco, & nomine ipsius in judicio, & extra judicium agendum. *Nuntius* autem est, qui vicem gerit Epistolæ, & censetur quasi organum, & vox Domini mittentis, Nuntius communis, ut habetur ex L. *quasi organum.* 2. *C. de sportul.* & Auth. *de judic.* §. *de unoquoque, est viator, seu præco;* seu Nuntiator, de quo est *tit.* 64. *C. lib.* 12. dicitur *Nuntius*, qui specialiter certi negotij causâ ad aliquem absentem destinatur, absentibusque ministerium præbet; quibus positis:

2668. Resp. Procuratorem ad negotia, re integra, liberè revocari posse à Domino (sic Wesenbecius *h. t. in ff. nu.* 11.) si constitutus est indistinctè ad negotia, revocationem effectum non habere, priùsquam illi intimata sit, *L. si mandâssem*, 15. *ff. mandati;* & ideo valere ab illo acta, nondum habitâ notitiâ revocationis; excepto casu, quo constitutus esset ad contrahendum matrimonium; *c. fin.* §. *sanè, h. t.* vel ad acceptandum beneficium Ecclesiasticum; Pirhing *h. t. nu.* 104. §. *excipitur*, 3. si autem constitutus sit ad contrahendum, aut quasi contrahendum cum certa persona, revocationem non intimatam Procuratori, & parti, vel saltem Judici, non obesse actis à Procuratore; secus est, si Procurator sciens revocationem, ignorante illam parte, nihilominus contrahat, c. *Mandato*, 13. *h. t.* & ex hoc colligi potest, qualiter officium Procuratoris finiatur revocatione. Præter hæc not. idem Procuratoris officium finiri; 1. mutuo consensu mandantis, & mandatarij; 2. finitâ instantiâ Judicis, latâ scilicet sententiâ definitivâ; quia Procurator non cogitur persequi judicium appellationis, L. *invitus*, 17. *h. t.* Tertiò per mortem constituentis re integra. 4. morte ipsius Procuratoris, sive sit, sive non sit res integra.

QUÆ-

# QUÆSTIO XXXIX.
## IN TIT. XXXIX. DE SYNDICO.

1669. SYndicus, latinè *defensor*, proprièloquendo est *Procurator Universitatis ad negotia illius tractanda*, ac potissimùm ad causas, & lites in judicio persequendas constitutus, ut dicitur *L. 1. §. quibus autem, ff. quod cujusque Universit. nomine.* Per *Universitatem* hìc intelligitur *hominum, in civili Societate viventium, communitas;* qualis est in oppidis, & pagis, cujus tria sunt genera juxta Bartolum, *consilio 189. Collegia* autem dicuntur à *simul legendo*, quia plures in unum corpus colligantur. Nam unus non constituit Collegium; quamvis retineat; nec pauciores, quam tres; sic Wesenbecius *l. 3. ff. tit. 4. n. 2. ex L. Neratius, 85. de Verb. signific.* Differt à Procuratore, quòd hìc sit persona *privata*, & constituatur à Domino privato; ille verò persona *publica*, ab Universitate, vel corpore aliquo, habens authoritatem agendi, vel defendendi ejus causas in judicio.

1670. Ad constituendum *Syndicum* omnes de Collegio vocandi sunt, qui habent jus suffragij; quia *quod omnes tangit, ab omnibus probari debet.* Constitui potest aliquis, sive sit de Collegio, sive non; & universim, qui Procuratores esse possunt, hi & Syndici; & vice versa, qui Procuratores esse prohibentur, multò magis ab officio Syndici, tanquam publico, arcendi sunt. Ex hoc sequitur, etiam Regulares in causa suæ Communitatis, de consensu Prælati, posse constitui Syndicos; quamvis Sacri Canones illis *suadeant*, ut constituto stipendio Syndicum extraneum eligant, qui causas sui monasterij agat; cùm expediat, servos DEI, etiam cum aliquo suo incommodo, à strepitu forensi abstinere, c. *unic. h. t.*

1671. Not. præterea, quòd, sicut privatæ personæ, ad negotia in judicio peragenda, Procuratorem constituunt, L. 1. §. *quibus, ff. quod cujusque;* sic Universitas, Monasterium, Collegium, constituat Procuratorem, vel administratorem bonorum, quem appellant *Actorem*, seu *OEconomum*; &, si ad negotia in judicio tractanda; *Syndicum*, seu *defensorem*, ut habetur *cit. L. 1.* quamvis de Jure Canonico, qui Ecclesiæ, aut Monasterij rationes curant, dicantur *OEconomi, c. volumus, dist. 89. c. cùm vos, de offic. Ordin.* & alibi. Not. 2. quòd Monachi non agant in judicijs per se, sed per Syndicum, *esse de honestate;* non autem *necessitate præcepti.* Nam in *cit. c. unic. h. t.* solùm dicitur, *expedire*, ut non per se, sed per Syndicum, seu OEconomum, à Monasterio designatum cum solario, causas suas in judicio trahent.

Nec obstat, quòd in c. *cùm venisset, 2. de in integr. restit.* dicatur, quòd Judices auctoritate Apostolica *Monachis injunxerint, ut Syndicum*, seu Procuratorem *eligerent, qui in causis Monasterij, & consultatione ageret, & utiliter responderet.* Nam, cùm Monachi Rothonenses Abbatem elegissent, opponente se Episcopo Venetensi, quia sibi jus competat Prælatos constituendi in Monasterijs diœcesis suæ; ad hanc controversiam Judices, à Sede Apostolica, communi partium consensu, impetrati sunt; quorum duo, cùm ad Monasterium accederent, electus (qui & *intrusus* dicebatur) id præsentiens, juri suo renuntiavit. Sed Judices *præceperunt Monachis, ut Syndicum, seu Procuratorem, ad causam illam constituant*, & deinceps Abbatem eligere non audeant, donec cognoscatur de jure, quod Episcopus sibi vendicabat. Sed ad hoc respondetur cum Gonzalez *ad cit. c. unicum, n. 14.* in eo textu Monachos, coram Judicibus delegatis, non comparuisse *per se*; & ideo illis hoc præceptum esse; cæteroquin, si ipsi *per se* causam agere voluissent; fuisse audiendos; quia erat negotium Monasterij super jure electionis, & coram Judicibus Ecclesiasticis.

Cùm autem *n. 1670.* dixerimus, quòd Syndicus, sive Actor Universitatis parem potestatem consequatur, quam Procurator, ex L. *Item 6. ff. quod cujusque Universitatis;* jmò omnia expedire possit, quæ aliàs speciale mandatum requirerent; consequens est, posse etiam transigere, juramentum deferre, vel præstare, nomine Universitatis; cùm intelligatur constitu- 1672.

tus cum *libera* potestate, licèt id non sit expressum, ut notat Andreas Gail. *l. 2. observ. 72. n. 11.* Hinc not. 3. ad officium Procuratoris ad judicia, seu lites, pertinere potestatem non tantùm ad agendum, sed etiam defendendum; ideóque Procuratorem *simpliciter* constitutum, censeri constitutum ad utrumque, *l. 33. §. æquum, ff. de Procurat.* Not. 4. Procuratorem constitutum ad agendum, qui pro Domino suo respondere recusat, ab agendo repelli posse; constat ex L. *Mutus*, §. *pœna litigant: ff. eod. & l. unica C. de satisdat junct. gloss. in c. Accedens*, 10. *eod. V. Respondendum.*

2673. Not. 5. Procuratorem non esse idoneum, nisi habeat mandatum Domini ad agendum, & respondendum, quin sufficiat ad unum tantùm; id, quod etiam dicitur in c. *Accedens* 10. *de Procurat.* Nam cùm nobilis quædam mulier de Massa, filio suo, (cujus tutrix fuit, ut Innoc. hìc commentatur) desponsâsset Ubaldi civis Pisani filiam; & postea à promissione, nomine filij facta recedere voluisset, sub potestate civis Pisani detenta fuit. Hac re cognita, rescripsit Gregor. IX. ad Ubaldum, mulierem illam curet securè deduci ad castrum suum, ut ibi libera existens, Procuratorem ad Sedem Apostolicam mittere possit; & ipse quoque Ubaldus Procuratorem idoneum super causa illa sponsaliorum ad eandem Sedem mittat, *data ei plena potestate ad agendum, & respondendum.*

2674. Not. 6. cùm supr. diximus, Procuratorem constitutum ad lites, intelligi constitutum ad lites, non tantùm *præsentes*, sed etiam *futuras*, ut volunt Wesenbecius *in ff. de Procurat. n. 9.* & alij; quia propositio indefinita æquivalet universali, *arg. c. 22. de Privileg.* id procedere, saltem de litibus *futuris*, quæ vel oriuntur ex prioribus, ipsi commissis; vel saltem connexæ sunt; ita Francus in c. *qui ad agendum* 4. *de Procurat. in 6. à n.* 3. quod etiam procedit, si Dominus, dum Procuratorem constituit, nullas lites haberet; sic enim eo ipso mens foret, si quæ emergerent. Not. 7. in mandato, *generaliter* dato Procuratori, semper intelligi excepta ea, quæ speciale mandatum exigunt; qualia sunt causa *matrimonialis*, impetratio *rescriptorum*, petitio *restitutionis* in integrum, compromissum, donatio, vel remissio debiti liquidi, &c. de quibus V. gloss. *in cit. c. qui ad agendum, V. vel pacisci*, Francus ibid. §. *fin. n.* 3. & Durand. *in Specul. de Procurat. §. 4. à n.* 1.

Et hoc verum est, licèt Procurator constitutus sit generaliter ad omnia cum clausula, *ut omnia expedire possit, etiamsi speciale mandatum exigant.* Nam adhuc, *vi hujus generalitatis, admitti non debet ad ullum articulum, qui speciale mandatum exigit.* Sic enim expresè statutum est in dict. c. *qui ad agendum*, ubi dicitur: *Qui ad agendum, & defendendum, ac generaliter ad omnia (etiamsi mandatum exigant speciale) constituitur Procurator: ex vi generalitatis hujusmodi, ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum exigitur, admitti non debet;* sed, *si aliquis, vel aliqui de articulis speciale mandatum exigentibus specificati fuissent, adjecta clausula generali: tunc ad non expressos etiam admittetur. Procurator quoque absque speciali mandato juramentum deferre, transigere, vel pacisci non potest: nisi ei bonorum, vel causæ administratio liberè sit concessa.* 2675.

Ex hoc textu, præter jam dicta, colliges 1. si in Procutatorio mandato unus, vel plures articuli ex ijs, qui speciale mandatum requirunt, expressi sint, adjecta clausula generali, tunc etiam ad casus non expressos (*similes*) Procuratorem admittendum esse. Colliges 2. non posse Procuratorem, absque mandato speciali juramentum adversario deferre ad litis decisionem; nec transigere, aut pacisci: nisi bonorum, vel causæ *libera administratio* ipsi commissa sit. Colliges 3. quòd Procuratoris officium, cùm species mandati sit, ad plura se non extendat, quàm jussum fuerit, juxta L. *diligenter. ff. mandati.* Quare si Procurator ad lites constitutus sit, agere, & defendere potest; sicuti litis instantia exigit: at verò pacisci, transigere, vel compromittere non potest; cùm hæc ad judicia per se non pertineant. 2676.

Colliges 4. aliud dicendum *de administratore* bonorum, seu jurium; si enim cum libera, seu plena potestate datus sit, quæ dicta sunt, præstare potest, ut docet Layman *in c. 2. de Suppl. negl. Prælat. in 6. & in c. contingit 3. in fine, de transact.* Bartolus *in L. mandato, 6. ff. de Procurat.*

*curat*. Quare Procurator ad lites, cui insuper *libera* causæ *administratio* commissa est, transigere etiam, aut compromittere poterit, uti etiam indicatur in L. *Procurator, cui*, 58. *ff. eod.* Colliges 5. dicendum etiam de Procuratore ad negotia generaliter constituto, quòd alienare, & transigere absque speciali mandato non possit, ut indicatur cit. c. *qui ad agendum*, & habetur in cit. *L. mandato, & L. Procurator totorum*, 63. *ff. eod.* si autem libera bonorum administratio data sit, tum omnia facere potest; præterquam quòd donare non possit, ut tradit Layman *in cit. c. 2. de suppl. negl. Prælat. in 6.*

Not. 8. ut procedat, quod diximus suprà, Procuratorem admittendum esse etiam ad casus non expressos in mandato (intellige ad *similes expressis*, non autem *majores*) si unus, vel plures articuli ex iis, qui speciale mandatum exigunt, expressi sint adjectâ Clausulâ generali) requiri, quòd expressio talium articulorum fiat per modum *permissionis*, non autem *exceptionis*. Nam exceptio potiùs diminuit, non auget; sic glossa *marginal. in cit. c. qui ad agendū.*

2677. Dices: talis exceptio saltem firmabit regulam pro casibus non exceptis. R. id procedere; si tales casus non excepti aliàs comprehendantur in regula secundùm se; non autem, secus. Nam exceptio non facit, ut aliquid contineatur in jure, à quo certus casus excipitur; quod seclusâ tali exceptione in eodem non continetur. Unde non est propriè exceptio, sed solùm cautela quædam, ne talis casus comprehensus censeatur. Exceptio enim derivatur à verbo *excipere*, quod idem est, atque *demere*, vel *eximere numero*; & ut sic idem valet, atque *demptio*, vel *exemptio*: in qua latina significatione dicitur, *exceptio firmat regulam.* Apud Juridicos *exceptio* latè accepta, est defensio, per quam se Reus defendit ab Actore; juxta Azon: *in Summa c. de except.* Not. 9. *ex c. non injustè*, 14. *de Procurat.* Procuratorem datum ad litem, contra latam sententiam *appellare posse*, & plerumque debere: imò & appellationem, vigore prioris mandati Procuratorij, prosequi non prohiberi; *non tamen ad id obligari*, dummodo Domino maturè denuntiet, ut ipse prosequi possit, L. *invitus*, 17. *junct. gloss. C. de procur.* Excipe cum Abbate hic *n.* 13. nisi sit Procurator generalis, seu datus ad omnes causas; tunc enim appellationem prosequi obligatus est; cùm & causa appellationis judicialis sit. Ex his patet ad *n.* 2670. quid possit Syndicus?

Ad extremum not. 10. Syndicum non 2678.
teneri cavere *de rato*, nisi prudenter dubitetur de mandato; nec cogi satisdare *judicatum solvi*; quia publica authoritate constituitur, sicut Tutor; cùm Universitas semper præsumatur esse solvendo, ut notat gloss. cit. Officium autem Syndici finiri ferè iisdem modis, quibus mandatum Procuratoris; nisi quòd non finiatur morte illorum, qui constituerunt, manente Universitate, seu Communitate, à qua constitutus est; per *L. 17. §. in Decurionibus, ff. quod cujusque Universit.*

# QUÆSTIO XL.

## IN TIT. XL. DE IIS, QUÆ VI, METUSVE CAUSA FIUNT.

2679. Cùm versemur nunc in præparatorijs ad judicium, de quo tractat liber secundus, notandum, quòd antequam ad illud eatur, interdum agatur de restitutione, per quam vel actio jure extincta recuperatur; vel nata, quoad effectum impeditur per exceptionem, quæ Actori opponitur: ut si quis aliquid egit, ex quo alter prætendit obligationem. Nam si illud actum est per *vim*, vel *metum incussum injustè*, rectè contra Actorem opponi potest exceptio rei gestæ *per vim*, vel *metum*; quo fit, ut metu tali inductus contra natam obligationem, quam prætendit Actor, restituatur; hoc est, reponatur in eum statum, quo fuit, antequam ex vi, vel metu illud ageret, ex quo prætenditur obligatio.

Hinc not. 1. in hoc, & sequenti titulo 2680.
agi de Prætorijs remedijs, per quæ læsis in contractu, aut quasi contractu per metum, seu vim injustam, aut ob ætatem, vel similem causam, subvenitur per in integrum resti-

restitutionem ; non iuris civilis rigore spectato ; sed propter æquitatem.

2681. Not. autem 2. nos hic non agere de vi & coactione, quæ *absolutè* tollit voluntarium ; sed illâ, quæ stat cum voluntario, licèt hoc non esset, si non foret ea vis, & coactio, quam infert metus non absolutè, sed conditionatè ; cùm non cogat absolutè, ac determinatè ad actum, per ordinem ad quem comminatio mali, quod metuitur, incutitur ; sed solùm sub conditione, si nolit pati malum, quod tanquam alioquin probabiliter futurum, timetur ; ut pluribus exponitur *L. 4. decret. à n.* 389.

2682. Not. 3. per metum non tolli *voluntarium simpliciter*, ut dicitur *in tract. de actibus humanis* ; valde tamen imminui, plus, aut minus, secundùm quantitatem metûs, magis, aut minùs gravis. Ex hoc colliges gesta per ejusmodi vim, vel metum, esse simpliciter voluntaria, & solùm involuntaria secundùm quid. Unde quamvis tale voluntarium *simpliciter*, sed mixtum involuntario *secundùm quid*, sufficiat, ut actus contra legem, imputetur *ad culpam* ; non tamen semper sufficit *ad firmitatem* contractuum, & juris effectus ex contractu, & promissionibus nostris, cæteroquin nascentes, si metu extorti sint, ut constabit *ex seq.*

2683. Prima pars constat ex c. *Sacris*, 5. *h. t.* Nam, cum quæsitum esset ex Innocent. III. utrum is, qui invitus communicat cum excommunicato, excommunicationem & ipse contrahat ? respondit, esse distinguendum : si enim *absolutè* invitus est (quia patitur propriè dictam coactionem) tum excommunicationem non incurrit : cùm non agat *voluntariè*, sed potiùs agatur, ac patiatur : sin autem invitus est *secundùm quid* (quia metu mali adigitur ad faciendum, quod alioquin facere nollet) tum metus *minuit* quidem culpam ; sed quia eam non omnino *aufert* (cùm ob nullum metum liceat mortaliter peccare) ideo existimandum est, ita communicantem cum excommunicato, excommunicationis labe & ipsum inquinari. Secunda verò pars constabit *ex seq.*

2684. Ex hoc not. 4 obligationes voluntarias, quæ scilicet nascuntur ex nostro consensu, esse in duplici classe. Nam aliæ sunt, quibus sufficit *voluntarium simpliciter* ; aliæ, quæ requirunt voluntarium *non tantùm simpliciter, sed immune etiam ab omni coactione, inducente voluntarium secundùm quid* ; adeóque quibus non sufficit solùm voluntarium simpliciter. Ex quo sequitur, omnes contractus, vi, vel metu gravi, & injustè incusso, initos (& consequenter obligationes inde natas) tenere, seu validos esse jure saltem naturali, si denuo metûs causâ rescindi possint ; secus enim est, si semel validi, humano jure rescindi non valeant ; de quo V. *Lib. 4. à n.* 392.

2685. Not. 5. etsi obligationes natæ ex metu, injustè incusso, jure valeant, si eis sufficiat voluntarium simpliciter ; tamen contra eas dari restitutionem, per quam datur actio in rem, vel in personam ad restituendum id, quod datum, vel ablatum est ; aut si necdum completum sit negotium, exceptio *quod metûs causâ*, *L. 9. & 10 ff. h. t.* sic si quis metu coactus est renuntiare beneficio, probato metu non impeditur illud repetere c. 2. 3. & 4. *h. t.* Prædicta porro actio competit non tantùm contrà illum, qui vi abstulit ; sed etiam contra possessorem, penes quem est res metu ablata, *L. 14. ff. h. t. & gloss. in c. 2. eod.* hæc tamen actio annum non excedit, *Instit. de perpetuus, & temporalibus actionib.*

2686. Not. 6. juramentum, metu extortum, valere juxta Zoësium *h. t. n.* 4. dari tamen contra illud facilem restitutionē, seu absolutionem, *c. 8. h. t.* quamvis non improbabile sit, tale juramentum non valere, ut alibi docui ; ut autem contra obligationem gravem, ortam ex metu in foro externo detur restitutio, requiritur ; metum esse gravem, & justum, seu probabilem ; *c. 3. & ult. h. t. c. 8. de jurejurando ; c 15. eod.* deinde quòd sit *injustè*, & ab extrinseco incussus, & quidem *ad eum finem* ob inendum, ad quem tendit obligatio inde nata, de quo ex professo agitur tam in actibus humanis, quam *in tractat. de contractibus.*

2687. Not. 7. quid operetur metus in sponsalibus, & matrimonijs ? ex professo à nobis tradi *lib. 4. à n.* 407. ubi etiam exposuimus, quis, & quando censeatur *metus gravis*, seu *cadens in constantem* virum ? cum reliquis ad hunc titulum pertinentibus, ut latè dictum est *cit. l. 4. à n.* 39-. Hinc sequitur 1. Professionem reli-

religiosam, factam ex metu gravi, & injustè incusso, ipso jure Ecclesiastico, irritam esse per c. *Relatum*, 1. *h.t.* Nam, cùm vir nobilis, ac potens, uxorem de adulterio suspectam habens, jussisset militibus suis, ut eam in sylvam educerent, & occiderent: illi verò parentes mandato, cùm jam gladium evaginâssent, misericordiâ moti, pepercissent eidem, hac conditione, ut in monasterio habitum susciperet; & re cognita maritus duos Episcopos misisset, ut uxori in monasterio votum Professionis imponerent: res ipsis suspecta fuit, eò quòd mulierem juvenem esse, & filium parvulum habere viderent; unde seorsim ductam illam examinârunt; quæ rem ipsis aperuit, *quòd mortis timore monasterium ingressa esset, & inde exire vellet, si posset*: at cùm nihilominus alter Episcoporum, ut mariti tyrannidi satisfaceret, velum ei imposuisset, simulans, se eam professam facere; ipsa marito mortuo, ex monasterio egressa, alteri Viro nupsit: quos conjnges, tanquam malè copulatos, Episcopus Calaguritanus ad instantiam Monialium, excommunicavit.

His intellectis, mandat Alexander III. quibusdam à se delegatis, ut dictam mulierem, ac virum ejus (recepto priùs juramento, quòd mandatis ipsorum parêre velint) ab excommunicatione absolvant; deinde vocatis ad se, tam muliere, quàm Priorissa, & Monialibus, si probatum fuerit, quòd mulier illa non *timore mortis* Religionem susceperit; aut si *mortis timore* factum, quòd professionem *postea ratam* habuerit, eam ad monasterium redire, & habitum religiosum iterum assumere censurâ Ecclesiasticâ compellant.

1688. Sequitur 2. pacta, contractus, & transactiones (quæ scilicet jure rescindi possunt, licèt in principio validæ sint) ex gravi metu factas, ipso quidem jure validas esse, rescindi tamen debere actione, *quod metus causâ* per restitutionem in integrum, ut definivit Alexander III. in c. *Abbas*, 2. *h. t.* ubi habetur sequens casus: Remigio Clerico Abbas S. Cadmundi Ecclesiam contulit: sed postea milites suos misit, qui illum domo expelerent cum omni substantia sua, nisi Ecclesiam juratus resignaret. Quòd, cùm Remigius, tali modo coactus fuisset, Abbas dictam Ecclesiam alteri concessit. Hac re intellecta, Alexander III. mandat, ut Remigio omnia integrè restituantur: quia, *quæ metu, aut vi injusta fiunt, de jure in irritum revocari debent.*

Ex hoc textu colligitur 1. eum, qui gravi metu, injustè adactus, aliquid dedit, datum repetere posse; vel, si nondum dedit, & à metum incutiente conveniatur ad dandum ex tali contractu injustè extorto, posse illum repellere, per exceptionem, quod metûs causâ. Colligitur 2. quòd, licèt per vim cogens aliquem ad donandum, vel dandum, acquirat rei donatæ dominium (si contractus, principio validus, naturâ suâ rescindibilis sit) sed ante Judicis sententiam teneatur in conscientia, danti refarcire damnum, nimirum id compensando remissione obligationis per injuriam extortæ; consequenter restituendo acceptum per injustitiam.

Hoc procedit, si coactio ad dandum facta injustè tendebat ad dandum, *talem coactionem inferenti.* Nam, si ut daret tertio, injuriam, & metum passus habebit duplicem actionem; unam *personalem* contra eum, qui metum incussit; & hæredes ejus, ut refarciant damnum, seu quantum interest, vim illatam fuisse: alteram contra illum tertium, aut quemvis alium possessorem rei sic extortæ, ad quem res data, vel ejus commodum pervenit; quæ actio vocatur *in rem scriptâ, seu utilis actio vindicationis* ex æquitate Prætoria, per L. *Metum*, 9. §. *volenti*, 2. *licèt*, 2. *cùm autem, de his, quæ vi.* Item *L.* 3. *&* 5. *C. eod.*

Sequitur 3. renuntiantem juri Ecclesiasticæ electionis, ob gravem metum, seu terrorê, nihilominus institui, seu confirmari posse, ut dicitur c. *ad aures, h. t.* cùm enim quidam in Plebanum, seu Rectorem cujusdam Ecclesiæ concorditer electus fuisset, uno electore excepto; sed propter laicorum se opponentium terrorem, electionis juri renuntiâsset, hac renuntiatione delata ad Pontificem, Clemens III. respondit: nec obstante hac renuntiatione (*dummodo juramento, vel fide interposita, confirmata non fuerit*) electum Ecclesiæ illi, cui renuntiaverat, præfici posse. Ex hac decisione ulteriùs colligitur 1. cùm renuntiatio beneficij fieri non possit sine auctoritate Episcopi, ut diximus *Tit. 9. de Renuntiat.* meritò in 2689.

dato casu renuntianti, renuntiatione coacta, per terorrem Laicorum, electionis confirmationem concedi posse; quod verum est, etsi sponte facta esset sine authoritate Prælati; sic Garcia *p. 11. de benefic. c. 3. à nu. 223.* Colligitur 2. renuntiationem beneficij, factam cum juramento, seu juratam, servandam ratione juramenti, dum hoc relaxetur; id, quod facilè fieri potest ad instantiam metum passi; vel etiam à superiore rogato, ex officio, ut colligitur *ex cit. c. ad aures, c. si verò, 8. de jurejurando.*

Colligitur 3. cùm in textu dicitur: dummodo renuntiatio juramento, vel *fide interposita*, confirmata non sit, duo posse considerari, & quæstionem venire 1. an *fides interposita* habeat rationem *juramenti?* 2. an renuntiatio confirmetur *juramento*, vel *fide interposita?* Ad 1. respondet Barbosa *in dict. c. ad aures, nu. 2.* quòd promissio *sub fide interposita*, idem operetur, quod juramentum, quoad observantiam; ac eâdem pœnâ puniri frangentem fidem, quâ puniretur frangens juramentum; id, quod deducit ex Perez, & alijs ibidem relatis. Cæterùm videtur probabiliùs, interpositionem fidei differre *à juramento*; cùm illa *fidelitati*; hæc, *Religioni* opponatur. V. Layman *l. 2. summæ tr. 3. c. 2. à n. 2.* Ad 2. distinguendum est, an sermo sit de renuntiatione jure invalida, vel jure valida? si sermo sit de primo casu; constat *ex dict. supra*; si de secundo? ly *confirmari* nequit aliter accipi, quàm, quòd obligationi, quam de se habet, renuntiatio jure valida, juramentum superaddat *vinculum religionis.*

2660. Sequitur. 4. juramentum promissorium (præsertim, si iniquè extortum sit) non debere extendi ultra id, quod promissum, secundùm strictam verborum promissionis interpretationem. Hinc qui jurat, se beneficio *renuntiaturum*, non agit contra juramentum illud *repetendo*, si promissio jurata injustè extorta sit, ut habetur in *c. ad audientiam, 4. h. t.* cùm enim Innocentius III. intellexisset, Magistrum Guilielmum, Rectorem Ecclesiæ de Chevellis gravissimo metu per Regem incusso, adactum fuisse, in manibus eorum, ad quos pertinebat, cum juramento resignare, rescripsit. *cùm ea, quæ vi, metúsve causa fiunt, carere debeant robore firmitatis; ideo si constiterit, metum illum gravem fuisse, seu qui potuerit, ac debuerit cadere in virum constantem, tum, non obstante, juramento, Ecclesiam Gulielmo restituendam esse;* quippe, cùm vigore ejus juramenti obligatus tantùm fuerit *ad resignandum*; non verò etiam ad non *repetendum.*

Dices in *c. ad aures, 3. h. tit.* Clericus, qui beneficio renuntiavit, adactus metu, illud repetere non potuit, nisi priùs relaxato juramento; ergo etiam id dicendum erit in casu præsentis *c. ad audientiam, 4. h. t.* quia utrobique est *renuntiatio jurata*; Resp. N. conseq. licèt enim utrobique sit renuntiatio jurata; non tamen est *super eodem actu.* Nam renuntiatio jurata in *c. ad aures*, fuit *de dimittendo*, & non ampliùs *repetendo beneficio*; in *c. ad audientiam* fuit solùm *de dimittendo beneficio*, non autem *de non repetendo*; ergo ut ille repeteret licitè, egebat relaxatione juramenti; non autem iste.

Sequitur 5. promissionem, etiam juratam, metu solùm levi, aut dolo minùs propriè dicto inductam, non relaxari, ut colligitur ex *c. cùm dilectis, 6. h. t.* ubi habetur, quòd Canonici in Insulis habitantes, votum ediderint, quòd regulam Cistertiensium assumere, & Ecclesiam eidem ordini incorporari, quantum in ipsis esset, permittere vellent: postea verò pœnitentiâ ducti, restitui se, ac liberari petebant, Allegantes, *metum*, & *dolum*, quo inducti fuerint ad tale votum, ac juramentum edendum. Sed Innocentius respondit; *cùm hoc juramentum in salutis dispendium non vergat, observandum esse*, neque permittendum, ut perjurijs via aperiatur. Neque causam sufficientem adesse restitutionis in integrum: quòd enim *metum* allegant, constat eum non fuisse mortis, aut corporis cruciatûs, vel similem, qui in virum constantem cadat; quòd verò *dolo* se inductos asserunt, ea non tam circumventio, quàm fatuitas ipsorum censenda est; ita Pontifex. 2661.

Ex hoc colliges 1. juramentum promissorium erga hominem, seu in ejus utilitatem, omnino, & sine spe relaxationis servandum esse, si sine dispendio salutis æternæ observari possit, nisi causa juramenti data fuerit per *gravem* metum, vel propriè dictam deceptionem, ut constat

stat ex textu relato, & c. 2. *de Pactis in* 6. quando autem dicitur: *si absque dispendio salutis possit*, intellige, si *absque peccato*. Nam nec ad leve peccatum dari potest obligatio conscientiæ.

Colliges 2. *dolum malum*, seu *deceptionem propriè dictam*, esse machinationem quandam, ad alterum, cæteroquin prudentem, decipiendum, ordinatam, seu accommodatam, ut dicitur *L.* 1. §. *dolum*, *ff. de dolo malo*. Unde, si deceptio non contingit, nisi ex simplicitate, vel fatuitate decepti, se ipsum decipientis, non est propriè *dolus*, vel *deceptio*, de qua in præsens; nec obinde decepto succurritur in foro externo, ut colligitur *ex dict. c. cùm dilectus*, supra: secus est in foro conscientiæ, si ea decepti simplicitas sit inculpabilis; præsertim, quia culpâ rarò vacat, cum similibus contrahere. Plura de hoc titulo *lib.* 4. *à n. jam cit.*

* * *

# QUÆSTIO XLI.

## IN TIT. XLI. DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

2692. *Restitutio in integrum*, prout hìc accipitur, est redintegratio causæ; seu, est actio redintegrandæ rei, vel causæ, atque adeò repositio in pristinum statum, ut cum plurimis alijs notat Barbos. in c. 1. *h. t. n.* 7. vel, ut loquitur Benedictus Pereyra *in Elucidario à nu.* 894. *Restitutio in integrum*, est reductio in eum statum, in quo quis priùs erat, quàm læderetur; seu, est prioris status, aut prioris juris redintegratio. Nam restitutio id reparat, quod læsio abstulit; L. *videamus*, §. *in favian. ff. de usur.* est etiam audientiæ redintegratio, secundùm Specul. *eo tit. & L. quòd si minor*, §. *restitutio ff. de minor. Restituere in integrum* (inquit Spiegel V. *eod.* si rectè consideres, nihil aliud est, quàm laxare scripti juris rigorem; juxta Alex. Scot. V. *eod.* est reducere in eum statum, in quo erat ante læsionem; *cap. auditis de in integ. restit. in gloss. fin.* Et per hunc modum subvenitur Minoribus, & Ecclesiis; & quandoque, ex legitima, & justa causa subvenitur, etiam Majoribus, ut habetur *in ff. ex quibus causis major. per totum. Integrè* autem *restituere* importat restitutionem usque ad ultimum quadrantem, ut notat Cald. Pereyra, *de empt. c.* 9. *n.* 7. In integrum restituitur Minor, quando totum jus suum recuperat, *L. quòd si minor.* §. *restitutio*, *ff. de Minor.* Nam *integrè* habere dicitur, qui totum habet, sine ulla penitus diminutione; ut docet Menoch. *cons.* 687. *n.* 43. *Integrum* enim vocatur, cui nulla pars deest, vel quod sine diminutione, ex omnibus suis partibus constat, L. *nomen filiarum*, §. *fin. ff. de legat.* 3. *apud Rolan. cons.* 27. *n.* 3. *to.* 4. & Preyr. *de fideicom. à n.* 3. *&. n.* 90.

Restitutio in integrum, *est remedium* 2693. extraordinarium, ut vult Zoësius hìc *n.* 1. quo læsus in jus pristinum restituitur ex justa causa; & non nisi in defectum, seu subsidium ordinarij conceditur, L. 16. *ff. de Minoribus*, quamvis possit etiam cum remedio ordinario concurrere, quando per illud habetur subsidium plenius, & pinguius, ac per ordinarium. Hinc quando dicitur, *dato remedio ordinario, ad extraordinarium non esse recurrendum* (ut habetur *L. quædam*, 9 *ff. de edendo*; *L.* 16. *ff. de Minoribus*, *L.* 32. *de damno infect. L.* 1. §. 2. *de Publicanis*, ubi affertur pulchrum exemplum (limitari debet, ut non procedat in casu, quo, secluso remedio extraordinario, litigare deberet; cùm ejus interest, litibus, & sumptibus non vexari; sic Wensenbecius *in tit.* 41. *C. lib.* 2. Nam in casu, quo remedium extraordinarium est utilius ordinariô; illud conceditur, ut notat Barbosa *axiom. l.* 16. *c.* 26. *n.* 6. & apud eum Sichardus *ad L.* 3. *C. quomodo & quando Judex*, *n.* 6. his præmissis:

### ARTICULUS I.

*A quo legitimè impetrari possit restitutio in integrum?*

PEtitio restitutionis non est propriè a- 2694.
ctio, sed imploratio Magistratus habentis

bentis mixtum imperium, imperio prævalente; sic Haunold. *tom. 1. de jure, & Just. tr. 2. num. 43.* Hinc Magistratibus municipalibus, non convenit potestas restituendi. Restitutio autem ista, de qua hìc agitur, alia est, qua subvenitur Majoribus 25. annis; alia, qua Minoribus, & his, qui gaudent jure minorum: & his quidem hoc remedio succurritur *ex jure speciali:* illis verò, *ex clausula generali*, si quæ alia justa causa esse videbitur restituendi, juxta L. 1. *ff. ex quibus causis majores.* Cæterùm de quæstione proposita sic respondet Greg. IX. ut habetur *c. causa restitutionis, 9. h. t.* Causa restitutionis, inquit, in integrum, *coram Judicibus ordinarijs, administrationem habentibus*, vel *delegatis ab eis, tractari poterit, & finiri, sive hæc ipsis delegatis specialiter demandatum fuerit, sive in commisso eis negotio contingat incidere hujusmodi quæstionem.* Delegati verò ab ordinarijs, *qui administrationem non habent*, sed tantummodò *facultatem judicandi*, seu, *arbitri de hac causa, cognoscere nequeunt, nisi coram eis mota fuerit incidenter.*

Ex hoc deducitur restitutionem in integrum non rectè proponi coram *arbitro*; cùm hic jurisdictionem non habeat, *L. 1. C. ubi, & apud quem*; nec etiam coram *delegato;* excipe 1. nisi specialiter demandetur; 2. nisi in commisso negotio incidat; *cit. c. 9 h. t.* 3. nisi datus sit *ad Universitatem causarum*, qualis habetur instar Ordinarij; 4. nisi datus sit à Pontifice; Zoësius *h. t. n. 6.* sed petendam esse *ab Ordinario Judice Adversarij; L. 2. C. ubi, & apud quem restitutio peti debeat.* Nam inferior Magistratus non potest restituere contra sententiam Superioris; & contra sententiam Judicis delegati, nemo nisi Princeps. Unde requiritur, quòd talis Judex sit eo major, contra quem petitur restitutio; L. *minor*, 12. *ff. de minoribus;* cùm enim minori in majorem non sit jurisdictio, minùs conveniret à minore sententiam majoris rescindi.

2695. Not. autem, ut rectè petatur, petendam esse in loco illius, contra quem petitur restitutio; Haunold. *cit. n.* 465. deinde petendam esse in libello, per *c. 5. h. t.* ut constet de merito petitæ restitutionis; præsertim, si Judex, ante causæ cognitionem, cœptam quidem, sed non absolutam moriatur; 3. citandam esse partem, ne causa, quæ alios tangit, iis inconsultis temerè mutetur, per c. *quod omnes, de Reg. juris, in 6.* 4. petendam esse *intra quadriennium, per L. fin. C. de temporib. in integrum restitutionis;* de quo plura in *seqq.*

## ARTICULUS II.

### *An & qualiter currat tempus petendæ restitutionis in integrum?*

TEmpus, intra quod peti debet restitu- 2696.
tio in integrum, *regulariter* est quadriennium, sic, ut post elapsum quadriennium, frustra petatur, nisi rationabile quid subsit, quod aliud suadeat, *c. 2. h. t. in 6.* Hinc aliqui volunt, nunquam concedi debere restitutionem adversùs lapsum quadriennij; gloss. *ult. ad L. Interdum. ff. de minoribus;* Barbos. *in Clem. unic. n. 2.* Sed hoc intellige juxta sequentia. Nam in certis casibus fallit, ut constat ex c. *si adversus. 2. h. t.* in quo dicitur: si Prælatus, aliúsve Procurator Ecclesiæ, in judicio agens confessionem fecerit, ex qua Ecclesia læsa fuit; post elapsum quadriennium, si petitio restitutionis in integrum per negligentiam intermissa fuit, ampliùs non conceditur; *nisi rationabilis causa aliud persuaserit.* Cæterùm, *si errorem*, qui in facto consistat, circa confessionem suam, Ecclesia noxiam *revocare velit, semper auditur (sicuti & privatus quilibet) donec causa finita sit.*

Ex hoc enim textu clarè sequitur, Ecclesiæ per confessionem; vel Prælati, aut Procuratoris facto, læsæ; imò & privato, ex rationabili causa, etiam finito quadriennio, concedi restitutionem in integrum: 2. si læsio facta sit per errorem facti, revocationem confessionis v. g. modò ante sententiam latam probetur error. Et ideo circa prædictam regulam (quòd post elapsum quadriennium frustra petatur restitutio in integrum) hunc lapsum quadriennij in Curia non attendi, docet Barbosa *cit. n.* 17. cum pluribus aliis. Unde non procedit 1. si *læsio* foret *enormissima;* tunc enim post quadriennium peti potest; Barb. *in c. 1. h. t. n. 16. & in c. 1. eod. in 6. n.* 26. secundò, si eveniat rationabilis causa, eam petendi, per textum supr. talis causa censé-

censetur etiam, quando sententia est notoriè injusta; sic Barbosa *in c. 1. h. t. in 6. n.* 29. vel si per Judicem stetit, vel adversarium, quò minùs causa intra quadriennium finiatur; Bartol. *in L. ult. C. de temporibus in integr. restitutionis, n.* 9.

2697. Hinc not. 1. quòd seclusâ rationabili causâ, elapso jam quadriennio, petendi restitutionem in integrum, quadriennium currat non solùm *minori* ab inchoato anno 26. per cit. L. *fin.* sed etiam *Ecclesiæ*, numerandum à die læsionis, ut habetur in Clem. *unica h. t.* ibi: *ab Ecclesia, adversus lapsum temporis, in quo se læsam affirmat, in integrum restitutio peti potest: & causa restitutionis hujusmodi finiri debet intra quadriennium continuum, à tempore læsionis, etiamsi minùs quadriennio tempus læsionis existat*: sed non fiat restitutio, *nisi* ad tantum tempus, quantum se læsam fore probabit.

2698. Not. 2. quòd hoc quadriennium, à jure statutum in causa restitutionis in integrum, solùm currat *negligentibus*, non verò *legitimè impeditis*, saltem quantum est de Jure Canonico; gloss. *in c. 1. h. t. in 6. V. quadriennij, & V. causa*; Hostiensis ibid. *n.* 6. & Barb. *n.* 19. Unde, licèt lex *ult. C. de tempor. in integr. restit.* requirat, ut restitutio *petatur intra quadriennii continuum* (per tempus continuum intelligendo, quod omni tempore, & omnibus currit, etiam legitimè impeditis, quo differt *à tempore utili*, quod neque impedito, neque impeditis cedit, ut notat Barb. *in c. 1. h. t. in 6. n.* 20.) intelligendum tamen est, *postquam quadriennium incepit*, ut notat Barb. *cit. n.* 21. Nam *tempus restitutionis, à principio est utile* ita, ut non incipiat, nisi omni impedimento cessante; *at ubi semel incepit, in progressu est continuum.* Ex hoc colliges, quòd hujusmodi quadriennium non currat minori, vel Ecclesiæ, *probabiliter ignoranti*, licèt per 100. & plures annos steterit absque eo, quòd restitutionem imploraverit; sed *tantùm à die scientiæ numerari debet*; Barb. *in c. 1. h. t. in 6. n.* 22. Similiter non currit Ecclesiæ, quamdiu vivit Prælatus, à quo ipsa læsa fuit, vel quando illa interim passa est frequentes, & repentinas mutationes Prælatorum: sic Barb. *in c. 1. h. t. in 6. à n.* 44. ubi dicitur, quòd si Ecclesia *ex contractu*, vel *Judicis sententia*, læsa sit, atque intra quadriennium petere restitutionem in integrum *per negligentiam* intermittat, postea ad beneficium restitutionis admitti non debet; *nisi ostensum fuerit, prævaricationem, aut fraudem interveniisse* (quia videlicet collusum fuit cum Prælato, seu administratore bonorum, vel is fraude circumventus, ne restitutionem peteret) *aut si alia rationabilis causa adsit*, propter quam Superior beneficium restitutionis, *etiam postea* concedendum, esse arbitretur.

Not. 3. quando actus, ex quo secuta est læsio, *est jure nullus*, non debere peti *restitutionem in integrum*, quia tunc habet remedium juris ordinarium, vel vindicationis, vel similis, quo dato non debet recurri ad extraordinarium, quale est restitutio in integrum (intellige tamen secundùm dicta *n.* 2693.) si autem *probabiliter* dubitetur de nullitate actûs, læsus offerre debet libellum *alternativum*, seu petere *sub disjunctione*, ut vel actus ille declaretur nullus; vel si mero jure valeat, in integrum restituatur, ex c. *constitutus, h. t.* ubi super sequenti casu, ex Gregorij IX. decisione, id constat. Casus autem est: quidam conjuges, Guilielmus, & Anna, quasdam possessiones habebat *communes* (videlicèt ipsis communiter donatas, aut ex communi pecunia emptas) mortuâ Annâ, Guilielmus possessiones illas vendere volens, emancipavit duos ex eadem Anna natos, Guilielmum, & Ignatium, ut venditioni consensum præbere possent. Post factam venditionem fratres illi supplicabant Gregorio XI. Pontifici, ut *vel* contractum illum irritum declararet; *vel* (cùm adhuc existant intra tempus ad petendam restitutionem in integrum jure indultum) tum quoad partem ex materna hæreditate ad se pertinentem, tum quoad alteram partem, quam juxta municipalem consuetudinem, tanquam proximi consanguinei, intra diem vel annum, oblato eodem pretio, retrahere potuissent, sed facere omiserunt; in integrum restituerentur; quandoquidem in utroque horum graviter læsi fuerunt. His relatis, mandavit Papa, *si ea vera sint, ut dicta venditio quoad partem eam, quæ dictos fratres contingit, irrita pronuntietur, si debitis juris solennitatibus destituta fuerat: si autem debita solennitas in-*

2699.

*tervenerit, sed eos læsos esse constiterit, tam super sua, quàm super paterna portione, Apostolica authoritate in integrum restituantur;* dummodo pretium, uti promittunt, emptori, vel hæredibus ejus refundant. Advertendum præterea, quod restitutioni pentendæ ex causa metûs, aut doli præscriptum sit brevius tempus, illi scilicet tempus *unius anni; huic, biennij*, ut patet ex *ff. & C. de his, quæ vi & dolo.*

## ARTICULUS III.

### *An restitutio in integrum sæpius peti possit?*

2700. IN c. *fin. h. t.* dicitur, restitutionem super aliqua *tantùm semel* peti solere. Nam semel rejectâ, non petitur iterato cum effectu, *cit. c. fin.* Nemo enim super eadem re bis experitur, nisi subsit nova causa, quæ emerſit. Sensus verborum hujus capituli est: *si Ecclesia contra latam sententiam non appellavit, sed restitutionem in integrum petivit, & repulsa est, iterum in alio judicio restitui non debet, nisi ad petendam appellationem.* Si tamen *nova causa* emergat, videlicet novæ defensiones ostendantur, tum *simpliciter ei*, cognitâ causâ, *restitutio concedi poterit;* ex hoc colligitur non sic indefinitè negari, etiam secundam restitutionem in integrum, ut in nullo casu concedatur, prout etiam constabit *ex seqq.* Hinc: circa præsentem quæstionem, notandum, duplici modo posse restitutionem *secundò peti.* Primo, postquam semel petita quidem est, sed à Magistratu denegata; secundo modo, si semel impetrata est restitutio, at quia postmodum videtur impetrans per hanc ipsam restitutionem læsus esse, ideo petit iterum contra hanc ipsam restitutionem restitui: his præmissis: R. 1. si restitutio denegata fuit, & sententia transiit in rem judicatam, non ampliùs dari restitutionem in eadem causa ab eodem Judice, nisi, *quoad negligentiam omissæ appellationis*, quæ denegata restitutione facienda fuisset, L. 1. *C. sæpiùs in integrum restitutio postuletur;* ibi si post sententiam Proconsulis contra vos latam, desideràstis in integrum restitui, nec obtinuistis; *frustra rursus, ut ea quæstio in integrum restitutionis agitetur, desideratis.* Appellare enim debuistis, si vobis sententia displicebat: *sed si adhuc in ea ætate estis, eccè subveniri solet, appellandi jus vobis restituimus?* Resp. 2. si negata restitutione petatur *secundò* restitutio propter novas defensiones, seu probationes adducendas, concedi posse restitutionem in eadem causa, L. 2. *C. si sæpius &c.* ibi: quamquàm Curatores pupillæ victi sint, cùm in integrum pupillam restitui desiderabant: *cùm tamen novis defensionibus instrui posse* dicas, adeant Curatores uxoris tuæ Judicem, *& petant, ut causas in integrum restitutionis agant; & L. 3. C. eod* ibi: in una, eademque causa iteratum in integrum restitutionis auxilium non jure, *nisi novæ defensiones prætenduntur*, posci, sæpè rescriptum est. Resp. 3. si restitutio secunda petatur contra priorem restitutionem, regulariter esse concedendam, L. 7. §. 9. *ff. de minorib. 25. annis §. 9.* ibi: *restitutus autem, cùm se hæreditati misceat, ut eam adeat, quam repudiavit, rursus restitui poterit, ut se abstineat;* excipe casum, qui habetur L. *fin. §. 6. C. quæ liberis in potest. constit.* sic Haunold. *tom. 1. tr. 2. d. n. 467.*

## ARTICULUS IV.

### *Quæ requirantur ad restitutionem in integrum?*

RESP. requiri 1. ut actus, ex quo quis restituendus est, fuerit *jure validus.* 2701.
Id verum est, cùm determinatè petitur *annullatio contractûs.* Cæterùm, ubi dubium est de valore actûs, non aliud requiritur, quàm ut metum, vel læsionem passus, cùm rem suam quærit, in libello *alternativè* petat, aut contractum jure nullum declarari; vel, si jure valuit, rescindi; ut dicitur c. *constitutus*, 8 *h. t.* Abbas hìc *n. 9.* Requiritur secundò, quòd in judicio vel manifestè constet de læsione; vel ea legitimè probetur, quando quis restituendus est, non ex certa causa, & in edicto Prætoris enumerata; nimirum vi, metu, dolo, ætate, absentiâ; sed ex causa incerta, & clausula generali: *si qua justa causa*, ut habetur L. 1. *in fin. ff. ex quibus causis.* Si autem petas, an hic sufficiat probatio læsionis, facta per juramentum læsi? Resp. negativè ex c. *super eo,*

ue

*de his, quæ vi.* Nam talis probatio tantùm sufficit, quando læsio provenit ex alterius delicto, v. g. metu injustè incusso; tunc enim præsumptio est contra delinquentem, & lex in odium ejus admittit læsi juramentum.

Requiritur 3. ut læsio sit gravis, & notabilis; in modicis enim non conceditur hoc juris remedium, L. *scio*, 4. *ff. h. t. c. penult. junct. gloss. V. enorme, de rebus Ecclesiæ non alienand.* Abb. *in c. 1. n. 2. de restit. in integr.* Nam in his, quæ contrà jus commune conceduntur (qualis est restitutio in integrum) de modicis non curatur; Bartolus in L. *scio*, ubi ait, *nimium dici secundùm magnitudinem rei*, nimirum cum respectu ad totum. Hinc, si justum pretium prædij v. g. sint 100. floreni, & illud vendidisti 980. læsio in 20. respectivè ad totam summam, parva est: si verò justum pretium sint 100. tantùm, & vendidisti 90. læsio in 10. est magna, scilicet respectivè ad summam 100. sic Abb. in c. 1. *hìc n.* 8. Molin. *de just. D.* 273. *n.* 9. Ex hoc infertur, ad concedendam restitutionem in integrum non requiri, ut læsio enormis sit, & tanta, ut dimidium justi pretij excedat. Nam in hoc casu læsus juvare potest ordinario juris remedio; L. 2. *C. de rescindenda vendit. & cap. cùm dilectus, de empt.* quia tamen etiam hoc casu, si cum dicto remedio concurrat beneficium restitutionis, communiter res melior fit, & hoc beneficium pinguius est, cùm Reus conventus dicto remedio ordinario, habeat electionem reddendi rem, vel supplendi pretium, non autem in beneficio restitutionis; ideo si læso id magis expedit, quàm illud, valde probabile est, etiam in hoc casu peti, & concedi posse beneficium restitutionis; Covarruv. *lib. 1. var. resol. c. 3. nu. 11. §. tertiò hinc deducitur.*

## ARTICULUS V.

### *Quibus in specie concedatur restitutio in integrum?*

2702. RESP. concedi 1. *minoribus* (qui scilicet 25. annum necdum compleverunt) sive ex contractu, sive ex alio actu notabiliter læsi sint, vel decepti; habetur L. 1. *ff. de minoribus*; idque propter infirmam eorum ætatem, multis captionibus, & insidijs aliorum expositam. Dixi *minoribus*, nimirum, utriusque sexûs; etiamsi sint Patres, vel filiifamilias; esto contraxerint cum auctoritate Patris, Tutoris, vel Curatoris, aut etiam decreto Judicis. Nam hæc faciunt solùm, ut contractus sit jure validus; non autem excludunt beneficium restitutionis, ut patet *ex dict. L. 1. cum seq.* & tenet Lessius *l. 2. de Just. c. 12. n. 63.* Idem habetur c. *constitutus cit.* ubi hæc restitutio extenditur. 1. etiam ad lucrum cessans; ut notat Pirhing *in c. constitutus, n.* 8. secundò etiam ad jus retrahendi bona suorum consanguineorum, extraneo, vel remotiori cognato vendita, modò intra annum, & diem, à tempore contractûs, seu venditionis, illa ad se quis revocet, deposito pretio æquali; & de consuetudine loci vigeat ejusmodi retractus; ita Pirhing *cit.*

Resp. 2. hoc beneficium restitutionis 2703. etiam concedi *Ecclesiæ*, sicut minori, c. *Requisivit 1. h. t.* ubi Alphanensi Episcopo quærenti: quid agendum de possessionibus Laicis, sub modico censu concessis? respondit Alexander III. noveris, quòd, *si Ecclesia læsa est, & manifestè apparet detrimentum ipsius* (cùm Episcopo ejus conditionem facere deteriorem non liceat, *& Ecclesia jure minoris debeat semper illæsa servari*) quæ in damnum ejus data constiterit, *ad ipsius convenit jus, & proprietatem redire.* Providendum est tamen, ne, si fortè coloni possessiones illas expensis, ac labore suo, reddiderint meliores, sumptibus, quos bonâ fide fecerunt, non debeant defraudari; & c. *auditis 3. eod.* ubi dicitur, *quòd Ecclesia læsa in probatione necessaria omissa, potest petere restitutionem in integrum, non obstante termino juris probationis exclusivè.* Et restitutionem petere potest, non solùm contrà privatum, sed etiam contra Ecclesiam. *Modò manifestè constet, vel legitimè probetur* (quod semper requiritur, ut hìc dicitur) *notabilis, & magna læsio.* Nam *Ecclesia Minorum jure gaudet*, ut hìc dicit Alexander III. & quamvis c. 1. solùm loquatur de contractu *censuali* propriè dicto (ut notat Pirhing *hìc n.* 19. §. *itaque*) in quo dominium rei tam directum, quàm utile, atque adeò plenum transfertur in alterum, cum onere pensionis annuæ reservatæ priori Domino, juxta *L. ult. C. de rerum permut.* ubi dominium non amplius redit, etiam omissâ multis annis eâ solu-

solutione pensionis, quod non contingit in contractu emphyteutico (quo solùm transfertur dominium utile, cum onere solvendi pensionem annuam directo Domino; qua per biennium non soluta, redit ad Dominum proprietatis, ut dicit Abbas in c. *Requisivit n.* 7.) quia tamen ratio factæ decisionis, ibi expressa, generalis est (scilicet *quòd Episcopo non liceat Ecclesiæ suæ conditionem facere deteriorem, & Ecclesia jure minoris semper illæsa servari debeat*) ideo ad omnes contractus extendi debet, ut notat Abbas, *hìc*, *not.* 1. cum Fagnan. ibid. *n.* 2. Hoc beneficium restitutionis concessum Ecclesiis extende etiam *ad omnia loca pia*, ut Collegia Clericorum; Religiosorum, Hospitalia, & Confraternitates, seu Congregationes, quæ ad pietatem, & religionis augmentum pertinent; si authoritate Episcopi fundata, & erecta sint. Nam omnia privilegia *Ecclesiis* concessa, etiam ad illa extenduntur, L. *omnia* 24. C. *de Episcopis, & Clericis.* Et ita tenet Abbas *in c.* 1. *h. t. n.* 15. Collegium autem Studiosorum non gaudet hoc beneficio, tanquam *locus pius*; sed, quia in eo *multi minores* esse solent, ut docet Abbas *loc. cit.*

2704. Not. præterea, beneficium restitutionis, concessum *Ecclesijs*, intelligi pro casu, quo læduntur in bonis, *quæ manent ipsius Ecclesiæ*; non autem si lædantur personæ Ecclesiasticæ *in propryis ipsarum*, aut juribus ad personam pertinentibus; ac ipsis etiam reditibus Ecclesiasticis; quia tunc cessat cōmunis, & publicus favor *Ecclesiæ*; Molin. *de just. D.* 574. *n.* 2. Not. 2. dicta *n.* 2703. intelligi de Ecclesiis non tantùm extructis, sed etiam extruendis, quarum saltem ædificatio cœpta est; Layman *in c.* 1. *n.* 3. *h. t. in* 6. Hinc si 1000. floreni v. g. Ecclesiæ legati sint, de quibus tamen in judicio litigatum fuit, & appellatio, protestatione interposita ab executore, per negligentiam deserta sit, tum nomine talis Ecclesiæ restitutio in integrum peti poterit. Vid. Layman *loc. cit.* Nam sicut, qui in utero est, jam habetur pro nato, ubi de illius commodo agitur *L.* 7. *ff. de stat. hom.* sic dicendum de tali Ecclesia.

2705. Resp. 3. quòd etiam *Respublica* Minorum jure gaudeat, & ideo habeat beneficium restitutionis in integrum. Hinc si Reipub. Procurator in ejus bonis deceptus sit, in integrum illa restituitur *L. Respublica*, 4. *C. quibus ex causis Majores.* Per *Rempublicam* intellige *quamlibet communitatem*, etiam Oppidum, vel pagum, si habeat bona communia, quæ per aliquos, nomine Communitatis, administrantur; non autem, *Collegia opificum*, *mercatorum*, *&c.* quia illorum; non istorum bona per administratores, sicut bona Minorum per Curatores, reguntur; sic Molin. *D.* 174. *n.* 4. apud Pirhing *n.* 15.

Resp. 4. quòd etiam *Majoribus* quandoque beneficium restitutionis in integrum concedatur, si adsit justa causa, ultra læsionem; ut absentiæ, causâ Reipublicæ, detentionis in vinculis, vel hostium potestate, justi erroris, seu probabilis ignorantiæ, &c. ut habetur toto ferè titulo (*quibus ex causis Majores*; & patet *ex L.* 1. *ff. eod.* ubi Prætor enumerat causas, ob quas illis concedit restitutionem, & addit: *& si quæ alia justa causa mihi videbitur*; constat etiam ex c. *ex literis* 4. *h. t.* ubi dicitur, quòd restitutio ex justa causa, etiam Majori, est concedenda, dummodo justa causa petendi probetur; si autem non probatur plenè, vel semiplenè, conceditur restitutio in causa favorabili. 2706.

Not. tamen beneficium concessum Minoribus, & Ecclesiis, majus esse concesso Majoribus. Illis enim succurritur, licèt eorum culpâ, vel injuriâ læsio intervenerit, modò verè læsi sint, esto alia causa non sit; his verò non, nisi simul sit alia causa justa. 2. Illi restituuntur sic exigente officio Judicis; isti non, nisi ad instantiam partis; sic Abbas *in c. ex literis h. t. n.* 11. Layman *Theol. moral. l.* 3. *l.* 4. *c.* 11. *n.* 6. Sed reverà, si causam justam habeant, ex qua provenit læsio, etiam jure his debetur, ut expresè dicitur *L.* 1. *C. quibus ex causis Majores*, ibi: *jure desideras*; si quis scilicet læsus est, quia abfuit ob negotium Principis.

Resp. 5. quòd præter hactenus dictos, interdum etiam concedatur restitutio in integrum *rudibus*, & *imperitis jurium*; qui scilicet non potuerunt consulere intelligentes, ut militibus versantibus in expeditione, rusticis, mulieribus, &c. ita Molin. *D.* 574. *n.* 5.

* * *

ARTI-

## ARTICULUS VI.

*Qui sint casus in specie, pro quibus minoribus, vel Ecclesiæ conceditur restitutio in integrum?*

2707. REsp. etsi generaliter illis concedatur in omnibus casibus, & actibus, in quibus illi tam intra, quam extra judicium graviter læsi sunt, ut pat. ex dictis: aliquos tamen speciales casus jure exprimi, de quibus breviter in sequentibus. Quare primus est, si læsi sint, *in contractu venditionis*, vel *emptionis quoad substantiam* (ut si absolutè loquendo non expediebat eum contractum instituì) tum officio Judicis in totum rescinditur contractus, & læsus actionem habet adversus quemlibet rei alienatæ possessorem, *L. in causæ, 13. §. interdum ff. de Minoribus*: si verò læsio sit tantùm *in quantitate pretij*, v.g. minoris vendidit, tum in emptoris electione est, reddere rem recepto pretio; vel, servare rem, & supplere defectum pretij. Si verò minor majoris emit, contractus eodem modo non rescindetur, sed pretiũ ad æqualitatẽ reducitur; non enim plus concedendum est, quàm quantum læsus est.

2708. Secundus, si minor, vel Ecclesia læsa sit propter negligentiam Tutoris; vel Procuratoris in judicio; ut si contra ipsam lata etiam definitiva sit sententia; quia Procurator neglexit producere probationes; vel exceptiones necessarias. De Minoribus constat *ex L. etiam in his. 3. c. si Tutor vel Curator intervenerit*: & de Ecclesia *ex c. cùm venissent 2. h. t.* Universaliter autem nota, cùm alicui fit restitutio adversus alterum, hunc etiam debere servari illæsum, & non fraudari suo pretio, vel sumptibus factis, ut dicitur cit. c. *Requisivit*. Not. autem ex c. *cùm venissent cit.* 1. Ecclesiam, in dicto casu restitui contra sententiam definitivam, ut patet ex verbis ibi: *adversus sententiam dictorum Judicum* (erat autem definitiva) *restitutionem concessit*. 2. esse tunc in arbitrio Ecclesiæ, si Procurator sit solvendo damnum, vel petere ab hoc satisfactionem; vel restitutionem in integrum adversus malè acta per ejus negligentiam; sic gloss. *in cit. c. V. restituimus, arg. L. 3. C. si Tutor, vel Curat.* Sed hoc Pirhing *cit. n. 19. not. 2.* ex Bartolo, L. *cum mandato 23. ff. de Minoribus*, limitat, si sit Procurator *necessarius*; non *voluntarius*, seu liberè assumptus. Idem dic, si Minor læsus sit ob negligentiam *Curatoris*; si verò ob negligentiam *Procuratoris*, tunc, si is solvendo sit, non potest priùs petere restitutionem adversus acta, nisi priùs agat contra Procuratorem, L. *mandato*, cum gloss. V. *audiri junct. gl. margin.* Molin. *D. 573. num. 5.* Abbas *in cit. c. num. 20.*

Tertius est, si læsus sit minor, vel Ecclesia propter negligentiam propriam. 2709. De primo habetur L. *minor, 36. ff. de minoribus*, de secundo, in c. *auditis h. t.* ibi: *quia tamen utraque pars necessariam probationem omisit.* Not. autem 1. quòd etiam contra Ecclesiam, sicut contra Minorem, currant termini peremptorij, seu exclusivi probationum; colligitur ex c. *auditis*, cum Abb. *n. 6.* unde adversus eos negligentes non restituitur, nisi exinde vel damnum, vel lucrum amittat; Abb. *cit. n. 16. arg.* L. *auxilium, 37. ff. de Minoribus*; sed hæc intellige de jure communi; secus per beneficium restitutionis, ut dicitur c. *coram 7. h. t.* cùm enim inter Archiepiscopum Toletanum, & Archiepiscopum Bracharensem coram Innocent. III. lis contestata esset super jure Primatiæ: Papa eam quibusdam Judicibus commisit, qui partes ad sententiam accipiendam remiserunt ad Sedem Apostolicam, termino peremptorio assignato, intra quem se cum actis, & omnibus monumentis Apostolico conspectui præsentare deberent; sed non nisi post elapsum terminum, & longam expectationem comparuerunt coram Honorio III. successore Innocentij, Procuratores Ecclesiæ Bracharensis; necdum afferentes testium depositiones, & monumenta; ideóque aliam dilationem instanter postulantes:

Cùm autem Pontifex interloquendo dixisset, *dilationem negandam esse*, tunc Procuratores restitutionem in integrum, ad causæ instructionem exhibendam, Bracharensi Ecclesiæ petiverunt, exhibentes super hoc mandatum speciale. Id verò Pontifex usque ad octavam Pentecostes concedendum esse judicavit.

Ex hoc enim clarè sequitur, quòd ter- 2710. mini judiciales etiam Ecclesias, & Minores ligent, ita, ut neque hi, neque illæ post

peremptorium audiantur; conceditur tamen illis restitutio in integrum. Unde colliges 1. ut Ecclesia læsa restituatur propter omissam probationem neeessariam, sufficere, si hæc sola probetur, vel constet; patet ex c. *auditis*, ibi: *quoniam utraque necessariam, ut asserit, probationem omisit;* colliges 2. ut Ecclesia læsa restituatur propter omissa privilegia, ea priùs, quàm detur restitutio, exhibenda esse; ex cit. c. ibi: *inspectis privilegijs;* ne scilicet allegentur in fraudem; colliges 3. Ecclesiam læsam restitui etiam contra aliam Ecclesiam; pat. *ex cit. c.* ibi: *utramque restituimus reliquam.* Colliges 4. præscriptiones judiciales etiam contra Ecclesiam, vel Minorem currere; hinc si elapso termino peremptorio *ad probandum* statuto, probationes non adferant, non amplius admittuntur, nisi per beneficium restitutionis, pat. *ex c. coram*, & c. *auditis*, cum Abb. ibi: *n. 3. & L. 1. C. si sæpiùs in integr. restitutio postuletur.* Dixi *judiciales;* nam præscriptiones, seu termini peremptorij extrajudiciales, non currunt ipso jure, contra Ecclesiam, vel minores, excepta præscriptione 30. vel 40. annorum, L. *ult. in quibus causis in integrum restitutio non est necessaria.*

Colliges 5. quòd, cùm Procurator Ecclesiæ petit *principaliter* restitutionem in integrum, non admittatur; nisi habeat *speciale* mandatum, *L. illud* 25. §. *si talis, ff. de Minoribus;* secus, si petat *incidenter; gl. in c. suscitata h. t. V. postulavit;* tunc enim non requiritur ullum speciale mandatum. Colliges 6. quamvis unâ viâ prohibitum aliquid alicui, non debeat *regulariter* admitti aliâ viâ, juxta *Reg.* 84. *de Reg. jur. in* 6. tamen in isto casu, quo Ecclesia jure communi non admittitur *ad probandum*, ut dixi *n.* 2709. quid speciale est, ut admittatur per restitutionem; ita gloss. *fin.* in c. *coram*, supr. cit.

2711. Quartus casus est, quo minori, vel Ecclesiæ conceditur restitutio in integrum, etiam contra latam sententiam à Pontifice, vel summo Principe, habetur c. *Tum ex literis* 5. *h. t.* Ex hoc c. colliges 7. licèt contra sententiam Papæ, vel alterius Principis appellari non possit, c. *cuncta* 9. *q.* 3. *L.* 1. *ff. à quibus appell. non licet*: posse tamen à læso contra eandem ex justa causa peti restitutionem in integrum in defectu medij ordinarij, scilicet appellationis; vel rescissione sententiæ, implorando gratiam, & allegando enormen læsionem. Ex hoc colliges 8. restitutionem in integrum contra sententiam Papæ, ne quidem Ecclesiæ concedi posse à Cardinali Legato; sed adeundum esse Papam; ut constat ex cit. c. *Tum ex literis.* Restitutio enim in integrum contra sententiam tractari debet coram Superiore illius, qui sententiam tulit, *L.* 1. *C. ubi, & apud quem cognitio:* inferior enim non potest rescindere sententiam Superioris, Clem. 2. *de elect.* & Abb. *hìc n.* 2. hinc Vicarius Generalis Episcopi non potest aliquem restituere contra sententiam Episcopi. Colliges 9. si petatur restitutio in integrum contra sententiam definitivam Judicis, tum utraque parte præsente, litis contestationem fieri debere, & postea cognosci, an, nec ne concedenda sit restitutio? quod, si judicatur pro concessione, posse, si partes petant, ad causam principalem denuo cognoscendam procedi. Rationem hujus dat Pirhing *cit. n.* 26. *not.* 4. Colliges 10. Principem posse concedere restitutionem in integrum, etiam contra sententiam bis confirmatam, pat. *ex c. Tum ex literis*; hinc licèt *tertiò appellari* non possit contra sententiam latam, & confirmatam, *L. unic. C. ne liceat in una; & c.* 5. *sua*, 65. *de appellat.* potest tam supplicari, ut causa bis judicata, denuò cognoscatur, & errore reperto, rescindatur; Abbas *in cit. c. n.* 4 & 5. ubi textus habet: cùm & secundùm jura civilia Principes etiam *contra res bis judicatas* in auditorio suo examinari restitutionem in integrum permiserunt: quocirca mandamus, &c.

Colliges 11. per restitutionem in integrum, regulariter, & ordinariè suspendi executionem sententiæ latæ, c. *suscitata 6. h. t. L. unic. C. de in integrum restitutione postulata;* nisi adsit præsumptio, quòd malitiosè illam petat ad impediendam executionem; tum enim proceditur ex æquitate, & sententia statim executioni mandatur, cautione fidejussoriâ, vel pignoratitia præstita ab eo, pro quo sententia fertur, quòd omnia reddet petenti restitutionem, quæ interim insumpsit causâ hujus sententiæ, sin illi causa adjudicabitur; sic c. cit. Dixi, *regulariter.* Nam si executio sententiæ revocari non possit 2712.

(ut,

(ut, quia damnatus, relegandus vel in carcerem detrudendus est) postulata restitutione, non fit executio sententiæ etiam præstita cautione; quia tunc fieri amplius non potest restitutio.

2713. Totum hoc confirmatur ex ipso casu in *cit. c. suscitata*: nam, cùm inter Episcopum Burgensem, & Monasterium Ovense controversia esset super quatuor articulis, & quibusdam decimis, quæ Monasterio per transactionem acquisitæ dicebantur: ea denique ad sedem Apostolicam delata est; ubi Innocent: III contra Monasterium sententiam tulit.

At cùm Procurator Monasterii, ad probandam præscriptionem, tam super quatuor articulis, quàm super decimis restitutionem in integrum petiisset, eam Papa concedendam esse judicavit, hac conditione, ut lata sententia priùs executioni mandetur; Episcopus autem cautionē idoneam præstet, si Monasterio causa adjudicata fuerit, quòd omnia, quæ occasione sententiæ obtinuit, restituere velit. Ita enim utrique parti, ad avertendas malitias hominum, provisum erit; ut nec effectus sententiæ in damnū Episcopi impediatur; nec, executio sententiæ in Monasterij detrimentum redundet.

2714. Colliges 12. dicta *nu.* 277. etiam extendi ad Majores 25. annis, si adsit causa justa, c. *ex literis h. t.* Ex quo colliges 13. cùm quis dubitat, an possit appellare? eum posse petere sub conditione (scilicet in defectu medij ordinarij) mediū extraordinarium restitutionis, vel supplicationis. Nam, ut habet Rubrica illius capituli, restitutio ex justa causa, etiam Majori est concedenda, dumodo justa causa petenti probetur. Colliges 14. quòd Minor, vel Ecclesia possit petere restitutionem in integrum adversus sententiam, etiam in casu, quo posset appellare; quia illud medium est pinguius, & facilius. Abbas *in cit. n.* 13. Excipe 1. nisi sententia foret nulla; tunc enim etiam illis utendum foret remedio ordinario, Abb. in c. *tum ex literis n.* 18. Excipe 2. Majores; his enim non competit in casu remedij ordinarij, extraordinarium, *L. in causa. ff. de Minoribus;* nisi adsit justa causa (v. g. quòd circumventi sint) intellige plenè probata, secus si tantùm semiplenè, v. g. per juramentum, vel unum testem, excipe nisi sit causa favorabilis, v. g. Matrimonij; sic Pirhing *cit. nu.* 32. *not.* 6. & habetur *cit. c. ex literis.*

Colliges 15. per supplicationem Principi factam contra sententiam, non suspendi ejus executionem, ut diximus de restitutione; hæc enim innititur juri, & habet gratiam, ab eo annexam, illa verò soli gratiæ; Abbas in c. *suscitata, n.* 10.

Colliges 16. quòd, si Ecclesia petijt restitutionem in integrum, & hæc illi denegata sit, in alio judicio restitui non possit, nisi *ad instituendam appellationem omissam*; excipe, nisi novæ defensiones emergant, habetur in c. *beneficio, h. t.* Et ratio est, quia sententia, lata super restitutione in integrum, transit in rem judicatam, etiam contra Ecclesiam, & Minorem, nisi intra decennium ab ea fuerit appellatum, c. *coram, cit. & L. 1. C si sæpius in integrum restitutio &c.* Ex hoc. Collliges 17. quòd, licèt non restituatur adversus negatam restitutionem, restitui tamen debeat *ad appellandum* contra sententiam negatæ restitutionis, à qua non appellavit, habetur c. *beneficio cit.* sic enim adest nova causa restituendi; de quibus plura *n.* 2700. 2715.

Not. autem 1. quòd tempus appellationi præfixum (intellige de præscriptione judiciali, non temporali) currat etiam contra Ecclesiam, & Minorem. Hinc si eo neglecto velint appellare, non admittuntur nisi per restitutionem in integrum ad appellandum, c. *beneficio, & L. C. si sæpius restitutio.* Not. 2. Judicem, qui debet cognoscere de causa restitutionis ad appellationem omissam, posse esse non tantùm eum, à quo, sed etiam ad quem appellandum erat; Bart. *in L. 1. cit. n.* 3. sed limita, si sit absolutè Superior; non autem, si tantùm pro aliquo casu, ut est Archiepiscopus in casu subditorum sui Suffraganei.

## ARTICULUS VII.

### *In quibus casibus non concedatur Minoribus restitutio in integrum?*

2716. VArij tales casus jure expressi numerantur. Primò: si Minor, major factus, ratum habuit, quod tanquam minor gessit, *L. 1. & 2. C. si major factus ratum habuit.* Sic enim videtur huic beneficio renuntiare, tanquam favori sibi principaliter concesso; intellige, si contractus

tractus fuit mero jure validus; secus si irritus ob defectum. Secundò non restituitur contra læsionem, si, ut alter contraheret, aliàs non contracturus, simulavit se majorem, *L. 2. & 3. C. si minor se majorem.* Nam *deceptis*, non autem *decipientibus*, succurritur, L. 2. *cit.* excipe, nisi alter sciverit, quòd hic se mentiatur majorem, L. *de tutela*, 7. *eod.* vel nisi se minorem dixerit errore, vel alterius dolo, L. 1. *& 3. C. eod.* Tertiò non restituitur, si minor habuit à Principe veniam ætatis, *L. 1. C. de his, qui veniam ætatis;* intellige *de venia*, quæ effectum habet; de quo Pirhing *hic nu.* 42. Quartò etiam non restituitur, si læsus est post contractum cum debita prudentia celebratum ex superveniente casu fortuito; non autem ob imbecillitatem, L *verum*, 11. *§. sciendum ff. de minoribus;* sed intellige de casu post contractum cum debita prudentia gestum, & ex post facto. Nam si minor ex solutione sibi facta, vel mutuo ipsi dato, etiam cum Tutoris authoritate, læsus est (ut quia pecunia in solutum, vel mutuo data, perdita sit nimia ejus facilitate, vel etiam culpa) adversus eventum hujus damni restitui debet *L. 1. C. si adversus solutionem, L. 1. & 2. C. si adversus credit, L. ait Prætor §. sed etsi ei, ff. de minoribus, §. at ex contrario. Instit. quib. alienare licet*: quia sic rebus minori datis in ipsa statim solutione, vel mutui datione, exponitur is periculo læsionis, vel mali usus datorum, propter ætatis fragilitatem; excipe tamen, si debitor solverit, jussus à Judice; tunc enim adversus eum non restituitur Minor; *gloss. V. securitas, ad. §. at. ex contrario.*

2717. Quintò non restituitur Minor *pubes*, si *juravit sponte*, se ei, quod gessit, non contraventurum, juxta auth. *Sacramenta puberum C. si adversus venditionem, & L. 1. eod.* quod verum est, etsi contractus alioquin sit jure nullus; Pirhing *cit. n.* 441. & constat ex *c. cùm contingat, & c. quamvis, de jurejur. & c. quamvis, de pact. in 6.* hæc probabiliter aliqui (cum Pirhing *cit. §. quod etiam*) *extendunt* etiam ad impuberes pubertati proximos; si dicas: ergo, si Prælatus Ecclesiæ in hujus damnum celebravit contractum, & sponte juravit, non contraventurum observationi contractûs ullo juris remedio, tenebitur hoc juramento? Resp. tale juramentum esse in præjudicium Ecclesiæ, adeóque nullum, *c. sicut 27. cap. intellecto 33. de jurejurando.* Hinc Prælatus vel debet ipse petere, vel Judex ex officio Ecclesiæ restitutionem in integrum concedere; gloss. V. *contractum, in c. 1. h. tit. in 6.* & Abbas *in c. 1. nu. 16. eod.* quia Ecclesia, utpote persona ficta non juravit *personaliter;* secus, *Minor.*

Sextò minor non restituitur in delictis per dolum; secus, per culpam, commissis, L. 1. *C. si adversus delictum; gl.* ibi: *V. extra venit.* Nam *malorum mores infirmitas animi non excusat, L. 1. cit.* non præsumitur tamen *dolus*, si ætate infans, aut infantiæ proximus sit; septimò, non restituitur adversus omissam, aut à se remissam executionem pœnarum criminalium, *L. auxilium, 37. ff. de minoribus, & gl.* ibi: *V. pœnarum.* Nam ea res potiùs ad vindictam, quàm rem domesticam, vel ejus læsionem pertinet, ut docet Zoësius *ff. de minoribus, n.* 29. Octavò, non restituitur contra professionem religiosam, si ad eam inductus sit ex falsa causa. Sic enim potiùs in animæ statu melioratus est; Abb. in c. *ex parte, n. 16. de restit. spoliat.* Molin. *D.* 573. *num.* 8. uti nec *ex matrimonio*, utpote perpetuo, & indissolubili quoad substantiam: secus esset, si læsus foret in promissa dote; L. *unic. C. adversus dotem;* vel si læsus esset circa *causam* matrimonij, aut alia ipsi accidentalia; Covar. *l. 1. resolut. c. 5. n.* 8.

Si quæras, an Minor, vel Ecclesia in integrum restituatur etiam contra lucrum cessans? Resp. quòd ita; pat. ex L. *ait Prætor, 7. §. hodie, ff. de Minoribus*, ubi ait Ulpianus: *hodie certo jure utimur, ut & in lucro Minoribus succurratur;* habetur etiam in L. *non omnia, 44. ff. eod.* item *c. constitutus, cit.* ut diximus *supr.* Idem habet *gloss. in c. auditis, V. restituimus*, & Abba. in c. *constitutus, n.* 5. nam Ecclesia gaudet jure Minoris. 2718.

Not. autem 1. restitutionem, *contra damnum emergens*, esse majoris privilegij, quàm restitutionem *contra lucrum cessans.* Nam, cùm agitur de damno vitando, restitutio conceditur, sive res sit integra, sive nõ: in secundo verò non conceditur, quando res non ampliùs est integra, ut si beneficium, cui Minor validè renuntiavit, jam colla-

collatum sit alteri; Lessius *cit. c.* 17. *n.* 63. vel hæreditas repudiata à Minore, jam sit distracta à substituto, L. *quod si minor* 24. *ff. Scævola ff. de Minoribus*, Abb. *in c. ex parte* 14. *de restit. spoliat. n.* 15. Covarr. *l.* 1. *var. resol. c.* 5. *n.* 2. Molin. *D.* 573. qui duo postremi in casu, *de beneficio*, tenent oppositum, putantes, in eo agi de læsione damni emergentis. Si autem dicas: in Spiritualibus, & beneficijs Minor habetur pro Majore, c. *fin. de judic. in* 6. ergo is, sicut Major, in judicio esse potest Actor in his causis, etiam sine Tutore; ergo si læsus sit in tali casu, non restituitur etiam contra damnum emergens. R. C. primum enthym. N. secundam conseq. Nam etiam *Ecclesia* agere potest in judicio, & tamen restituitur, ut habetur *c.* 1. *&* 2. *hic*, & docet Abbas *cit. num.* 16. Covarr. *num.* 8.

Not. 2. etiam Minorem contra Minorem, & Ecclesiam contra Ecclesiam restitui. Primum habetur *L. Verum*, 11. *ff. item quæritur. ff. de Minoribus*; secundum in c. *auditis*, *de restit. in integr. &* tenet Abb. ibi, *n.* 8. cum gloss. *fin.* Nec obstat, quòd privilegiatus contra æquè privilegiatum jure suo non utatur, & in ejusmodi concursu, utroque cassato, servari debeat jus commune; Abb. in c. *in præsentia* 8. *de probat. n.* 37. *&* *L. assiduis* 12. *C. qui potiores in pignore habeantur.* Nam id verum est solùm, *si par sit utriusque causa*; ut, si uterque sit læsus, & certetur *de damno vitando*; tunc enim melior est conditio possidentis, c. *in pari* 65. *de Reg. jur. in* 6. hinc si Minor temerè Minori mutuum dedit, quod iste inutiliter consumpsit, Minor creditor contra Minorem debitorem non restituitur in integrum, ut habetur *l. verum*, *cit.* intellige, si creditor non sit factus inde locupletior: si verò sint tantùm *in genere* privilegiati, & respectu ejusdem causæ non sit par utriusque conditio (ut si unus læsus sit; alter non; vel unus agat de damno emergente; alter de lucro solùm cessante) illi potiùs subvenitur per restitutionem; ita Bartol. *in authent. quas actiones*, *n.* 3. *C. de SS. Ecclesiis*, & Abbas *nuper cit.* si autem utraque pars læsa sit, & litigetur ab utraque de jure suo non amittendo, tum in dubio: *utri verò jus competat*? utraque interim restituitur, donec de veritate rei judicio constet, c. *auditis*, *cit.*

## ARTICULUS VIII.

### *Intra quod tempus peti debeat restitutio in integrum?*

RESP. sicut Minor non tantùm, *quamdiu talis est*, sed etiam postea per continuum quadriennium; sic Ecclesia læsa ex contractu, vel Judicis sententia *intra quadriennium* à die læsionis, non autem postea (nisi ex justa causa) petere potest restitutionem; primum habetur *L. ult. C. de tempor. in integr. restit.* secundum, c. *Ecclesia*, *h. t. in* 6. Justa verò causa censetur, si fraus intervenit, quò minùs Ecclesia intra quadriennium peteret, si læsio valde enormis sit, ad quod non requiritur, ut dimidium excedat, &c. 2719.

Not. autem 1. *quadriennium* Minori fluere à completo 25. anno usque ad 29. completum, L. *ult. cit.* Molin. *D.* 573. vel à die, quo venia ætatis obtenta, & intimata fuit, L. 1. *C. de his*, *qui veniam ætat. &* L. *ea*, *quæ* 5. *C. de temporib. in integr. restitut.* Majoribus autem, à tempore, quo cessat justa causa absentiæ, vel aliud impedimentum legitimum, L. *ult. cit.* & gloss. *in Clem. Unic. V. à tempore*, *h. t.* Ecclesiæ demum à tempore factæ læsionis, *cit. Clement. & gloss.* Molin. *D.* 574. 2720.

Not. 2. *quadriennium*, quoad Minores, Majores, & Ecclesiam, restituendam, debere esse *continuum*, per omnes scilicet dies feriatos, & non feriatos, quibus agere, vel non agere licèt. Si tamen unus eorum justè impeditus sit (ut quia pars, contra quam restitutio petitur, in causa est, vi, dolo, vel justo impedimento, ut peti restitutio non potuerit) *quadrieñiũ quoad hoc utile est*, ut scilicet temp⁹ illud non computetur, sed suppleatur, ut dicitur cit. *L. ult. cum gl. V. vacuam*, *& V. excipiatur*; item gloss. *in Clem. cit. V. continuum*, Molin. *D.* 573. *&* 574. *init.*

Not. 3. in dubio, an transactum sit quadriennium? onus probandi incumbere ei, contra quem petitur restitutio, L. *si Minorem* 4. *C. h. t.* Barb. *in c.* 1. *h. t. n.* 18. Molin. *D.* 573. si verò de illo constet, & Minor, vel Ecclesia dicat, *illud de jure non potuisse currere*, probationem his incumbere, patet *ex c.* 1. *h. t. in* 6. ibi: *nisi probetur*; sicut etiam, si dubitetur, *an*

*contractus celebratus sit infra minorem ætatem?*

2721. Not. 4. Ecclesiam, & Rempublicam, propter publicum favorem, (quo carent minores facti majores) etiam post quadriennium, non tantùm ad novum quadriennium, sed etiam ad multò longius tempus, ex causa valdè rationabili, extraordinariè Judicis officio restitui. Cæterùm, etsi Ecclesiæ concedatur restitutio etiam adversus lapsum temporis, in quo se læsam enormiter asserit, & probat, causaque finiri debeat infra quadriennium continuum; restitutio tamen illa non fit ad aliud tempus, quàm ad id, in quo se læsam probat; habetur *in Clem. Unic. h. t. & gl. hic in casu, & V. lapsum temporis*; pro quo:

Not. 5. cùm Ecclesia læsa lapsu temporis restituenda est, à tempore læsionis per continuum quadriennium illi competere jus petendi restitutionem adversus tempus lapsum; tempus tamen, ad quod restituitur, non esse majus, quàm fuerit id, in quo probat se læsam. Et hoc de *quadriennio*, competente restituendo, probabiliter extenditur etiam ad læsiones privatorum ex lapsu temporis, esto tempus læsionis sit minus quadriennio; sic Pirhing *cit. n.* 54.

Not. 6. dicta de restitutione, *contra lapsum temporis*, intelligi, sive tempus lapsum fuerit *judiciale*, sive *extrajudiciale*; quia Clementina *cit. indistinctè* loquitur. Not. 7. quamvis adhoc, ut Ecclesia, petens restitutionem contra lapsum temporis, audiatur, sufficiat, quòd affirmet se læsam; tamen, ut petito annuatur, requiri, ut læsio *probetur*; patet *ex fin. Clem. cit. & gl. ibid.*

## ARTICULUS IX.

### *An concedatur restitutio adversus propriam confessionem?*

2722. CAsus est: Prælatus nomine Ecclesiæ, etiam sine consensu Capituli agens in judicio, vel Procurator Ecclesiæ, per errorem facti, fassus est aliquid, quòd plenè probari non potest; & ex tali fassione læsa est Ecclesia: quæritur, an intra quadriennium à tempore fassionis, vel læsionis, petere possit restitutionem contra talem fassionem? R. affirm. non autem, si post illud; c. *si adversus, h. t. in 6. & gl. ibid. V. confessionem*, & habetur, L. *certum 6. §. in pupillo, ff. de confessis. L si ea causa 9. § nunc videndum ff. de Minoribus.*

Pro quo not. 1. id procedere etiam in casu fassionis *juratæ*, si falsò per imprudentiam Prælati, vel Procuratoris facta sit; sic plures apud Barbos. *in cit. c. n.* 3. idque verum esse, sive fassio facta sit in causa civili, sive criminali; sic idem *num.* 4. 2723. Not. 2. eo casu non requiri, ut probetur error, vel falsitas fassionis, sed sufficere, si probetur gravis læsio; quia aliàs (cùm jure communi quilibet admittatur major, probato errore, post latam sententiam ad revocationem propriæ confessionis, ex illa clausula generali Prætoris (*si qua alia causa justa*) ut habet *gloss. marg. in cit. c. V. confessionem*) Ecclesiæ nullum haberet privilegium quoad revocationem propriæ confessionis.

Dices: Ecclesia potest confessionem 2724. suam, ex qua læsa est, revocare, allegando, & probando errorem commissum (intellige *errorem facti*. Nam error juris ordinariè non excusat, *L. error 8. de jur. & fact. ignor.*) ergo non gaudet eo casu restitutione, quæ est medium extraordinarium. R. id, quod ponitur in antecedenti, concedi etiam cuilibet privato, ac etiam post lapsum quadriennij, c. *si adversus, cit. gl. ibid. V. in facto*; dummodo error sit facti, & probetur ante causam finitam, c. *ult. de confess & gloss. in* L. 2. V. *qui errat, ff. eod. junct. gloss. marg.* excipe, nisi aliunde sit error notorius, vel Judex ex officio de illo cognoscere velit; tunc enim non requiritur probatio. Hinc C. ant. N. conseq. quia quoad hoc Ecclesia habet privilegium *speciale*, ut constat ex c. *si adversus*, competens *soli Ecclesiæ*, vel *Minori*, sed intra quadriennium.

## ARTICULUS X.

### *Coram quo Judice peti debeat restitutio in integrum?*

2725. REsp. ex dictis, quòd *ordinariè* coram Judice illius, contra quem petitur; quia petens hic est quasi Actor: Dixi *ordinariè*; Nam, si contractus est celebratus in

in loco, quo Reus conveniendus non habet domicilium, potest illum læsus convenire coram Judice illius loci; nam ratione contractûs, ibi celebrati, sortitus est ibi forum, esto ibi domicilium non habeat; Molin. *D.* 573. Quando autem Ecclesia agit de sua restitutione in integrum contra laicum, potest eum convenire coram Judice proprio, & Ecclesiastico, idque ex favore, & privilegio speciali, ut habetur *c. 1. h. t.* teste Pirhing *n.* 60. *& c. ult. de reb. Eccles. non alien.* Hoc extendunt aliqui etiam ad casum, quo Clericus minor, læsus in patrimonialibus, vel alijs bonis suis privatis, petit restitui contra Laicum Abbas *cit. in c.* 11 *n.* 18. sed contrarium probabilius videtur in hoc postremo; quia non gaudent hi ejusmodi *specialibus* Ecclesiæ privilegijs in bonis suis privatis.

2726. Not. autem 1. per *Judicem* hic intelligi *Ordinarium* Judicem, qui administrationem, & jurisdictionem contentiosam, atque adeò imperium mixtum habet; vel ejus delegatum, sive huic causa hæc restitutionis specialiter delegata sit; sive in controversiam ipsi demandatâ incidenter veniat. Delegati verò à Judice ordinario habentes simplicem jurisdictionẽ judicandi, seu facultatem judicandi tantùm (sicut & arbitri, & ipsi etiam habentes jurisdictionẽ tantùm simplicem, ac voluntariam) de causa restitutionis cognoscere non possunt, nisi incidenter, c. *causa, h. t. l. ult. C. ubi & apud quem &c.*

Not. 2. quod in causa *matrimoniali*, vel liberali (ubi scilicet agitur de libertate hominis) aut etiam *criminali*, assumi non possint arbitri; cùm tales causæ majores Judices exigant, c. *causa cit.* consentiente *l. non distinguemus ff. de his, qui arbitr. recep.*

2727. Hinc colliges 1. restitutionem in integrum esse actum imperij meri, vel mixti, qui nobili officiô Judicis expeditur, ut tradit Bartol. *in cit. l. ult. n.* 3. Layman *l.* 1. *Theol. moral. c.* 5. *n.* 7. *&c.* Colliges 2. Imperium *mixtum* esse, quod participat de jurisdictione, & imperio mero, *Merum* imperium est quædam summa potestas ad puniendum facinorosos pœnâ incarcerationis, mutilationis, vel capitali ad bonum publicum. *Mixtum*, quod, præter merum, habet etiam alia, quæ sunt jurisdictionis, & administrationis jurium, litium, ad bonum privatum &c. etiam cum fructu pecuniario. Qui verò habent jurisdictionem tantùm in causis minutis, & infimis, dicuntur solùm habere jurisdictionem simplicem, & vocantur Judices *pedanei*, ut notat Nebris. *in Vocabul. utriusque juris.* Hinc etiam alia est jurisdictio, *voluntaria*, alia *contentiosa*: illa in volentes tantùm exercetur, ista etiam in invitos.

Collig. 3. etiam ad universitatem causarum, cum jurisdictione contentiosa, posse principaliter cognoscere de causa restitutionis; habetur ex L. *ult. supr. cit.* ibi: *vel si generaliter dati sint Judices.* Collig. 4. Judicem delegatum, etiam Principis, non posse *principaliter* restituere in integrum contra suam sententiam definitivam (secluſa speciali commissione) quia latâ semel sententiâ sive bene, sive malè, functus est suo officio, & injurisdictio cessat, *c. in literis, 9. de offic. Jud. deleg.*

Collig. 5. arbitrum compromissarium non posse cognoscere de causa restitutionis in integrum, nisi mota sit *incidenter*, vel incidat in causam principalem, de qua compromissum est, c. *penul. h. t.* L. *ult. C ubi & apud quem &c.* Et quamvis talis arbiter per se non possit restituere in integrum (cùm careat imperiô, etiam mixto, *L.* 1. *C. de recept. arbitr.* L. *ait Prætor*, 5. *ff. de rejudicata*) compromitti tamen potest, ut definiat, eam petendam à Judice, *gloss. in cit.* L. *ult. V. compromissarios.* Collig. 6. Judicem ordinarium, qui simul habet administrationem, posse contra propriam, non autem Superioris sententiam, in integrum restituere, ut liquet *ex dict.* V. Pirhing *h. t. n.* 86 *in fin.*

## §. I.

### *Qua forma peti, & fieri debet restitutio in integrum?*

2728. RESP. formam esse, ut intra legitimum tempus, imploratô Judicis officiô (L. *quod Minor*, 24. §. *ult. ff. de minoribus*) apud competentem Rei ipsius Judicem, petitio proponatur, causâ legitimè cognitâ & probatâ; atque ità (L. *1. & fin. ff. h. t.* L. *ajt Prætor*, 7. §. *non solùm*, L. *verùm*, 11. §. *sciendum*, *de Minoribus*) præsente adversario, nisi per contumaciam absit,

absit, præmissa citatione, & litis contestatione, restitutio fiat.

Resp. 2. si restitutio petatur *incidenter* (ut si læsus conveniatur ab altero) eam petendam excipiendo contra læsorem, docendóque læsionem suam, adversus quam restitutionem postulat: quia verò hæc exceptio oritur ex actione temporali (scilicet jure petendi directè restitutionem) quod jus tantùm quadriennio durat, nec ipsa diutiùs, quàm quadriennio competit.

## §. II.

### *An Ecclesia læsa in alienatione fundi restituatur etiam in fructibus?*

2729. NImirum non tantùm in re principali, ipso scilicet fundo; sed etiam in fructibus interim perceptis, si adhuc extent, vel in se, vel in eo, quo alter factus est locupletior? affirmat Abbas in *c.* 1. *h.t. n.* 4. & alij: negant Molin. *de just. D.* 575. Lessius *de just. n.* 2. *c.* 17. *d.* 10. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 11. *nu. ult. & in c.* 1. *n.* 8. *h. t.* Resp. 1. si læsio fuit in contractu *gratuito*, restituendos etiam fructus, deductis expensis; si autem in contractu *oneroso*, & læsio est tantùm in æqualitate contractûs, seu pretij, tum restituendos fructus solùm juxta proportionem diminuti pretij: si demum læsio erat in substantia venditionis (quia scilicet absolutè non expediebat Minori, rem illam alienari) & restitutio fit ex necessitate legis, etiam fructus cum re probabiliter restituendos esse; esto probabilius sit oppositum.

Prima pars (quam tenet Pirhing *h. t. n.* 27. Wading. *de contr. D.* 2. *d.* 6. §. 1. *n.* 2. Molin. *cit.* Less. *cit.* Reginald. *l.* 25. *c.* 9. *n.* 145. Filliuc. *tom.* 33. *c.* 4. *q.* 8. & alij) probatur: quia tunc læsus est non tantùm in re ipsa; sed etiam in fructibus; restitutio autem fit in eo, quo quis læsus *est*. Secunda pars (quam cum Pirhing *n.* 73. tenent Molin. & Less.) quia sic læsus est solùm in eo, quod defuit ex justo pretio; & in fructibus respondentibus quantitati pretij, quod defuerat; restitutio autem fit in eo, in quo est læsio, non in alio. Ergo. Tertia pars (quam tenet Wadingus *cit.* contra Molin. Less. & Pirhing) probatur *ex L. Patri, ff. de Minoribus*, ubi hoc apertè statuitur. *Si minori pretio* (inquit lex) *quàm oportuit, vendidit adolescens, emptor juberi debebit, prædia cum fructibus* (loquitur de jam perceptis, ut habetur paulò ante) *restituere; juvenis autem eatenus ex pretio reddere, quatenus ex ea pecunia locupletior est.* Et ita etiam tenent communiter Doctores utriusque juris, ut videri potest apud Wadingum *cit.*

Dices. 1. Emptor in eo casu fuit verè 2730.
Dominus empti; ergo verè fecit fructus *suos*, quos interim percepit; ergo injustè jubetur eos restituere. R. N. ult. conseq. quia etiam fuit dominus rei, & tamen non est injustum, quòd jubeatur eam restituere. Deinde dici potest, fuisse dominum dominio *debili*, & *revocabili; non firmo.*

Dices 2. ideo, cùm jubetur restituere 2731.
rem, nihil injustum jubetur, quia pro re vicissim illi redditur pretium; sed pro fructibus nihil redditur; ergo. Resp. dist. ma. si id Judex faciat, *ex jurisdictione propria*, C. *si authoritate legis*, N. causalem. Nam tota ratio justi præcepti tunc est authoritas juris, non rei compensatio per pretium; hinc C. min. dist. conseq. ergo cùm jubetur *ex jurisdictione propria Judicis*, fructus reddere, injustum jubetur, trans. *cùm authoritate juris.* N. conseq.

Hinc nota, quòd sicut jus sine ulla injustitia potest præscribere certam solennitatem in alienatione rerum, Minoris, vel Ecclesiæ, qua non servata emptor teneatur rem reddere cum fructibus perceptis; ita etiam possit sine ulla injustitia permittere, ut earum dominium transferatur servatis solennitatibus, fructúsque ex illis percipiat, ac retineat, donec Minor se læsum sentiens per Judicem eos repetat. Sic Layman, & Lessius nobis contrarij fatentur, quòd possit quis hæreditatem consequi ex testamento minùs solenni, eamque retinere, ac fructus inde percipere, donec eam hæres ab intestato cum fructibus per Judicem repetat.

Ne autem propter hæc quis terreatur à 2732.
contractibus cum Ecclesia, vel Minore celebrandis; metu restitutionis etiam fructuum; L. *quod si Minor*, §. 1. *ff. de Minoribus* cautum est, ut non semper concedatur, sed omnia ad bonum, & æquum redigantur. Hinc si fructus ab emptore, bona fide percepti, non amplius extant;

nec

nec ex iis emptor factus est ditior, ad eorum restitutionem Minori non tenetur; secundò, si expensas fecit, & hæ compensari ipsi debent cum laboris æstimatione, ut dixi alibi; imò etiam, si damnum grave passus esset, quòd interim pecuniâ suâ caruerit.

Quarta pars etiam probatur: quia nulla lex datur, jubens restitui omnes fructus in eo casu. Nam lex, citata per adversarios, loquitur solùm de læsione *ex inæqualitate contractûs, & pretij.* Ubi etiam nos concedimus juxta quantitatem pretij, quod defecit, restituendos esse fructus interim perceptos. Ratio autem majoris probabilitatis est in eo, quòd restitutio non detur, nisi ad ea, in quibus est læsio; sed læsio est tantùm in fructibus, qui respondent pretio, quod defuit; nam reliquos fructus, & rem compensat datum pretium; ergo.

## §. III.

### *Qualiter servari debeat æqualitas dati, & accepti, concessa læso restitutione in integrum?*

2733. QUæstio est, an, cùm fit restitutio in integrum, & v. g. emptor Minori fundum reddere debet, Minor vicissim, præter pretium, emptori etiam debeat solvere *expensas* necessarias, & utiles cum æstimatione laboris, consideratas secundùm se, & absolutè; an verò cum respectu ad meliorationem, quæ inest rei, dum restituitur? Resp. vel valor meliorationis, tempore restitutionis faciendæ, est minor valore expensarum, vel major? si minor? sufficit solvi valorem meliorationis; si major? sufficit solvere æstimationem expensarum, & laboris. Primum habetur in L. *fundo*, 38. *ff. de rei vindic. gloss.* ibi: *V. plùs pretio;* Abb. in c. 1. *h. t. num.* 4. Molin. *D.* 375. & ratio est, quia aliàs restituendus de novo læderetur; & emptor sibi imputare debet, quòd fecerit majores expensas, quàm ostendat fructus. Secundum habetur *cap.* 1. *h. t.* ubi dicitur, quòd ei, contra quem petitur restitutio, refundi debeant *sumptus bona fide facti;* non autem *meliorationes.* Et ratio est, quia melioratio rei est accessoria ipsi rei: ideoque re restituta, & ipsa restitui debet, modò indemnis servetur alter, reddendo illi valorem expensarum laboris &c. Layman *in cit. c.* 1. *n.* 7. *h. t.*

Hæc responsio procedit etiam in alijs restitutionibus, quæ v. g. fiunt per rescissionem alienationis ob læsionem ultra dimidium in justo pretio, etiam ab eo, qui dominium utile tantùm habet in re, quam melioravit, quales sunt Vasallus, emphyteuta, fideicommissarius &c. Molin *D.* 365. Excipe tamen, si ex consuetudine recepta in aliqua provincia, meliramenta secundùm valorem, quem habent tempore restitutionis, solvantur, & restituantur, sive is major, sive minor sit valore expensarum, & æstimationis laborum.

## ARTICULUS XI.

### *Quis sit effectus restitutionis in integrum?*

RESp. quòd, cùm minor, vel Ecclesia 2734.
restituitur, etiam iis, contra quos restituuntur, reponantur in pristinum statum, L. *ergo*, 22. §. *sicut*, *ff. de minorib.* Hinc si ob læsionem in venditione restituantur contra emptorem, reddere debent pretium emptionis, quatenus probatur versum in utilitatem læsi, qui restituitur, L. *prædiorum*, 10. *C. de prædijs minor.* & expensas omnes necessarias, ac utiles ab emptore in rem emptam bona fide factas, una cum laboris æstimatione, ac melioramentis, c. *fin. h. tit. L. intra*, 99. *junct. gloss. V. expensas*, *ff. minorib.* secus est de expensis voluptatis causâ factis; *L. fine* 32. §. *item respondit*, *ff. de administr. Tut.* Nec is, contra quem restitutio facta est, priùs tenetur rem læso reddere, quàm sibi reddita sint hactenus enumerata Abbas *in cit c.* 1. *n.* 3.

Præter hoc ad effectum restitutionis etiam pertinet, quòd pendente ejus judicio, regulariter loquendo, nihil ab una, vel altera parte sit innovandum; donec res finita sit, *L. unica*, *C. de restit. in integrum postulata;* quod intellige de restitutione *postulata;* sicut dictum *hoc num. de effectu restitutionis impetratæ.* Ex hoc sequitur, effectum *petitæ restitutionis* contra sententiam esse, quòd ejus executio suspendatur, nisi subsit malitia in detrimentum alterius c. 6. *h. t.* quamvis Barb. in c. 1. *h. t. n.* 3. velit, quòd restitutio *petita*

*tita* contra Principis sententiam, non habeat effectum suspensivum.

2735. Not. autem 1. quòd, si quis causam læsionis probavit, redintegretur illi causa, qui se læsum probavit, non tamen ultra, quàm læsus est; Clem. *unic. h. t.* Not. 2. septem causas numerari concedendi beneficium restitutionis in integrum. 1. metum; 2. dolum malum; aliud scilicet simulando, aliud agendo. 3. ætatem minorennem; 4. capitis diminutionem minimam, seu mutationem familiæ; 5. justam absentiam Reipublicæ causâ; 6. substitutionem potentioris adversarij per alienationem; 7. pietatem, & reverentiam debitam locis, & communitatibus Religiosis, Reipublicæ, Civitati &c. sic Haunold *cit. tom. 1. de jure, & just. tr. 2. à n.* 475.

2736. Not. 3. ut postulatio restitutionis effectum habeat, causam, propter quam petitur, probandam esse, & si causa favorabilis sit, semiplenam probationem sufficere; Zoësius *h. t. n. 1. ex c. 4. eod.* addens ad justam causam reduci, *ætatem minorem*, in quantum per eam læsio causata est, ut dicitur in c. *de in integr. restit. minor. & ff. de minoribus.* Not. 4. Ecclesiam gaudere jure Minorum, ex c. 1. *h. t.* ut diximus *supr.* Hinc restituitur 1. si vendendo, locando, læsa fuerit, salvo tamen pretio Emptori, vel conductori, & sumptibus, si quos fecit, c. 1. *h. t.* secundò, si læsa fuit confitendo, c. 2. *eod in 6.* intellige confitendo verum, quod non tenebatur, ut notat Barb. *ibid. n. 9.* Tertiò si læsa fuit omittendo probationem necessariam, non obstante termino juris exclusivo, c. 3. *h. t.* sic Zoësius *cit. n. 2.* & procedit etiam contra sententiam Papæ, c. 5. *h. t. arg. L. minor.* 18. §. 5. *ff. de Minoribus*, quod verum est, licèt Ecclesia læsa sit facto Prælati c. 2. *h. t.*

# QUÆSTIO XLII.

## IN TIT. XLII. DE ALIENATIONE, JUDICII MUTANDI CAUSA, FACTA.

2737. Hic titulus agit de alio remedio restitutionis in integrum, per quod providetur illis, in quorum præjudicium alienatio facta est, causâ mutandi, seu vitandi judicium futurum. Nam ei, in cujus præjudicium facta est ejusmodi alienatio, Prætor promittit *actionem in factum*, nisi res in statum integrum restituatur (L. 1. *ff. h. t.*) seu jus conveniendi alienantem, ut præstet, in quantum interest hujus, rem, vel ejus possessionem sic per fraudem esse alienatam, restituendo scilicet petitorem in integrum perinde, acsi alienatio facta non esset, ut constat *ex* L. 1. *& seq. h. t.* vel jure Codicis, actionem in rem contra possessorem, ut notat Zoësius *h. t.* quibus positis:

2738. Quæres 1. quid propriè sit hæc *alienatio facta ex causa mutandi judicij.* Resp. quòd sit alienatio alicujus rei, ob quam quis timet sibi litem inferendam, eo animo facta, ut Actori per hoc constituat alium adversarium, puta *potentiorem*, vel *qui magis vexaturus sit &c.* ut dicitur *cit. ff.* Hinc si quis ita rem suam alienaverit, Prætor edicto suo succurrit Actori, ut illi alienus *tanti* actione in factum teneatur, *quanti* ejus interest, talem adversarium non habuisse, ut dicitur L. 1. *h. t.* Nomine *alienationis* hic intelligitur omnis actus, quo vel dominium, vel possessio transfertur, L. *fires*, §. 1. *h. t.* nec refert; sive res, sive actio ad rem, causâ mutandi judicij alienetur, & in aliam personam transferatur.

Quæres 2. quid requiratur, ut actio *in factum* alicui competat adversus facientem alienationem, causâ mutandi judicij? Resp. requiri tria. 1. ut res alienata sit causâ mutandi judicij futuri, ut habet gl. *in c. 1. h. t. V. commutationem fecerint*; non autem causâ judicij *jam cœpti*, L. *ex hoc edicto* 8. §. 2. *ff. eod.* secundò, ut res alienata sit *dolo malo*, *l. 1. l. 4. §. si quis ff. eod.* Censetur autem alienata *dolo malo*, vel ratione loci (ut si translata sit in personam alterius provinciæ, vel jurisdictionis, quæ scilicet non est sub eodem Judice) vel ratione personæ (ut si transferatur in alium potentiorem, nempe privatum, qui ratione 2739.

ne

ne nobilitatis, & opum plùs adversarium divexaturus est) vel denique, si ratione talis alienationis quocunque modo adversarij conditio deterior efficiatur; ut habetur L. 1. *h. t.* item L. 2. & 3.

Tertiò requiritur, ut rem, sic alienatam, vel alium adversarium ipsi ex hoc constitutum esse, *actoris interfit*. Nam si ex hoc nihil incommodi patitur, non subvenitur per actionem ex alienatione judicii mutandi causâ, L. 3. §. *ex quibus ff. eod. gl.* ibi: V. *incommoditatem*. Si verò aliquid horum trium non interveniat, talis actio non datur; ut si quis, citra dolum, rem possidere desinat v. g. ob morbum, ætatem, occupationes, odium litium, vel aliam necessitatem, L. 4. §. *si quis h. t.* similiter non tenetur hac actione, qui eam rem, quæ petitur, suo creditori obligatus, solvit ei, vel venditori reddit eo animo, ut lites fugiat, L. 8. §. *ult. cum duab. seqq. ff. h. t.* Nam in alienatione *necessaria* dolus inesse non dicitur. Similiter non tenetur, qui rem alienat, hæredem instituendo, vel legando; L. 8. §. *sed hæredem ff. eod.* Idem dicendum, si quidem intervenit in alienatione *dolus*; sed non fit causâ mutandi judicij; utrumque enim requiritur, ut patet ex dict. V. Pirhing *h. t. n.* 4. *in fine*.

Cæterùm factâ cum dolo alienatione, judicij mutandi causâ, petitori (qui scilicet timetur litem moturus) non tantùm actio in factum ad interesse datur contra alienantem, sed etiam directa rei vindicatio contra possessorem, sic, ut Actor, vel petitor convenire possit, quem maluerit, L. *unic. C. h. t. & gl.* ibi. V. *elegeris*; & in *t.* 1. *eod. V. commutationem*. Nam etiam contra eum, qui dolo desiit possidere, cùm pro possessore habeatur, utilis rei vindicatio datur; L. *fin autem* 7. §. *sed & is, ff. de rei vindicat*: & hæc de jure civili.

2740. Quæres 3. quid in hoc dicendum sit de Jure Canonico? Resp. hoc jure definiri 1. quòd in casu alienationis cum dolo factæ causâ mutandi judicij, non tantùm alienans, sed etiam is, in quem res translata est, coram Judice suo ordinario (ut dicitur L. *unic. C. h. t.*) sed etiam coram alieno, nimirum delegato vigore rescripti (esto solùm contra alienantem impetratum sit) conveniri possit; ut habetur c. *ex quorundam* 1. *h. t.* Et hoc in dato casu speciale est, quòd rescriptum delegationis (quod aliàs regulariter non extenditur *ad personam non expressam*, ut dicitur *c.* 40. *de Offic. Jud. deleg.*) extendatur etiam ad possessorem rei sic alienatæ, licèt expressius non sit, si fuit conscius, quòd alienatio fiat *causâ mutandi judicij*; unde sicut contra directè alienantem causâ mutandi judicij agi potest ad interesse; sic etiam contra alienantem; indirectè; v. g. qui cedit possessionem alteri; quia & hic in legem delinquit; Abbas *in c. cit. n.* 1.

Resp. 2. Jure Canonico prohiberi Clericis, ne faciant sibi cedi actiones, & lites à laicis causâ mutandi judicium, ut eos trahant ad forum Ecclesiasticum; c. *ex parte* 2. *h. t.* Not. autem, hanc prohibitionem procedere, sive titulo lucrativo, sive oneroso sibi cedi prædicta curent, si fiat *titulo fraudis, & avaritiæ*; secus, si justo, ut dixi supr. quamvis in dubio præsumatur, tales cessiones factas titulo avaritiæ, & fraudis, præsertim si lites & actiones dubiæ emantur à Prælatis.

Quæres 4. an actio in factum, competens ex alienatione dicta, transeat ad hæredes? & contra hæredes? Not. hanc actionem respectu ejus, in cujus præjudicium alienatio facta est, non esse pœnalem, sed merè persecutoriam rei, consequenter eam, etiam illius hæredibus competere (*L.* 4. §. *fin. ff. h. t.*) & directè quidem contra eum, qui suo nomine alienavit, & contra rei alienatæ possessorem (Zoësius *h. t. n.* 7.) contra eum verò, qui alienavit alieno nomine (ut Tutor &c.) datur tantùm actio utilis, scilicet ad æstimationem; contra hæredes autem alienantis non datur, nisi quantum ad eos ex ipsius delicto pervenit; quia sic eorum respectu est actio pœnalis, quæ non transit in hæredes, vel successores, nisi quantum ad eos ex delicto pervenit; *L.* 1. *ff. de privat. delict.* §. *non autem, Institut. de perpet. & tempor. actionib.* Wesenbecius *ff. h. t. n.* 7. 2741.

# QUÆSTIO XLIII.

## IN TIT. XLIII. ET ULTIMUM, DE ARBITRIS.

2742. UT lites, & controversiæ minori sumptu, & strepitu, privatim componantur, adhiberi solent Arbitri, sive ante litis ingressum, sive etiam postea. Et ideo Haunoldus *tom. 5. de Jure tr. 1. c. 3.* agens de Arbitris, quæstionem proponit sub titulo *de arbitraria jurisdictione*, seu potestate Arbitrorum; quibus positis:

### ARTICULUS I.

*Quid, & quotuplex sit Arbiter?*

2743. REsp. *Arbitrum*, propriè dictum, esse, qui *constituitur*, ut circa controversiam aliquam, suum arbitrium, seu judicium proferat, cui partes stare debent. Ex his alii sunt *Arbitri juris*, sive *necessarij*, qui ex præscripto legis constitui debent; alii autem, constituuntur partium consensu, vocanturque Arbitri *voluntarij*, seu *compromissarij*, scilicet sponte, & nullo jure jubente, ex libero partium consensu, & compromisso constituti.

Arbitri *voluntarij* alij sunt, in quos compromissum est, ut procedant, & pronuntient *servato juris ordine*; alij, *ut omisso juris ordine* solùm procedant, & pronuntient, prout ipsis æquum, & bonum videbitur, & hi vocantur *arbitratores*, ac eorum pronuntiatio *arbitramentum*. Potest autem hoc dupliciter fieri 1. *cum pacto* obligatorio ad acquiescendum electi pronuntiato; vel, *sine tali pacto*; & hoc secundo modo constitutus sponte à partibus, *Arbitrator* dicitur; alter autem *Arbiter compromissarius*. Sic Haunold. *tom. 5. tr. 1. à n. 150.* ubi ait, sententiam Arbitri voluntarij, electi cum tali pacto vocari *laudum*. Hi tamen *Arbitratores* differunt ab illis, qui *Mediatores*, vel *amicabiles compositores* dicuntur. Nam isti non obligantur ex pacto, ad dandum pronuntiatum; sed possunt ad libitum recedere; secus illi; sic Haunold. *n. 153.*

2744. Præterea not. inter Arbitros *necessarios*, & *voluntarios* plures differentias esse 1. quia Arbitri juris sunt *veri Judices*, & habent jurisdictionem à lege ipsis datam; non autem *voluntarij*; *gloss. in c. suspicionis 39. V. ad quos omnia, de offic. delegat. c. ab Arbitris 11. eod. in 6.* Deinde, quia Arbitri juris compelli possunt ad hoc munus suscipiendum; c. *cùm speciali, de appellat.* Arbitri autem *compromissarij* liberè suscipiunt, aut respuunt compromissum; quamvis, ubi vel interveniente stipulatione secundùm jus civile; vel pacto etiam nudo juxta Jus Canonicum, & in foro conscientiæ, compromissum acceptârunt, arbitrium dicere coguntur per *L. 3. §. 1. ff. de Receptis arbitris.*

Tertiò; *Arbitri juris* habent veram 2745.
jurisdictionem, ex lege ipsis competentem; consequenter agere possunt omnia, ut veri Judices, quæ ad causæ definitionem necessaria sunt; sic gloss. *in cit. c. suspicionis. V. ad quos omnia*; & ideo etiam ipsorum arbitrium, seu pronuntiatio habet rationem *veræ sententiæ*, ut rectè notat Pereyra *in Elucidar. n. 1258. in fine. Vera* enim *sententia* solùm proferri potest ab habente veram, & legitimam jurisdictionem, qua carent arbitri compromissarij; Layman *in Rubric. Tit. de Arbitris num. 4.* Ex hoc sequitur, quòd tota potestas Arbitri *compromissarij* (cùm in eum non descendat à lege) à solis partibus, in ipsum compromittentibus, derivetur; consequenter de nulla re statuere possit, nisi de qua compromissum, & quatenus compromissum est; *L. non distinguemus 32. §. de offic. ff. de Recept. Arbitris.*

Quartò, ab *Arbitro juris* appellari po- 2746.
test ad eum, qui eum dedit, vel à partibus eligi jussit, c. *ab Arbitris, de offic. deleg. junct. gl. fin.* non autem *à voluntarijs*; *L. 1. C. h. t. L. 32. ff. eod. V.* Haunold. *cit. n. 129.* potest tamen Judicis officium implorari, ac postulari, etiam post arbitrium voluntarium; præsertim, si *laudum* Arbitri voluntarij claram injustitiam contineat, ut notat Pirhing *hic n. 5.*

Not. 2. etiam Arbitrum *compromissa-* 2747.
*rium*

rium in multis differre *à Judice*. Nam Judex etiam invitus, dari potest; ille autem Arbiter tantùm volens; *L. 3. §. 1. ff. h. t.* Secundò, reconventio non habet locum coram illo Arbitro; secus, coram Judice ordinario; *c. 6. h. t.* Tertiò à sententia Judicis seu *Arbitro juris*, potest appellari; non autem, ab Arbitro *compromissario*, *L. 1. C. h. t.* quartò, coram Arbitro non inducitur litis pendentia, sicut coram Judice; Gail. *l. 1. observ. 14. n. 3.* quintò iste Arbiter non potest mutare sententiam invalidam, quam tulit; *L. 19. cum seq. ff. h. t.* at Judex ordinarius potest, *L. si Præses C. quomodo, & quando Judex.* Sextò, Arbiter laudum suum exequi non potest; L. *penult. C. h. t.*

2748. Septimò, Procurator, litigans coram Arbitro, non satisdat de rato, L. 32. *ff. h. t.* Octavò, Arbiter non potest punire contumaces, nec testes cogere, L. 2. *§ fin. ff. de Judic.* Nonò, laudum Arbitri condemnatum non infamat; L. 13 *ff. de his qui not. infam.* secus, sententia Judicis lata super famoso crimine, L. 1. L. 4. *§. fin. ff. eod.* Decimò, non potest arbitrium delegare, L. 32. *ff. h. t.* Undecimò, in arbitrio non potest morâ purgari, in quo dies præfixus est ab homine; L. 23. *ff. h. t.* Duodecimò, in arbitrium illud solùm venit, de quo actum est, ut veniret, L. 21. *ff. h. t.* Decimotertiò, *partes* non tenentur præcisè stare Arbitri sententiæ, sed possunt ab ea recedere, licèt pacti sint de non recedendo; L. *penult. C. h. t.* at sententiæ Judicis standum est, si pactum sit de non appell. L. *ult. C. de temp. appell.* Decimoquartò, ex laudo Arbitri, neque actio, nec exceptio rei judicatæ datur, sed pœnæ petitio, L. 2. *C. h. t.* nisi tacitè, vel expressè sit approbatum, L. *penult. C. eod.*

2749. Ex dictis colliges 1. Arbitrum, jussum procedere, secundùm leges, & jura, posse procedere secundùm consuetudines legitimè inductas. Nam tales habentur *instar legum*; & verbum *legis*, generaliter acceptum, *generaliter* intelligi debet, sic, ut omnes species comprehendat, quando nulla necessitas, vel ratio ad illud restringendum cogit.

Colliges 2. Arbitri sententiam præsumi justam. Nam præsumptio est pro Judicis sententia, quòd censeatur legitimè lata, prout habetur in c. *Bonæ 23. de elect. c. sicut 16. de Testib.* Nam *res judicata, pro veritate accipitur*, ut dicitur *Reg. 207. ff. de Reg. juris*; idque tum propter authoritatem Judicis, qui officio *publico* fungitur; tum propter consensum partium in litis contestatione, id, quod meritò etiam ad Arbitrum extendit Layman, c. *in præsentia, de renunt. n. 2.* intellige tamen, donec contrarium appareat.

Excipe tamen 1. nisi dubitetur de potestate, ac jurisdictione Judicis, prout contingere potest, si habeat Superiorem, aut solam delegationem, ut colligitur ex c. *cùm in jure 31. de offic. Jud. deleg.* ubi, ut ipsi credatur, exhibere debet suam delegationem; excipe 2. nisi à sententia fuerit appellatum; nam appellatio recepta tollit præsumptionem, quæ militabat pro justitia sententiæ latæ; cùm de illa cognoscendum sit à Judice appellationis; Sic Innotent. *in c. in præsentia, 6. de renunt. num. 1.* 2750.

## ARTICULUS II.

### *Qui possint compromittere?*

SEu, quod idem est, *qui possint Arbitros constituere?* Resp. quòd possit quilibet, habens liberam rerum suarum administrationem; adeóque, qui possunt contrahere cum facultate alienandi. Compromissum enim est species conventionis, quæ tendit ad alienationem. 2751.

Quidam autem prohibentur compromittere *in propria*; quidam *in aliena causa*. In propria; *servus* per L. 32. §. *si servus, ff. de Recept. qui arbitr. Pupillus* sine Tutoris authoritate, *L. 35. ff. eod. Minor* sine Curatoris consensu, per L. 34. §. 1. *ff. de Minoribus; Furiosus, & prodigus*, per L. 27. §. *coram, ff. de Recept. qui arbitr.*

*In aliena* 1. Procurator, nisi sit Procurator in rem suam vel habeat mandatum generale *cum libera*; seu *speciale*, per c. *per tuas, 9. h. t. junct. gloss. ibid. in casu*, ubi; cùm Plebanus de Piscia, cujus Procurator, consentiente parte adversa, compromiserat in Arbitros; prolato ab illis arbitrio stare nollet (quòd Procurator à se constitutus habuerit mandatum *solùm generale*; consequenter invalidè compromiserit) consultus Pontifex rescri-

pſit ad Archiepiſcopum Genuenſem, tanquam ſuum in hoc delegatum:

Si ex parte Plebani arbitrium approbatum, ſeu exomologatum fuit, ratum eſſe oportere, & executioni mandandum: ſin autem approbatum non fuit, tunc diſtinguendum; utrum pœna compromiſſo appoſita fuerit, nec ne? ſi appoſita, ad eam agi poſſe; ſin nulla appoſita pœna, tunc Procuratorem conveniri debere ad præſtandum intereſſe; quia juramento ſuo *ſe ipſum*, *non Eccleſiam*, obligare poterat. Ex hoc enim caſu apparet, ſi Procurator abſque mandato (intellige ſpeciali, vel generali cum clauſula: *cum libera*) compromiſit, contra ipſum executionem fieri poſſe; non contra Eccleſiam, à qua conſtitutus eſt cum ſola clauſula *generali*. Sic Layman *in cit. c. Per tuas, 9. h. t. n.* 10.

Prohibentur præterea compromittere in cauſa aliena *mulier*, *per dict. L.* 32. §. 2. *ff. de Recept. qui arbitr. Tutor*, aut *Curator* ſine Judicis decreto, aut prætermiſſis ſolennitatibus; *Prælatus*, aut *Beneficarius* in præjudicium Eccleſiæ; cùm ſint meri adminiſtratores; *Vaſallus* ſuper re feudali abſque conſenſu Domini. Nam in hac materia ſolus Dominus eſt Judex, per c. *6. & 7. de foro compet.* & rem feudalem invito Domino alienare, Vaſallo prohibetur per Fridericum Imperatorem, cap. *Imperialem, de prohibita feudi alienatione.*

## ARTICULUS III.

### *In quos compromitti poſſit?*

2752. RESP. compromitti poſſe in quemlibet, quem nec ætas, nec ſtatus impedit. Hinc ſubditus compromittere poteſt in ſuum Judicem ordinarium, tanquam in Arbitrum; Barb. in c. 3. *h. t. n.* 3. *Laicus* tamen (quamvis Arbitrator, ſeu amicabilis compoſitor eſſe poſſit in rebus Eccleſiæ, vel ſpiritualibus cauſis, vel ſuper fructibus decimarum) Arbiter in ſpiritualibus eſſe non poteſt, per c. *contingit*, *h. t.* ubi expreſsè dicitur: *in cauſa Eccleſiaſtica compromitti non poſſe in Laicum; quòd non deceat, ut Laici de cauſis Eccleſiaſticis cognoſcant, aut arbitrentur*, niſi Pontifex ex plenitudine poteſtatis id concedat, aut ejus delegatus, ſed ſolùm tunc, ſi ſimul Clerici ſint, in quos, de delegati venia, compromiſſio fiat, ut colligitur ex c. *per tuas*, 9. *eod.*

Cæterùm *ratione ſtatûs* non compromittitur in ſervum, dum talis eſt, *L.* 9. *ff. de Procur.* Nec in mulierem, quia arbitrari eſt munus civile, L. *fin. C. de Procur.* Excipe niſi habet jurisdictionem, c. 4. *h. tit.* Nam, cùm inter Abbatem, & Conventum Ordinis Ciſterienſis, atque Hoſpitalarios controverſia eſſet de uſu cujusdam nemoris, compromiſſum fuit à partibus *in Reginam Galliarum*; ea, intellectis cauſæ meritis, arbitrium, ſeu laudum, adhibitô Epiſcoporum quorundam conſiliô, pronuntiavit. Sed Hoſpitalarij putârunt, ſibi obſervandum non eſſe; eò *quòd fœmina arbitrium dicere non poſſit.* Ad hoc reſpondit Innocentius III. licèt fœminæ, ſecundùm jura à publicis muneribus remotæ ſint; & in L. *ult. C. de arbitris* ſpecialiter caveatur, ut mulieres, quantumcunquè præcellentes, aut ſapientes ſint, *arbitrium dicere* non poſſint, & adeò quidem, ut neque liberti, ſi in patronam ſub pœnæ ſtipulatione promiſerint, arbitrium ſervare, aut pœnam ſolvere teneantur; quia tamen *juxta approbatam conſuetudinem*, quæ in partibus Gallicanis pro lege obſervatur, fœminæ præcellentes in ſuos ſubditos jurisdictionem exercent, ideo Hoſpitalarios cogendos eſſe, ut dictum arbitrium, præſertim cum Epiſcoporum conſilio, providè latum, obſervent, ſub pœna in compromiſſo per mutuum conſenſum conſtituta.

*Ratione ætatis* non compromittitur in minorem annis 18. *L. quidam*, 57. *ff. de re Judic.* excipe, niſi ex arbitrio Principis, arg. c. *cùm vigeſimum de offic. Jud. deleg.* quamvis ex Lege Julia non liceat compromittere in minorem 20. annis, L. *cùm Lege*, 41. *ff. h. t.*

Præter hæc not. 1. compromiſſionem 2753.
fieri poſſe non tantùm in unum, ſed etiam in plures, convenientiùs numero impares, ne contingat arbitrium impediri per paritatem c. 1. *h. t. & L.* 17. §. *Principaliter*, *ff. eod.* Not. 2. non debere Arbitris inter ſe diſcordibus dari licentiam eligendi tertium, non expreſsâ *certâ perſonâ tertij*, c. 12. *h. t. L. non diſtinguemus*, 32. §. *quæſitum*, *ff. eod.* etiamſi eſſent concordes

cordes in electione tertij, Zoësius *hìc nu. 6.*

Rem declarat casus in *dict. c. 12.* decisus. Nam, cùm inter Guilielmum, & Oottonem, Laicos, controversia esset super quadam pecuniæ summa, Papa eam quibusdam Judicibus commisit; qui cùm in causa procederent, denique partes in duos Arbitros compromiserunt, eâ formâ, ut, si ipsi discordarent, Judices delegati *tertium ipsis Arbitrium adjungerent*, retenta penes se potestate, partes ad Arbitrij observationem compellendi.

Et ita quidem factum, ut cùm duo illi convenire non possent, tertius ipsis adjunctus fuerit, qui, cum eorum altero consentiens, contra unum compromittentium sententiam tulit. Et cùm Judices illi delegati eum ad observationem compellere vellent, is se gravari sentiens, ad Sedem Apostolicam appellavit; sed Judices appellatione non obstante, excomunicationis sententiam in eundem tulerunt; his intellectis respondit Gregorius IX. si ita res se habeat, excommunicationis istam sententiam *declarandam esse irritam*, eò quòd Cæsareis legibus decretum sit, ut compromissum *de assumenda persona incerta*, nullius roboris sit.

2754. A dictis tamen excipe, nisi determinatè nominata sit persona tertia in casum dissensûs; quia tunc cessat vitium *incertitudinis; gl. in cit.* L. 17. §. *si in duos*; vel tertia persona nominetur à Judice; ne causa maneat indecisa, *cit.* L. 17. §. *Principaliter*; & secundùm hoc intelligitur c. 61. *de appell. & c. 39. de offic. Jud. deleg.* prout habetur in c. *penult. h. t.*

2745. Not. 3. Arbitrum, post rem judicatam, super discordijs novis assumptum, non posse per suum arbitrium sententiam immutare, licèt de componendo inter partes mandatum acceperit à Papa, nisi in rescripto mentio fiat *rei judicatæ*, *c. 11. h. t.* & Barb. *ibid: n. 1. & 2.* Et sic statuit Honorius III. ut liquet ex seq. casu. Nam, cùm inter Episcopos Feltrenensem, & Beluenensem ex una parte, & cives Tervisinos ex altera parte, controversia esset super districtu, & quibusdam aliis rebus; ea per Episcopum Hostiensem, Apostolicæ Sedis Legatum, terminata fuit. Sed postea aliis exinde ortis discordiis, partes compromiserunt in *Ducem Venetorum*, obsidibus ab utraque parte datis. Sed & Papa Honorius III. eidem Duci per literas mandavit, ut partes componere curaret: at, cùm Dux à Legato *antea latam sententiam immutare ausus esset*, rescripsit Honorius, intentionis suæ non fuisse, ei committere, ut controversias, *latâ per Legatum sententiâ* sopitas revocaret; quare mandat quibusdam à se delegatis, ut non obstantibus prioribus literis suis, quæcunque per Ducis arbitrium *adversus Legati sententiâ* decreta esse invenerint, *in irritum revocent*, ac directè prohibeant Duci, ne ulteriùs in compromisso procedat; eundémque ad restitutionem obsidum, quos ad compromissi observationem stabiliendam acceperat, per censuram Ecclesiasticam compellant.

## ARTICULUS IV.

### *Super quibus rebus compromitti possit?*

RESP. compromissionem fieri posse super quavis causa; nisi in alicujus præjudicium cedat. 2756. Hinc Ecclesia *exempta*, sine licentia Papæ, cujus vertitur præjudicium, non compromittit *super exemptione*, *c. 5. h. t.* Ortis enim controversiis inter Abbatem de Pigravia ex una parte, & Episcopum Merspergensem, & dicti Abbatis Monachos quosdam ex altera parte, super iis, fide invicem data, à partibus compromissum fuit in Archiepiscopum Magdeburgensem, tanquam Arbitrum: præcipit Innocent. III. ut arbitrium, seu laudum Archiepiscopi observetur, *ijs exceptis capitulis, quæ contra libertatem, & exemptionem Monasterij, ac Capellarum ejus in arbitrio expressa fuerunt.* Nam tametsi Abbas *ultrò vellet*; tamen nequaquam posset *absque Romani Pontificis licentia renuntiare privilegijs*, ac indulgentiis; quibus indicatur, Monasterium illud ad jus, & propriètatem Ecclesiæ Romanæ pertinere.

Præter hæc not. 1. compromitti non 2757. posse super causa *criminali*, vel *matrimoniali*, *c. penult. 9. §. in matrimoniali, de integr. restit.* nec super causa libertatis, & reliquis, de quibus jam supr. Not. 2. si Judices delegati non possint convenire *in dubio suæ jurisdictionis*, *Arbitros super ea materia eligendos esse*, ut dicitur in c. *pa-*

*stora-*

*floralis*, 14. *de rescript.* ibi: *quòd si inter se non consentiant, hoc casu (tametsi plures sint Judices ex una parte delegati, quàm ex altera parte) communi partium litigantium consensu Arbitri eligendi sunt*, qui controversiam hanc definiant, videlicet, an ad priores, an ad posteriores Judices cognitio pertineat?

Not. 3. si Judex *recusetur*, eligendos esse Arbitros ad causam recusationis cognoscendam, nisi ea in jure expressa, aut aliàs notoria sit; aut recusatio manifestè injusta, & frivola; ita statutum est in c. *suspicionis*, 39. *de offic. Jud. delegat.*

Quidam enim Judex, ut dicitur loco *cit.* à Reo, *ut suspectus recusatus erat.* Ad causam hanc suspicionis cognoscedam Arbitri à partibus electi sunt: sed dubitabatur, utrum Judex recusatus Arbitris terminum præfinire possit, intra quem cognoscere debeant? Respondit Greg. IX. *quòd non possit*; cùm ipse in hac causa suspectus sit, ne forte noceat; sed ipsimet *Arbitri* partibus terminum ad probationes suas afferendas statuere, sicut & alia omnia agere debeant, quæ ad hunc suspicionis articulum spectant. Verùm Judex delegatus (cui unà cum jurisdictione, reliqua etiam, sine quibus ea exerceri nequit, commissa censentur) Arbitros compellere potest, ut vel concordent in eadem sententia, *vel tertium Arbitrum advocent*, cum quo unus, vel ambo consentiant, ne alioquin causæ principalis definitio plus justo differatur.

2758. Not. 4. etsi, cùm recusatur unus Judex ex duobus delegatis à Papa cum clausula: *quòd si ambo non possunt, unus in causa procedat*, Judex non recusatus debeat cognoscere de justitia causæ recusationis; si tamen careat *eâ clausulâ*, recurrendum esse *ad Arbitros*, ut hi cognoscant super ea. Sic Bonifacius VIII. in *c. si contra*, 4. *de offic. Jud. delegati in 6.* Not. 5. si unus ex duobus delegatis *totam causam* alteri collegæ suo subdelegavit, & hic (subdeleganti propositis ante partium citationem probationibus) tanquam suspectus ab illis recusetur, subdelegantem de causa recusationis posse cognoscere, juxta c. *super quæstionum*, 27. *§. Porro, de offic. Jud. deleg.* ubi tamen nota, nos non dicere in dato casu posse ad subdelegantem *appellari*; sed tantùm causam recusationis *cognosci.* Nam appellatio fieri deberet tunc ad Papam; ad subdelegantem autem solùm, si non *totam causam* subdelegavit, ut dicitur *in cit. §. Porro.*

Not. 6. Si inter Episcopum, & Clerum controversia sit in causa civili, Arbitros ex partium consensu pro ejus cognitione constituendos esse, *per* 11. *q.* 1. *c. si Clericus*, 46. ibi: *si fuerit negotium ipsius Episcopi, apud Arbitros ex utraque parte electos, audiatur negotium*; sic Concilium Chalcedonense c. 9. Not. 7. quòd, etsi Arbiter non possit restituere in integrum; si tamen in causam ipsi commissam incidat quæstio restitutionis in integrum, posse illam ratione compromissi decidere determinando, an, nécne à Judice petenda sit? sic Layman in c. *causa*, 19. *de in integr. restit. n.* 8. & constat ex ipso c. *causa*, ubi dicitur, restitutionem in integrum peti debere à Judicibus ordinarijs, administrationem habentibus, vel ab eorum delegatis; sive causa restitutionis ipsis specialiter delegata sit; sive ea in commissam controversiam incidenter veniat: at verò delegatos à Judicibus ordinarijs, qui non administrationem, sed simplicem jurisdictionem habent, sicuti & Arbitros, de causa restitutionis cognoscere non posse, *nisi incidenter.*

Not. 8. quamvis Arbitri eligi non pos- 2759.
sint, qui arbitrentur super exemptione Ecclesiæ, vel Monasterij, ut diximus supra; posse tamen definiri per eos controversiam de capella, seu Parochia, *utrum pleno jure incorporata, seu subjecta sit tali Monasterio?* ut colligitur ex c. *cùm olim, de Præscript. & Abbat. ibid. n.* 8. Not. 9. coram Arbitris non esse locum *reconventioni*, nisi sint Arbitri juris. Nam, ut refertur in c. *dilectus*, 6. *h. t.* cùm Reus *in judicio* conventus Actorem coram eodem Judice reconvenire possit, c. 1. *&* 2. *de mutuis petition.* videbatur, quòd idem etiam *in arbitrio* locum habeat: sed Innocent. III. *neganter* respondit; propterea, quòd Arbitri de iis tantùm judicare possint, super quibus in ipsos compromissum fuit.

Not. 10. discordiam in causa electionis per Arbitros terminari posse, in ordine ad compromittentes, non autem confirmatorem, cui præjudicari non potest. Ratio sumitur ex decisione Honorij III. in

c. ex

c. *ex parte*, 10. *h. t.* Cùm enim Canonici Ecclesiæ S. Cuniberti in discordia eligerent, alij quidem Henricum de Juliaco; alij verò, Conradum de Lambardia; duo isti curârunt compromissum fieri in Archiepiscopum Colonien sem: is causæ meritis, diligenter auditis, ac perspectis, diem partibus designavit ad sententiam definitivam ferendam. Interea autem moritur Henricus; quo audito Archiepiscopus prohibuit Canonicis, ne pendente suâ sententiâ, ad aliam electionem procederent; sed aliqui non obtemperantes, *Beatum*, Canonicum Colonien sem elegerunt.

Igitur, cùm die constituto *in præsentia partium compromittentium* sententia ferri deberet, *Beatus* ille electus venit, & allegavit ulteriùs procedendum non esse; cùm *per Henrici mortem* compromissum finitum fuerit. Super hac re consultus Honorius III. respondit; tametsi compromissum *morte Henrici finitum fuerit*, tamē de prioris electionis meritis cognosci priùs oportuisse, quàm procederetur ad secundam: quandoquidem, si Conrado superstiti jus competat ex electione, satis constat, posteriorem penitus non valere.

2760. Ex hoc c. colliges præterea, Arbitrum, suam sententiam in præsentia compromittentium pronuntiare debere, & quidem intrà tempus ipsi à partibus constitutum; aliàs exspirat compromissum, nisi temporis prorogatio Arbitro concessa sit. Colliges 2. duobus in discordia electis, morte alterius, vel renuntiatione, aut causâ eidem abjudicatâ, procedi ad electionem novam non posse, nisi finita lite super jure coëlecti superstitis. Colliges 3. si in Ordinarium super causa electionis compromissum est, mortè unius compromittentium finiri compromissum, non autem jurisdictionem ejus ordinariam; constat ex c. 10. *supr.*

## ARTICULUS V.

### *De sententia, seu pronuntiato Arbitri.*

2761. SOlam *Arbitrorum juris pronuntiationem*, seu arbitrium, esse propriè *sententiam*, constat ex dictis; reliquorum autem, arbitramentum, vel *laudum*, ut diximus *nn.* 2743. olim ex arbitrio non erat actio, nisi interveniisset stipulatio de stando arbitrio sub pœna, quæ petebatur; vel si simpliciter conventum est sententiæ stare, erat actio incerti; L. 27. *ff. h.* postea verò ex sententia Arbitri *homologata* (id est, *expressè vel tacitè per silentium* 10. *dierum comprobata*) data est actio, & exceptio, L. *pen. C. h. t.* Et hoc procedit etiam de jure Canonico, si arbitrium, peccatum, quod à partibus remitti nequeat, non continet, modò servati sint fines, & forma compromissi, c. *non sine*, 2. *h. tit.* ubi hoc confirmatur sequenti casu.

Robertus Archidiaconus in Ecclesia S. Alphridi Sacellanum instituit *Alanum*: mortuo Roberto nepos ejus (ex fratre) Marcus, qui Roberto successerat, Alanum denuò instituit, seu potiùs confirmavit: sed postea multis eum exactionibus indebitis gravavit; ac denique Capellaniâ cedere voluit, promissis ei quinque marchis argenti pro annua pensione; sed cùm *Alanus* morem gerere nollet, eum Capellaniâ spoliavit.

Cùm verò *Alanus* exul justitiam obtinere non posset, nec suam ulteriùs inopiam sustinere, Marcus per fraudem extorsit à dicto *Alano*, ut juratus consentiret in duorum Clericorum super hac re arbitrium. Hi *Marco* faventes jusserunt, ut acceptis quinque argenti marchis, lite, ac jure suo cederet. His intellectis mandavit Alexander III. Archiepiscopo Eboracensi, si cognoverit, dictos Clericos, *tam nequiter arbitratos esse*, Presbyterum *Alanum*, ab observatione juramenti, Apostolica authoritate, absolvat: sin autem arbitrium, seu laudum illorum æquum esse intellexerit, utramque partem ad ejus observationem, postposita appellatione compellat.

Not. præterea, sententiam, ab alijs pro- 2762.
latam post mortem unius ex Arbitris assumptis; non tenere per c. 10. *h. t.* intellige, si constituti sint, ut arbitrentur *simul*; nec etiam si priùs moriatur unus compromittentium. Compromissio enim non extenditur ad hæredem, nisi aliud sit cautum. Nam compromissum est transactio; Barb. *in c.* 11. *h. t. n.* 6. nec transit ad successores, vel hæredes compromittentium; & morte etiam unius compromittentium finitur. *c. fin. h. t.* nisi expressa fiat mentio de illorum successoribus, vel hæredibus.

2763. Not. 2. quòd, si contingat, *Arbitros dissentire*, ea sententia prævalebit, quam plures dixerunt; & si omnes discordent, minor prævalebit, quòd in eam consenserint omnes *c. 1. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd si facto compromisso inter te, & Titium in Arbitros tres, *duo* eorum te condemnent in decem; *tertius* in quinque; stet arbitrium quoad decem: sin autem unus ex tribus in quindecim te condemnet, alter in decem, tertius in quinque, efficax sit sententia in quinque, cùm in ea summa omnes concordes sint.

2764. Not. 3. quòd unus ex tribus contumaciâ, sententiam ab aliis dictam, non faciat inutilem, *c. fin. h. t. in 6.* nisi cautum sit, ut omnes adsint, & per omnes sententia proferatur, gloss. *in cit. c. fin. h. t. in 6. ad fin.* ibi: *statuimus, ut, si ex tribus Arbitris*, à partibus electis, *eorum aliquis* ab alijs legitimè requisitus ad examinandum, vel definiendum unà cum eis negotium, super quo in ipsos extitit compromissum, *non curaverit* (*cessante impedimento legitimo*) convenire: duo præsentes, penes quos (licèt lex civilis aliud innuere videatur) *totalem eo casu remanere decernimus potestatem*, possint (*malitiosa, seu voluntaria illius absentia non obstante*) *dictum examinare negotium, & liberè definire, sicut possent illo præsente, nec volente cum eis in unam sententiam concordare*: ut sic ipsius absentia, præsentia repleta Divina, eũ reputari faciat pro præsente. Circa Judices verò antiqua jura nolumus immutari; sic Bonifacius VIII. *in cit. c. fin. h. t. in 6.*

2765. Not. 4. ex laudo arbitri neque actionem, neque exceptionem rei judicatæ dari, sed pœnæ petitionem, *L. 2. C. h. t.* nisi tacitè, vel expresè sit approbatum, *L. pen. C. eod.* ut diximus *n.* 2761. Not. 5. arbitrium Judicis non esse *merum*, hoc est, Judicem non posse pro libitu suæ voluntatis credere, vel non credere; ut, si contra instrumentum, à Notario confectum, stent duo testes idonei, & contra istos stat notabilis dignitas Notarij. Unde, cùm tali casu res relinquitur *arbitrio Judicis* (ut notat Sichardus in *C. Tit. 21. de fide Instrum. L. 15. n. 8.*) & universim, cùm dicitur in jure, *aliquid permitti arbitrio Judicis*, non est sensus, quòd illud *arbitrium* possit esse *vagum*; sed quòd debeat regulari juxta leges; ita Sichardus.

Not. 6. Judice recusato veniri ad Arbitros, qui debent eligi intra triduum à die recusationis. Utile tamen esse, ut in libello recusatorio nominentur Arbitri. Nam si nondum fuerint electi arbitri, & Judex recusatus procedat in causa, ille processus non esset nullus ipso jure: remedio tamen appellationis cassaretur; ita Sichardus *in Tit. 8. C. de Judic. L. 14. n. 16.* 2766.

Not. 7. Arbitrum, post rem judicatam, super discordijs novis assumptum, non posse per suum arbitrium sententiam immutare, licèt de componendo inter partes mandatum acceperit à Papa, nisi in rescripto mentio fiat *rei judicatæ, c. 11. h. t.* & Barb. ibid. *n. 1. & 2.* Qualiter autem sententiæ Arbitri standum sit à partibus? an, & quando ab ea valeant appellare? colligi poterit ex dictis supr. qualiter autem ab ea detur reductio? dicemus *artic. seq.* An, & qualiter sententia per Arbitrum lata, ab eodem corrigi possit? constat *ex præcedentibus.*

## ARTICULUS VI.

### *An ab arbitrio Arbitri compromissarij peti possit reductio ad arbitrium boni Viri?*

NOtandum, *reductionem* esse quandã speciem appellationis, habentẽ cum ea similitudinem aliquam; quia executionem suspendit, licèt propriè non sit appellatio, ut ex probabiliori sententia docet Maranta *de Ord. Jud. p. 6. de appell. n.* 110. Ad quæstionem propositam Resp. negativè de sententia Arbitri *compromissarij*; secus, de sententia *Arbitratoris*; quia compromittens in Arbitrum videtur *transigere, ut constat ex dict.* jura autem non permittunt, ut lis per transactionem semel decisa, instauretur; sic Zoësius *h. t.* quod tamen limitandum est, nisi talis Arbitri sententia contineret enormissimam læsionem, vel manifestam, ac evidentem injustitiam; constat hoc ex c. *Quintavallis. 23. de jurejurand.* Nam cùm filiæ Quintavallis aliis mulieribus contumeliam irrogâssent, ipse juravit, quòd pro satisfactione offensarum, earum mandato parêre vellet, tum ipsæ sub debiti juramento hoc illi injunxerunt mandatum: *ut si ejus filiæ, aut uxor*, verbum contumeliosum in 2767.

ipsas

ipsas dixerint, *filias quidem exhæredare deberet, uxorem verò à se removere*) super hoc consultus Innoc. III. respondit) juramentum Quintavallis licitum fuisse, *sed mandatum mulierum illicitum*, ac proinde ipsis injungendum esse, ut revocent mandatum; alioquin denuntiandum, quòd Quintavallis ad mandati ejus observationem non teneatur. Secunda verò pars de sententia Arbitratoris constat *ex L. Societatem 76. §. Arbitrorum. ff. pro Socio.* Ex dicto c. *Quintavallis* colliges, compromitti posse pro satisfactione injuriæ in partem læsam, quòd standum sit ejus arbitrio, modò non mandet illicita; nam arbitrium, aut mandatum, præstandi illicita, seu quæ honestè observari non possunt, est ipso jure nullum, nec ullam obligationem parit. Ratio sumitur ex c. *Veniens 16. de jurejur.* ubi talis casus propositus, & ab Innoc. III. sic resolutus est: A. verbis contenderat, cum M. pluribus vicissim illatis convitijs, & cùm exinde gravis inimicitia orta esset, quidam se pacis constituendæ causâ interponentes suggesserunt A. ut pro satisfactione, Venetorum Civium quorundam mandato se obediturum juraret, quod ipse fecit ex confidentia, seu bona fiducia, ratus non se aliquid commisisse, ob quod grave quidpiam imponendum sibi esset: sed Cives illi præceperunt A, ut Ducis Veneti Curiam nunquam intraret, nisi cùm omnes per generale edictum ad Curiam vocarentur. Verùm A, qui Ducis Consiliarius erat, & multarum Ecclesiarum Advocatus, quibus ipse in judicio patrocinium præstare obligabatur, tale juramentum nunquam edidisset, si ejusmodi mandatum suæ obligationi contrarium suspicatus esset.

Hac re cognitâ Innoc. III. mandavit Patriarchæ Grandensi, si posterius istud juramentum priori licitè edito cognôrit esse contrarium, ut Apostolica auctoritate declaret, *non servandum esse.*

2768. Præter hæc not. 1. *à Judice reductionis*, qui ut Vir bonus arbitratus est, sive approbando laudum Arbitratoris, licitè appellari, quia pronuntians *super causa reductionis* est verè Judex ordinarius, ut dictum est; ab hoc autem rectè appellatur, & peti potest usque ad 30. annos; Gail. *l. 1. observ. 150. à n. 2.* Reductio autem petenda est coram Judice ordinario non Arbitratoris, sed eo, coram quo aliàs agendum fuisset, si compromissum factum non esset.

Not. 2. quòd, quando in aliqua causa compromittitur in *Clericum, & Laicum simul*, & eorum laudum petitur reduci ad arbitrium boni Viri, verius sit, adeundum esse Episcopum, Judicem Clerici, & non ad Judicem Laici, juxta Barb. *h. t. in c. 9. n. 5.* quamvis aliud dicendum esse censeat de appellatione, cùm res est profana. Not. 3. Reductionem à dato arbitrio ad arbitrium boni Viri peti posse non tantùm intra decem dies, sed tringinta annos à dato arbitrio; nam jus petendi reductionem ad arbitrium boni Viri, est *personale*, quod non præscribitur nisi 30. annis, *L. sicut C. de præscript. 30. vel 40. annorum V. n. 2793.*

Dices: L. *penult. C. h. t.* statuitur tempus *decem dierum* ad reclamandum à sententia Arbitri; 2. cum distinctione ad reclamandum à sententia Arbitri *electi ex compromisso C.* à sententia *arbitratois*, N. nam de illo; non autem isto, loquitur lex citata. Ita Gail. *l. 1. observ. 150. n. 2.* Maranta *p. 6. ad appellat. à num. 112.* 2769.

## ARTICULUS VII.

### *Qualiter cesset potestas Arbitri?*

RESp. potestatem Arbitri cessare 1. ipsius morte; vel etiam unius, re adhuc integra, si plures sint electi, per *num. 2759.* ut colligitur ex L. *35. ff. de Rescriptis, qui arbitrium;* & c. *Uno 42. de offic. deleg.* ubi dicitur: si unus ex Judicibus delegatis, vel Arbitris vitâ excesserit, etiam aliorum officium expirat: nisi in delegatione, vel compromisso clausula adjecta sit, *si non ambo, aut si non omnes &c.* vel res non ampliùs sit integra (ut supra dictum est) sed judicium agitari cœptum: tum enim unius morte non extinguitur jurisdictio aliorum, *cit. c. licèt*, & notat gloss. hìc *verb. delegatorum.* Tertiò, si unus alteri vices suas commiserit, illo mortuo jurisdictio manet, etiamsi res integra sit c. *quamvis, 6. h. t.* Quartò, si delegatio facta sit intuitu dignitatis: quia morte delegati non extinguitur; sed ad successorem transit c. *quoniam, 14. h. t.* 2770.

Hoc amplia, ut doctrina tradita procedat, si alter Judicum judicandi potestate privatus sit, ut quia infamis redditus est juris infamiâ, uti colligitur ex c. *sciscitatus*, 14. *de rescript.* & docet gloss. *cit.* vel si ob crimen à dignitate, quam habet, per sententiam depositus, sicuti dixi *in cit. c. quoniam, & c. licèt.* Secundò potestas Arbitri cessat morte alterutrius compromittentium; nisi in compromisso utrinque facta sit mentio hæredum per c. *ex parte*, 10. *h. t.* Nam cùm Canonici Ecclesiæ S. Cuniberti in discordia elegissent, alij quidem Henricum de Juliaco, alij verò Conradum de Lambardia: duo isti curârunt compromissum fieri in Archiepisc. Colonienſem: Is causæ meritis diligenter auditis, ac perspectis, diem partibus designavit ad sententiam definitivam ferendam. Interea autem moritur Henricus; quo audito Archiepiscopus prohibuit Canonicis, ne pendente suâ sententiâ, ad aliam electionem procederent: sed aliqui non obtemperantes Beatum Canonicum Colonienſem elegerunt. Igitur cùm die constituto in præsentia partium compromittentium sententia ferri deberet, Beatus ille electus venit, & allegavit ulteriùs procedendum non esse; cùm per Henrici mortem compromissum finitum fuerit. Super hac re consultus Honorius III. respondit; tametsi compromissum morte Henrici finitum fuerit, tamen de prioris electionis meritis cognosci priùs oportuisse, quàm procederetur ad secundam: quandoquidem, si Conrado superstiti jus competat ex electione, satis constat, posteriorem penitus non valere.

2771. Tertiò, finito tempore, ad quod Arbiter constitutus est, L. 1. *C. de Recept. arbitr.* quartò, finitâ causâ, & latâ sententiâ, L. 19. *cum seq. de Recept. arbitr. c.* 11. *h. t.* Nam, cùm inter Episcopos Beltrensem, & Beltvenensem ex una parte, & Cives Tervisinos ex altera controversia esset super districtu, & quibusdam alijs rebus, ea per Episcopum Hostiensem Apostolicæ Sedis Legatum terminata fuit. Sed postea alijs exinde ortis discordijs, partes compromiserunt in Ducem Venetorum, obsidibus ab utraque parte datis: Sed & Papa Honorius III. eidem Duci per literas mandavit, ut partes componere curaret. Sed cùm Dux à Legato antea latam sententiam immutare ausus esset, rescripsit Honorius; intentionis suæ non fuisse, ei committere, ut controversias latâ per Legatum sententiâ sopitas revocaret: quare mandavit quibusdam à se delegatis, ut non obstantibus prioribus literis suis, quæcunque per Ducis arbitrium adversus Legati sententiam decreta esse invenerint, in irritum revocent, ac directè prohibeant Duci, ne ulterius in compromisso procedat, eundemque ad restitutionem obsidum, quos ad compromissi observationem stabiliendam acceperat, per censuram Ecclesiasticam compellant. Præter hæc:

Quæres 1. si Prælatus, aut Rector Ecclesiæ super ejus juribus compromisit, utrum per ejus mortem extinguatur compromissum, si arbitrium nondum latum sit? Resp. cum Abbate hìc *n.* 9. si compromissum sit super re, aut jure Ecclesiæ, de quo Rector ejus, seu Beneficiarius solus disponere potest alienando, transigendo, compromittendo, tunc extinguitur compromissum; quippe cùm de rebus Ecclesiæ disponere non possit ultra tempus vitæ suæ, uti dictum est in c. *Veniens* 8. *de transact.* Sin autem super juribus Ecclesiæ, de quibus solus Prælatus disponere non potest, compromissum factum est cum debita solennitate, videlicet intervenientе consensu Capituli, & Superioris &c. tum non extingui per mortem Prælati: cùm ipse non fuerit principalis compromittens; sed minister tantùm compromittentis Ecclesiæ. 2772.

Quæres 2. an, quod hìc dictum est de Arbitris, etiam procedat de Arbitratoribus? affirmativè respondet Abbas *in c.* 42. *de offic. delegat. n.* 4. quia generali Arbitrorum appellatione etiam *Arbitratores* comprehenduntur, uti constat *ex L. Societatem* 76. *§. Arbitrorum, ff. pro socio.* Quare regulam hìc tradit Abbas: quòd *jura facientia mentionem de Arbitris, etiam ad Arbitratores referri debeant, nisi ratio diversitatis appareat.* Verùm si per Arbitratorem intelligamus, qui jus partibus non dicit, sed amicabiliter eas componit, eum nomine Arbitri non comprehendi, dicitur in L. *Pomponius §. recepisse, ff. de receptis, qui arbitrium;* & notat Bartol. ibi: *Arbiter est*, inquit, *qui inter partes Judicis officium assumit; non, qui amicabiliter componit.* 2773.

ARTI-

## ARTICULUS ULTIMUS.

### *De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.*

2774. EX dictis *n.* 2743. constat, quosdam esse *Arbitros juris*, qui vero Judici æquiparantur, & ferunt sententiam propriè dictam *ex n. cit.* contra quam appellari possit (de quibus fit mentio c. 11. *de offic. deleg. in* 6. ibi: *ab Arbitris, qui secundùm formam juris, ut proposita contra Judicem suspicionis causa cognoscant; vel qui, cùm de revocatione ambigitur literarum, Judicibus nequeuntibus in unam sententiam concordare, ad concertationem hujusmodi sopiendam à partibus eliguntur, est, si gravaverint, ad Sedem Apostolicam appellandum:* quosdam autem, *qui* non à jure, *sed sponte ab ipsis partibus eliguntur, cum pacto obligatorio ad acquiescendum arbitrio eorum*, quod pactum in jure dicitur *compromissum*; & Arbitri sic electi Judices *compromissarij*, quorum sententia laudum dicitur; quosdam denique, *sine tali pacto*, ut diximus *à n.* 2743. quibus positis:

2775. Not. 1. Arbitros, à partibus sponte electos, sed sine dicto pacto obligatorio, non habere nomen *Judicis* etiam *compromissarij*, adeóque *Arbitratores ab Arbitris* strictè, seu *Compromissarijs differre*, ut colligitur ex L. 76. *ff. pro Socio*, ibi: *Arbitrorum enim duo sunt genera; unum ejusmodi, ut sive æquum sit, sive iniquum, parêre debeamus, quod observatur, cùm ex compromisso ad arbitrum itum est: alterum ejusmodi, ut ad boni Viri arbitrium redigi debeat, etsi nominatim persona sit comprehensa, cujus arbitratu fiat.*

Ex hoc textu colligitur, semper standum esse sententiæ *Arbitri compromissarij*; quod etiam habetur L. 27. §. 2. *ff. h. t.* ibi: *stari autem debet sententiæ Arbitri, quam de re dixerit, sive æqua, sive iniqua sit; & sibi imputet, qui compromisit*: sententiæ autem Arbitratoris tunc solùm standum esse, *quando non est manifestè iniqua*, ut habetur L. 79. *ff. pro Socio*, ibi: *Arbitratoris sententia, si manifestè iniqua est, reducitur ad alterius boni viri arbitrium*; quod tamen fieri non posset, si *compromissum* fuisset; tunc enim etiam iniquæ sententiæ standum esset.

Not. 2. *Arbitros* differre ab illis, qui 2776.
*Mediatores*, & *amicabiles Compositores* dicuntur, in eo, quòd hi potiùs agant Consiliarios, quàm Judices; & ideo eorum judicio non teneri partes stare, nec talem mediatorem contrahere ex pacto obligationem, ferendi judicium; sed posse ad libitum recedere; & de his loquitur §. 2. *legis*, 13. *ff. h. tit.* bene distinguens inter *compromissarium*, qui se ad judicandum obligavit; & *mediatorem. Recepisse autem arbitrium*, videtur, qui Judicis partes suscepit, finémque se suâ sententiâ controversijs impositurum pollicetur; quod, si hactenus intervenit, ut experiretur, an consilio suo, vel authoritate discuti litem paterentur? non videtur arbitrium recepisse.

Not. 3. compromissum esse contractum innominatum (*facio, ut facias*; & 27
qui solo consensu perficitur; *nominatum* verò, si accedat stipulatio; & absolvi, seu compleri per acceptationem, & consensum arbitri electi; & hac acceptatione posita, arbitrum obligari ad præstandum officium Arbitri, per L. 3. §. 1. *ff. h. t.* ibi: tametsi neminem Prætor cogat arbitrium recipere, *quoniam hæc res libera, & soluta est, & extra necessitatem jurisdictionis posita*: attamen, *ubi semel quis in se receperit arbitrium*, ad curam, & solicitudinem suam, hanc rem pertinere Prætor putat; non tantùm, quòd studeret lites finiri; verùm, quoniam non deberent decipi, qui eum quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerunt.

Not. 4. Electionem arbitri posse remitti in arbitrium, seu voluntatem *tertij*; 2778.
& facta electione à tertio, partes obligari, non secus, quàm si ipsæ elegissent, c. *penult. de Arbitris*, ubi, cùm Legatus Apostolicus ex consensu partium designâsset arbitros, & Mediatores duos, illique causam terminâssent; *nos igitur* (inquit Greg. IX.) *quod per prædictos Mediatores super hoc actum est, auctoritate Apostolica confirmamus*; secus esset, *si in incertam personam*, ab arbitris in discordia eligendam, compromissum fieret, quo casu compromissum est nullum.

Not. 5. ad modum compromittendi 2779.
spectare, ut exprimatur *causa*, quæ est

arbitro judicanda ; quia terminos designatos, si excedat, nihil agit, L. 32. §. 14. *ff. h. t.* ubi dicitur: de officio arbitri tractantibus sciendum est, *omnem tractatum ex ipso compromisso sumendum ; nec enim aliud illi licebit*, quàm quod ibi, ut efficere possit, cautum est ; non ergo, *quod libet*, statuere arbiter poterit, *nec in qua re libet*, nisi *de qua re* compromissum est, & *quatenus* compromissum est. Not. 6. in eo loco Arbitrium esse exercendum, in quo in eum compromissum est, seu in quo Arbiter compromissum accepit ; L. 21. §. 10. *ff. h. t.* Hinc impunè illi non paretur, si alio loci adesse jusserit

2780. Not. 7. nisi aliud in compromisso expressum sit, sententiam dictam, uno, vel utroque litigatorum absente, non valere; pœnam tamen committi ab eo, qui culpâ suâ defuerit ; L. 27. §. 4. *ff. h. t.* Not. 8. per contestationem litis, *coram arbitro*, æquè, ac in alio judicio, præscriptionem interrumpi, per L. 5. §. 1. *C. h. t.* ibi: plenius tamen, ac generaliter definimus ; *conventum in scriptis apud Judicem compromissarium factum ita temporis præscriptionem interrumpere, quasi in ordinario judicio lis fuisset inchoata.*

2781. Not. 9. acta coram arbitro, fidem facere coram Judice Ordinario. Nam *generaliter Sancimus*, inquit Imperator *cit. L. 5. §. 2. in his, quæ apud compromissarios facta sunt, si aliquid in factum respiciens, vel professum est, vel attestatum, posse eo & in ordinarijs uti judicijs.* Not. 10. nec arbitrum compromissarium, nec arbitratorem teneri officium sibi delatum acceptare ; cùm non sit officium publicum, vel lege constitutum ; sed merè voluntarium. Hinc negandum est, quod indefinitè docet Imola in c. *Pastoralis, de offic. delegati*, peccari mortaliter, non acceptando officium arbitri, quando spes est, quòd partes ad concordiam reducet ; quia sic non esset officium *voluntarium*, contra communem sensum Doctorum.

2782. Not. 11. Si arbiter expresè, vel tacitè, acceptavit officium, non posse renuntiare; sed, cogendum, ut illud adimpleat. Nam, taliter acceptando, contraxit naturalem obligationem implendi munus, in quod consensit ; ita Sanchez *l. 4. Consil. moral. c. 1. d. 42. n. 6.* Censetur autem *tacitè* acceptare, si *scienter* recepit instrumentum, in quo fuit designatus arbiter, & legit, atque tacuit ; ita Sanchez *cit.* Not. 12. quamvis infames infamiâ juris, vel facti, non possint esse judices, c. *Infamis, q. 7.* *posse* tamen *esse Arbitros compromissarios.* Hinc enim nullam habent dignitatem, vel jurisdictionem ; sed meram, & simplicem cognitionem ; gloss. *ad regulam: Infamibus, in 6.* sic Armilla V. *Infamia, nu. 11.* Tabiena, *eod. n. 11.* Sylvester *eod. q. 3.*

Not. 13. Cùm *n. 2757. & sequent.* diximus, quandoque à partibus recusari posse Judicem, ac eligendos esse arbitros, qui de justitia causæ recusationis cognoscant ; id intelligendum de jure Canonico, juxta sequentia. 1. ut recusans Judicem proponat recusationem, & alleget causam *coram Judice recusato*, licèt non teneatur *probare* coram illo, c. *cùm speciali, 61. de appellat. in 6.* ibi: volens Judicem, ut suspectum recusare, *coram eodem causam suspicionis explicare debeat ;* idem habetur c. *secundò requiris, 41. de appellat.* 2. quòd in tali casu partes debeant eligere arbitros, qui de justa causa suspicionis cognoscant, ob quam recusatur Judex, c. *Legitima, de appellat. in 6.* ibi: legitima supicionis causa contra Judicem assignata, *arbitris à partibus* (secundùm formam juris) *electis, qui de ipsa cognoscant ;* & cit. *c. cùm speciali*, ibi: statuimus, ut, si allegaverit, se Judicem habere suspectum, *coram eodem causam justæ suspicionis assignet, & ipse cum adversario*, vel si fortè adversarium non habeat, *cum Judice, arbitros* communiter eligat. 2783.

Not. 14. quòd, si partes convenire non possent in electione arbitrorum, unam partium debere eligere unum ; alteram, alterum ; & si nequiverint in unam sententiam convenire, eligant tertium, ut, quod duo ex ipsis decreverint, robur obtineat firmitatis, sic c. *cùm speciali cit.* Not. 15. non requiri, quòd arbitri sint *ex eodem loco, c. secundò requiris, 41. §. tertio postulas, de appellat.* ibi: partes in aliquos *non valde remotos* conveniant, junctâ gl. *in cit. c. Legitima.* Unde non debet esse locus, in quo eligit remotior, quàm ultra unam dietam, ita Francus *in cit. c. secundò requiris, per c. statutum, de Rescript. in 6.* 2784.

Not. 6. quòd, si coram Arbitris causa suspicionis fuerit *probata*, Judex recusatus cau-

causæ cognitioni supersedere teneatur; ipsa enim ratio dictat, quòd *suspecti, & inimici Judices esse non debeant*, ut expresè dicitur c. *secundo requiris, dict. §. tertiò.* Et tali casu *de Recusatoris assensu* personæ idoneæ Judex recusatus committere debet negotium, vel ad Superiorem transmittere, ut in eo ipso procedat, prout statuitur in c. *cùm speciali, S. V. infra n.* 2788. Not. 17. si causa suspicionis legitima, intra terminum competentem non fuerit probata, Judicem recusatum sua jurisdictione uti posse per dict. c. *cùm speciali;* terminum autem, *intra quem* causa suspicionis probari debet, assignari ab ipso Judice recusato per c. *Legitima, 2. eod. in 6.* ibi: statuimus, ut *ipsis Arbitris per Judicem competens terminus præfigatur, intra quem in idem conveniant*, vel tertium concorditer advocent, cum quo ambo, vel alter eorum, ejusdem suspicionis negotium terminare procurent; *alioquin Judex ex tunc in principali negotio procedere non omittat.*

2786. Not. 18. tres esse casus, in quibus non itur ad arbitros, ut judicent de causa recusationis, qui omnes habentur expresè c. *si contra, de offic. deleg. in 6.* Primus est, quando Papa delegat causam aliquam determinandam duobus Judicibus, cum hac clausula, *quòd si ambo interesse non possint, alter eorum in causa procedat?* tunc enim, si alter recusetur, causa recusationis probanda est coram altero non recusato; secus, si non sit dicta clausula; tunc enim ad arbitros recurrendum est, ut notat Francus c. *cùm speciali, de appellat. n.* 2. Secundus casus est, quando *delegatus ab Episcopo recusatur;* & idem est (ut notat Francus cit.) quando recusatur delegatus à quocunque alio Ordinario; tunc enim causa recusationis est coram eo, qui illum delegavit (scilicet Episcopo, vel alio ordinario) probanda. Tertius est, quando recusatur Vicarius Episcopi; tunc enim causa est probanda coram Episcopo, licèt à Vicario Episcopi ad ipsum Episcopum non sit appellatio; & ratio differentiæ est, secundùm Francum, & Anchar. eo c. *si contra*, quia appellatio concernit *jurisdictionem*, quæ in Episcopo, & Vicario est eadem; cum sit unum tribunal, & ideo à Vicario ad Episcopum non appellatur: at recusatio respicit *suspicionem adhærentem recusato;* licèt autem Vicarius suspectus sit, non ideo est suspectus Episcopus; quod intellige, nisi Vicarius, vel delegatus recusetur ex causa concernente ipsum Episcopum, vel Ordinarium: ut quia est oriundus de patria adversarii, sicut est Episcopus, vel ille Ordinarius, tunc enim non est tractanda causa coram Episcopo, sed coram Arbitris; sic Sanchez *cit. l. 6. c. 8. d. 3. à n.* 24.

Not. 19. si pluribus committitur causa in solidum, recusato uno posse alterum cognoscere de causa recusationis; colligitur ex c. *cùm plures, de offic. delegati in 6.* ubi dicitur, si pluribus Judicibus, in solidum delegatis, & uno inchoante, ambo procedere non possint, illum procedere non debere, *nisi prior impeditus sit;* at ubi unus recusatur, *is impeditus est;* ergo tunc alter non recusatus de recusationis causa cognoscere debet. 2787.

Dices: in c. *si contra, de offic. deleg. in 6.* expresè dicitur: delegatis pluribus in solidum, & uno recusato, *non posse alterum procedere*, si non sit clausula: *si ambo non possint interesse, alter eorum in causa procedat.* R. id verum esse, si nec *expresè*, nec *tacitè* sit ea clausula; non autem, si solùm non sit *expresè*. Nam per hoc, *quòd alter sit impeditus*, non impeditus procedere potest ex c. *cùm plures*, ex hoc *n.* 1. sed hoc, *tacitè* involvit eam clausulam; ergo.

Not. 20. quando in c. *suspicionis, de offic. deleg. dicitur*, quòd Arbitri debeant assignare partibus terminum, & in dict. c. *Legitima 2. eod. in 6. quòd Judex recusatus debeat assignare terminum*, utrumque sic conciliari, ut c. *suspicionis*, intelligatur de termino ab Arbitris assignando partibus *ad probandum*, seu ut præbeant causam recusationis; & alterum c. *Legitima*, de termino *per Judicem recusatum* assignando Arbitris, *ad causam definiendam*, seu ut causam definiant; sic gloss. *in dict. c. Legitima, V. per Judicem.* Not. 21. de Jure Canonico, Arbitros, ubi comperierint, causam recusationis esse justam, non propterea posse procedere in causa principali, ut colligitur ex cit. c. *cùm speciali.* Quid verò tunc agendum, diximus supr. Cum autem ibidē dixerimus, eo casu, quo causa recusationis legitimè probata est, Judicem recusatū *posse alteri causam delegare*, intelligendum id est, juxta sequentia. 2788.

Quare: Not.

2789. Not. 22. Judicem recusatum (si est delegatus à Principe) posse committere alteri *totam* suam jurisdictionem, *antequam* proposita sit recusatio; non autem *post* hanc propositam, licèt arbitri non sint electi, *nisi consentiat recusator*; habetur in c. *Judex* 5. *de offic. deleg. in* 6. ubi expressè statuitur: si *à Papa* delegatus Judex legitimè recusari possit (quia v. g. Dominus est impetrantis) *non prohibetur causam sibi commissam alteri subdelegare, priusquam recusatio contra eum proponatur, adeò, ut si in totum causam subdelegârit, commissio ex hoc capite impugnari, aut recusari non possit.* Sin autem *partem tantùm*, sive articulum causæ, alteri commisit delegatus, tum *recusari potest*, & commissio ejus oppugnari. Et sub hoc in §. *post recusationem*, subjungitur: *proposità, aut etiam probatâ recusationis causâ* Judex delegatus vices suas alteri committere potest, *si pars consentiat*: sed ea nolente, non potest. *At postquam sententia lata est contra Judicem recusatum, ne quidem cum partium consensu subdelegare poterit, cùm Judex esse desierit.*

2790. Ex dictis colliges 1. Judicem, etiam à Principe delegatum, posse recusari ex justa causa, tanquam suspectum; constat ex cit. c. *Judex* 5. *h. t. in* 6. ibi: *recusari valeat ut suspectus.* Colliges 2. delegatum ab inferiori Judice, quàm à Principe, à partibus recusatum, non posse causam sibi commissam alteri subdelegare. Nam tales delegati non habent facultatem subdelegandi. *L. more majorum, ff. de jurisdict. omnium Judic. L. à Judice, C. de Judic.* Colliges 3. delegatum à Principe, quantumvis recusatum, licèt electi sint Arbitri, etiam invitis partibus posse causam alteri committere, etiam postquam suspectus fuit judicatus, *dummodo pronuntiatum nondum fuerit super justitia causæ recusationis*; constat ex cit. c. *Judex*, ibi: *dummodo pronuntiatum non fuerit super ea.* Colliges 4. etiam Judicem Ordinarium, quantumvis recusatus sit, & causa suspicionis probata, posse etiam invitis partibus causam alteri delegare, antequam arbitri pronuntient sententiam; Francus *in cit. c. cùm speciali*, & habetur in c. *si quis contra* 4. *de foro compet.* ubi dicitur, permittendum nequaquam esse, ut Clerici à Laicis teneantur; sed, si quispiam contra Clericum querelam, aut controversiam habeat, Episcopum ejus adeat, qui, si suspectus sit actori, deputandus erit executor (*seu ab ipso Episcopo*, seu, si & hoc Actor refugerit, à Vicario, seu delegato Sedis Apostolicæ) qui partes cogat, ut communi consensu Judices, seu potius *Arbitros* eligant, & ab his, quidquid fuerit constitutum, Episcopus, vel Legatus curabit executioni mandari.

Ex hoc textu colliges 5. Episcopum loci, & Apostolicæ Sedis Legatum, in jurisdictione ordinaria concurrere; sed non debere Legatum causas subditorum suscipere, nisi ob defectum Episcopi; quia videlicet terminare negligit, vel quia recusatur, aut ab eo appellatur, uti etiam habetur in Concilio Trid. *sess.* 24. *c.* 2. *de reform.* Colliges 6. Judicem ordinarium, v. g. Episcopum, posse recusari, ut suspectum; & tali casu, si recusandi causa notoria, vel coram arbitris, communi consensu electis, probata sit, juxta c. *cùm speciali* 6. *de appellat.* Judicem ordinarium supersedere debere, & vel delegatum, ex consensu recusatoris, deputare; vel partes cogere, ut in arbitros compromittant; vel denique causam ad Superiorem, videlicet Archiepiscopum, aut Papam deferendam esse, uti colligitur ex hoc c. & cit. c. *cùm speciali, junctâ gl. causa* 11. *q.* 1. Colliges 7. Arbitros Juris, qui à Judice ordinario cum partium consensu statuuntur, laudum seu sententiam à se dictam exequi non posse; quia solùm constituti censentur *ad pronuntiandum*, ideóque pronuntiatione facta extingui omnem eorum potestatem; executio autem sententiæ latæ ab ordinario Judice fieri debet, ut colligitur ex hoc capitulo; hæc ad istum titulum hujus libri postremum. 2791.

Cæterùm præmissis quæstionibus ad 43. titulos hujus libri, suis locis addenda sunt seqq. & 1. ad *n.* 2442. nota sententiam illam, quæ dicitur, facultati Mendicantibus concessæ in Clement. *Dudum*, non esse derogatum per Trid. *sess.* 23. *de reform. c.* 15. quoad quæstionem dicto numero propositam, juxta formam cit. Clementinæ doceri à Fagundez *l.* 7. *c.* 2. *n.* 16. Layman *in Theol. morali l.* 4. *tr.* 6. *cap.* 11. *n.* 4. Felino *de casibus reservat. cap.* 3. *n.* 3. Villalob. *in summ. tom.* 1. *tr.* 9. *diffic.* 53. *n.* 3. Laurent. de Peyrinis *de Relig. subdito: tom.* 2792.

*to: tom. 1. q. 1. c. 21. §. 2.* Diana, *moral: resol: p. 3. tr. 2. resol. 24.* Lezana *in summ: qq. Regul: c. 19. n. 3.* Erasm: à Cochier: *de jurisdict: Ordin: in exemptos p. 4. q. 771.* Hurtado *disp. 10. de Pœnit: diffic. 15. vers: Navarro*, & aliis apud Barbosam *in cit. c. 15. Trid. n. 31. in med.*

2793. Ad *n.* 2768. quo diximus à Judice reductionis, licitè appellari, ulteriùs not. quòd Judex reductionis est ille ipse, qui alioquin Ordinarius fuisset, si Actor in judicio litigare voluisset; nam (ut ex professo tradit Gail. *obs.* 149.) iste Judex, & non Judex Arbitri, adeundus est; quia petitio reductionis est provocatio quædam ad Judicem competentem, qui debuisset adiri, si compromissum non fuisset.

Nec obstat, quod dicitur, Judicem *reductionis* succedere in locum Arbitri intelligitur enim, quòd succedat in locum arbitri, at *non ut arbiter voluntarius; sed necessarius, & arbiter juris*; ab hoc autem potest appellari; & quamvis Judici reductionis in casu, quo quis gravatus est, cognitio super hoc committatur Ordinarij Judicis *arbitrio*; non propterea sequitur ei non committi *ut Judici*, à quo appellari possit. Plura enim sunt exempla, ubi a Judice, cui aliqua res (ut bono Viro) commissa est, conceditur appellatio, ut inter alia constat *ex c. 1. de dilationib.* Nam, in casu ibi relato, contraversia inter Abbatem ex una, & Moniales ex altera parte, arbitrio delegatorum commissa fuit; & tamen, quòd illi Judices nimis brevem terminum citatis ad comparendum assignaverint, Abbati contra hoc appellanti, delatum fuit.

Advertendum nihilominus in dicto casu à Judice reductionis controverso quoad quæstionem, *an licitè ab illo appelletur?* posse distinctionem adhiberi, ut detur negantibus in casu, quo Judex reductionis sententiam arbitri, latam contra petentem, confirmavit; quia tunc ipse Judicem elegit: secus, si sententiam tulit contra eum, qui non petivit reductionem; tunc enim invitus sustinet Judicem, & *gravatus* dici potest.

2794. Ad *n.* 2167. Huic postremò posset opponi textus Tridentini, *sess. 14. c. 2. de Reform.* relatus *n.* 2166. ubi hoc videtur clarè negari, ibi: *nemo Episcoporum, in loco etiam exempto, vigore ullius privilegij, alterius subditum, absque sui proprij Prælati consensu, & literis dimissoriis ordinare valeat.* Sed hæc oppositio non probat, exemptum ordinari non posse *in loco exempto*, sine licentia Ordinarij talis loci, *si ordinandus gaudeat privilegio*, ut ordinari possit, à quocunque Episcopo Catholico, habente communionem Sedis Apostolicæ, si Ordinarius non sit Episcopus merè titularis; quia per hoc nihil omnino fit contra illud decretum Tridentini. Nam decretum, prohibens ordinationem *in loco exempto celebrari* ab Episcopo alio, sine licentia Ordinarij talis loci, loquitur de Episcopis *Titularibus* solùm, & ordinantibus *alienum subditum*, vigore privilegij *sibi concessi:* sed nihil horum contingeret in casu nostro 1. quia talis Episcopus solùm ordinaret vigore privilegij, *non sibi*, sed *exempto* concessi, ut ponit casus; 2. non ordinaret *subditum* Ordinarij loci, quia ordinandus ponitur *exemptus* ab Ordinarijs locorum; 3. non ordinaret *alienum*; quia talis exemptus, vigore sui privilegij à suo Superiore per ordinem ad recipiendos Ordines subjicitur legitimè tali ordinanti non minùs, quàm habens dimissorias à suo Ordinario; nec Pontificalia exerceret *in aliena diœcesi, nec sine consensu Ordinarij*; nam locus exemptus *juridicè*, est extra diœcesim Ordinariorum localium, à quibus ordinandus ponitur exemptus; & quia, vi privilegij Papalis, *exempto* talis facultas est concessa recipiendi ordines à quocunque Antistite Catholico, indirectè etiam huic, qui ad talem functionem eligitur, conceditur à privilegiante illum, facultas dandi; consequenter hic operans ex tali consensu Papæ, operatur *ex consensu Ordinarij*, etiam *talis loci*; Papa enim, relatè *ad quamcunque Diœcesim*, verè, ac propriè *Ordinarius est.* 2795.

Post *n.* 2189. addendum 1. diebus Dominicis, vel Sabbato Pentecostes, Sacros Ordines ab alio, quàm Papâ, conferri non posse, per Decretum Alexandri III. in c. *Subdiaconos 1. h. t.* quod intellige, spectato jure communi; nam secus est de privilegio, prout id habet nostra Societas ex privilegio Gregorij XIII. ipsi concesso, & dato Tusculi 22. Septemb. 1582. ut refert Barbosa *in dictum c. 1. n. 5.* ibid. cum Miranda *in Manuali Prælat. tom. 1. q. 39. a. 4.* & Aloysio Riccio, *volens*, virtute aliorum privilegiorum, à summis Pontificibus, ante Tridentinum concessorum, non posse Regulares nunc ordinari sacris O di-

nibus extra tempora ; sed vide, quæ diximus à *n.* 2175.

2796. 2. Criminosum occultum *moneri* posse, ne promoveatur ad Ordines ; non autem *prohiberi*, ut dicitur c. *Ex tenore*, 4. *h. t.* ubi textus loquitur de crimine *occulto*, propter quod, si esset manifestum, degradaretur ; ubi ad ea verba in dicto c. *verumtamen, quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere ;* addit D. Antoninus *p.* 3. *tit.* 14. §. 1. & Sylvester V. *Ordo*, 3. *q.* 7. apud Sanchez *de Matrim. l.* 3. *D.* 15. *n.* 8. quòd laborans *occulto* impedimento, si publicè ordines petat à proprio Episcopo, casu, quo tenetur eos conferre, non possit repelli ; rationem reddit Baborsa *in dict. c.* 4. *num.* 3. ex Navarro *h. tit. consil.* 42. & Sayro *in floribus decision. decis.* 9. 3. quia nullum *crimen* enorme, ac depositione dignum, dum manet occultum, facit irregularem ; sed an hoc procedat ? V. quæ diximus *lib.* 5. *tit.* 39. ubi de Irregularitate.

2797. 3. duos sacros Ordines, spectato jure communi, non posse licitè conferri eidem, etiam continuato jejunio sic, ut unus ei hodie, alter sequenti die conferatur ; ut dicitur in c. *literis*, 13. *h. t.* ibi : si enim utrumque Ordinem eodem die conferre non licuit, pari non licuit ratione, uno die unum ordinem, & alium altero ( jejunio continuato ) conferri ; cùm propter continuationem jejunij, *fictione canonica*, sive manè diei Dominicæ trahatur ad Sabbatum ; sive vespera Sabbati ad diem Dominicam referatur, profectò *manè cum vespera*, sive *vespera cum manè*, ad eundem diem pertinere dicetur ; plura ibidem prosequitur Innocentius III.

2798. 4. Ordinibus sacris initiatum, extra tempora à jure statuta recipere quidem Ordinem ; c. *Consultationi*, 16. *h. tit.* ibi *characterem non est dubium recepisse ;* competenti tamen pœna castigandum ; & *eâ peractâ* sustineri *ab Ordinario* posse, ut in susceptis *ministret ;* ut expressè ibid. loquitur textus ; quod limitat Barbosa *ibid. n.* 2. si Ordinarius in nulla fuit culpa ; dixi, *ministret ;* nam *ut ad altiores ascendat*, hodie dispensat solus Papa, vel ex speciali commissione Legatus de Latere ; sic Rebuffus *in praxi benefic. p.* 2. *tit. de Clericis malè promotis, gloss.* 2. *n.* 15. & quoniam in dicto c. Pontifex ad consultationem sibi propositam ab Episcopo Baranensi ( *an dispensare possit, peractâ pœnitentiâ, cùm eo, qui extra tempora juris, sacros Ordines suscepit, ut in susceptis ministret* ) respondit, *poteris ;* deducunt Authores, non induci quidem novum jus dicto responso ; determinari tamen jus commune ad dictum casum, si responsio procedat à Legislatore.

2799. 5. Episcopum Italiæ, qui ordinat ultra montanum, sine dimissorijs sui Ordinarij, vel Papæ licentiâ, puniendum esse pœnâ condignâ ; Ordinatos autem ab illo, manere suspensos absque spe dispensationis, etiam à Pœnitentiarijs Papæ, obtinendæ ; sed solùm à Sede Apostolica ; c. *sæpe*, 1. *h. t. in* 6. sic Clemens IV.

2800. 6. Subditos Episcopi, qui scienter ordinavit Clericum alienum, posse absque illius licentia, *intrim* recipere ordines ab alio vicino Episcopo, postquam ejus suspensio ( quam eo facto incurrit, *duratura* per annum ) fuerit manifesta ; c. *Eos, qui*, 2. *eod. in.* 6. id, quod etiam procedit, si hoc fecerint ignorantiâ affectatâ, vel quæstio *quocunque alio figmento ;* sic Gregorius X. *loc. cit.*

2781. 7. Officiales, seu Vicarios Episcoporum *in spiritualibus de jure communi*, dare posse *commendatitias ad ordines ;* inferiores autem Episcopis, solùm *ex privilegio ;* sic Bonifacius VIII. c. *cùm nullus*, 8. *h. t. in* 6. nisi gaudeant jurisdictione quasi Episcopali : si autem contingat Regulares degere in Prioratibus non exemptis, ordinari posset ab Episcopo loci, quamdiu morantur in eo loco, licèt inde non fuerint oriundi, ut habetur dicto c. 8. §. *Religiosè verò.*

2782. Ad *n.* 2193. Notandum autem Episcopum censeri *loco renuntiâsse*, quando renuntiavit *Administrationi ;* & hoc non obstante, si rogetur ab alio Episcopo, vel ejus subdito habente dimissorias à proprio suo Antistite, posse conferre Ordines eidem, etiam sacros ; ut diximus *loc. cit. ex c. unico, h. t.* sic Abbas in c. *supplicationem, de Renunt. nu.* 10. quia tali casu retinet characterem, & dignitatem, ut notat Flaminius *de Resignat. lib.* 1. *q.* 17. *n.* 15. adeóque adhuc ea, quæ Ordinis Episcopalis. Advertendum præterea, dimissorias ab Episcopo suo subdito datas, ante

ante renuntiationem non extingui secutâ illius renuntiatione sive quoad locum tantùm, sive etiam quoad dignitatem; alias etiam aliæ facultates ab Episcopi jurisdictione pendentes (collationes nimirum beneficiorum, &c.) ex eadem ratione secutæ talis renuntiationis extinguerentur, licèt concessæ fuissent priùs, quam resignaverit. Et quoniam ejusmodi renuntiationes, priusquam ab eo, qui potest, admittantur, non valent; videtur omnino dicendum, quæ dicto c. *Episcopus*, 1. *h. tit.* statuta sunt, intelligenda esse de renuntiatione *admissa* per legitimum Superiorem.

2803. Ad *n.* 2201. Constat hoc ex c. *ut Abbates*, 1. *h. t.* ubi præcipitur, *ut Abbates, Decani, & Præpositi, qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant; qui Archidiaconatus tenent, Diaconi: qui verò Archipresbyteratus, Presbyteri fiant, aut amittant honorem;* ubi simul statuitur, ut etiam tunc Prælationes amittant, *si aliqua justâ causa prohibente*, in eo ordine, qui exigitur in ea prælatione, esse non potuerint; & quoniam textus de hoc loquens, ait *Prælationes amittant*, nimirum *Abbatiam, Decanatum, Præposituram*, & reliqua præmissa, colligunt Doctores, Abbates, dici *Prælatos*; sic Barbosa *de Appellat. vis, appellat.* 214. id quod etiam dicendum de *Decanatu*, non Rurali, sed *in civitate* Episcopi, seu loco Residentiæ Episcopalis; *Decanus* enim in civitate, in qua residentiam suam non habet Episcopus, non est Decanus *civitatis*, sed *oppidi*, de stylo canonico; de quo plura *lib.* 3. & superius *à n.* 2293.

2804. Not. præterea, quæstionem esse, an Episcopus *puero infra decennium constituto* possit *dispensativè* concedere Ecclesiam? videtur affirmandum per c. *Ex ratione*, 2. *de ætate, & qualitate.* Nam, cùm Alexander III. intellexisset, quòd Conventrensis Episcopus, pueris *infra decennium* constitutis Ecclesias *plures* concesserit, quæ non per Clericos, sed per Laicos disponuntur, seu reguntur, mandavit Cantuariensi Archiepiscopo, ut dictum Episcopum *super his corripiat, & per Clericos*, non Laicos, *eas Ecclesias administrari* curet, donec prædicti pueri *ad congruam veniant ætatem*; Episcopo autem prohibet, ne de cætero Ecclesias, nisi personis, quæ ætatem, & scientiam habeant, regendas committat; secus, dispositionem ejus *omnino viribus carere*, decernendam.

Circa præsentem causam certum videtur, illo tempore collationem beneficiorum, saltem simplicium, factam ab Episcopo, minori decennio, non fuisse invalidam; aliàs enim Pontifex non mandasset, illatum Ecclesiarum, quæ illis pueris facta est ab Episcopo, administrationem, remotis Laicis committi Clericis, *dum prædicti pueri ad congruam veniant ætatem*; sed potiùs, esse removendos. Hinc jure decretalium, seu antiquo, beneficia simplicia, major septennio, poterat obtinere, saltem quæ non requirebant Rectoriam, aut consilij maturitatem; sic Azor *Institut. moral. p.* 2. *l.* 6. *cap.* 5. *q.* 7. Garcia *de benefic. p.* 7. *c.* 4. *à n.* 4. & alij: quamvis hodie, spectato jure Tridentini *sess.* 23. *de Reform. c.* 6. nullus, ante decimum quartum annum, beneficium Ecclesiasticum possit obtinere; sic Flaminius *de Resignat. l.* 3. *q.* 7. *n.* 65. Lessius *de justitia l.* 2. *c.* 34. *d.* 20. *n.* 109. *&c.* quamvis, sufficere, *decimum quartum annum attigisse*, ad obtinendum beneficium simplex, esse decisum à sacra Congregatione referant complures apud Barbosam *in Collectaneis ad dict. c.* 2. *n.* 1. præsertim, cùm sufficiat, etiam ad obtinendam Ecclesiam parochialem, attigisse ætatem illi præscriptam, per c. *licèt canon.* 14. *de elect. in* 6. 2805.

Ad *n.* 2199. Ex his Tridentini verbis videtur posse colligi, *Canonicatum in Ecclesia Cathedrali* posse obtineri ante 14. ætatis annum *completum*, à majori septennio; cùm enim non petat, nisi, ut quis illo ordine sit initiatus, quem illa præbenda, vel Canonicatus requirit; ad hoc autem sufficiant 4. minores, vel prima tonsura, quorum capax est septennio major; idem sufficiet vi Tridentini (de quo *n.* 2199.) ad ejusmodi Canonicatum; præsertim in Ecclesia, ubi ex magno Canonicorum numero vix dimidia pars præbendâ gaudet; consequenter cæteri solùm *Canonici* sunt *in herbâ*, seu spe præbendæ, post decem, aut plures etiam quandoque vacaturæ. 2806.

Ad *n.* 2197. Not. quando in personis *ad curam* animarum ordinandis requiritur *ætas* ad beneficium curatum obtinen- 2807.

dum præscriptā; esse intelligendum *de actuali, non habituali cura;* sic Cardin. Tuschus *tom.* 8. *lit.* 5. *conclus.* 101. & Barbosa ad c. *eam te*, 4. *n.* 2. Hoc enim denotat verbum, *animarum cura*, in propria significatione. In dignitatibus porro non curatis cum majore 20. annis, si aliud non obstet, dispensat Episcopus per c. *unic. de æt. & qualit. Ord. præfic.*

2808. Ad *n.* 2206. not. præterea, Ecclesiam Græcorum, in ordinationibus, & consecrationibus teneri servare unctiones, quas servat Ecclesia Romana; 2. si in consecratione Episcopi, ejus unctio fuisset prætermissa, supplendam esse per tres Episcopos; prout habetur c. *unico de sacra unctione.*

2809. Ad *n.* 2208. not. ex dicto c. *Pastoralis, de Sacramentis non iterandis*, etiam colligi, si in ordinatione prætermissa manuum impositio; vel in confirmatione, chrismatis unctio, Sacramentum non esse iterandum; sed quod omissum est, cautè supplendum; sic Innocentius III. ibidem, ubi nota, in textu legi, motam esse quæstionem, an iterari debeat Sacramentum, si in ordinatione *Subdiaconi* prætermissa fuit *manûs impositio*; ex quo deduci videtur, in hoc textu supponi, eam *ad ipsius* ordinationem requiri, contra expressum in c. *Subdiaconus, distinct.* 23. responderi tamen dupliciter. 1. in eo textu rectiùs legi, in ordinatione *Diaconi*, non Subdiaconi, eò quòd in duplici exemplari M. S. ly *Diaconus* reperiatur teste Anton. August. *in Collect. ad* 3. *Decret. l.* 1. *tit.* 12. *c. unico*; ut intelligatur textus de impositione manûs *benedictoria*; non, *consecratoria*, ut vult Abbas *hic n.* 2. cùm ex c. *quoniam, distinct.* 69. benedictio multiplex sit.

2810. Ad. *n.* 2258. dictis adde, ad bigamiam, quæ facit irregularem in ordine ad ordinationem ex hoc, quòd quis duxerit viduam à priori viro cognitam, sufficere, modò una pars eorum in priori matrimonio consummato fuerit; nam sic non est conjugium *unius ad unum tantùm*; quare non modò taliter bigamus est vir solutus, ducens viduam à priori marito cognitam; sed etiam conjugatus, post uxoris mortem ducens solutam, si cum ea consummat matrimonium. In neutro enim casu est matrimonium *unius ad unum tantùm*; repræsentatio enim petit hoc verificari de quolibet, sicut *de Christo, & Ecclesia.*

Sed quid, si solutus ducat *viduam*, à priori marito non cognitam? Resp. illum, ex hoc capite, non fore bigamum; nam licèt illa non *uni tantùm*, sed successivè duobus nupserit; quia tamen cum priori ponitur matrimonium *non consummâsse*, quod ad effectum *bigamiæ*, ut dictum est, requiritur; non erit ex hoc capite bigamus; id, quod etiam dicendum videtur, esto solutus duceret viduam à priori viro cognitam, si priùs, quàm cum illa consummet matrimonium, vel illa decederet; vel ipse Religionem ingressus profiteretur, vel etiam de uxoris consensu sacris initiaretur, illa Religionem amplectente; ratio enim est eadem. 2811.

Ad *num.* 2309. Not. autem, quamvis textus in dict. c. *Clericos*, 4. *h. t.* loquatur indefinitè, ibi: *alios sibi substituere non permittas*, non restringendo verba ad *perpetuos*, sic, ut tantùm *perpetuos* non liceat substituere: ex quo sequitur, quod nec *temporales*: intelligendus tamen est, cum limitatione, nisi subsit justa causa non diu duratura, v. g. infirmitatis, ut notat Avendan. *p.* 1. *de exequendis mandatis*, *c.* 3. *n.* 5. Et quoniam dictum c. loquitur *de Vicarijs Ecclesiarum*, quas Clerici etiam in aliis inferioribus ordinibus adepti sunt, non distinguens, an solùm ad tempus, an perpetuè? videtur procedere de Vicarijs non modò perpetuis, sed etiam ad nutum amovibilibus. 2812.

Ex dictis colligitur, Vicarium perpetuum esse, cui ad dies vitæ ipsius principalis Rector Ecclesiæ vices suas committit; ubi notandum, quòd licèt in Ecclesiis unitis Collegio, Monasterijs, & similibus, Superior constituere vel jure suo, vel Episcopi authoritate (secundùm diversa jura, de quibus *lib.* 3.) possit Vicarios perpetuos; talis tamen Vicarius non sit propriè *Rector Ecclesiæ*, sed solùm Rector *curæ animarum*; sic Abbas, & alij apud Barbos. *in Rubric. hujus tituli, n.* 31. *in fine*, ubi observat cum pluribus aliis, rubricam *de Capellis Monachorum* meritò sic concipi; non verò de Capellis *Vicariorum*; nam hi non sunt *Rectores* earum. 2813.

Collig. 2. Vicarias perpetuas esse propriè beneficia Ecclesiastica ex *num.* 2309. &, qui eas obtinent, habere verum titulum *per Clem. unic. h. t.* nec removeri pos- 2814.

se,

se, si & principalis moriatur; nec à Rectore principali; nec portione sua fraudari, quando instituti sunt ab Episcopo, per c. 2. *eod.* nec à Successore, si Antecessor consensit institutioni, per c. *ad hæc*, 3. *eod.* & qui disposita sunt à jure *de Rectoribus*, etiam esse observanda quoad *Vicarios perpetuos* Ecclesiarum, per dicta à *n.* 2309. Unde tales non possunt dici *carere beneficiò*, ut dicitur c. 27. *h. t.* hinc dispositiones omnes, quæ de beneficio *curato* faciunt mentionem, *circa vacationem* per assecutionem, & non promotionem, vel ætatem, in Vicarijs perpetuis procedunt; Rebuff. *de Vicarijs perpet. n.* 14. *&c.* qui *in praxi benefic. tit. de dispensat. circa ætatem, & vel earum Vicariæ perpetuæ*, istas meritò numerat inter beneficia *incompatibilia*, sic, ut unus duas ejusmodi Vicarias obtinere non valeat; ex c. *Provideas*, 2. *h. t.*

2815. Ad *nu.* 97411. Cùm cit. loco dixerimus, regulariter non valere argumentum à casu in lege, dispositione expresso ad non expressum, quantumvis simplicem; notandum est, hoc intelligendum esse, nisi extet alia dispositio, quæ id specialiter concedat. Sic, ut dicemus *lib.* 3. *decret. n.* 1691. à causis jure expressis, propter quas Vasallus privari potest feudo, etiam ad alios, non expressos, *similes*, vel *majores* rectè procedit Judex, ut habetur *tom.* 2. *feud.* §. *item qui tit.* 24. ibi: sed quia natura novas deproperat edere formas, potest multis contingere, ut aliæ emergant causæ, *quibus videatur justè adimi posse feudum*; idcóque solers, & discretus, *& æquitati obsecundare solicitus*, cuncta subtiliter dispensans, provideat; *si qua fuerit antiquioribus causis similis, seu major*? ut proinde sciat, utrum beneficium sit amittendum, an nihilominus retinendum?

2816. Ad *n.* 2413. Cùm superiùs plura dixerimus de approbatione Confessarij necessaria (virtute Concil. Trid. de quo *nu.* 2414. & Clementinæ, *Superna Magni*, de qua *n.* 2426.) ut Regulares licitè, ac validè audiant confessiones personarum sæcularium; & in modo loquendi *de approbatione* non omnes æquè conveniant; ex certis causis, in gratiam cujusdam Theologi, afferre hìc placuit doctrinam P. Georgij Gobat, viri in moralibus versatissimi, qui in *Theol. Experiment. tract.* 7. tradit seqq. primò in *n.* 34. ubi: ait *approbare aliquem* (approbatione sumpta pro testificatione Ordinarij de idoneitate Confessionis ad exercendum munus Confessarij) esse, *declarare, illum esse dignum, cui à legitimo Superiore possint reipsâ, & in actu secundo committi subditi, in quos exerceat potestatem clavium.* Subjungit: *at dare jurisdictionem, est, assignare ipsi reipsâ subditos, in quos prædictam exerceat potestatem.* Deinde *n.* 44. expresè dicit, *approbationem* (sumptam pro judicio idoneitatis) esse *duplicem*, expressam scilicet, & tacitam. *Tacitam*, ait, tunc dari, *quando, habens potestatem approbandi, dicit cuipiam nondum approbato: audi hunc pœnitentem; audi, si velis, omnes volentes tibi confiteri*; nam *in primo casu approbatur respectu unius; in secundo, respectu omnium, adeóque absolutè.* Tertiò, postquam *n.* 49. dixisset, *eum, qui non est reipsâ approbatus tacitè, vel expresè, absolvere invalidè à mortalibus* quemcunque sæcularem, extra *articulum mortis*, ita subjungit *n.* 50. Dixi: *approbatus tacitè, vel expresè; alteruter enim approbationis modus sufficit ex omnium sententia*; sic Gobat.

His addi potest, quod docet P. Jacobus Illsung *Theol. practicæ tr.* 6. *d.* 6. *q.* 6. *a.* 2. *&* 1. *n.* 2. qui *n.* 181. *&* 182. expresè distinguit *potestatem judicandi causas fidelium, & eos à peccatis absolvendi acceptam, in receptione Presbyterij, à collatione jurisdictionis*; qui ibid. *n.* 181. dicit, *per subjectionem acquiri, jurisdictionem* tam quoad personam pœnitentis, quàm quoad peccatum; quam *subjectionem*, Gobat, ut numero præcedente & illo notavimus, vocat approbationem tacitam; & Illsung, *complementum potestatis in ordinatione acceptæ*, quam, ait, non esse completam, antequam eorum jurisdictioni subjiciantur; his præ not. permitto considerationi aliorum 1. an *distinctio approbationis in expressam & tacitam* benè reprobetur *tanquam carens omni fundamento*? prout quidam volebat; 2. an verum sit, *à nullo Theologorum doceri*, quòd alicui *assignare subditos*, in quos exerceat potestatem clavium, *sit dare jurisdictionem*? quam nos dicimus rectiùs appellari *applicationem* potestatis clavium, acceptæ in susceptione Presbyterij 2817.

3. an verum sit, quòd asserens, *sufficere approbationem tacitam* ( ut exposita est *num. præced.* ) *eo ipso*, *neget requiri judicium*, seu *testimonium idoneitatis* ? requisitum à Trident. & Clement. *superna Magni.* Ex hoc igitur sequitur, quòd assignare Presbytero subditos, in quos exerceat potestatem clavium, acceptam in susceptione Presbyterij, juxta doctrinam istorum Authorum 1. idem sit, ac dare *jurisdictionem*; 2. idem, ac *tacitè illum approbare pro audiendis confessionibus*; 3. quòd ex omnium sententia sufficiat ille modus *tacitè* approbandi Confessorem V. infrà *n.* 2878.

2817. Ad *n.* 939. Not. cùm recta interpretatio doctrinalis legum plurimùm pendeat à conformitate interpretationis cum intentione Legislatoris, si ea deprehendi possit ex ipsa litera, vel scripta dispositione legis, eam interpretationem censeri rectam, & præferendam oppositæ. Quoniam autem frequenter per posteriores Principum constitutiones contingit, disponi aliquid circa id ( quod ante, vel jure anteriori, vel privilegio concessum est ) appositis clausulis derogatorijs, & derogatoriarum derogatorijs, quibus ostendunt, efficaciter se velle, ut deinceps id, vel eo modo fiat, aut intelligatur, quod, vel qualiter nova constitutio disponit: dubitari potest, an, & quo sensu hæc nova dispositio ex mente disponentis accipienda sit, præsertim quoad *vim clausularum*, quas illi apponit? Resp. dispositionem sub illis clausulis *derogatorijs* relatè ad jus, vel privilegium præexistens, ex mente constituentis non debere extendi, porrigi, vel prorogari, ad abrogandum jus, vel privilegium præexistens, *nisi in quantùm opponitur*, *vel contrariatur dispositioni novæ*; hujus ratio est ex ipsa mente, ac intentione Legislatoris, quæ est, ut bonum, quod præsenti constitutione intendit, efficaciter obtineatur, quantùm est ex vi talis dispositionis; ergo si quod jus antiquum, aut privilegium præexistens, in aliquo novæ dispositioni non contrarietur, & antiquitus concessum stat, stante tota dispositione nova, per hanc illi non derogatur, quoad tale punctum; sed quoad ea solùm, quæ cum illa consistere non possunt.

2818. Ad *n.* 2008. Quæsitum fuit, an si Abbas, vel Præpositus Regularis resignet, & resignatione acceptata procedatur ad electionem novi Abbatis, in hujusmodi electione vocem, seu suffragium activum habeat Prior, Abbas, vel Præpositus? Resp. si resignavit *absolutè*, habere; nam omnes, qui sunt de Capitulo talis Ecclesiæ vacantis ( si habeant cæteras conditiones in Electore requisitas ) habent vocem activam: per hoc enim, quòd Prælatus Ecclesiæ ( qui ante Prælaturam fuit membrum talis Capituli) resignet, non desinit esse membrum talis Capituli; ergo. Dixi, si resignavit *absolutè*. Nam si in favorem tertij, sic, ut in Prælaturam assumatur talis, *aliàs non*; sine dispensatione Papæ non potest procedi ad electionem; quia conditione non impleta, *Prælatura taliter resignata non vacat*; at nulli de Prælatura *non vacante*, sine dispensatione Papæ provideri potest collatione, electione, vel alio modo providendi, ut constat ex dictis à *num.* 2089. nec talem resignationem admittere Ordinarius, quantùm est de potestate ordinaria: ergo.

2819. Ad *num.* 2082. Cùm casus evenisset, quòd Monialis legitimè professa, in loco A, ex certis, & justis causis transiverit de consensu legitimi Superioris ad Monasterium B. non in perpetuum, sed solùm ad tempus aliquod, atque adeò *quin renuntiaverit juribus suis*, sibi competentibus ratione suæ professionis in Monasterio A; interim autem huic Monasterio providendum esset *per viam electionis* de nova Superiorissa; dubitatum fuit, an illa, dum est absens, & existens in Monasterio B. nihilominus haberet jus; & vocem aliquam in electione novæ Superiorissæ Monasterij A? Resp. affirmativè, de jure communi, & seclusis particularibus statutis, aut constitutionibus Religionum, per Sedem Apostolicam approbatis; nam per ejusmodi transitum solùm temporalem non renuntiavit juribus sibi competentibus in loco professionis; ut ponitur: ergo etiam stante hoc transitu retinet jus, quod priùs habuit; sed priùs habuit jus eligendi tam activum, quàm passivum; ergo etiam stante tali transitu solùm temporali.

Dices: ergo si quæ sic transferretur ex loco suæ professionis ad aliud Monasterium, non posset eligi validè in Superiorissam hujus Monasterij, in quo non est professa. Resp. cum dist. illati: & nego, illam

non

non esse validè eligibilem, si in tali Monasterio vel est professa, vel legitimè translata *cum effectu*, nimirum cum renuntiatione jurium sibi competentium in priori Monasterio; concedo autem illatum, si neutrum sit, ut est manifestum ex claro textu c. *cùm singula* 32. §. *Prohibemus de præbend. in 6.* a nobis relato *n.* 2032.

2820. Ad *n.* 941. Not. quando dicitur, quòd privilegia *personalia* non transeant *ad hæredes, etiam liberos*; dicto non esse locum in privilegio parentibus concesso *intuitu liberorum*; unde non procedit in privilegio uxoribus concesso ratione dotis, vi cujus habeant in bonis mariti tacitam hypothecam, & prælationem relatè ad alios Creditores etiam priores; nam hoc transit etiam ad hæredes earum, *ab ipsis descendentes*? ratio sumitur ex L. 12. *C qui potiores*. V. *Exceptis*, ubi expresè dicit Imperator, quòd filijs anterioris matrimonij contra novercas *pro dote Matris suæ* in rebus paternis, jam providerit hypothecam; nullam autem aliam dedit, quàm istam, nimirum; ut gaudeant privilegio Matris in rebus paternis contra novercas, & alios Creditores; ergo; de quo plura tradimus *lib. 5. an. n.* 1862.

2821. Ad *n.* 1069. observandum præterea in materia legum circa earundem observantiam in pluribus circumstantijs varias occurrere dubitationes, num hic, & nunc & in hoc casu particulari? vel in tanta universalitate, quam verba legis præseferunt &c. leges obligent? quandoque enim leges adeò universaliter loquuntur, ut, si caderent in omnes casus, quantumvis in materia contingente, ac variabili, iniquum esset verba legis sequi; & tali casu lex deficit *contrariè ab universali*; hoc est, non porrigitur ad talem casum, quo præciperet iniquum; aliud est, si deficiat solùm *negativè*, quando nimirum ita deficit, ut si servetur in ea universalitate, nihil mali sequitur: & in tali casu (ubi scilicet contrariè deficit) locus est *epichiæ*, seu æquitati, quæ est *habitus, operans contra verba legis ex præsumpta voluntate Principis*; nullus enim legislator præsumi potest, præcipere, vel prohibere, quod non est justum, prout *justitia* est conditio requisita, ut voluntas Superioris vim legis obtineat, de qua diximus *n.* 84.

2822. Dixi, *si lex ab universali deficiat contrariè*; nam si solùm *negativè*, juxta P Franciscum Amicum *tom.* 5. *Theolog. Scholast. D.* 11. *sect.* 12. *n.* 168. non est locus *epichiæ*, seu correctioni legis per operationem contra verba legis; cum ex observantia legis in tali casu non sequatur iniquum, seu quò minùs dicatur justa, juxta *n.* 84. Dixi 2. *si ab universali deficiat*, hoc est, si sit nimis ampla; nam si sit defectus *propter obscuritatem*, non dicitur *epichia*; sed *interpretatio*, de qua latè *n. tit.* 2. Dixi 3. ubi lex ab universali deficit solùm *negativè*, esse locum epichiæ, in quantum supponit pro habitu inclinante ad operandum contra verba legis, secus dicendum videtur, si supponat pro habitu inclinante ad sequendam mitiorem partem in judicijs, & lex deficit solùm propter obscuritatem; hìc enim subintrat quæstio, qualiter Judici procedendum sit, quando leges, vel ambiguæ sunt, vel obscuræ? sed de his multa tum *in hoc lib.* dicta sunt; tum dicentur *in seqq.*

Ad *n.* 84. Cùm *cit. nu.* 84. diximus ad hoc, ut lex obtineat veram rationem *legis*; illam debere esse *justam*, hoc est, saltè negativè conformem legi naturali, ac divinæ, necessariam bono communi, & moraliter possibilem, unde nata videtur regula. *Nemo*, 6. *de reg. jur. in* 6. *nemo potest ad impossibile obligari*, prout etiam habetur L. *si quis in gravi. ff. ad Syllan.* L. *si stipuler, ff. de verbor. obligat.* §. *impossibilis, instit.* pauca de hujus regulæ intellectu subjungenda videntur. Unde not. 1. *impossibile*, jure nostro dici omne illud, quod inspectâ humanâ potentiâ fieri nequit ab ullo mortalium, sive quia natura impedit, ne fiat *L. continuus* 137 §. *illud, ff. de verbor. oblig.* sive quia à jure prohibetur, id est, quia inspecto jure, naturali, Divino, vel humano (& hoc sensu *moraliter*) fieri non potest *L. filius in fine ff. de condit. instit. c. faciat*, & ibi *gloss.* 22. *q.* 2. 2823.

Not. 2. varias impossibilium species referri *à gloss. in cit.* §. *Impossibilis*: omnes tamen congruè reduci posse ad duas species; scilicet ad impossibile *de facto* (sub quo veniunt ea, quæ impossibilia nobis sunt per naturam vel perplexitatem) & ad impossibile *de jure*, quale est omne turpe, ac inhonestum. 2824.

Hinc, cùm in contractibus, aliisque dispositionibus adjiciuntur conditiones difficiles, 2825.

ficiles, & dubitatur, num tanquam impossibiles rejiciendæ sint, nec ne? illud constituendum est, ut, *si ita sint difficiles*, ut considerata qualitate personæ, cui injunguntur, æquè pateat, manifestè non posse per eam aliquo modo præstari etiam ex amicorum auxilio, dispositio ab initio non valeat, juxta textum sic intelligendum, in L. *cùm hæres*, §. *ff. de statu libero*: sin autem difficultas talis est, quam persona cui injungitur, per amicos, per fidem, atque æstimationem suam possit adimplere, tunc valebit à principio depositio, & expectabitur futurus eventus, ut, si adimpleatur actus, valeat, si vero deficiat conditio, non valeat, juxta text. *in L. Archtusa. ff. de stat. hom. & in L. Stichum*, 39. §. *si Stichus*, *ff. de stat. lib.*

2826. Ex hac regula sic exposita sequitur, quòd, cùm omnes contractus, & dispositiones (consequenter omnes obligationes) sint de aliquo dando, faciendo, vel omittendo, L. 2. *de verbor. oblig. & L.* 3. *ff. de actionib. & oblig.* quotiescunque dandum, faciendum, vel omittendum ex tali contractu, vel dispositione fuerit impossibile, vel de facto, vel de jure, nullam inde nasci obligationem. Nemo enim *præsumitur actum impossibilem exigere, aut velle facere; & nemo præsumitur eligere viam, per quam judicia sua subvertantur. L.* 1. *de milit. testam.* & in dubio capitur semper illa præsumptio, per quam actus potiùs valeat, quàm pereat, L. *quoties, de rebus dub. c. Abbate, de verbor. signif.* ut etiam verba impropriari debeant. V. D. Peck. 1. *de test. con.* 44. *n.* 2. *&* 1. *ad reg.* 83. Alciat. *reg.* 3. *præsum. c.* 34. *seq.*

2827. Potissimus hujus regulæ usus est, in casu, quo in contractibus, vel alijs dispositionibus adjicitur aliqua conditio, vel modus impossibilis *de facto*, vel *de jure*, præsertim in ea quæstione, *an*, *& quando talis conditio habeatur pro non adjecta*? seu, an, & quando vitiet contractum, aut vitietur? sed ad has quæstiones fusè respondimus *l.* 4. *tit.* 5. *de conditionib. appositis.* Hinc. not. 3. cùm dicitur, obligationem, saltem naturalem, nasci ex voluntario contrahentium, vel disponentium consensu, intelligendum de consensu *vero*; qui non est in consentiente sub conditione impossibili, cognita ut tali; nam nemo prudens vult, quod scit impossibile *L. non solùm*, *ff. de actionib.* si autem per errorem putavit eam impossibilem, *loc. cit. in tit.* 5. *l.* 4. jam expositum est.

Deinde verum non est, ex communi 2828.
consensu naturalem nasci obligationem: sed ita demum, si consensus ex firmo consilio, justaque, & rationabili causa proficiscatur. Naturalis siquidem obligatio fundatur in æquitate, & ratione. *l.* 1. *Stichum*, §. *naturalis*, *ff. de solut.* suadetque, etiam volentes ex turpi causa promittere, non obligari: quandoquidem natura utique dux optima est, & homo naturæ obediens, homini nocere non potest.

Not. 4. ex eo, quòd *L. veluti*, *ff. de* 2829.
*V. O.* dicatur: *ex turpibus promissionibus, & impossibilibus conventionibus, Officium Prætoris intendi; & ex hujusmodi obligationibus actionem negari*; non rectè inferri: *nasci obligationem saltem naturalem.* Nam ex eo, quòd vocentur in eo textu *obligationes*, non sequitur esse *veram* obligationem, sed ad summum *putativam.* Matrimonium contractum sine præsentia Parochi, & testium, vocatur *matrimonium*; sed *facti*; non *juris*, seu matrimonium non verum, sed irritum.

Eodem modo exponendum est, quan- 2830.
do in c. *ad peccatum*, 22. *q.* 4. dicitur, quòd latro frangat fidem latroni socio, quando contra pacta conventa partem spoliorum non tribuit. Nam in hoc casu *fides* latè sumitur, pro conventione facti, non juris; ea autem nullam etiam naturalem obligationem parit. Deinde aliud est de pacto dandi partem spoliorum, si juverit in latrocinio conditione adhuc pendente; aliud conditione impleta: in primo casu pactum de in futurum præstanda illa actione, est omnino nullius obligationis; in secundo autem, si post præstitam actionem turpem detur promissum, complures negant, accipientem teneri reddere; & danti actionem dari, solutum repetendi; nisi fortè faciendæ restitutionis causâ, vero Domino.

Ad *n.* 682. Huc etiam pertinet regula: 2831.
*ignorantia facti*, 13. *in* 6. ubi dicitur: *ignorantia facti, non juris excusat*; nam non rarò contingit, aliquem existimare, quòd excusari possit à commissa in observantia legis per ignorantiam; eò quòd circa ignoratum non sit voluntarium, nec liberum, atque adeò nec peccatum formaliter imputabile ad culpam. Pro hu-

jus

jus expositione not. 1. *ignorantiam* esse privationem cognitionis; *errorem* autem esse judicium falsum de objecto, quo quis ignorare, vel circa illud errare dicitur. Hinc distingunt ignorantiam *in privativam, & positivam*; per hanc intelligentes errorem; per illam cognitionis privationē. De utraque multa diximus *l.4.decret.tit.9.*

2832. Not. 2. ignorantiam consideratam, respectu rei ignoratæ, dividi in ignorantiā *facti, & juris; per factum* intelligitur actus aliquis positus, aut ejus omissio; hinc cùm quæritur, *an Titius occiderit*? an, *quod debebat facere, omiserit*? quæstio est *facti*; quando autem quæritur, *an hoc jure fecerit*? sive, an detur lex, actum, vel omissionem præcipiens, aut prohibens, est quæstio *juris*. Hinc ignorans primum, dicitur habere ignorantiam facti; ignorans alterum, dicitur habere ignorantiam juris. Not. 3. ignorantiam aliam esse *justam*, & probabilem, seu, ut Theologi dicunt, invincibilem; aliam *crassam*, seu supinam; aliam autem affectatam; de quibus plura Sanchez *l. 2. matr. D. 32. à n. 23. & in Decalog. tom. 1. l. 1. c. 16. & 23. justa, & probabilis* ignorantia illa est, quam nulla præcedit malitia, vel negligentia; ut, quia præmissâ debitâ diligentiâ non potuit quis scientiam adipisci.

2833. *Crassa* verò, seu *supina* ignorantia (à Theologis *improbabilis*, vel *vincibilis* dicta) est nescire id, quod quis investigare, & scire potest, & tenetur, & debet, præsertim ratione officij; tunc enim *ingnorans habetur pro sciente*. Affectata ignorantia est illa, quam habet is, qui, cùm posset, & deberet, noluit scire, ut liberius peccaret, juxta illud Psalmi 35. *noluit intelligere, ut bene ageret, c. penult. 37. dist.* de qua ignorantia habetur in c. *eos*, *de temporibus ordin.* sic Andr. Gail *lib. 2. observat. 48. n. 18.* ubi aliis relatis, dicit ignorantiam *affectatam* esse, quando quis per simulationem aliquid ignorat, hoc est, quando scire potuit, sed noluit, quia dissimulavit. De his ignorantiæ speciebus, videri etiam possunt à nobis tradita superius à *n. 682.* his positis:

2834. Quæstio est; an dictæ regulæ sit locus in foro conscientiæ, quando ignorantia est justa, probabilis, & inculpabilis? Resp. negativè, ex dict. supra, nam stante hac ignorantia, non adest voluntarium circa opus, quod fit, vel omittitur, in quantum requiritur, ut refundat malitiam in actum vel ejus omissionem. Ad hòc enim non sufficit opus *in esse operis*; sed *inesse peccati*, seu *moraliter mali*, esse volnntarium, ut ibidem diximus. Dixi 1. *in foro conscientiæ*; nam in foro externo etiam justa in re ignorantia, nisi legitimè probata, non excusat in facto *proprio*; præsumitur enim crassa, & supina, L. *quanquam, ff.* ad Vellejan. & c. *Ab excommunicato, de Rescript.* ibi: *qui de facto suo certus esse debet*; sed hoc intellige extra illos casus, in quibus ex circumstantijs negotii, & personarum, etiam in factis proprijs admittitur probabilis excusatio, veluti, quando factum est antiquum, in quo sit verosimilis oblivio; sic Maranta, *in repet. L. is potest, ff. de acquirend. hæred. num. 227.* vel quando factum est obscurum, & intricatum, Gail *cit. observat. 48. nu. 1. & 19.* vel in eo, qui multis negotijs implicitus est: Marant. *cit. n. 227. limit. 5. &c.*

Dixi 2. *in facto proprio.* Nam ignorantia *facti alieni* in dubio præsumitur & excusat. *L. verius, ff. de probat. L. hoc autem, ff. de administr. Tut. L fin. ff. pro socio*: sed hoc limita, ut non procedat, etiam in facto *alieno*, quando quis scire potuit, & *debuit*, ut, si factum sit *publicum*. Cùm enim Episcopus Altissiodorensis in Archie episcopum Senonensem postulatus, & Innocentius III. ad postulationi deferendum requisitus, consensum negaret, quòd dictus Episcopus interdictum non observâsset, & hic excusandum se allegâsset *ignorantiam facti alieni*, quòd scilicet à nullo sibi sententia interdicti intimata esset. 2835.

Respondit Innocentius, hanc ignorantiam nec sufficere, nec proficere; rationem reddens: quia interdictum à Legato Sedis à latere, præsentibus multis *solenniter*, ac *publicè* promulgatum fuit; & multi in Regno Francorum illud publicè observare cœperunt: neque enim verò necesse est, inquit Pontifex, constitutionem *solenniter, ac publicè promulgatam*, singulorum etiam auribus per literas, aut mandatum speciale inculcari: sed cùm primùm quispiam *publicam, & solennem promulgationem constitutionis*, aut sententiæ cognoverit, ad ejus observationem obligatus est, prout etiam constat ex c. *quod dicitis, 14. d. 16.* sed neque id valet ad 2836.

Episcopum excusandum, quod Rex in Altissiodorensi Diœcesi propriam terram non habeat; cùm Pontifex mandaverit, totam Regis terram subjici interdicto, idque mandatum interpretatus Legatus, in omnem terram, quæ eo tempore Regi adhærebat, interdictum promulgaverit. sed & inde constat dictum Episcopum excusari non posse, quia, cùm ipse videret ab Ecclesia Metropolitana interdictum recipi, & servari, suam Ecclesiam conformare debeat.

2837. Idem habetur in c. *fin. qui matrimonium accusare*; ubi, *cùm rationabiliter præsumatur, quòd denuntiationem publicè factam idem existens in ipsa diœcesi minimè ignoravit, tanquam suspectus est procul dubio repellendus*, nisi proprio firmavit juramento, quòd postea didicerit ea, quæ objecerit, & ad hoc ex malitia non procedat: quia tunc, etiamsi didicisset ab illis, qui denuntiationis tempore siluerunt, claudi non debet eidem aditus accusandi: quoniam, etsi ab impetitione hujusmodi culpa de silentio tali contracta illos excluderet, iste tamen amoveri nequiret, cùm culpabilis non existat: id, quod etiam habetur in c. *cùm illorum*, 32. *de sent. excom.*

2838. Quando autem ignorantia est juris, quantumvis justa in re sit, non excusat in foro externo, nisi legitimè probata; quod imprimis procedit, si de ignorantia juris divini, naturalis, & gentium agatur ex c. *turbatur*, 1. *q.* 4. §. *notandum*, id, quod etiam procedit de ignorantia juris humani, etiam municipalis, seu statutarij, si aliàs notorium sit, & indubitatum. Gail. *l.* 2. *observ.* 110. *n.* 8. quia quisque tenetur scire, quæ sibi lege, vel juris dispositione incumbunt, quæ scire potuit, & debuit. Ita Doctores communiter rationem dantes, quia jus introduxit præsumptionem istam, quòd omnes sciant leges, quia scire debent; & sic in odium ipsorum, ne eis succurratur, qui eas nesciunt, sequitur, quòd præsumptio hæc nulli alij, sed ipsis solis nocere debeat: Alciat. *reg.* 3. *præsumpt. c.* 13.

2839. Sed hoc limitandum est 1. ut procedat, quando jus est dubium, obscurum, difficile, seu arduum 2. quando adjunctam habet justam ignorantiam facti, vel proprij juxta *nu.* 2834. vel alieni juxta *nu.* 2835. Tertiò, quando constat de simplicitate, vel ruditate hominis, quæ quandoque inducitur ex circumstantia ætatis, sexûs, statûs agrestis, militaris, &c. Et ideo etiam contingit, ut Advenæ, vel novi cives alicujus communitatis justè ignorent jus, & leges municipales, &c.

Quæstio est 2. an dictæ regulæ sit locus, quando ignorantia est vincibilis, & culpabilis? ante resolut. not. ut ignorantia dicatur *vincibilis*, simul & *culpabilis*, plura requiri, ut ostendimus superiùs à *n.* 679. nimirum ut aliquo modo sit voluntaria; quòd homini fuerit possibilis opposita scientia: quòd diligentia possibilis, & debita juxta rei exigentiam non fuerit adhibita. Unde malitia formalis, quam importat ignorantia culpabilis, consistit formaliter in negligentia comparandi scientiam ex præcepto debitam, cùm haberi potuisset, & ibidem *num. tit.* diximus ex Vasquez; quid verò ignorantiæ culpabili superaddat, quando est *crassa*, vel *supina*, diximus ibidem *num. tit.* His præmissis: 2840.

Ad *n.* 1096. cùm in materia gratiarum, quæ fiunt à Principe, non rarò dubitetur, de vigore gratiæ, si concedens decedat priùs, quàm Commissarius, gratiam exequatur; vel an extincto concedente etiamnum duret? communiter usurpari solet regula, *decet*, 16. *in* 6. qua dicitur: *decet concessum à Principe beneficiũ esse mansurum*; intellige, nisi Princeps aliud in sua concessione significet. Rationem reddit Gibalinus *de scientia Canonica lib.* 8. *ad dict. regul.* 16. quia Princeps sine dubio intendit perfectum, & firmum beneficium, & privilegium facere, ut ejus liberalitas, & gratia perfectior existat, non manca, aut diminuta. Quare ejusmodi Principis favores non expirant per obitum concedentis. Unde Covarruvias *lib. practicar. quæst. c.* 11. *n.* 2. ait: licèt causa concessionis, quæ initio fuerit impulsiva, desinat deinde, non cessat dispensatio; ex Sanchez *lib.* 8. *de matr. D.* 3. *n.* 7. 2841.

Hæc regula desumitur ex c. *si super gratia* 9. *de offic. delegati in* 6. ubi dicitur, quòd Executor super gratia *facta*, datus à Papa, mortuo Papâ etiam re integrâ gratiam exequatur. Textus sic habet: *si super gratia cuiquam ab Apostolica Sede facta* 2842.

*cta executores fuerint deputati : æquum esse censemus, ut, sicut ipsa gratia (licèt nondum sit in ejus executione processum) morte non perimitur concedentis, sic ut nec, etiam re integra perimatur executoribus data potestas, quam veluti gratiæ prædictæ accessoriam, naturam sequi congruit principalis; ne gratiam eandem vel reddi, quandóque omnino inutilem, vel ipsius effectum in tempus longius (cum illius dispendio, cui facta extitit) differri contingat.*

2843. Similiter habet c. *si cui* 36. *de præbend. in 6.* ibi: *si cui* (nulla personarum facta expressione) *sit gratiosè concessa facultas, ut authoritate Apostolica possit aliquibus personis idoneis in certa Ecclesia providere, vel beneficia* (quorum collatio est ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta) *conferre, contradictores eadem auctoritate per censuram Ecclesiasticam compescendo: hujusmodi concessio* (*quam, cùm specialem gratiam contineat, decet esse mansuram*) *non expirat etiam re integra per obitum concedentis:* secus, si super provisione *certæ personæ* facienda sit data potestas eidem, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, gratiam, vel favorem; illa quidem exspirat omnino, si concedens re integrâ moriatur.

2844. Nec obstat, quòd c. *si super* loquatur *indefinitè*; hoc autem *restrictè* ad casum, quo beneficium concessum est, nulla personarum facta expressione. Nam ad utrumque conciliandum notandum est, *ad quem* rescriptum gratiæ dirigatur? an ad eum, cui gratia fit, licèt causa (nempe finalis) delegationem contineat alteri directam? an verò non ad eum, in cujus favorem gratia fit? quo posito: respondet Barbosa *in cit. c. si cui n.* 3. quando dicitur in c. *si super*, gratiam non expirare morte concedentis etiam re integra, intelligendum in primo sensu, quando gratia fit *in genere*, nimirum non expressâ personâ, cui fit; restrictionem autem, quam facit c. *si cui* procedere solùm, quando gratia fit *in specie*, nimirum expressâ certâ personâ, & tali casu exspirare beneficium morte concedentis re adhuc integra.

2845. Dici fortâsse etiam posset, textum in c. *si super*, loqui de gratia *facta*; alterum verò in c. *si cui*, in quantum restringit, de gratia primum *facienda* certæ personæ. Hinc etiam distinguunt aliqui potestatem dispensandi in eam, quæ conceditur *non expressis*, ac illam, *expressis personis*, cum quibus est dispensandum; & *illam* dicunt latè, *istam* strictè interpretandam. Ita Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 2. *n.* 6. Covarr. *de Sponsal. p.* 2. *c.* 8. §. 8. *n.* 6. rationem dat Sanchez, quòd in priori casu sit beneficium, ac privilegium *activum* illius, qui dispensaturus est, & in ejus gratiam confertur: quare, ut beneficium Principis, latè exponitur; at in posteriori est privilegium *passivum* ipsius, cum quo dispensandum est, utpote in ejus favorem concessum. Quare non est tam dispensandi facultas, quàm quasi dispensatio *in esse producta* solam executionem exspectans. Ex quo videtur colligi, primum fundari in gratia jam *facta*; secundum, in gratia primùm *faciendâ*.

Ex his deducitur 1. sensum regulæ esse, quòd quæcunque facta beneficia Principum, secundùm honestatem debeant esse permansura, & stabilia, nisi contrarium exprimatur, aut aliunde colligatur; cùm intentio Principis feratur in beneficium perfectum, & firmum, secundùm *nu.* 2843. Dixi *secundùm honestatem*, hoc enim denotat ly *decet*. Principem enim maximè decet constantia. Ex quo vides, si causa justa subsit, beneficium etiam à Principe concessum, posse tolli, nisi habeat rationem contractûs, vel quasi, aut remunerationis. 2846.

Deducitur 2. concessiones gratiosas à Principe factas, per ejus obitum non exspirare etiam re integrâ, ex *n.* 2841. quod verum est, ut vult Barbosa *cit. in dict. Reg.* 16. *n.* 3. etiamsi cessaret causa concessionis, quæ in principio erat; quod tamen limitat, si fuit causa *impulsiva*; sed de hoc vide à alibi. Deducitur 3. regulam intelligi de beneficio *concesso*, non autem per importunitatem *exorto*; hæc enim non decet esse mansura; quia non censetur Princeps verè consensisse; quod ita concessit. Plerumque enim (inquit Justinianus *L.* 1. *C. de petit. bonor. sublata*) *ita nonnullis causis inverecundâ petentium inhiatione constringimur, ut, non concedenda tribuamus.* Ideoque nullam habent firmitatem (*c. cùm in juventute* §. *cæterùm*, *de purgat. canonica*) non magis, quàm rescripta contra jus elicita, *L. rescripta. C. de* 2847.

*precib. Imp. offic.* & Divinam jussionem, hoc est, imperiale mandatum continentia. Auth. *at qui semel C. de proba. conf.* Gail. *lib. 1. ob. 14. & 2. obs. 58. num. 2. & seq.*

2848. Deducitur 4. etsi *beneficium* propriè, & in specie Principis tunc sit, quando de suo, vel secundùm, vel præter jus commune aliquid concedit, veluti cùm vel feudum tribuit, vel domum aliquam propriam donat; *Privilegium* autem propriè sit contra jus commune, ut, cùm dicit Princeps, se aliquid concedere *tali lege non obstante.* Jason. *dict. L. fin. n. 15.* hanc distinctionem tamen in hac regula non esse observandam, cùm etiam privilegium nomine beneficij lata interpretatione comprehendatur. Deducitur 5. permanentiæ beneficij, prout requiritur vi datæ regulæ, non obstare, quòd quandóque amittatur, vel culpâ ejus, cui concessum est (v. g. non usu, etiam data occasione utendi) vel aliâ justâ causâ id exigente revocatur, ut V. potest *supr. in tit. de privileg.*

2849. Huc facit regula: *Indultum 17. in 6.* quæ sic habet: *indultum à jure beneficium non est alicui auferendum;* desumpta est ex L. *adulter C. ad legem Juliam. de adulter. & L. 1. ff. de Feriis.* Sensus regulæ est: quòd *nullus inferior possit alicui tollere, vel minuere gratiam, beneficium, vel privilegium ab alio concessum, nisi possit tollere, vel minuere jus ab ipso constitutum.* Nam, quæ à jure communi alicui specialiter collata sunt, ea justè per inferiores, invito altero, tolli non possunt; c. *cùm inferior de Majorit. & obed.* idque procedit in beneficijs, & privilegijs, non tantùm *realibus*, sed etiam *personalibus*; cùm & hæc perpetua esse possint, nimirum ad dies vitæ talis personæ; nec obstat hanc interire posse, nam & re pereunte perit privilegium reale, & tamen dicitur mansurum, seu perpetuum.

2850. Ex hoc sequitur 1. quòd quis periculum capitis non impunè avertere possit, nullo jure prohiberi posse; cùm jure naturali, contra injustum aggressorem, defensio necessaria indulta sit; nec, ut quis condemnetur, inauditus, & negata defensione jure concessâ: similiter legitima filiorum lege præscripta, à nullo Judice, vel homine tali jure inferiore, nec etiam dilationes à jure concessæ tolli, aut minui possunt; sic Felinus in c. *cùm sit Romana de appellat. n. 7.* & alij. cum gloss. *magn. in L. quod jussit. ff. de rejudicat.*

Sequitur 2. quod dicitur in regula, *beneficium à jure concessum non esse alicui auferendum*, solùm procedere de his, qui tale jus, vel legem non possunt tollere. Unde licèt legitima filiorum jure præscripta ab homine tolli, vel minui non possit, ut per totum *tit. de inoffic. testam.* consuetudine tamen, lege, vel Principis authoritate rectè minuitur. Ita Dynus hìc cum communi, ut per Cov. *de Sponsal. p. 2. c. 8. §. 6. n. 4.* Sequitur 3. quòd provisio hominis tollat provisionem juris in beneficiis, quando hæc introducta est solùm in defectum hominis. Et ideò regula non procedit in beneficijs, quæ à jure conceduntur in defectum hominis, si provideat homo. Tunc enim deficit conditio, ut locus sit provisioni juris; ita communis. 2851.

Quæstio etiam fieri potest, an quæ in principio invalidè acta sunt (v. g. propter defectum alicujus, jure ad valorem actus requisiti) convalescant, sublato tali defectu? videtur, quòd non ex regula. *Non firmatur 18. de Reg. juris in 6.* qua dicitur, *non firmari tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit;* sensus est (ut vult Gibalinus hìc) quòd effectus nullitatis alicujus actus jam producti nunquam valeat, etiam sublatâ nullitatis causâ, licèt superveniant eà omnia, quæ deerant ad valorem. Rationem dat Peckius hìc *n. 1.* quòd sicut factum legitimè retractari non potest, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit incipere; sic vice versâ non firmetur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit, ut sic par, & eadem ratio sit, & disciplina contrariorum. 2852.

Hæc tamen regula non ita indefinitè accipienda est; nam plura, quæ, dum ponebantur, non fiebant validè, evadunt deinceps valida non nudo lapsu temporis (tempus enim non est modus inducendi, vel tollendi obligationem. L. *obligationum 2. placet, ff de actionibus, & obligat.*) sed accessione saltem tacita illorum, quorum defectu non valebant ab initio, quod tamen intelligendum est non de actu intrinsecè invalido; sed solùm extrinsecè, nimirum ex defectu vel absentia aliorum, 2853.

quæ

quæ sunt de intrinseco constitutivo actûs in esse validi.

2854. Sensus igitur illius regulæ videtur esse, quòd, quæ de jure ab initio non subsistunt, nec firmentur tractu temporis, sic ut valeant *ex tunc*, quantumvis postea ponantur ea, quorum defectu actus in principio de jure nullus erat; non autem, quòd non valeant *ex tunc*, si sequatur alius actus existentibus omnibus ad valorem requisitis; sic Barbosa *in dict. regul.* 18. *n.* 3. volens sic procedere *L.* 1. §. 1. *ff. de Legat.* 3. ubi, postquam dictum est, *si filiusfamilias, vel servus fidei commissum reliquerit; non valere*, subjungitur: *si tamen manumisse decessisse proponantur, constanter dicemus, fideicommissum relictum videri, quasi nunc datum, cùm mors ei contingit, videlicet si duraverit voluntas post manumissionem.*

2855. Ex hoc sequitur, si ex postfacto, saltem tacitè superveniant ea omnia, ex quibus constituitur actus ille, de quo agitur non habito respectu ad id, quod præcessit nulliter, actum novum incipere esse *nunc* validum; & probabiliter etiam, si prior actus pro tunc solùm extrinsecè invalidus, ex se autem aptus, validari reliquorum accessione, usque ad hoc tempus durat.

2856. Cæterùm, si accessio eorum, quorum defectu actus in principio nullus erat de jure, per fictionem juris retrotrahatur in aliquo casu ad tempus actus in principio gesti nulliter, non quidem tractu temporis, sed juris dispositione, ac confirmatione subsecuta, saltem quoad certos juris effectus, validus erit, prout contingit quoad legitimitatem prolis ex matrimonio jure nullo, si subsequatur dispensatio in radice matrimonij.

2857. His, quæ diximus superiùs, addi potest elucidatio illius quæstionis, an quis circa idem objectum habere possit duplex judicium, quorum uno probabiliter judicet, illud existere, altero, non existere. Nam ad hoc exponendum not. 1. dupliciter fieri posse, quòd quis judicet dari existentiam legis præceptivæ, vel prohibitivæ alicujus operis. 1. ferendo judicium absolutum de veritate rei in se. 2. de veritate rei in apparentia motivorum suadentium, vel dissuadentium existentiam talis legis. Certum enim est, in quæstione de existentia alicujus rei v. g. revelationis divinæ de Incarnatione Verbi, aliud esse judicium de veritate revelationis *in se*; aliud *de apparentia motivorũ* suadentium prudentem ejus credibilitatem. Hinc *aliquid esse revelatum* verum esse potest veritate solùm extrinseca, & in apparentia, quàm habet *in alio*; esto falsum sit spectata veritate rei *in se*.

2858. Ex hoc vides: judicium, quo quis absolutè verum judicat, *non existere præceptum*, non esse in eodem intellectu simul compossibile cum judicio, quo quis absolutè verum judicet *existere præceptum*. Nam sic simul in eodem intellectu, circa idem objectum, eodem modo sumptum, essent duo judicia absoluta metaphysicè contraria, nimirum assensus, & dissensus; & intellectus simul judicaret absolutè, *idem esse, & non esse*, quod est evidenter falsum. Si dicas *probabiliter judicare* judiciô absolutô, *existere præceptum in se*, *& probabiliter judicare* judiciô absolutô, *non existere præceptum in se*, non sunt judicia methaphysicè contraria; ergo hæc duo judicia simul esse possunt circa idem eodem modo sumptum in eodem intellectu.

2859. Resp. advertendum, valde inter se differe, *probabiliter judicare*, judiciô absolutô, *existere præceptum in se*, *& judicare* judicio absoluto, *probabiliter existere præceptum in se*; nam in primo casu ly *probabiliter* appellat supra judicium existens in judicante, quin probabilitas, quam judicium subjectivè habet, sit objectum illius judicij; in secundo autem casu probabilitas habet se objectivè; cùm sit objectum judicij dicentis, *existentiam legis habere probabilitatem.*

2860. Ratio est: quia cum ly *probabiliter* appellat solùm judicium *subjectivè* existens in judicante *probabiliter*, *dari*; & judicante *probabiliter non dari legem*, utriusque idem est objectum affirmatum, & negatum, nimirum *veritas rei in se*: quando autem unum judicium probabiliter *subjectivè* judicat, *dari legem*, & alterum judicat *solùm objectivè*, *seu probabiliter non dari legem*, ly *probabiliter* appellante ipsam apparentiam veritatis objectivæ in alio, non habent idem objectum; primum enim est *de veritate rei in se*; secundum de veritate *rei in alio*, nimirum in apparentia motivorum. Aliud

ergo est, probabili judicio negare, vel affirmare, quod à parte rei existat lex; aliud absolutô judiciô negare, vel affirmare, quod detur probabilitas de existentia legis.

2861. Ex hoc habetur solutio argumenti in *n.* 2858. Nam. dist. ant. probabiliter judicare judiciô absolutô, *quòd existat lex*, & probabiliter judicare judiciô absolutô, *quòd non existat lex*, non sunt judicia metaphysicè contraria, si ly *probabiliter* se habeat in utroque *subjectivè*, & tantùm appellet modum judicij. N. ant. si in uno se habeat *subjectivè*, & in altero solùm *objectivè* vel in utroque solùm objectivè, seu appellet tantùm objecti probabilitatem, seu veri apparentiam C. ant. N. conseq. Nam qui judicat existentiam legis *in motivis apud alios habere apparentiam veri, & apud alios non existentiam legis*, non componit judicia de se contraria in suo intellectu, sicut id citra ullam contrarietatem contingit, quando affirmo, Petrum affirmare, & Paulum negare, cursum Turcæ.

2862. Hinc bene possum judicare, utramquè opinionem sibi mutuò contradicentium, apud suos authores habere probabilitatem, & hoc sensu, cuique suam opinionem esse probabilem; quia respectu mei judicii probabilitas illarum opinionum habet se merè *objectivè*; at si una earum mihi est *subjectivè* probabilis, hoc est, si ego judicem judicio subjectivè probabili, & absoluto pro una parte v.g. *non existere legem à parte rei*, pro sensu composito, ac retento hoc judicio, nequit altera earum (nempe opposita, quæ dicit *existere legem*) mihi esse probabilis *subjectivè*, seu nequeo ego simul judicare judicio probabili subjectivè, & absoluto, existere legem. Nam absolutè negans existentiam legis judicio, vel opinativo, vel certo pro sensu composito cedenti talis judicii absolutè affirmare nequit existentiam legis judicio opinativo, vel certo ex dictis.

2863. Ne autem confusio enascatur ex non observata terminorum appellatione, cùm dicitur: *Titius probabiliter judicat legem non existere*, & *judicat probabiliter legem existere*, bene observandum est discrimen inter actus, quorum unus probabiliter, & absolutè non modaliter negat existentiam legis, & alter probabiliter affirmat, probabiliter legem existere, seu dari probabilitatem de legis existentia; hæc enim judicia, ut jam diximus, bene simul comparantur in eodem intellectu, cùm versentur circa diversa objecta. Primum enim absolutè negat, judicio subjectivè probabili existentiam legis; secundum autem non affirmat absolutè judicio subjectivè probabili existentiam legis; sed tantùm probabilitatem ejus, seu quòd ejus existentia habeat verisimilitudinem seu apparentiam veri. Primùm dicit: *existere legem, non est verum in se*; secundum autem: *existere legem est verum verisimiliter*, seu in alio) utrumque tamen eum incertitudine subjectiva; cùm neutrum ponatur certum formaliter judicanti.

Dices: qui judicio subjectivè probabili, & absoluto, negat existere legem, eo ipso, vel directè, vel indirectè negat veritatem judicio contradictorio, affirmanti *existere legem*, consequenter judicat esse falsum judicium, affirmans *existere legem*, sed si judicat esse falsum judicium affirmans *existere legem*, nequit simul judicare judicio subjectivè probabili, & absoluto, judicium affirmans legem existere esse verum verosimiliter, & in apparentia: ergo. 2864.

Resp. datâ majore N. min. quia judicare, quòd sit falsum *in se*, legem existere; & simul esse verum *in apparentia*, legem existere, non sunt judicia opposita; cùm sint circa diversa. Primum enim negat existentiæ legis veritatem *in se*, & à parte rei; secundum, affirmat veritatem *in alio*, nimirum in apparentia motivorum. Sic eidem *falsum in re* potest esse evidenter credibile; ergo etiam falsum in re potest eidem esse verum *apparenter*. Quando objectum est à parte rei, sicut enuntiatur, dicitur *verum intrinsecè*, *ac in se*; quando autem *in alio principio*, vel *motivo*, dicitur *verum extrinsecè*, & *apparenter*; at negare, quod objectum sit *verum intrinsecè*, & in se; ac affirmare, quòd sit *verum extrinsecè*, & *apparenter*, non sunt affirmatio, & negatio ejusdem secundùm idem; ergo non sunt opposita; ergo fieri potest, quòd quis neget objectum esse verum in se; & simul affirmet, quòd sit verum in alio. 2865.

Et ideo, quando mihi subjectivè probabilis est opinio, seu quando ego probabiliter judico *non existere legem in se*, non eo ipso nego existentiæ legis veritatem in alio, 2866.

alio, seu veri apparentiam. Nam *pro falso* dari potest tanta, vel etiam major apparentia veri, quàm *pro vero*, ut notavit ipse Aristoteles, ibi: *Falsa sæpe sunt probabiliora veris.* Et ratio est, quia judicium negativum *categoricè*, ac absolutè negans *dari cursum Petri*, non contradicit judicio *modaliter* affirmanti, *dari cursum Petri*; ergo qui judicio subjectivè, seu sibi probabili, categoricè, ac absolutè negat, dari legem prohibitivam talis operis, non contradicit judicio modaliter affirmanti, dari legem prohibitivam talis operis, nam qui negat solùm *dictum propositionis*, non negat eo ipso *modum dicti*: modalis enim negatur negato modo.

2867. Hinc colliges 1. utramque partem contradictionis posse esse *probabilem subjectivè* diversis intellectibus. Nam in multis quæstionibus gravissimi Doctores sæpè dissident, uno affirmante, altero negante, neutro eorum destituto gravi fundamento etiam rebus hinc inde examinatis ad taliter sentiendum; hoc autem est unam partem contradictionis probabiliter affirmari ab uno, & probabiliter negari ab altero; atque adeò utramque contradictionis partem diversis esse subjectivè probabilem, nimirum ex diversis principiis; ergo.

2868. Colliges 2. utramque partem contradictionis eidem intellectui simul tempore posse esse *probabilem objectivè*. Per hoc enim aliud non volumus, quàm quod idem de duabus opinionibus aliorum, oppositis contradictoriè ferat judicium, quo affirmet, utramque, spectatis principiis, & motivis, prudentes judicare, & assensum præbere, quemlibet pro sua parte, at hoc fieri potest ex *n.* priori: ergo utraque pars contradictionis eidem intellectui potest esse probabilis *objectivè*.

2869. Colliges 3. utramque partem contradictionis eidem intellectui simul tempore non posse esse *probabilem subjectivè*. Nam unam partem contradictionis v. g. *existere legem mihi esse probabilem subjectivè*, est me judicio incerto, sed prudenti, categoricè, ac absolutè judicare, *legem existere*; ergo utramque partem contradictionis eidem intellectui esse probabilem subjectivè, est illum simul tempore judicio incerto, sed prudenti categoricè, & absolute judicare *existere, & non existere legem*; hoc autem fieri non potest prudenter ab eodem intellectu simul tempore, cùm sit lumine naturæ notum *non posse idem esse, & non esse*, categoricè, ac absolutè.

Colliges 4. eidem intellectui posse esse *subjectivè probabile*, legem existere, & *objectivè probabile*, legem non existere, vel è contra; quia mihi subjectivè esse probabile, *legem existere*, est me judicio prudenti, categoricè, ac absolutè judicare legem existere; & simul tempore mihi esse objectivè probabile, *legem non existere*, est me judicio prudenti *modaliter* judicare legem non existere, seu, quod idem est, dari rationabilem apparentiam veri quod lex non existat; at hæc duo judicia simul stare possunt in eodem intellectu per dicta. 2870.

Unde quando dicitur, quòd utraque pars contradictionis possit simul esse probabilis eidem etiam intellectui propositionem posse dupliciter intelligi 1. quòd eidem intellectui utraque pars possit esse probabilis subjectivè. 2. una pars probabilis subjectivè, altera solùm objectivè; in primo sensu propositionem negandam esse ex *n.* 2869. in secundo concedendam ex *n.* 2870. 2871.

Ex hoc sequitur 1. quando quis judicio subjectivè probabili judicat, legem non existere; illum pro sensu composito, & retento illo judicio, non posse judicio etiam probabiliori subjectivè affirmare legem existere, sic enim judicio absoluto & categoricè (licèt solùm opinativo) affirmaret existere, & non existere legem, ut diximus *n.* 2869. 2872.

Sequitur 2. quando quis judicio subjectivè probabiliori, categoricè ac absolutè judicat, vel negat legem existere, illum non posse simul tempore judicio subjectivè probabili, categoricè, & absolutè judicare, seu affirmare, *legem existere*. Ratio est ex *n.* 2869. licèt utrumque possit judicio modali, seu probabili solùm objectivè ex *n.* 2870. 2873.

Ad *n.* 108. ad eandem quæstionem (*an in dubio sit melior conditio possidentis*) consequenter (an in dubio legum de aliquo, lex tunc obliget dubitantem? Sanchez *l.* 1. *Decalogi D. c.* 10. *n.* 32. *respondet*: multò verius esse, præceptum, & legem tunc temporis non obligare, sive sint naturalia, sive Divina positiva, sive humana; 2874.

mana; quòd in hoc dubio sit tota possessio pro voluntatis libertate: præterea, quia nemo obligatur lege, nisi illi sit sufficienter proposita; at, quando post sufficientem diligentiam manet quis dubius, an sit lex, & præceptum? non sunt illi sufficienter proposita: ergo, etsi in genere, aut speculativè maneat dubius, an sit lex, & præceptum, est in particulari, seu practicè certus, se non obligari tali lege; sic etiam docent Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. D.* 40. *sect.* 5. *n.* 15. Henriquez *l.* 8. *de Eucharist. c.* 45. *n.* 3. *in com. lit.* P. Em. Sa, *Summa*, *V. dubium*, *n.* 2. atque eodem modo dicendum esse, nec legem, nec præceptum obligare, quoties de illis constat, & dubium est, an hæc res comprehendatur sub illis; ut tradit Sanchez *nu.* 33. quia tunc perinde prorsus est, *ac dubitare*, an lex, & præceptum sint imposita de ea re; ita etiam Salas de utroque casu 1. 2. *q.* 21. *tr.* 8. *D. unic. sect.* 25. *n.* 258. imo Salas *n.* 259. censet, idem dicendum esse, dum constat de lege, aut præcepto, sed dubium est, an in eo casu ratione necessitatis, aut alterius circumstantiæ occurrentis aliquis ab illius obligatione eximatur? sed in hoc ultimo contrariũ sentit Sanchez *cit. n.* 33.

2875. Hanc sententiam limitat P. Joan. Bapt. Gormaz *de Pœnit. p.* 2. *D.* 2. *sect.* 3. *§.* 2. *à n.* 164. ubi proposita quæstione, an negativè dubitans, *num peccaverit graviter*? contineatur sub lege Tridentini de confessione peccatorum gravium, *quorum quis conscientiam habet*? atque adeò, num peccatum dubium sit tale, ut dubitans dici possit *habere conscientiam* peccati dubii, qua dubii? secutus affirmativam (ut constat ex §. 1. *n.* 157.) ad hoc argumentum (quandocunque est dubium circa actionem, ex qua primò lex nascitur, sive primò incurritur legis obligatio, standum est pro libertate, & negandum, quem teneri lege; sed commissio peccati mortalis est actio, ex qua primò nascitur lex confessionis, seu primò ejus obligatio incurritur: ergo, qui de eo dubitat, non tenetur lege) respondet *n.* 165. maj. esse veram, quando præceptum, seu lex se non extendit ad casum etiam dubium.

2876. Existimat autem, legem Tridentini præcipientis confessionem peccatorum, *quorum quis conscientiam habet*, extendere se etiam *ad peccatum dubium*, atque adeò quoad hoc doctrinæ illi, quam *num.* 2874. retulimus ex Sanchez, & aliis *ibid. cit.* in qua fundatur argumentum sibi objectum, non esse locum. Min. prob. quia *conscientia* habetur non tantùm de peccato certo, sed etiam dubio; probat verò exinde, quia non tolùm potest homo habere scientiam de eo, quod peccavit, sed etiam de eo, quod dubitat, an peccaverit; etenim non est minùs certus, quod scit id, quod scit, quàm quod dubitat de eo, de quo dubitat; atqui utraque certitudo sufficiens est ad scientiam, & conscientiam, juxta Tridentinum: ergo.

Sed hæc instantia non rectè videtur limitare doctrinam *num.* 2874. relatam; tametsi enim verum sit, legem extendere se etiam ad casum dubium, quando expressè statuitur non tantùm pro casu *certo*, sed etiam pro casu dubio; sicut lex punitiva delicti pœnâ gravi extenditur etiam ad delictum *solùm attentatum*, si expressè statuitur non tantùm pro delicto *consummato*, sed etiam solùm *attentato*; secus tamen est, quando id non exprimitur: jam verò lex præcipiens confessionem mortalium, quarum *quis conscientiam habet*, nullatenus exprimit, quòd debeamus confiteri peccata, quando certi sumus, nos dubitare, an peccaverimus? sic enim non habemus conscientiam, seu scientiam *peccati*, sed tantùm dubii, ut pluribus exposui *in Tract. Theol. de pœnit.* ergo per hanc instantiam desumptam à præcepto confitendi peccata, *quorum conscientiam habemus*, non rectè limitatur doctrina, quæ tradit, legem non obligare, quando dubium est, an detur id, quo non posito non est lex. 2877.

Ad ea, quæ diximus *n.* 2816. etiam pertinet, quod non ita pridem inter Titium, & Cajum agebatur super quæstione, *an probabilitate careat*? quòd in Confessario per examen, vel aliàs approbato *absolutè*, ac *simpliciter*, *mutatâ diœcesi non cesset approbatio*? Titio affirmante, Cajus opinionem ejus penitus, reprobavit, inter alia etiam ex eo, quòd nullum legerit, qui eam tali casu *non cessare* affirmaret; sed Titius, qui probè judicare potuit, eum non omnes legisse, remisit ad Castropalaum, qui *p.* 4. *de Sacram. Pœnit. tract.* 23. *D. unic. p.* 17. §. 4. *n.* 4. (postquam *n.* 3. amplexus esset sententiam, tanquam communio- 2878.

rem

rem inter Doctores, quæ affirmat, *eam cessare*) subjungit: *verùm, esto ita sit, probabilitate non caret, approbatum ab uno Episcopo, mutatione domicilij, approbationem non perdere;* sic docuit Cordub. *q.* 10. *ad* 2. Henriquez *de pœnit. l.* 3. *c.* 6. *n.* 7. Coninch. *D.* 8. *d.* 7. *n.* 53. Man. Rodriq. *in expos.* Bullæ, *c.* 9. *d.* 2. Barbos. *alleg.* 25. *n.* 16. quia approbatio est quoddam judicium authenticum de idoneitate personæ, quod semel factum perseverat, dum retractatum non est. Neque à subjectione actuali Episcopi, à quo receptum est, pendere videtur: sicuti non pendet gradus Doctoris, & Magistri in Universitatibus recepti à subjectione eorum, à quibus recepti sunt. Neque contrarium declaravit Sacra Cardinalium Congregatio, dum dixit: in Diœcesi Valentina non censeri approbatum, qui ab alio, quàm ab Episcopo Valentino approbatus est; quia intelligi debet *de approbatione jurisdictionem concedente*, hæc enim ab alio in Diœcesim Valentinam, quàm ab Episcopo Valentino concedi non potest. Deinde non obstat privilegium Religiosis Societatis concessum à Gregorio XIII. tum, quia sæpe privilegia conceduntur, non quia absoluto necessaria sint; sed ad majorem securitatem, ne ex contrarijs opinionibus scrupulus oriatur; sic in terminis citatus Author; nec puto, rectius contra Cajum à Titulo responderi debuisse, quàm ad hominem. Cui materiæ hic nihil amplius addendum, cùm apud Theologos morales similia fusè pertractentur? unde hæc ad DEI Gloriam in Librum 1. Decretalium conscripta sufficiant.

O. A. M. D. G.

# INDEX

# TITULORUM, ET QUÆSTIONUM IN LIBRUM I. DECRETALIUM, CONTINENS SUMMAM ARTICULORUM, ꝛꝛ. AC POTISSIMUM RERUM.

Numerus appositus significat marginalem per totum opus.

## QUÆSTIO I.

*Ad Titulum.* 1. *de Summa Trinitate, & Fide Catholica.*


ARticulus 1. de doctrina Fidei Catholicæ. à *nu.* 2. qualiter tres personæ sint unum unitate naturæ, seu essentiæ? *ibid.* rejicitur unitas solius similitudinis, & collectionis; & asseritur unitas veræ identitatis realis; *ibid.* & *n.* 10. ut non tantùm omnes tres divinæ personæ simul, sint eadem numero natura, & essentia, sed etiam quælibet earum, *ibid.* & *nu.* 6.

Quæ denotetur unitas Fidelium per illũ textum: *volo, ut ipsi unum sint in nobis, sicut & nos unum sumus? n.* 2. *in fin.* & *n.* 12. an in divinis detur simplicitas excludens omnem à DEO compositionem realem? *nu.* 3. quailter divinæ personæ dicantur *coæternæ*, cùm non sint tres æterni, sed unus æternus ex symbolo Athanasij? *n.* 4.

In quo consistat consubstantialitas divinarum Personarum? *nu.* 5. cur in divinis non sit quaternitas? licèt natura divina nec sit generans, nec genita, nec procedens. *nu.* 7. juxta fidem Catholicam utraque sequens propositio (*natura divina est generans*, &, *natura divina non est Pater, qui generat*) est certò falsa. *nu.* 7.

Stante doctrina fidei, certum est, divinas personas sic idem esse in natura, ut tamen realiter distinctæ sint in personis. *n.* 7. consequenter earum identitatem in natura, seu essentia inseparabiliter annexam habere distinctionem in personis, & vicissim.

An ex hoc rectè sequatur, inter divinam essentiam, & singulas personas admittendam esse aliquam distinctionem nemine cogitante, diversam ab ea, quam fides docet esse in personis? *n.* 8.

Identitatem divinarum personarum in natura Innocentius III. vocat *substantialem*; alii essentialem: & distinctionem in personis, *relativam*; alii personalem. *n.* 8.

Articulus 2. de varijs contra Fidem Catholicam erroribus damnatis ab Ecclesia.

Doctrina Petri Lombardi. *n.* 9. qualiter impugnata per Joachimum Abbatem? *ibid.* impugnatio Abbatis reprobata per Concilium generale, & approbata doctrina Lombardi. *n.* 10. Ratio Concilii, cur stante doctrina Lombardi, in divinis non sit quaternitas? *nu.* 10.

Licèt damnetur doctrina alicujus Authoris, non propterea damnatur hoc ipso ejus Author. *n.* 10. secus, damnato Authore *ibid.* saltem in tantum, ut, esto Authoris damnati liber bonus sit, allegatus jure non habeat authoritatem. *n.* 10. Delictum Prælati non redundat in Capitulum ei non consentiens. *n.* 10.

Ex mente Concilii generalis, citra ullam repugnantiam absolutè verum est, *quòd natura divina sit Pater, qui generat*, quin ipsa sit *generans. n.* 12. contradictionem quandam in hoc ipso esse, censebat Abbas Joachimus. *ibid.* qualiter eam dissolvat Glossa in cap. *Damnamus*, V. *neque genita. n.* 13.

Dissolvitur clarius, si prædicatum utriusque propositionis servet eandem utrobique appellationem. *num.* 14. Deinde, quòd non veniat in utraque idem prædicatum. *nu.* 15. Demum, quòd nec idem subjectum. *nu.* 16.

De variis erroribus Almarici, condemnatis ab Ecclesia. *n.* 17. quando in sacris canonibus simpliciter fit mentio de Concilio *generali*, semper denotari *Lateranense*, *n.* 17. Sententia negans, Spiritum S. æternaliter procedere à Patre, & Filio, vel eundem procedere ab illis tanquam uno principio, damnata est ab Ecclesia, *nu.* 18. respondetur argumentis Græcorum. *n.* 19. & seqq.


## QUÆSTIO II.

*Ad Titulum* 2. *de Constitutionibus.*


Constitutionis varia acceptio. *n.* 22. pro quo supponat strictè? *ibid.* hìc sumitur latè pro omni humano jure scripto. *ibid.*


PARS.

## PARS I.

### *De Legibus in communi.*


Articulus 1. de jure in genere à *n.* 23. ejus varia acceptio. *ibid.*

§. 1. de jure naturali. *n.* 24. ejus naturale non oritur formaliter ex voluntate Superioris, *n.* 24. dantur quædam mala, non propterea mala, quòd sint prohibita; sed è contra, *ibid.* jus naturale, quod Legistæ vocant primævum, est jus liberius, & crassius, seu minus propriè *n.* 25.

§. 2. de jure positivo. *nu.* 26. in quo consistat formaliter? *ibid.* aliud est divinum, aliud humanum, vel Ecclesiasticum, vel sæculare. *ibid.* quid publicum? quid privatum? *ibid.* ad jus positivum humanum secundùm aliquos reducitur jus gentium; & quid per hoc intelligatur? *nu.* 27. qualiter hoc differat à jure naturali? *n.* 28.

§. 3. de jure sæculari, seu civili. *nu.* 29. ejus divisio multiplex. *ibid.* de speciebus juris scripti apud Romanos. *n.* 29. quid apud eos intelligebatur per Legem? *n.* 30. per Plebiscitum? *n.* 31. quid per Senatusconsultum? *n.* 32. quid per placitum Principis, seu constitutionem? *n.* 33. quid per edicta Prætorum? *n.* 34. quid per Responsa prudentum? *n.* 35.

Differentia plebis à populo, *n.* 31. Patricii & Senatorum. *ibid.* legis & plebisciti. *ibid.* quid lex Regia? *n.* 33. quid rescriptum, decretum, vel edictum Principis? *n.* 33. Quæ olim potestas Prætorum; quid jus honorarium, seu prætorium? à *n.* 34. an edicta prætoria sint perpetua? quæ illorum vis? *ibid.* unde ortum habeant leges duodecim Tabularum? *nu.* 35. quæ responsa prudentum obtineant vim legis? *n.* 36.

Pro quo ex communi nunc usu supponat jus civile? in quot partes dividatur corpus juris civilis? *n.* 37. 47. quid pandectæ, seu digesta? quid digestum novuum, vetus, infortiatum? & unde hoc dictum? *n.* 37. quid Institutiones imperiales? *ibid.* quid & quotuplex codex? *ibid.* & seq. quid Authenticæ? Novellæ? *ibid.*

Quam vim habeant institutiones imperiales? *n.* 41. an interpretationem accipiant ex Pandectis? *nu.* 42. an Codex corrigatur per Institutiones? *ibid.* quam vim habeant Authenticæ insertæ Codici? *n.* 43.

De partibus, quibus constat corpus juris civilis? *n.* 45. quomodo citentur? à *n.* 47. & seqq. de partibus, quibus constat Corpus juris canonici; *n.* 63. quomodo citentur? *n.* 73. quid significet *canon* strictè? *n.* 54. quid latè? *ibid.* quid decretum? epistola decretalis? dogma? mandatum? interdictum? sanctio? à *n.* 54.

An canones CC. Generalium obligent, ante Approbationem Papæ? *n.* 55. quam vim obligandi habeant Concilia Nationalia? *n.* 60. quam Provincialia? *n.* 60. quam Synodalia? *ibid.* an requirant approbationem Papæ? *ibid.* quam vim habeant constitutiones Pontificiæ nondum insertæ Corpori juris canonici? *nu.* 61. quæ sit differentia inter Metropolitanum, & Archiepiscopum? *n.* 58.

Quam vim, & authoritatem habeat decretum Gratiani? *n.* 69. unde dictum, & quot partibus constat? *n.* 63. quam dicta SS. Patrum, vel leges Principum insertæ decreto? *n.* 69. & 71. quam Rubricæ, canonibus, & legibus præfixæ? quam *Palea* subinde canonibus apposita? *n.* 71. qualiter citentur canones contenti sub diversis partibns, & titulis? *n.* 73.

Articulus 2. de Legibus in genere, *nn.* 81. pro quo supponat generaliter accepta? *n.* 81. an, & ex quo capite, debeat esse præceptum commune? *nu.* 83. justum? *nu.* 83. & seq. stabile? *nu.* 83. sufficienter intimatum? *n.* 83.

Articulus 3. de divisione legis. *nu.* 86. & seq.

Articulus 4. de natura legis in specie. à *n.* 88. quid superaddat legi in genere? *ibid.* an lex essentialiter sit actus Superioris? *n.* 90. qualiter differat à præcepto? *n.* 90.

§. unicus. an, & qualiter debeat respicere bonum commune? *n.* 91.

An sit de ratione legis latam esse ab habente curam Communitatis? *n.* 95.

Quid sit potestas in genere? *n.* 96. quid Ecclesiastica, Laica, suprema, inferior? ordinis naturalis, vel supernaturalis? *n.* 96. quid jurisdictio? ordinaria? delegata? voluntaria? contentiosa? privativa? vel cumulativa? à *nu.* 97. quid publica, vel privata? dominativa, vel œconomica? *n.* 99.

Articulus 5. quæ promulgatio sit de substantia legis? à *n.* 103. aliqua legis publicatio est de substantia legis communitati facta ut habeat proximam vim obligandi singulos de illa. *n.* 103. & seq. Debet esse talis, ut per eam sit sufficienter diffusa moraliter; & quid ad hoc requiratur? à *n.* 104. cum seq. promulgatam esse legem communitati, certum esse debet moraliter. *n.* 160.

In dubio, an lex existat, vel lata sit de aliqua re, non obligatur dubitans; *nu.* 107. de quali dubio id procedat? *ibid.*

An hoc axioma (*in dubio melior est conditio possidentis*) procedat etiam in aliis virtutibus, extra materiam justitiæ? à *n.* 108. V. etiam *n.* 2874. quot modis lex possit solenniter constitui? *n.* 109.

Solennis editio legis, antequam publicetur, non sufficit, ut lex sit constituta, & habeat vim proximam obligandi. à *n.* 109. quod verum est etiam de lege solùm declarante. *nu.* 113. & seq.

An lex Pontificia obliget in Provinciis, ante certam notitiam Communitatis, ad quam fertur, quòd Romæ publicata sit? *nu.* 113.

an hoc procedat etiam de lege prioris revocatoria, vel irritante actum ex natura rei licitum? à *n.* 115.

§. 1. quæ promulgatio sit de substantia legis civilis? *n.* 117.

An sufficiat ex natura rei promulgatio legis civilis facta in loco residentiæ Principis? *n.* 118. quid dicendum spectatâ voluntate Legislatoris laici? *n.* 124.

An textus infra Rubricam loquens specificè, limitet illam generaliter loquentem? *n.* 125. quid veniat nomine rubri, & nigri? *ibid.* an rubrica possit allegari pro textu? *n.* 126. an promulgatio legis debeat esse talis, ut causare valeat in communitate, quam ligare debet, ipsius notitiam, vel culpabilem ignorantiam? *n.* 128. an secus obliget particularem? *ibid.* an hoc necessariò importet aliquam temporis latitudinem? *n.* 129.

§. 2. quid de promulgatione dicendum de aliis Provinciis, & Regnis extra Imperium Romanum? à *n.* 132.

§. 3. an ad legem Ecclesiasticam sufficiat unica Romæ facta promulgatio? à *n.* 134.

Opinio affirmantium. à *n.* 134.

Opinio negantium. à *n.* 135.

Mens Authoris circa quæst. propositam. à *n.* 139. 144. & seq.

Articulus 6. an in lege civili necessaria sit acceptatio populi? à *n.* 184.

§. 1. an ad substantiam legis civilis necessaria sit acceptatio populi? *nu.* 185. opinio affirmantium, *ibid.* quando censeatur lex usu acceptata, vel non acceptata? *n.* 186. & seq. an lex non acceptata per usum contrarium habeat vim abrogandi eam? *nu.* 189. quæ conditiones necessariæ sint, ut lex debitè promulgata abrogetur per usum contrarium? *n.* 190. quantum temporis ad hoc requiratur? *n.* 192. statuitur, ut obliget lex civilis per se loquendo, non requiri acceptationem populi? *n.* 193.

§. 2. Resolvuntur argumenta contraria. *n.* 196.

§. 3. an ad substantiam legis Ecclesiasticæ necessaria sit acceptatio populi? *n.* 211.

An lex Ecclesiastica desuetudine ritè completa impediri possit, ne firma sit? *ibid.* quid dicendum, si Legislator eam urgeat? *n.* 212.

An subditi peccent non acceptando legem debitè promulgatam? à *n.* 114. sensus in hoc Caramuelis, *ibid.*

An, ubi major pars Communitatis acceptavit legem, eoipso etiam obligetur major? *n.* 220.

§. an, si tempus instat observandi legem, ejus observatio præteriri possit prætextu non acceptationis? *n.* 223.

§. an lex Pontificia, merè declaratoria alicujus veritatis, pendeat ab acceptatione subditorum? *n.* 228.

§. an, in quantum est prohibitoria, vel pœnalis? *n.* 230.

Articulus 7. an humanæ leges obligent in conscientia? à *n.* 233.

§. 1. an quælibet lex inducat obligationem conscientiæ? à *n.* 234.

Quid dicendum de lege pœnali? *ibid.* & seq.

§. 2. an lex injusta ex parte rei præceptæ inducat obligationem naturalem? *n.* 241.

§. 3. an injusta ex parte præcipientis? *n.* 243.

§. 4. an injusta ex parte subditorum? *n.* 244.

Quid dicendum, quando lex fundatur in præsumptione? *n.* 247.

§. 5. an lex pœnalis obliget in conscientia ad actum immediatè intentum à lege? *n.* 253.

Qualiter Legislator humanus possit obligare sub pœna inferni? *n.* 268.

De lege pœnali declinantium Telonia; *nu.* 271.

§. 6. de verbis exprimentibus naturam legis. à *n.* 273.

§. 7. an, quando verba legis sunt graviter præceptiva, rectè colligatur obligatio gravis? *n.* 292. unde desumenda sit gravitas rei præceptæ? *n.* 294.

§. 8. de obligatione non opponendi, vel removendi obicem implendæ legis. *n.* 298.

Articulus 8. de actibus legis. *n.* 305.

De actu legis, in quantum imperantis. *n.* 306. ubi quid sit præceptum positivum? quid negativum? *ibid.* & seq.

De actu legis permittentis; à *n.* 309. 310. & seq. an idem sit, dare licentiam, vel permittere, & dispensare? *nu.* 309. distinctio inter *permissum, & concessum. n.* 312.

De actu legis punientis. *n.* 313. an Judex inferior possit remittere totam pœnalem legis? *n.* 314.

Articulus 9. de materia legis. à *n.* 319.

§. 1. an actus interni sint materia legis humanæ? *n.* 322.

§. 2. resolvuntur argumenta contraria. *num.* 334.

§. 3. an opinio negans Ecclesiæ potestatem directè præcipiendi actus jam sit antiquata? à *n.* 355. affirmat Cardenas. *n.* 359. fundamenta hujus Authoris. à *n.* 360. sed non probant intentum. *n.* 366. & 401. quid requiratur, ut propositio aliqua evadat certò falsa, propter oppositionem cum certò vera? à *nu.* 362. & seq. respondetur ad argumenta sententiæ affirmantis. à *n.* 367.

§. 4. Respondetur ad reliqua objecta. à *n.* 385. lex alia est purè directiva; alia directiva, & coactiva simul; alia coactiva vel coactione externâ, vel internâ, *ibid.* an sit de ratione legis *ut sic*, esse coactivam metu pœnæ? *n.* 390. an de ratione legis *humanæ? n.* 391.

§. 5. an, qui non potest ponere majorem partem materiæ præceptæ, teneatur ad minorem? *n.* 408. alia est materia individua; alia dividua; quid dicendum, quando præceptum est de re individua? *n.* 410. quid, si est dividuè præcepta? *n.* 414. an hæc propositio: *major pars trahit ad se minorem*, sit una ex damnatis à Sede Pontificia? *n.* 418.

An rectè dicatur, probabilitatem opinionis faven-

faventis libertati, concurrentis cum alia magis favente legi, non manere practicè probabilem? *n.* 427.
§. 6. an per actum peccaminosũ satisfieri potest legi? *n.* 431.
An requiratur, ut fiat actus animo implendi legem. *n.* 434.
An satisfaciat ponens actum animo non implendi legem? *n.* 435.
§. 7. an eodem actu satisfieri possit pluribus præceptis? *n.* 436.
An eodem tempore satisfieri possit pluribus præceptis? *n.* 440.
An sit duplex culpa, omittere actum pluribus præceptis debitum? *n.* 441.
§. 8. an satisfiat legi simul, vel successivè ponere partes materiæ præceptæ? à *n.* 443.
§. 9. an incidat in 53. propositionem ab Innocentio XI. damnatam, dicens, satisfieri præcepto audiendo ex duplici missa duas partes? *n.* 446.
Qualiter verum sit, quòd opinio tenuiter probabilis, non sit practicè probabilis? à *nu.* 451. item hæc: quòd opinio dubiæ probabilitatis, sit tenuiter probabilis? *n.* 452.
An ly *tenuiter* additum *probabili*, sit terminus *diminuens*, vel *alienans* significatum alterius? *n.* 453.
An satisfiat legi, materiam ejus dividuam, dividuè præceptam, ponendo simul tempore? *n.* 458.
§. 10. an sententia Principis, decisiva alicujus causæ, constituat legem in similibus? à *nu.* 460.
Articulus 10. qui possint condere leges? à *nu.* 469.
§. 1. quousque se extendat potestas legislativa hominum? *n.* 472.
Quid possit circa legem naturalem divinam? *n.* 472.
Qualiter Magistratus humanus jus naturale interpretari possit? *n.* 474. & seqq. an directè, vel indirectè mutare? *n.* 475.
Quid possit potestas humana circa jus gentium? *n.* 483.
§. 2. qui possint condere legem civilem? à *n.* 484.
An summus Pontifex possit condere legem civilem, quæ obliget omnes? *n.* 486.
Quid possit circa leges, à Principe sæculari conditas? *n.* 488.
An leges Cæsareæ obligent etiam in aliis Regnis? *n.* 489.
Quid, si non sit in tali regno lex propria? *n.* 491.
§. 3. quid in materia legum civilium possint Communitates, & Magistratus? *num.* 493. quotuplex sit *communitas*? quid jurisdictio maritalis, paterna, despotica? *ibid.* quid possint communitates perfectæ? *n.* 495. & seq. quid imperfectæ? *n.* 498.
§. 4. quis possit ferre legem Ecclesiasticam? *n.* 499. an Pontifex in ferendis legibus pro tota Ecclesia sit independens à Cong. Cardinal. vel Concilio? *ibid.* an concedens aliis potestatem, eandem reservet sibi; imò majorem? *n.* 500.
§. 5. quid in ferendis legibus Ecclesiasticis possint Prælati Papa inferiores? *n.* 605. an Episcopi in Synodo Diœcesana, vel Archi-Episcopi in Provinciali possint aliquid statuere contra privilegia Regularium? *n.* 504.
An, & quo sensu Episcopi possint in sua diœcesi, quidquid potest Papa in universali Ecclesia? *n.* 505.
An possint decreta Pontificia vel in totum, vel in partem mutare? *n.* 506.
An condere statuta sine consensu Capituli? *n.* 507.
Quid possint in loco nullius diœcesis? *n.* 508. an visitare locum nullius diœcesis? *n.* 509. an tunc debeat declarare, se venire ut delegatum Papæ? *ibid.* an talis visitatio extendat se etiam ad Ecclesias regulares? *n.* 509.
Exponitur duplex lex Episcopalis, diœcesana, & jurisdictionis; *n.* 510.
An Regulares exempti sint à lege diœcesana? *n.* 511. an à lege jurisdictionis? *ibid.*
An potestas spiritualis Episcoporum sit *immediatè* à Christo? *n.* 512.
§. 6. quid circa leges Ecclesiasticas possint Concilia? *n.* 514. in specie, quid generalia? *n.* 519. quid particularia? *n.* 520.
An decretis Conciliorum generalium derogetur per constitutionem posteriorem illis contrariam, esto derogatio non faciat eorum mentionem? *n.* 521.
§. 7. quid circa leges Ecclesiasticas possint Prælati Episcopis Superiores, sed Papa inferiores? *n.* 525. an Metropolitanus in Concilio Provinciali possit facere statuta sine consilio, & voluntate Suffraganeorum; *n.* 527.
Quid circa leges Ecclesiasticas possint Cardinales, *n.* 528.
Quid Legati Pontificii; *n.* 532.
§. 8. quid Prælati Episcopo inferiores; qui veniant nomine *Prælati*; *n.* 534.
Quid possint Collegia Ecclesiarum non Cathedralium; *ibid.*
Quid Decani; an, & qualis Decanatus sit dignitas; *n.* 535.
Quid circa suos possint Prælati Ordinum Regularium; *n.* 536.
Quid Superioristæ Monialium? *n.* 538. & seq.
Quid circa leges Ecclesiasticas possit Capitulum; *n.* 540. an jus ejus conservari possit in unica persona; an possit acquirere sibi jura Episcopalia privativè; *ibid.* & *num. seq.* an exempta Capitula Ecclesiarum Cathedralium visitari possint ab Ordinario; *n.* 541.
De potestate Capituli Sede vacante, *n.* 543. an possit restringere numerum Canonicorum; *ibid.* an facere statutum, ne absentes deinceps percipiant fructus, ut antè; *ibid.* an tollere consuetudinem aliàs receptam;

*num.* 545. an valeant ſtatuta Capituli contra jus commune? *n.* 546.
§. 9. an poteſtas legislativa poſſit delegari? *n.* 547.
Articulus 11. qui teneantur legibus; *n.* 550.
§. 1. an Legislator obligetur legibus à ſe conditis? *n.* 551.
§. 2. an, & quibus obligentur infideles? *num.* 559.
An, & qualiter amentes, ac ebrii, durante tali ſtatu? *n.* 560.
An, & qualiter pueri? *n.* 560. & ſeq. præſertim legibus poſitivis? *ibid.* & ante pubertatem adeptam? *n.* 563. ubi de c. *omnis utriusque*, *n.* 564. an cenſuris ante pubertatem, *n.* 567.
§. 3. qua ratione ſtatutis localibus obligentur forenſes; *n.* 570. an in celebrandis contractibus, præſertim contractu dotali? *n.* 570. an gaudeant privilegiis locorum, quæ tranſeunt? *n.* 581.
Qua ratione legibus teneantur vagi? *n.* 582. qui propriè dicantur vagi? an vagus in loco, per quem tranſit, puniri poſſit propter delictum alibi commiſſum? *n.* 583.
§. 4. an lex vel ſtatutum obliget exiſtentem extra territorium Legislatoris? à *n.* 584.
§. 5. an exiſtentem in loco exempto? *n.* 591. qualiter differant, *eſſe in diœceſi* alicujus, & eſſe *de diœceſi* ejus? *n.* 595. an, & qualiter præceptis ligari poſſint ſubditi, afficientibus eos etiam extra territorium exiſtentes? à *n.* 599.
An, & qualiter exiſtentes in alieno territorio ligentur pœnis per ſtatutum impoſitis? *n.* 604. quid ſi pœnæ ſint latæ ipſo jure, vel tantùm ferendæ, quid, ſi delictum in uno loco ſit inchoatum, in altero conſumatum; à *n.* 604. & ſeq.
§. 6. an, & qualiter omnes fideles ligentur legibus Eccleſiaſticis? *n.* 609. an decreta Pontificum non inſerta juri communi æquè obligent, ac inſerta? *n.* 610. quid dicendum in caſu diſcordantium legum, & canonum? *n.* 612.
Qualiter veniat intelligendum, quòd Judex debeat judicare ſecundùm notitiam, quam habet ut Judex? *n.* 612. cum ſeq. an poſſit aliquando judicare de legibus? *ibid.* an teneatur ſemper judicare ſecundùm leges ad literam? *n.* 614. an debeat in judicando ſequi, quod probabilius eſt? *n.* 615.
§. 7. an, & qualiter Eccleſiaſtici ligentur legibus, & ſtatutis Laicorum? à *n.* 616. quid veniat nomine immunitatis Eccleſiaſticæ; *ibid.* non obligari Eccleſiaſticos legibus Laicorum, eſt communis Theologorum, & Canoniſtarum. *n.* 616.
Hæc Eccleſiaſticorum exemptio fundatur in jure civili; *n.* 717. Jure canonico. *n.* 618. Jure divino, ſaltem tradito, & per Eccleſiam explicato. à *n.* 640.
Reſolvuntur argumenta contraria; à *n.* 619.
Qualiter verum ſit: *neceſſitas legem non habet*? *n.* 619.
Statuta Laicorum generalia, quorum obſervantia non dedecet ſtatum Clericorum, nec adverſatur ſacris canonibus; non ligant Clericos etiam directivè ex vi legis laicæ; ſeg naturalis. à *n.* 620.
An illa Clericorum exemptio à legibus, & ſtatutis Laicorum reſtringatur *tantùm ad ſpiritualia*? *n.* 627.
Qualiter intelligendum hìc veniat: *qui ſentit commodum, ſentire debet & onus*, *n.* 632.
Quam vim habeant ſtatuta Laicorum circa ingreſſuros Religionem? *n.* 634.
§. 8. quo jure perſonæ Eccleſiaſticæ, ac earum bona exempta ſint à jurisdictione Laicorum? *n.* 640. jus divinum, aliud ſcriptum, traditum, & explicatum; *ibid.* exemptionem illam in purè ſpiritualibus eſſe juris divini, traditi, ac ex DEI ordinatione per Eccleſiam explicati, probatur à *n.* 641. an etiam in his, quæ annexivè tantùm ſpiritualia; à *n.* 643. ac bonis, à *n.* 646.
An valeat ſtatutum Laicorum prohibens bona immobilia transferri in Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas, *n.* 650.
§. 9. Reſolvuntur argumenta contraria. à *num.* 656.
An Magiſtratus ſtatuendo, vel decernendo, abſque juſta cauſa jus ſuum poſſit aliis auferre, à *n.* 657.
An reſcriptum gratiæ procedens à Principe habeat ſemper clauſulam annexam: *ſalvo jure alterius*, ſeu *ſine alterius præjudicio*. *ibid.* an plenitudo poteſtatis an Principe faciat eidem poteſtatem ſtatuendi quilibet, ut volunt aliqui Legiſtæ; *n.* 660.
Qualiter verum ſit, quòd libertati Eccleſiaſticæ præferendum ſit bonum publicum, *n.* 662.
Qualiter bona Eccleſiaſtica ſubſint oneribus imponi ſolitis à Principe Laico, à *n.* 663.
An Laici juſtè in his obtendant praxim contrariam, 664.
Articulus 11. de cauſis excuſantibus ab obſervantia legis. *n.* 666.
§. 1. an id præſtet inculpabilis ignorantia legis? *n.* 668.
Ignorantia legis alia inculpabilis, alia invincibilis. *n.* 666.
An ad culpam formaliter imputabilem ſufficiat quodcunque voluntarium? *n.* 668.
An ſufficiat opus voluntarium tantùm in *eſſe operis*? & an in eſſe peccati? *n.* 669.
An culpa formalis contrahatur ſecundùm eam formalitatem malitiæ, ſecundùm quam operanti per ignorantiam abſconditur. *n.* 669.
An agens contra legem cum ignorantia craſſa, & ſupina, præſumatur non ignoraſſe? *n.* 670.
An, qui cum ignorantia culpabili facit actum malum, v. g. injuſtum, verè ignorans ejus

ejus malitiam, peccet non tantùm formaliter peccatô negligentiæ, sed etiam injustitiæ? *n.* 671.
In quo formaliter consistat formalis malitia ignorantiæ culpabilis? à *n.* 671.

§. 2. an habitualis, vel virtualis notitia præcepti componi possit cum ignorantia invincibili, quà tali? *n.* 672. responsio est negativa *ibid.* an, ut quis desinat esse invincibiliter ignorans, requiratur actualis aliqua cogitatio de obligatione? *n.* 673.
Proponuntur argumenta Munièssæ volentis oppositum, *n.* 674. & seq. quæ requirantur, ut ignorantia dicatur verè culpabilis? *n.* 681.

§. 3. quo tempore actus solùm voluntarii in causa imputentur ad culpam? à *n.* 686.
An actus in causa liberè volita prævisi, & causa per pœnitentiam non retractata imputentur ad culpam tunc, quando sequuntur extra statum libertatis? à *n.* 689.

§. 4. an opus extra statum libertatis secutum ex causa voluntariè data imputetur ad novam malitiam, ultra malitiam causæ? à *n.* 703.
Affirmativam sequitur Munièssa, *ibid.* & à *n.* 703. respondetur ad ejus probationes, propositas superiùs à *n.* 675.
Qualiter verum sit dari quandoque peccatum ignorantiæ præter peccatum infirmitatis, & malitiæ? *n.* 703.
An, & qualiter verum sit, quòd homo imputabiliter peccet contra legem toto tempore, quo exercet opus prohibitum, licèt tunc toto tempore non advertat ad malitiam actûs, quem exercet? à *n.* 704.
An ignorantia præsens, secuta ex culpa, virtualiter influat in actum tunc, quando tunc nulla est cognitio de malitia operis? à *n.* 708.
An ponens actum sub pœna prohibitum, incurrat pœnam, si priùs, quàm actus consummetur, retractetur per pœnitentiam? à *n.* 713.
An, ut homo actu peccet, debeat advertere non tantùm, se peccare; sed etiam, ut reflexè advertat, se advertere? *n.* 715.

§. 5. an ignorantia culpabiliter inducta possit fieri invincibilis? & inculpabilis? à *n.* 717. 757.
An à culpa excuset aliquando ignorantia vincibilis? *n.* 719.
An opus ex se malum, si fiat ex conscientia inculpabiliter dictante, illud facere, esse sub obligatione, possit esse formaliter honestum, & bonum moraliter? à *n.* 731.
Negativam tuetur P. Munièssa, à *n.* 732. ejus rationes *ibid.* non probant intentum, à *n.* 734. & seq. unde contrarium est probabilius, à *n.* 747. respondetur ad rationes oppositas, à *n.* 747.
Qualiter verum sit nullum opus posse esse formaliter honestum, nisi reguletur à prudentia? *n.* 747.
An conscientia inculpabiliter errans sit contraria legi divinæ? à *n.* 750.
Qualiter dictamen prudentiæ possit falsitâti subjacere? *n.* 749.
Quo sensu verum sit, quòd conformitas cum prima regula sit ratio indefectibilis honestatis? *n.* 752.
exponitur textus S. Thomæ, quo utuntur contrarii, *n.* 761.
An Deus sit causa specialis conscientiæ invincibiliter, ac inculpatè errantis, ac dictantis, v. g. esse sub obligatione hîc, & nunc mentiri? à *n.* 765.
An falsa sit hæc propositio: homo bene, ac honestè operatur, quoties agit, quod conscientia irreprehensibiliter dictat, *istud opus* esse præceptum vera lege Dei, si propterea facit, ut obediat legi Dei? à *n.* 771.

§. 6. an universaliter verum sit, quòd objectum non transfundat suam malitiam in actum, nisi ut præcognitum? *n.* 775. sunt, qui negent, *n.* 775. sed oppositum tenendum. *n.* 776.
An peccet graviter, qui amplectitur objectum sub ratione mali præcisè? *n.* 780.
An, qui putaret suum peccatum esse strictam injuriam contra Deum, quod non esset in re, nihilominus illud faciendo committeret injuriam? *n.* 784.

§. 7. an ignorantia priùs inculpabilis, talis permaneat superveniente scrupulo de bonitate, vel malitia operis? à *n.* 788.
An intellectus reflectens supra suspensionem omnis actûs circa quæstionem, quid sit tenendum ex duobus oppositis, possit esse certus de objecto directo, & incertus, atque suspensus circa objectum indirectum? à *n.* 791.
An idem sit *dubium*, & *incertum*? *n.* 792.
An habens opinionem circa objectum directè propositum, licèt actu formidet de opposito, sit propriè, ac formaliter dubius? *n.* 794.
An idem sit *dubitare*, & *assentiri cum formidine*; 794.
An dubium negativum rectè explicetur per suspensionem omnis actûs, cùm nulla occurrit ratio pro alterutra parte contradictionis? *n.* 795. quid sit propriè dubium speculativum, quid practicum? à 696.
Quæ pars contradictionis rectè dicatur tuta, vel tutior? quæ minus, aut non tuta? à *n.* 797. an opinio ex hoc, quòd sit probabilior, eoipso etiam tutior? vel econtra? aliqui censent *tutiorem* aliam esse; quæ removet ab omni peccato; aliam, quæ magis à falsitate; atque adeò aliam tutiorem quoad veritatem; aliam quoad immunitatem à peccato; *ibid.*
Quid sit propriè scrupulus? idem sit ac dubium? in quo sita sit conscientia scrupulosa?

sa? *n.* 799. an includat aliquem actum voluntatis? *ibid.*
An conscientia irreprehensibiliter errans dici possit, vel non possit ratio recta, *n.* 800.
§. 8. an homo teneatur obedire conscientiæ invincibiliter erranti, à *n.* 802.
An necessitatus ad alterutrum ex duobus æqualiter malis, eligendo, unum determinatè peccet, *n.* 803.
An sit majus peccatum agere juxta, vel contra conscientiam vincibiliter errantem, *num.* 808.
§. 9. quid agendum, ubi conscientia irreprehensibilis excluditur per dubium superveniens, *n.* 809.
An semper sit peccatum operari stante dubio practico, sive negativo, sive positivo *n.* 810.
Qualiter dubium ante operationem sit deponendum, *n.* 811. quid, si dubium non possit vinci *ibid.* & seq.
§. 10. an dubitans negativè (ubi dubium vinci non potest) teneatur ad eligendam partem tutiorem, in quantum tutior est ratione impeccantiæ, vel ratione veritatis, seu majoris probabilitatis? à *n.* 812. & seq.
An tali casu sit obligatio eligendi determinatè partem tutiorem. à *n.* 814.
An ex hoc quis licitè operetur, si uni parti contradictionis determinatè accedat per quodvis judicium intellectûs. *n.* 816.
An dubium subjectivè existens in operante, rectè deponatur per hoc, quòd quis sciat, unam partem ex oppositis ab aliis doceri ut probabilem, vel etiam probabiliorem oppositâ, à *n.* 817.
Quid sit sibi formare conscientiam rectè operandi, à *n.* 818.
An, & in quo casu illa regula (*in dubio tutior pars est eligenda*) sit præceptiva, vel tantùm consiliativa, à *n.* 819.
An, quando quis ex præcepto tenetur in dubio eligere partem tutiorem, intelligendum veniat de tutiore ratione impeccantiæ, vel veritatis, seu majoris probabilitatis, à *n.* 819.
An sententia favens legi contra libertatem, tutior ratione veritatis, sit minùs tuta ratione impeccantiæ, & hæc tunc eligenda præ illa, cùm locus est regulæ (*in dubio tutior &c.* in quantum præceptivæ, *n.* 820.
An dubium negativum rectè deponi possit per judicium reflexum ad eam regulam: quòd in *pari causa sit melior conditio possidentis*, à *n.* 820. & seq.
§. 11. quousque locum habeat illa regula, quòd in dubio tutior pars est eligenda, à *n.* 823.
An conscientia probabilis existens subjectivè in operante possit eidem esse falsa, à *n.* 830.
An idem sit operari cum dubio, & operari cum formidine, *n.* 432.
An operans sine certitudine, quòd sua operatio non sit peccatum, eo ipso peccet, à *n.* 833. an talis exponat se periculo peccandi, *n.* 834.
An hoc ipso, quòd operanti subjectivè sit probabilius, ipsum non peccaturum, etiam sit probabile, peccaturum *n.* 836. An repugnet, quòd quis actu simul judicet judicio affirmativo (v. g. licere contractum) esse magis, & minùs probabile objectivè, à *n.* 837.
Qualiter opinio de aliquo objecto possit esse *concepta prudenter* positivè, vel negativè, *n.* 838. an, ut quis non operetur malè ductu alicujus opinionis, sufficiat illam esse *conceptam prudenter* negativè, *n.* 839.
An, & qualiter conscientia differat à synteresi, & prudentia, *n.* 840.
An requiratur certos esse actus prudentiæ etiam solùm imperatos ab ea, *n.* 842.
Qualiter intelligendum veniat, quòd judicium opinativum habeat adjunctam formidinem, *n.* 845. an pertineat essentialiter ad *opinionem* propriè dictam, quòd judicet oppositum actu esse, *n.* 845. vel quòd nostro judicio actu subsit falsum, *n.* 847. vel quòd propter motiva opinionis contrariæ adsit periculum falsi, *n.* 850.
§. 12. Quousque locum habeat regula, quòd in dubio melior sit conditio possidentis, à *n.* 852. Variæ Doctorum opiniones, *n.* 853. an ei locus sit etiam extra materiam justitiæ, quando subnascitur dubium inter libertatem hominis, & legem, *n.* 854. Authores, qui negant, eorumque rationes. à *n.* 854.
§. 13. Sententia Authoris à *n.* 858.
In quo consistat possessio libertatis contra legem, quid econtra, *n.* 859. an lex obliget, quando dubitatur de ipsius existentia, à *n.* 861. an omnis lex habeat vim obligandi absolutè, vel tantùm ex suppositione, *n.* 862. quid si suppositio non sit nisi dubia, vel si certum sit, non esse suppositionem, *ibid.* & *n.* seq.
An verum sit, possessionem libertatis certam esse contra legis obligationem, quoties ejus existentia inculpatè ignoratur, à *n.* 864. an hæc evertatur per superveniens dubium merè negativum, vel positivum, *n.* 865.
An quis licitè operetur sequendo opinionem, quæ pro libertate contra legem, quando ea probabilior est opposita, *n.* 866.
novis argumentis impugnatur possessio libertatis contra legem. à *n.* 888. respondetur iisdem à *n.* 872.
§. 14. An, qui antecedenter erat in certa possessione libertatis contra legem, superveniente dubio negativo possit deponere dubium ex regula, quòd possessio in dubio faciat potiorem ipsius conditionem, à *n.* 873. proponuntur rationes negantium à *n.* 875. & solvuntur *ibid.* quid si dubium sit positivum, *ibid.*

§. 15.

§. 15. an, & qualiter ignorantia culpabilis excuſet à culpa inobſervantiæ legis, *n.* 878. an ignorantia culpabilis, ſucceſſu temporis fieri poſſit inculpata, *n.* 881. Qualiter verum ſit, quòd ſcire, & debere ſcire æquiparentur, *n.* 882. an univerſaliter procedat, quòd eventus imputetur ad culpam danti operam rei illicitæ, *ibid.* qualiter verum ſit, quòd ignorantia facti, non juris excuſet, *n.* 883.

An poſſit dari ignorantia invincibilis circa principia juris naturalis, *n.* 884.

An ſufficiat ad culpam gravem cognitio, quòd opus ſit malum, à *n.* 885. unde quis cognoſcere poſſit ſe opus non feciſſe cum advertentia ſufficiente ad culpam mortalem, à *n.* 887.

Quam diligentiam quis adhibere debeat, ut eâ poſitâ maneat inculpatè ignorans, à *n.* 890.

§. 16. Quid dicendum de ignorantia, quæ non poteſt vinci, dum operans in actum procedit, à *n.* 894.

An juxta quantitatem culpæ, quæ eſt in cauſa, menſuretur culpa in effectu ex illa ſecuto, *n.* 898.

§. 17. an ignorantia comitans, ſi ſit inculpabilis, inobſervantiam legis excuſet à culpa *n.* 899.

An omnis ignorantia, etiam culpabilis, ſaltem minuat culpam, *n.* 902.

Qualiter verum ſit, in foro externo non credi alleganti ignorantiam legis, & ignorantiam præſumi, ubi ſcientia non probatur, à *n.* 903.

§. 18. an periculum gravis mali excuſet à culpa in obſervantiam legis, *n.* 905. quid ſi periculum illud non eſt annexum operi præcepto, ſed provenit à natura, vel aliunde, *n.* 908.

Articulus 12. de legis interpretatione *n.* 910. 2821.

Quid ſit legis interpretatio, quid authentica, quid doctrinalis, *n.* 910. unde deſumatur doctrinalis, *ibid.*

§. 1. quibus competat poteſtas authenticè interpretandi leges, *n.* 912. an iſtam poteſtatem habeat Congregatio Cardinalium pro dubiis in decretis Concilii Tridentini, à *n.* 914. quid dicendum in hac quæſtione de illorum declarationibus, quæ paſſim ab Authoribus allegantur, à *n.* 915.

Reſolvitur pro negativa quoad vim obligandi, antequam debitè publicentur, *n.* 920. quæ conditiones neceſſariæ ſint, ut verè ſint authenticæ, à *n.* 923.

§. 2. an inferiores Judices habeant poteſtatem authenticè interpretandi legem Superioris, à *n.* 932.

§. 3. an cuilibet liceat legem doctrinaliter interpretari, *n.* 931. an ſub lege prohibente illius interpretationem veniat etiam interpretatio doctrinalis, à *n.* 932.

Referuntur tres modi in legibus utendi epichia; *n.* 935.

§. 4. qualiter doctrinalis interpretatio legis fieri debeat in dubio de intentione Legislatoris, *n.* 938. an, ubi conſtat de hujus intentione, curanda ſint verba legis, *ibid.* an in dubio de illa maximè attendi debeat verborum proprietas, *n.* 940. hoc poſtremum limitatur in pluribus, à *n.* 941. & 951.

Quid comuniter intelligatur per *abſurdum*, *n.* 493. qui effectus ex illo, *ibid.*

Interpretatio legis eluſoria non valet; nec, quæ illam reddit otioſam, & ſine effectu etiã alicujus verbi. *n.* 944. quod tamen limitatur à *n.* 946.

Qualiter in dubio ſtatuti verba explicanda ſint, *n.* 947. V. etiam *n.* 2817.

Quo ſenſu procedat, quòd lex generaliter loquens, generaliter accipienda ſit, *n.* 948. &, ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus, *ibid.* in quibus dictæ regulæ limitentur, à *n.* 949.

Unde colligi poſſit mens, & intentio Legislatoris, *n.* 954. & *n.* 2820.

§. 5. quæ proprietas verborum ſervanda ſit in doctrinali legis interpretatione. *num.* 955. quid ſit ſignificatio verborum, quid naturalis, uſualis, & juridica, ſeu civilis, à *n.* 905.

Quæ verborum ſignificatio ſervanda ſit in legum interpretatione, à *n.* 958. quid ſi lex ſit favorabilis, *n.* 958. quid, ſi odioſa, *n.* 960.

An in pœnalibus ſemper facienda ſit verborum interpretatio mitior, *n.* 963. quid hujus nomine veniat, *ibid.*

An, ubi tractatur de obligatione imponenda, vel inducenda, ſtricta interpretatio adhibenda ſit, *n.* 964.

An, & qualiter interpretatio legum fieri poſſit beneficio juris prudentiæ brocardicæ, ſeu axiomaticæ, à *n.* 965. ejus objectum ſunt regulæ juris; *ibid.* ubi, & quando hæ utiliter allegentur, *n.* 967.

An in dubio interpretatio potiùs fieri debeat pro valore actûs, quàm è contra, *n.* 968.

An in dubio poſitivo pronuntiari poſſit pro favore libertatis, quando pro hac militat poſſeſſio contra legem, eſto hæc pro ſe habeat majorem apparentiam veri ex principiis directis, *n.* 970.

An major probabilitas pro una, elidat in minus probabili vim movendi ad aſſenſum prudentem, à *n.* 971. an ex hoc, quòd in bilance unum pondus æquale alteri, hujus motum in actu ſecundo impediat, rectè concludatur ad potentiam rationalem, cui proponuntur motiva de ſe in utramque partem contradictionis probabilia, *ibid.*

§. 6. de legis interpretatione per extenſionem caſûs ad caſum. *n.* 974. extenſio legis alia eſt comprehenſiva alia merè extenſiva, & quid utraque, *n.* 975.

An extenſio legis comprehenſiva fieri poſſit à caſu expreſſo ad non expreſſum propter

omnimodam similitudinem, seu identitatem rationis, *n.* 976. & seq. rationes contra indefinitè affirmantes. à *n.* 977.

§. 7. an in odiosis, & pœnalibus valeat interpretatio extensiva casûs ad casum, à *n.* 983. rectiùs eligitur negativa, á *n.* 984.

§. 8. an interpretatio extensiva rectè fiat in lege correctoria, à *n.* 986. probabilius, & pia. *n.* 990.

An in materia dispensationis procedat argumentum à majori ad minus, *n.* 991. explicatur regula, *cui licèt &c. in* 6. *ibid.*

§. 9. in quibus casibus valeat extensio propter identitatem rationis, *n.* 997. quo sensu procedat regula, ubi est eadem ratio etiam eadem est juris dispositio. à *n.* 998. an procedat in correlativis, & connexis, à *n.* 999.

Articulus 13. an, & qualiter lex extendatur ad præterita, à *n.* 1005.

§. 1. quid in hoc dicendum de lege dispositiva, à *n.* 1006. an, si expressè statuat de præteritis, intelligatur etiam de negotiis jam decisis, & finitis, *n.* 1007. an de adhuc pendentibus coram Judice, *n.* 1008. & 1013.

§. 2. an lex imponens pœnam delictis extendatur ad præterita, à *n.* 1014.

§. 3. an lex irritans extendatur ad præterita, *n.* 1016.

§. 4. an extendatur ad præterita, in quantum est declarativa, *n.* 1017.

Articulus 14. de confirmatione legis. à *num.* 1020. quid sit confirmatio in forma communi, quid in speciali, *ibid.* quid actui de se subsistenti superaddat confirmatio ejus in forma communi, *n.* 1021. unde cognoscatur eam esse in forma speciali, *n.* 1022. quis sit effectus confirmationis in forma speciali, *n.* 1023. quid intelligatur per confirmationem substantialem, & accidentalem, *n.* 1024. An statutum à Superiore confirmatum solùm accidentaliter revocari, vel aboleri, possit à statuentibus, *n.* 1025. quid, si confirmatum sit substantialiter, *n.* 1026. quædam limitationes. *ibid.* quid si statuentes illud firmârunt juramento, *n.* 1027.

Articulus 15. de cessatione legis. à *n.* 1028.

§. 1. de cessatione legis per ejus abrogationem. *n.* 1029. *n.* 2821.

An inferior possit abrogare legem Superioris, *n.* 1030.

An Episcopus abrogare possit leges Synodales, *n.* 1038. 1041. an ipse ligetur legibus conditis ab antecessoribus, *n.* 1040.

§. 2. quid requiratur, ut lex abrogetur, *num.* 1045. an lex privativè abrogari possit validè sine causa, *n.* 1046. an contrariæ legis constitutione, *n.* 1048.

An abrogatio legis requirat ejus promulgationem, *n.* 1051. quando lex prior censeatur abrogari per posteriorem illi contrariam, *n.* 1054. an derogetur priori, insertæ juri communi, per posteriorem illi contrariam, *n.* 1054. an etiam non insertæ, si nullam ejus mentionem faciat, *ibid.* & seq.

An privilegia, & consuetudines particulares personarum, Ordinum, aut locorum abrogentur per leges communes, & clausulas generales, sive speciali eorum mentione, *n.* 1061. an per clausulam: non obstante quocunque privilegio etiam exigente sui mentionem de verbo ad verbum, *n.* 1062.

§. 3. de cessatione legis per exceptionem, vel excusationem. *n.* 1064.

An lex universaliter loquens patiatur quandóque exceptionem, *n.* 1064. in quibus casibus lex universaliter loquens habeat contrarietatem cum æquitate naturali, *n.* 1069. & 2521.

§. 4. de cessatione legis per cessationem causæ ferialis, *n.* 1078. finis legis alius intrinsecus, alius extrinsecus; *n.* 1078. an præsumatur Legislator voluisse, quod lex, cùm potuit, non expressit. *ibid.* an stante fine intrinseco legis, stet lex, *n.* 1080. & 1802. qualiter intelligenda sit regula: *cessante legis ratione, cessat quoque ejus dispositio*, *n.* 1081. an hoc intelligatur de fine legis intrinseco, vel solùm extrinseco, *n.* 1087. an regula procedet, sive negativè, sive contrariè esset finalis causa legis, à *n.* 1082.

An cessante finali causa legis in casu particulari, pro eodem cesset lex, *n.* 1086. affirmant aliqui indefinitè; *ibid.* alii limitatè; *ibid.* alii affirmant, si finis aliis cesset contrariè; .2 si fundetur solùm in præsumtione facti; non autem si in præsumptione communis peticuli; *n.* 1087.

§. 5. de cessatione legis per desuetudinem. *n.* 1089.

§. 6. de cessatione legis per interpretationem. *n.* 1091.

§. 7. de cessatione legis per derogationem. *n.* 1902.

Qualiter procedat, quòd posterior lex Principis deroget priori, in quantum ei contraria est, *n.* 1092. limitationes dictæ regulæ. à *n.* 1904.

Qualiter procedat axioma, quòd generi per se speciem derogetur, à *n.* 1095. aliquot ejus limitationes. à *n.* 1096.

Articulus 16. de activa dispensatione legis. à *n.* 1097.

§. 1. quid sit dispensatio, & quis ejus effectus, *n.* 1098.

§. 2. an in jus naturale, & divinum cadere possit dispensatio, à *n.* 1101.

§. 3. an, & qualiter Legislator dispensare possit in lege propria? vel inferior in lege Superioris, *n.* 1103.

Articulus 17. de passiva dispensatione legis. *n.* 1104.

§. 1. an quilibet Superior secum dispensare possit in lege propria, *n.* 1105. an in lege Superioris? saltem in his, in quibus potest cum subditis, *n.* 1106. an quis in se ipsum exercere possit juris dictionem contentiosam,

ſam, vel voluntariam, *n.* 1108. an inter danrem, & accipientem ex natura rei debeat eſſe diſtinctio? *n.* 1110. qualiter verum ſit, *neminem ſibi ſubjici?* *n.* 1114.

§. 2. an, & qualiter Superior loci diſpenſare poſſit cum vagis, & forenſibus? *n.* 1115.

§. 3. an Metropolitanus diſpenſare poſſit cum ſubditis ſuorum Suffraganeorum? à *n.* 1124.

Articulus 18. de cauſa requiſita ad diſpenſationem. à *n.* 1127.

An habenti poteſtatem diſpenſandi liceat, imponere multam à diſpenſando perſolvendam? *n.* 1128.

Articulus ultimus: de reliquis ad diſpenſationem pertinentibus. à *n.* 1131.

An in materia diſpenſationis valeat argumentum à majori ad minus? *n.* 1135.

An valeat diſpenſatio inferioris in lege Superioris abſque cauſæ cognitione? *n.* 1139.

An diſpenſatio facta literis Apoſtolicis valeat literis nondum *expeditis*? *n.* 1140. quid, ſi dicatur literis non confectis? *n.* 1141.

## PARS II.

### *De nonnullis legibus in particulari.*

Articulus 1. de lege irritante; *n.* 1144. lex irritari poteſt vel reſcindendo, vel irritum declarando, vel impediendo. *ibid.*

An Legislator humanus poſſit ſubditorum actus irritare? *n.* 1145. idque vel ipſo jure, vel per ſententiam? *n.* 1146.

Quid importetur, cùm dicitur hoc, vel illud pertinere *ad formam* actûs, vel diſpoſitionis? *n.* 1147. & ſeq.

§. 1. quando lex irritans cenſeatur pœnalis? *n.* 1152. quando lex dici poſſit odioſa? quando favorabilis? à *n.* 1154.

§. 2. an lex hoc ipſo ſit irritans, quòd ſit prohibens? *n.* 1156. qualiter verum ſit, factum contra legem, infectum haberi? *ibid.* cum ſeqq.

§. 3. an lex irrtans liget etiam ignorantes? *n.* 1161.

An leges, præcisè in pœnam irritantes actum, producant effectum nullitatis in actu, etiam ignoratâ pœnâ? *n.* 1164. quid dicendum? ſi non in pœnam delicti, ſed ſpeciale commodum Reipublicæ condita ſit lex? *n.* 1166.

§. 4. à quo tempore lex irritans incipiat habere effectum, ſeu inducat nullitatem? *n.* 1170.

§. 5. an, ut lex irritans producat ſuum effectum, Indigeat ſententiâ?

§. 6. quæ verba legis ſignificent, eam eſſe irritantem? *n.* 1185. quid dicendum, quando verba legis reſiſtunt potentiæ actûs? *num.* 1191.

Articulus 2. de lege pœnali. 1193. quid, & quotuplex ſit pœna? *ibid.* & ſeq. quot modis lex imponat transgreſſoribus pœnam? à *n.* 1194.

An lex imponens pœnam ſpiritualem obliget & ad actum immediatè poſitum ſub lege, ad pœnam? *n.* 1195. quid ſi pœnam merè temporalem? *n.* 1196.

§. 1. an, & qualiter ignorantia legis excuſet à pœna legis? *n.* 1198. an effectus de ſe mortaliter malus, ſecutus ex ignorantia ſolùm leviter culpabili, ſit tantùm leviter malus? *n.* 1202.

§. 2. an, & qualiter ignorantia pœnæ, delicto annexæ, excuſet ab incurſu pœnæ? à *num.* 1208.

§. 3. Reſolvuntur argumenta contraria. *num.* 1222.

An pœna novo jure ſtatuta incurratur ab ignorante tale jus? *n.* 1222. jus prohibens actum, non eſt formaliter puniens; hinc cum ſcientia illius ſtat ignorantia hujus, *n.* 1223.

Ad incurrendam pœnam ipſo jure ſtatutam non requiritur conſenſus delinquentis in pœnam; ſecus in cauſam pœnæ. *num.* 1225. & 1227.

An ſit in cenſuris ſpeciale, quòd non incurrantur ſine noritia pœnæ delicto annexæ? *n.* 1219. 1231. & ſeq.

In quo conſiſtat violatio legis ex contemptu? à *n.* 1235.

Unde colligatur, quòd lex ſit primariò, vel tantùm ſecundariò pœnalis? à *n.* 1239.

§. 4. an, & quæ pœnæ incurrantur, vel non incurrantur ante ſententiam Judicis? à *num.* 1243. qualiter intelligendæ veniant clauſulæ, *ipſo facto*, *ipſo jure*? *n.* 2249.

§. 5. an pœna conventionalis debeatur ante ſententiam Judicis? *n.* 1255.

§. 6. Reliqua de lege pœnali. *n.* 1259.

An quis poſſit propter alterius delictum puniri? *n.* 1259.

An leges merè pœnales obligent ſub peccato? *n.* 1263.

An leges pœnales, ad incurſum pœnæ, accipiendæ ſint *cum effectu*? *n.* 1264. an loquentes de cauſis, vel perſonis ſolùm exempli causâ extendantur ad ſimiles? *n.* 1265.

An lex pœnalis procedat in non expreſſis à lege, propter identitatem, ſimilitudinem, vel etiam majoritatem rationis? à *n.* 1266.

Qualiter ſtatuendus ſit modus pœnæ? *num.* 1269.

An Judex pœnam legalem poſſit mutare? *n.* 1270.

An ex eodem delicto quis poſſit ſæpiùs puniri? *n.* 1270.

Quid obſervandum, quando agitur de pœna imponenda? *n.* 1272.

An pœna privationis imponi poſſit in caſu non expreſſo à jure, *n.* 1274. qualiter procedat, quòd, qui non habet in ære, luat in pelle, *n.* 1273.

Articulus 3. de lege favorabili, & odioſa, *n.* 1277.

Ex quo capite lex aliqua propriè deſumat rationem favorabilis, vel odioſæ, referuntur aliorum ſententiæ, à *n.* 1277. ſententia Authoris, à *n.* 1282.

Articulus 4. de lege Episcopali, *n.* 1286.
Lex Episcopalis alia jurisdictionis, alia diœcesana; quid utraque, à *n.* 1286. ad quam materiam se extendat lex jurisdictionis, *n.* 1286. ad quam lex diœcesana, *n.* 1286.
§. 1. an Regulares subsint legi diœcesanæ, vel jurisdictionis Ordinariorum, à *n.* 1287.
An Parochus ex hoc præcisè, quòd aliqua Ecclesia, vel Capella sit intra fines suæ Parochiæ, habeat fundatam in jure intentionem super ejus subjectione, *n.* 1288.
§. 2. an Regulares subsint legi jurisdictionis Legætorum Papæ, *n.* 1289.
§. 3. an regulares exempti, in delictis commissis in loco non exempto, quoad punitionem subsint jurisdictioni Ordinariorum, à *n.* 1296. ratio affirmandi, *ibid.* & seq. exponitur c. *volentes*, *de privileg. in* 6. à *n.* 1294. & *n.* 1305. ratio negandi subjectionem, à *n.* 1296. hæc sententia approbatur, ut probabilior. *ibid.*
An, ubi Prælatus Regularis, & exemptus est negligens in correctione, jurisdictio devolvatur, *n.* 1301. an valeat processus Episcopi contra Regulares personaliter exemptos, *n.* 1302.
An validæ sint censuræ Ordinariorum contra personaliter exemptos, *n.* 1303.
Articulus 5. de Rubricis. *n.* 1310. quid veniat nomine Rubricarum? unde sic dictæ, *num.* 1310. quam vim habeant rubricæ canonum in corpore juris canonici, *n.* 1311. an rubrica subinde limitet, vel ampliet nigrum, seu textum infrà positum, *n.* 1312.
An omnes Rubricæ Ecclesiasticæ sint præceptivæ, *n.* 1313. negativa certa est; *num.* 1316. quæ sint præceptivæ? quæ tantùm directivæ, à *n.* 1314. non tantùm directivæ pro arbitrio omitti possint, *n.* 1318. Quæ communiter inter Doctores censeantur præceptivæ, quæ non, à *n.* 1319.
Articulus 6. de reliquis spectantibus ad materiam de legibus *n.* 1334.
An declarationes Sacræ Congregationis habeant vim legis, *n.* 1334. & seqq. quid requiratur, ut dicantur sufficienter intimatæ, *n.* 1336.
Quam vim habeant decisiones Rotæ Romanæ, *n.* 1337.
Quam vim habeat Stylus Curiæ Romanæ? *n.* 1338.
Quæ sit vis traditionum? *n.* 1339.
Quæ sit authoritas Glossæ? *n.* 1340. an utiliter allegetur sine textu? *n.* 1341.
Quam vim habeant jura municipalia? à *n.* 1242.
An Legislator teneatur suis legibus quoad vim coactivam, vel solùm directivam? *n.* 1343.
Qualiter intelligenda veniat regula de connexis? à *n.* 1345.
An jurisdictio alicui concessa porrigatur ad omnia connexa? *n.* 1346. & seq.
Qualiter verum sit, quòd casus in lege nova omissus maneat sub dispositione juris prioris? *n.* 1347.
Quamdiu duret pœna propter contumaciam decreta non expressa ejus perpetuitate? *n.* 1348.
An pœna absolutè statuta præcisè ob delictum non expresso durationis tempore, censenda sit perpetua? *n.* 1348.
Qualiter procedat, cùm dicitur, lex in præteritum indulgens, vetare in futurum? *ibid.*
Lex adjiciens dispositioni clausulam generalem: *non obstante quocunque statuto, aut consuetudine in contrarium*, tollit omnia adversantia; *n.* 1349. si autem ea damnet ut irrationabilia, vel tanquam bono communi noxia, etiam impedit futura, *ibid.*

## QUÆSTIO III.

### *Ad Titulum* 3. *de Rescriptis.*

Articulus 1. quid, & quotuplex sit rescriptum, *n.* 1352. quid sit rescriptum justitiæ, gratiæ? quid exspectativa, mandatum? *num.* 1353. quid sit vivæ vocis oraculum? epistola decretalis? *ibid.* quid rescriptum generale, speciale, perpetuum, temporale? *n.* 1354. Ad quid detur rescriptum justitiæ, ad quid rescriptum gratiæ, *n.* 1355. in dubio præsumitur rescriptum justitiæ, *n.* 1356.
Articulus 2. quis possit impetrare rescripta? *n.* 1357.
§. 1. an excommunicatus? *n.* 1358. statuitur negativa; *ibid.* sed cum certis limitationibus, à *n.* 1359. an id procedat etiam de rescriptis Episcopalibus? *n.* 1360. an rescriptum prosit impetranti, sed contra illud agenti.
§. 2. an quis possit impetrare rescriptum pro alio, *n.* 1365.
Articulus 3. de quibus rebus, & contra quos impetrari possint rescripta, *n.* 1369. quid concedatur per adjectam clausulam, *& quidam alii, & res aliæ*, *n.* 1370. & seq.
Articulus 4. quæ sit vis rescriptorum, à *n.* 1376.
An rescriptum faciat jus inter omnes, *n.* 1377.
Clausula (*si preces veritate nitantur*) Jure Civili exprimenda est; Jure Canonico semper inest rescriptis, *n.* 1378. 1409.
An rescripta delegatoria extendantur ad personam non expressam, *n.* 1379.
Quo sensu verum sit, quòd rescripta sint stricti juris, *n.* 1381.
An rescriptum extendatur ad casus postea exortos, *n.* 1386.
An rescripta Papæ recipiant interpretationem à stylo Curiæ, *n.* 1387.
Qualiter verum sit pronuntiatum Curialium, omnia rescripta Papæ esse *de forma*, *n.* 1388.
An rescriptum ante præsentationem tribuat jurisdictionem, *n.* 1389. An

An rescripta justitiæ de Jure Canonico sint tantùm annalia, *n.* 1390.
An, & qualiter in rescriptis attendi debeat tempus datæ, *n.* 1392.
§. unicus: quid, & quotuplex sit *data*, *n.* 1394. quid sit Bulla, Breve, Signatura, *n.* 1395. an literæ Apostolicæ ante appensū plumbum sint *authenticæ*, ac probent, an post appensum expeditæ, *n.* 1396.
Quid sit *data* prima, secunda, & postrema, & quæ distinctio, quis effectus, à *n.* 1399.
Articulus 5. de obreptione, ac subreptione rescriptorum, à *n.* 1406. quando contingat subreptio, quando obreptio, *n.* 1406.
§. 1. an, & qualiter rescripta vitientur obreptione, vel subreptione, *n.* 1407.
An rescriptum *gratiæ* vitietur tacendo verum, vel allegando falsum, esto id contingat *bonâ fide*, *n.* 1410. accipienda est resolutio cum limitationibus, à *n.* 1411.
An rescriptum justitiæ dolo impetratum sit ipso jure nullum, *n.* 1415. 1419.
Quando rescripta justitiæ sint in forma communi, quando speciali, *n.* 1417.
An rescriptum censeatur subreptitium, si subreptio versetur solùm circa causam impulsivam, *n.* 1421.
Quid dicendum, si allegatis pluribus causis aliquæ sint veræ, aliquæ falsæ, *n.* 1424.
An in Judice per rescriptum Delegato cesset jurisdictio, si semel (licèt nulliter) pronuntiavit in causa delegata, *n.* 1425.
§. 2. an quælibet obreptio, vel subreptio vitiet rescriptum, *n.* 1426. quod *verum* sit de necessitate exprimendum à supplicantibus, *n.* 1427. & 1471. præsertim in supplicatine pro beneficio? à *n.* 1428. & seqq.
An, & qualiter rescripta vitientur obreptione, seu allegatione falsi? *n.* 1444.
Quid veniat nomine causæ finalis, & impulsivæ rescriptorum? *n.* 1445. & seq.
§. 3. quid dicendum, quando vitium obreptionis, vel subreptionis commissum est, non à supplicantibus, sed à Procuratore, vel Officiali Curiæ Romanæ? à *n.* 1451.
Qualiter verum sit, quòd Delegatus non possit egredi fines mandati? *n.* 1454. nec possit cognoscere de validitate rescripti? *n.* 1455.
§. 4. an, & quando error in termino demonstrante, vel taxante vitiet rescriptum? *n.* 1458.
§. 5. an rescriptum vitietur non facta mentione prioris rescripti super eadem re? *n.* 1468.
Unde colligi possit, quod aliqua qualitas de jure, ac necessario exprimenda sit ab Oratoribus? *n.* 1471.
Articulus 6. de interpretatione Rescriptorum, à *n.* 1475.
§. 1. quæ interpretatio adhibenda sit in rescriptis justitiæ, *n.* 1475.
§. 2. quæ in rescriptis gratiæ, *n.* 1485. præsertim beneficialibus, *ibid.*
Ex clausulis rescriptorum quædam semper insunt, à *n.* 1489. aliqua generalia de natura clausularum, à *n.* 1489.
§. 3 de clausula: *si preces veritate nitantur*; *n.* 1491. an hæc clausula mandatum reddat conditionale, *n.* 1492. quid operetur clausula: *si preces veritate niti compereris*, *n.* 1491. vel hæc: *si constiterit*, vel *si ita est*, *n.* 1493. & seq. quid hîc intelligatur per *preces*, *n.* 1495. an illi clausulæ locus sit in rescriptis motûs proprii, *n.* 1496. Vid. quoque *n.* 1544.
§. 4. de clausula: *motu proprio*, *n.* 1479.
Quos habeat effectus, *n.* 1498. an procedat, esto non verificentur causæ allegatæ ab Oratoribus, *n.* 1501. quæ tollat impedimenta, *n.* 1502. an tollat impedimentum pluralitatis beneficiorum, *n.* 1503.
Quomodo intelligendum, quòd non tollat deffectum eorum, *quæ sunt facti*, *n.* 1504.
An utentem liberet ab onere probandi narrata, *n.* 1505. an vitium subreptionis, *n.* 1506. & seq. an intelligenda sit dispositio, habens eam clausulam, prout jacet, *n.* 1510.
An habenti rescriptum motûs proprii currat tempus à die vacationis, vel scientiæ, *n.* 1511.
§. 5. de clausula: *ex certa scientia*, *n.* 1512.
Quis ejus effectus in ordine ad revalidanda priùs nulliter concessa, *n.* 1513. vel etiam amissa, priùs validè concessa, *n.* 1514. an æquivaleat clausulæ: *de plenitudine potestatis*, *ibid.* & seq. an, ut per hanc clausulam tollatur nullitas actûs, hujus radix nota esse debeat actum revalidanti, *n.* 1527.
§. 6. de nonnullis aliis clausulis rescriptorum, *n.* 1529.
De clausula: *supplentes omnes juris, & facti defectus*, *n.* 1529.
De clausula: *non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrariis*, à *n.* 1530.
De clausula: *ad instar*, *n.* 1535.
De clausula: *authoritate vel vice nostra*, *n.* 1536.
De clausula, *de plenitudine potestatis*, *n.* 1538.
De clausula: *dummodo, seu quatenus sunt in usu*, *n.* 1539.
De clausula: *quatenus Sacris Canonibus, & decretis Concilii Trident. non adversantur*, *n.* 1540.
De clausula: *salvo jure alterius*, *n.* 1544.
De clausula: *si is, cui datur, dignus sit*, *n.* 1545.
De clausula: *si duo, vel tres &c.* *n.* 1546.
De clausula: *si pro alio non scripsimus*, *n.* 1547.
De clausula: *nisi ea Ecclesia simili mandato gravata esset*, *n.* 1548.
§. 7. de rescriptis, seu literis in forma *perinde valere*, à *n.* 1549. quid per eas intelligatur,

*n.* 1550. quando dentur tales literæ, *n.* 1551. quis earum effectus, *n.* 1552.
Quid importet clausula: *ex nunc, prout ex tunc*, *n.* 1553.
§. 8. de forma rescriptorum, à *n.* 1556.
Articulus 7. de executione, usu, & abusu rescriptorum Apostolicorum, à *n.* 1558.
§. 1. quibus committti possint rescripta Apostolica, *n.* 1559.; quæstio est non de meris Executoribus; sed habentibus potestatem cognoscendi causam, *n.* 1560.
An de jure alius, quàm habens dignitatem Ecclesiasticam, vel personatum; aut Canonicus Ecclesiæ Cathedralis possit esse Executor eorum, *n.* 1559. particulares aliquæ quæstiones circa istam materiam, à *n.* 1561. quid si unus Episcopus habeat plures Vicarios, seu Officiales, *n.* 1564. An ejusmodi Executores esse possint Priores Conventuales, *n.* 1565. an Claustrales, *ibid.* an Regulares Guardiani, an Cancellarius Universitatis, *ibid.* ubi fieri debeat executio, *n.* 1567. ubi Reus ex tali rescripto conveniri, *n.* 1568.
§. 2. an Executor, seu Delegatus ad lites possit munus aliquod accipere à partibus, *n.* 1569. quid in hoc possit consuetudo, *n.* 1570.
§. 3. quis teneatur ad expensas pro Executoribus? *n.* 1571.
§. 4. de usu rescriptorum, *n.* 1574. quid dicendum de pluribus rescriptis simul, vel successivè impetratis, *ibid.*
Quid si unus pro certo beneficio impetret rescriptum priùs, quàm alter, sed hic priùs præsentet Executori, *n.* 1575. vel si unus sub conditione, alter absolutè, *n.* 1577. &c. quid si diversa rescripta impetrentur ad diversos Judices, *n.* 1579.
§. 5. de abusibus rescriptorum, ac eorum pœnis, *n.* 1581.
Articulus 8. de abrogatione rescriptorum, *n.* 1584.
§. 1. an rescriptum speciale deroget generali? *n.* 1585.
§. 2. an subsequens rescriptum generale deroget priori speciali? *n.* 1588.
Articulus 9. de revocatione rescriptorum à *n.* 1589.
§. 1. quid sit rem adhuc esse, vel non esse in statu integro? *n.* 1590. an, ut jurisdictio delegata desinat esse in statu integro, sufficiat ejus usus per citationem? sententia affirmantium; *ibid.* an supposità hac sententia, sufficiat solum mandatum citandi, vel expeditio mandati? *n.* 1591. an sufficiat unica citatio? *n.* 1595.
§. 2. an jurisdictio delegata perpetuetur per usum ejus factum sola citatione? *n.* 1596. sententia Authoris, *ibid.*
§. 3. an perpetuetur jurisdictionem commissam subdelegando? *n.* 1605.
An res desinat esse integra per rescripti præsentationem factam Delegato? *n.* 1606.
An jurisdictio perpetuetur per unam citationem, quando est ad plures causas, vel personas? *n.* 1607.
Quando jurisdictio delegata perpetuetur, quando causa non eget citatione? *n.* 1609. qualiter hoc contingat in rescriptis gratiæ? *n.* 1610. 1612. vel in rescriptis ad dispensandum in causis matrimonialibus? *n.* 1611.
Quænam rescripta contineant gratiam *factam*, vel solùm *faciendam*? à *n.* 1612.
§. 4. qualiter jurisdictio delegata revocetur per revocationem delegantis? *n.* 1616. etiam quando res non est integra? *n.* 1618. quando revocatio jurisdictionis delegatæ sortiatur effectum? *n.* 1619.
An jurisdictio delegata ad gratiam *faciendam* semper possit revocari? an etiam, quando jam est facta? *n.* 1620.
An, & quando delegatus Principis causam sibi delegatam, ac subdelegatam alteri possit revocare? *n.* 1611.
§. 5. an, & qualiter jurisdictio delegata finiatur morte delegantis? *n.* 1622. qualiter ejus depositione ab officio? *n.* 1623. & 1625. an, esto mandatarius ignoret mortem delegantis? *n.* 1624. an, si delegans excommunicetur, suspendatur, vel interdicatur? *n.* 1625. an etiam morte subdelegantis? *n.* 1626. adhibentur plures limitationes, à *n.* 1627.

## QUÆSTIO IV.

### *Ad Titulum 4. de Consuetudine. à n. 1633.*

Articulus 1. de consuetudine in genere; *num.* 1634. quid sit consuetudo formalis? seu *facti*? quid consuetudo juris? 1634. & seq. quid sit consuetudo *secundùm præter*, vel *contra* jus? *n.* 1636. an prima sit consuetudo juris? *ibid.* & 1637. quæ sit inductiva legis? *n.* 1636. qualiter verum sit, consuetudinem contra jus esse inductivam juris? *n.* 1637.
Articulus 2. quotuplex sit consuetudo? *num.* 1638.
§. 1. an possit dari consuetudo juris contra legem? *n.* 1639.
§. 2. quæ consuetudo dici possit, & debeat corruptela? quæ legitima? à *n.* 1642. an talis sit consuetudo contraria juri naturali, & divino? *n.* 1644. item, quæ est reprobata jure? *n.* 1645. & quæ est contra fas. *ibid.* quid dicatur *solitum*, & *consultum*? *n.* 1646.
Quid sit *longa* consuetudo? *n.* 1647. quæ sit distinctio inter consuetudinem, & desuetudinem? *n.* 1648.
§. 3. an, & qualiter consuetudo differat à præscriptione? *n.* 1649.
§. 4. qualiter à traditione? *n.* 1651. quid, & quotuplex sit traditio? quæ sit vis traditionum? *n.* 1653.

§. 5.

§. 5. an, & qualiter ad consuetudinem reducantur Mos, Usus, Stylus, Forus? &c. dantur definitiones singulorum; *n.*
Quid importent Regulæ Cancellariæ? *n.* 1656. quæ illarum vis? *n.* 1660. & 1646.
Quid decisiones Rotæ? *n.* 1656. quæ illarum vis? à *n.* 1662. & 1671.
Quid Stylus Curiæ? *n.* 1655. an, & qualiter verum sit, quòd faciat jus in casibus jure non decisis? à *n.* 1657. est multùm mutabilis; *ibid.* non facit consuetudinem juris, nisi habeat conditiones requisitas; *n.* 1658. & seq.
Quid sit Ritus? 1663.
Articulus 3. de conditionibus necessariis ad consuetudinem legitimam? à *n.* 1664.
§. 1. de frequentia actuum necessaria ad consuetudinem legitimam? à *n.* 1665. Alia est consuetudo *legalis*, seu abrogans jus præexistens; & inducens novum; alia ablativa dominii ab uno, & ejus constitutiva in alio, *n.* 1667. an ad consuetudinem novi juris inductivam sufficiat unus, vel alter actus? à *n.* 1666. aliud est, legem abrogari vi consuetudinis; aliud ex vi consensûs Legislatoris; *n.* 1668.
§. 2. an, ut consuetudo sit legitima, debeat esse judicialiter approbata? *n.* 1673.
§. 3. Quales actus requirantur ad stabiliendam consuetudinem? *n.* 1677. an debeant esse voluntarij, ac liberi obligandis per eam? *ibid.* & seq. an fieri debeant animo inducendi obligationem? *n.* 1679. an talis animus in dubio præsumatur? *ibid.* unde talis animus rectè colligi possit? *n.* 1680. an ad consuetudinem necessaria sit frequentia actuum externorum? *n.* 1682.
§. 4. an ad judicandam consuetudinem juris necessarius sit consensus Principis? à *n.* 1683. an semper expressus, & personalis? an sufficiat tacitus, vel legalis? *n.* 1684.
§. 5. quæ consuetudo censeatur rationabilis? à *n.* 1688. Varia super hoc Doctorum placita. à *n.* 1686. probabilior est opinio Sylvestri, *n.* 1690. id, quod etiam tenet Sanchez *n.*
Consuetudo, quæ laborat vitio ex objecto propter oppositionem cum jure naturali, & divino, nequit esse rationabilis; 1693. an in dubio censenda sit rationabilis, quæ agit contra legem? *n.* 1694. an consuetudo jure reprobata possit aliquando fieri legitima? *n.* 1696. an plus requiratur ad consuetudinem *præter*, quàm contra legem? *n.* 1697. an omnes consuetudo contraria juri canonico, per idem etiam reprobetur? *n.* 1699.
§. 6. qualiter consuetudo præscribatur? à *n.* 1700. an idem sit, præscribere contra legem Ecclesiasticam, & præscribere contra Ecclesiam? 1703. quæ consuetudo censeatur *diuturna*? *n.* 1704. de tempore requisito, ut consuetudo sit *præscripta*? *ibid.* an ut præscribatur contra legem Ecclesiasticam, idem tempus requiratur, quod, ut præscribatur contra bona Ecclesiæ? *n.* 1709. quale censeatur *longum* tempus inter præsentes? quale inter ablentes? *n.* 1712.
An consuetudo legitimè præscripta habeat naturâ vim inducendi novum jus? *n.* 1714.
An tempus debeat esse continuum? *n.* 1715. qualiter interrumpatur? *n.* 1716.
An prærequiratur bona fides, ut per consuetudinem tollatur lex præexistens? *n.* 1718.
§. 7. Qui possint inducere consuetudinem juris? à *n.* 1719.
An homo privatus? *ibid.* & *num.* 1526. an Communitas carens jurisdictione condendi legem? *n.* 1722. an requiratur consensus majoris partis? *n.* 1725.
An consuetudo etiam diuturna, & longa valeat, si inducta sit in commodum privatum? vel renitente Communitate? *n.* 1728.
An praxis bono communi noxia recipi valeat pro lege? *n.* 1730.
An valeat consuetudo adversus in obligabilem à Principe? *n.*
An valeat consuetudo, & praxis Laicorum, quâ se tuentur in plurimis actibus contra immunitatem Ecclesiasticorum, ac eorum bona? *n.* 1733.
Articulus 4. de legitimæ consuetudinis effectu. *n.* 1734.
§. 1. quid possit quoad vim obligandi? *num.* 1735. an dari possit consuetudo merè pœnalis? *ibid.* an consuetudo unius loci obliget alium? *n.* 1738. an Judex unius loci possit sequi consuetudinem alterius? *n.* 1739.
§. 2. an, & qualiter consuetudo valeat abrogare legem præexistentem? *n.* 1739. an etiam legem merè pœnalem? *n.* 1730. vel etiam mixtam? *n.* 1741. an legem irritantem? *n.* 1743.
§. 3. an consuetudine abrogari possit lex prohibens consuetudinem contrariam? *n.* 1744.
§. 4. an possit inducere vim legis irritantis? *n.* 1747.
§. 5. quo sensu verum sit, quòd consuetudo sit interpres legis? *n.* 1748. qualiter consuetudo possit abrogari? *n.* 1751.
Articulus 5. qualiter consuetudo probetur? *n.* 1752.
Articulus 6. de reliquis pertinentibus ad consuetudinem; à *n.* 1755.
§. 1. an consuetudo efficere possit, ut acquisitio dominii sine corporali rei apprehensione acquiratur? *n.* 1756.
§. 2. an, ut quis liberetur ab actu alteri debito jure communi? *n.* 1757.
§. 3. an valeat consuetudo optandi meliores præbendas? *n.* 1759.
§. 4. quæ consuetudines particulares jure canonico prohibeantur? *n.* 1762.

## QUÆSTIO V.

*In Titulum 5. de postulatione Prælatorum. à n. 1773.*

Articulus 1. quid, & quotuplex postulatio? *n.* 1774. quid solennis, quid non solennis? *n.* 1775.

Articulus 2. de requisitis ad valorem postulationis. *n.* 1776. an requiratur, eam esse factam concorditer, & quando? *ibid.*

Articulus 3. qui possint, vel non possint postulari? *n.* 1777. an omnis ineligibilis possit postulari? an postulabilis eligi? vel eligibilis postulari? *ibid.* an ad Ecclesiam Cathedralem postulari quis possit ante 27. ætatis annum? *n.* 1780. an, & quando professus Ord. Mendic. postulari possit ad Ecclesias Cathedralibus minores? vel Monasteria extra suum Ordinem? *n.* 1781.

An Episcopus unius Ecclesiæ *confirmatus* eligi, vel postulari possit ad aliam? *n.* 1781. & seq.

An postulandus possit eligi saltem votis omnium? *n.* 1782.

Articulus 4. quibus competat jus activè postulandi? *n.* 1784. an postulantes possint variare? *n.* 1785. an irrita sit postulatio non vocato eo, qui est in possessione juris postulandi? *n.* 1786.

Articulus 5. apud quem Superiorem fieri possit, & debeat postulatio? *n.* 1787. an Superior absque injuria postulati possit postulationem non admittere? *n.* 1789.

Articulus 6. de forma postulationis; *n.* 1792.

Articulus 7. de postulatione concurrente cum electione. à *n.* 1794. an si postulatus habeat plura suffragia, quàm electus, ille huic præferendus sit? sententia affirmantium refertur à *n.* 1794. præfertur negativa, à *n.* 1796. nisi postulatus habeat duplo plura electo, *ibid.* solvuntur argumenta contrariæ sententiæ, à *n.* 1798.

Decisio Innocentii XI. in contingentia concurrentis postulationis cum electione, à *n.* 1797.

Articulus 8. quis sit effectus postulationis admissæ? *n.* 1802.

Articulus 9. de pœna postulantium indignum. *n.* 1803.

## QUÆSTIO VI.

*In Titulum 6. de electione, & electi potestate, à n. 1809.*

Varia electionis acceptio. *n.* 1809. an distinguatur à nominatione? *n.* 1810.

Articulus 1. quid sit electio canonica? à *nnm.* an electo ante confirmationem mortuo, beneficium vacet per hujus, vel antecessoris obitum? *n.* 1821.

Articulus 2. de his, qui habent potestatem eligendi, à *n.* 1822. & *n.* 2818. ac à seq. quid in electione facta Collegio veniat nomine *Collegij*? *ibid.* & seq. qui numerus personarum constituat Congregationem, Collegium, populum? *n.* 1822. An Clerici, qui non sunt membra Collegij, seu Capituli, de jure gaudeant electione activa, à *n.* 1823. an possint hoc jus acquirere consuetudine, vel privilegio? *n.* 1825. & seq.

Quot personæ necessariæ sint in principio, ut constituatur Collegium? quot, ut ejus jura conserventur? *n.* 1822. & seq.

An ex his, qui sunt de Capitulo, omnes habeant jus eligendi, esto non sint in sacris? *n.* 1824. quid dicendum, si nullus Capitularium tempore vacationis esset in sacris? *n.* 1824. quid, si tantùm unus superesset? *n.* 1823.

In Ecclesiis sæcularibus jus eligendi est penes Canonicos puberes, & sanæ mentis; *num.* 1827. an etiam penes impuberes? *ibid.* in Regularibus autem penes professos expresè, vel tacitè; sed non penes Conversos. *ibid.*

An vitietur electio, si inter electores sit unus inhabilis, v. g. excommunicatus? *n.* 1828. & seq. item *n.* 1839. quid si suspensus, *n.* 1829. & 1841. vel interdictus, *ibid.* & 1841. vel irregularis, *ibid.* & *n.* 1842.

Quæ sit pœna scienter eligentium indignum, *n.* 1830. an quis *præsumatur* elegisse indignum *scienter*, *n.* 1831.

An valeat electio facta à solis Laicis, vel à Laicis, & Clericis simul, *n.* 1832. an id acquiri possit præscriptione, vel consuetudine, *n.* 1832. penes quem sit electio, vel institutio Canonici in Ecclesiis Cathedralibus, *n.* 1833.

Articulus 3. de qualitatibus requisitis in subjecto eligendo, à *n.* 1834. quæ ætas? *ibid.*

§. 1. de requisita scientia literarum, à *n.* 1835.

§. 2. quæ morum probitas; *n.* 1836.

§. 3. de legitimis naturalis. *n.* 1837.

§. 4. an, & qualiter promovendum impediant censuræ, *n.* 1838.

An eligibilitati obstet retentio plurium beneficiorum, *n.* 1845.

An ambitio, *n.* 1844. an, quòd providendus habeat liberos, *n.* 1843.

An eligi possit, qui non est de gremio, *num.* 1846.

Articulus 4. de his, quæ præcedunt electionem. *n.* 1850. de necessitate, ut priùs, quàm quis promoveatur, vacet beneficium; quid sit *beneficium vacare*? quot modis contingat, à *n.* 1850.

§. 1. an vivente Prælato Canonicis tractare de successore, 1854. an Prælatus cum suis tractare possit de sui successoris electione, *num.* 1866.

§. 2. an valeat electio successoris ante sepulturam defuncti Prælati, *n.* 1857. quando Capitulares possint agere super constituendo die electionis, *num.* 1859. à quo die currat tem-

tempus faciendi electionem intra tempus præscriptum, *n.* 1858.

§. 3. an, & qualiter ad electionem vocandi sint omnes Capitulares, *n.* 1860. quæ sint substantialia electionis per scrutinium, *num.* 1861. an vocandi omnes, qui commodè adesse possint, *n.* 1862. an valeat electio non vocatis iis, qui commodè venire possunt ad tempus præfixum, *n.* 1863. quando censeatur quis non posse adesse commodè, *ibid.* an electio facta uno ex Electoribus contempto sit irrita, *n.* 1864.

An, & qualiter contemptus electionem impugnare possit, *n.* 1865.

An petere possit cassationem electionis etiam confirmatæ, *n.* 1866.

An contemptus, post publicatum scrutinium adveniens, & dans suum votum, augeat numerum, *n.* 1867.

An mortuo contempto Successor in beneficio possit agere de contemptu, *n.* 1868.

§. 4. an contemptus possit renuntiare contemptui, *n.* 1869.

An Capitularis, qui electioni non vult interesse, cùm possit, compelli valeat, ut interfit, *n.* 850.

An vocatus, sed recusans interesse tractatui electionis faciendæ, rursum vocandus sit ad ipsum diem electionis, *n.* 1872.

An Capitularis, aliunde sciens diem electionis, possit agere de contemptu, si non sit vocatus, 1873.

§. 5. an Capitulares præsentes possint absentibus præfigere certum terminum electionis etiam breviato termino juris, *n.* 1874.

An tempus electionis, jure definitum, possit prorogari, *n.* 1875.

An, si qui Capitularium discedant Capitulo jam congregato, & revocati adire nolint, remanentes possint procedere ad electionem, *n.* 1876.

§. 6. an elector sui loco possit mittere Procuratorem, *n.* 177. an, si quidem adest, sed in loco elictionis comparere non possit, *num.* 1878. an procurator debeat habere speciale mandatum jurandi in animam principalis absentis impediti, *n.* 1879. an illi à cæteris hoc remitti possit, *ibid.* an, si quis egrediatur de loco, ex quo vocandus erat ad electionem, ejus Procurator rejici possit, *n.* 1879.

An Procurator absentis electoris possit esse extraneus, *num.* 1880. quid dicendum, si nullus Capitularium vult suscipere officium Procuratoris pro electore impedito, *n.* 1881. & 1885. an iste possit constituere plures Procuratores, *n.* 1882. an Procurator constitutus possit alium eligere nomine suo, alium nomine principalis, *n.* 1883. an possit consentire in electionem sub pluribus formis, *n.* 1884.

Articulus 5. de forma electionis. *n.* 1886. ex solemnitatibus in electionibus servandis quædã accidentales sunt; qudã substantiales. à *n.* 1886. modi eligendi tres sunt, per inspirationem, scrutinium, & compromissum; *ibid.* an electio aliter celebrata sit irrita, *ibid.*

§. 1. de electione per scrutinium. *num.* 1888. quos actus contineat, *ibid.* qui, & quot debeant esse Scrutatores, *n.* 1889. an extraneus possit esse Scrutator, *ibid.* an possit mutari, *ibid.* in cujus manibus juramentum, si quod præstandum est, præstare debeat, *ibid.* an ex hoc, quòd Scrutator sit, habeat jus Suffragij, *ibid.* an ex hoc, quòd scrutator sit, habeat jus suffragii? *ibid.*

Quali ordine fieri debeat Scrutinium, *num.* 1890. an à Capitulo constitui possint alii, qui exquirant Scrutatorũ suffragia, *n.* 1891. quid agendũ habitis electorũ suffragiis collectis, & in scripturam redactis, *num.* 1892. qualiter & quando fieri debeat eorum publicatio, *ibid.* an publicato scrutinio electores variare possint, *n.* 1893. limitatur *ibid.* & *n.* 1894. & seq.

De collatione suffragiorum. *n.* 1398. qualia debeant esse suffragia, ut admitti possint, *n.* 1898. an, & qualiter facienda sit collatio numeri ad numerum, 1900. quæ hic censeatur major pars, *n.* 1901. qualiter fieri debeat collatio Zeli ad Zelum, meriti ad meritum, *ibid.* & seq.

§. 2. an in omnibus Prælatorum forma scrutinii, in c. *quia propter* præscripta, servanda sit, *n.* 1906. & seq.

Articulus 6. de electione communi, seu solenni. *n.* 1912. quid ante, ac in ipsa observandum, *n* 1913.

Articulus 7. de libertate electionis; *n.* 1916.

An jus eligendi, competens Capitulo, per consuetudinem possit restringi, vel in alio constitui, *n.* 1917.

An valeat consuetudo, quòd electus debeat intimari Principi, vel Patrono Laico, *num.* 1918.

An hodie Laici, quantumvis Patroni, tractatui electionis se immisceant, *n.* 1919.

An electores Principi Laico proponere possint aliquos, ut unum ex illis eligat *n.* 1919.

An electio metu gravi, & injusto exorta sit jure valida, 1921. quæ sit pœna taliter cogentium, *ibid.*

Articulus 8. quomodo intelligendum, quòd electio debeat esse majori, & saniori parte, *n.* 1922. quæ censeatur *major* pars Capituli, *n.* 1923. quæ sanior, *n.* 1927.

An major, & sanior pars debeat accipi copulativè? quæ pars authoritate prævaleat, an *major* saniori? an *sanior* majori, *n.* 1928.

Articulus 9. de loco, & tempore electionis. à *n.* 1929.

Ubi, seu in quo loco celebranda sit electio, *n.* 1929. intra quod tempus, *n.* 1930. an hoc tempus currat impedito, *num.* 1931. ad quem devolvatur jus providendi beneficio, vel Ecclesiæ, si provisio non fiat intra tem-

pus præscriptum? *num.* 1932. an admittatur purgatio moræ, *n.* 1934. beneficii devoluti provisio fieri debeat iisdem conditionibus, quibus debeat aliàs, *n.* 1935. an devolutio fiat non tantùm ex causa negligentiæ; sed etiam electionis indigni, *n.* 1937.

Articulus 10. à quibus electio impugnari possit, *n.* 1940.

An ab ipsis electionibus post publicatum scrutinium, *ibid.* & seq. an ab eo, qui renuntiavit electioni de se factæ, possit appellari ad impediendam electionem alterius, *n.* 1942. quando in electionibus Superiorũ appellari possit ad Sedem Apostolicam, *n.* 1943. & seq.

Articulus 11. de electione per compromissum. *n.* 1951.

An valeat compromissum vel unico ex Electoribus dissentiente, *n.* 1952.

Unde assumendi sint compromissarii, *num.* 1953.

An requiratur, quòd omnes Compromissarii in unum consentiant, *n.* 1951. & seq.

An Compromissarii possint eligere unum ex suo numero, *n.* 1954.

An, & qualiter finiatur compromissum, *nnm.* 1955.

Qualiter celebranda sit communis electio post factam electionem à Compromissariis, *n.* 1956.

An electus mediate suffragiorum ante solemnem electionem possit accedere electoribus in sui favorem, *n.* 1957.

An locus sit devolutioni in negligentia Compromissariorum, *n.* 1958.

Articulus 12. de electione per viam Spiritûs Sancti. *n.* 1959.

Articulus 13. de renuntiatione ad dignitatem Ecclesiasticam. *n.* 1960.

An valeat consuetudo nominandi plures, electione unius relicta Laico, *n.* 1961.

An unicus ex Capitulo superstes, possit seipsum eligere in Prælatum, vel eligi per ipsũ delegato, *ibid. n.* 1961.

An in fundatione Ecclesiæ Collegiatæ, tam sæcularis, quàm Regularis constitui possit cum consensu, & acceptatione Episcopi, ut nominatio Prælati pertinere debeat, vel ad alterius Ecclesiæ Prælatum, vel ad ipsum Patronum, si Ecclesiasticus sit, *n.* 1962.

An prælatis Papâ inferioribus conveniat potestas Laicis concedendi etiam in fundatione Ecclesiarum, ut ipsis competat jus eligendi, vel nominandi Prælatum Ecclesiasticum, *n.* 1963.

An Laici possint hoc jus acquirere per consuetudinem immemorialem, *n.* 1964.

An omne, quòd potest obtineri privilegio, possit etiam obtineri consuetudine, *n.* 1995.

Articulus 14. de confirmatione electi. *n.* 1966.

An legitimè electus confirmari debeat, *ibid.* quid sit confirmatio electionis, *ibid.* an electus non exemptus petere possit immediatè à Pontifice, *ibid.*

An quem pertineat confirmatio electi, jure ordinario, *n.* 1967. an legitimè electio negari possit confirmatio, *ibid.*

Quando electus confirmationem petere debeat? ac inter quod tempus, *n.* 1968. an dari possit, ante inquisitionem de forma, & processu electionis, &. *n.* 1969.

An Prælatus semel examinatus, & approbatus ad unam Prælaturam, denuò examinandus sit, cùm iterum eligitur, *n.* 1970.

Quid agendum, si electus confirmandus sit à Pontifice *n.* 1972.

Quid, si quis se opponat confirmationi, *num.* 1971.

An pluribus diversis electionibus ad eandem Ecclesiam electus, ad impetrandam confirmationem possit utrâque uti, *n.* 1973.

Articulus 15. de consecratione electi, & confirmati; à *n.* 1984.

Intra quod tempus peti debeat consecratio electi, *n.* 1984. quid, si hoc negligat *ibid.* & seq. quos actus importet forma & solennitas consecrationis, à *n.* 1986.

An beneficia Episcopi, quæ priùs habuit, peracta confirmatione, statim vacent, à *num.* 1990. quid si dispensetur, ne intra tempus præscriptum teneatur consecratio, *ibid.* & seq.

Articulus 16. de potestate electi, *n.* 1993.

An electus, sed non confirmatus gaudeat administratione quoad exercitium, *n.* 1993. an, si ante confirmationem administrationi se ingerat, cassetur electio, *ibid.* an ejus acta ante confirmationem, firma sint, *n.* 1994. penes quem usque ad confirmationem electi sit administratio, *ibid.* an hoc etiam procedat, si quis, qui ante habuit administrationem, sit electus, *ibid.* an eandem pœnam incurrat electus, ante confirmationẽ permittens se in stallo poni, vel in possessionem mitti, *ibid.* exceptio eorum, qui apud Sedem Apostolicam confirmationem recipiunt, *n.* 1995.

Quid possit electus, post confirmationem, *n.* 1996. quid Archi-Episcopus nondum consecratus, sed tantùm confirmatus, antequam recipiat pallium, *ibid.*

Articulus 17. de electione, confirmatione, benedictione, Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium, *n.* 1997.

Quibus in electione Prælatorum Regularium competat jus eligendi? *n.* 1998. an omnibus de Conventu, etiam non professis? *n.* 1998. an quilibet professus sit eligibilis passivè ad prælaturam regularem sui Conventûs? 1999. an debeat esse actu, & expressè professus? *ibid.* an Clericus sæcularis possit eligi ad Prælaturam regularem? *ibid.* an saltem ad regulare beneficium non curatum? *ibid.*

An professus postulari possit ad Prælaturam

ram regularem? *n.* 1999. an regularis Prælatus eligi possit extra suum monasterium, vel ordinem? *n.* 2000.
An Regularis consentire possit in sui electionem, extra suum monasterium, vel ordinem, *ibid.*
An ad Prælaturam sui Ordinis, sed alterius monasterii, *n.*
An sine immediati Superioris consensu consentire, in sui electionem ad Prælaturam sui Ordinis, sed alterius monasterii, *n.* 2006.
An Regulares Mendicantes eligi possint ad Prælaturam extra suum Ordinem, vel in eam consentire, *n.* 2087.
Forma in electione Prælatorum Regularium communiter est secundùm eorum privilegia, vel statuta propria; aliàs juxta jus commune, *n.* 2007.
Confirmationem tales Prælati, si exempti sint, immediatè accipere debent à Papa, seclusis privilegiis, *n.* 2008.
Non consecrantur, sed solùm benedicuntnr, esto habeant jus Infulæ, & baculi, *ibid.*
Articulus 18. de electione, confirmatione, & benedictione Abbatissarum, & Præpositarum. *n.* 2009.
Quæ Moniales habeant jus activum eligendi? *n.* 2009. & seq.
Quid requiratur in eligenda? *n.* 2011. an debeat esse expressè professa? *n.* 2012. cujus ætatis naturalis? cujus post professionem in Religione? an in his dispensare possit Episcopus, vel electionis Præses? *ibid.*
An in eligenda requirantur natales legitimi? an in hoc dispensare possit Superior, cui tale Monasterium subest? *n.* 2013.
An, ut sit Virgo? an, si sit oppositum, & talis eligeretur, teneretur fateri, se non esse Virginem? an possit in hac qualitate dispensare Episcopus? *n.* 2013.
An in electionibus Monialium sit eadem eligendi forma, quæ iu electionibus Virorum, *n.* 2014.
An possint eligere per compromissum, vel inspirationem, *ibid.*
An excipientes vota Electricum possint ingredi clausuram, *ibid.*
Quid agendum, si electio fiat in discordia, 3015.
An, quæ habet duas partes Capituli pro se, confirmanda sit, non obstante contradictione minoris partis?
An hoc procedat, si Præses electionis omittat examen, an taliter electa in discordia, digna sit?
An, si facto scrutinio non prodeat ulla, habens duas partes, seu tertias Capituli, quæ in electam à majori parte non consenserunt, etiam publicato scrutinio possint illis accedere?
An valeat electio ejus, in quam non consenserunt duæ partes Capituli?
An, si minor pars Capituli accedere nolit majori, & consequenter major pars Capituli non faciat duas partes, seu tertias, electa à majori parte, quantumvis non sufficiente possit administrationem suscipere, solùm pro tempore, quo is, ad quem spectat confirmatio, plenè audiat causas nolentium in illam consentire? *n.* 2019. 2021.
An publicato scrutinio major pars possit accedere minori? *n.* 2018. & seq.
An contra electam, etiam confirmatam, & benedictam possint impugnationes fieri, ut à dignitate removeatur? *n.* 2019.
An in hujusmodi electionibus [defectus *in forma* commissus purgetur confirmatione secuta, *n.* 2019.
An sufficiat sola collatio numeri ad numerum? *n.* 2019. à quo electio Monialium confirmanda, vel benedicenda? *n.* 2020. quid agendum, si in electionibus Monialium interponatur appellatio, *n.* 2022.
An valeat confirmatio electæ, quæ non habuit ex suffragiis duas tertias Capituli? à *n.* 2024.
De pœnis eorum, qui in electionibus Monialium directores sunt, si excitent discordias, vel exortas non componunt, *n.* 2023.

## QUÆSTIO VII.

### *In Titulum 7. de Translatione Episcopi,* à *n.* 2033.

Articulus 1. à quo fieri possit translatio Episcoporum? *n.* 2036. quæ sint causæ graviores reservatæ Summo Pontifici, *ibid.*
Quis concedere possit, ut Monachus laicus, vel sæcularis Clericus, in solis minoribus constitutus, creetur Episcopus? *n.* 2037.
Qualiter intelligendum, quòd matrimonium spirituale Episcorum cum sua Ecclesia solùm *virtute divina* dissolvi possit? *n.* 2028.
An Episcopus *confirmatus* authoritate propria possit transire ad aliam Ecclesiam, an solùm electus? *n.* 2038.
Articulus 2. à quo fieri possit translatio Prælatorum Episcopis inferiorum, 2039.
An Capitulum Sede vacante possit facere translationes Prælatorum, quas facere poterat jure ordinario Episcopus in vivis, *n.* 2039..
An Ecclesia ante consecrationem sui Episcopi dicatur viduata simpliciter, vel secundùm quid, *n.* 2040.
ad quid obligetur legitimè translatus, *num.* 2041.
An Episcopus translatus cogatur solvere debita in priori Ecclesia contracta, *n.* 2042.
An habens privilegium transeundi ad majorem Ecclesiam, vi ejus transire possit ad minorem, vel parem? *n.* 2034.
An translatio fieri possit ad quamlibet Ecclesiam, *n.* 2044.

Articulus de translationis effectu *n.* 2050.
Articulus de pœna transferentium se ad aliam Ecclesiam authoritate propria, *n.* 2051.

## QUÆSTIO VIII.

### *In Tit. 8. de authoritate, & usu pallii.*

Pallium est insigne dignitatis Archiepiscopalis; & jus illud gestandi, *n.* 2056. ejus descriptio, & forma *ibid.*
Articulus 1. de authoritate pallii, *n.* 2057.
Quid veniat hìc nomine *pallii*, quid ejus collatione conferatur? cur dicatur sumptum de corpore S. Petri? *n.* 2057. ejus forma, *ibid.* an electus ad Archiepiscopatum possit dici *Archiepiscopus*, ante acceptum pallium? an Metropolitanus? *ibid.* à quo petendum Archiepiscopale pallium? *n.* 2058. & seq.
Quibus competat jus pallii? *n.* 2060.
Intra quod tempus, & qualiter peti debeat? *n.* 2061.
Articulus 2. ubi liceat uti pallio, *n.* 2062.
Quando liceat uti pallio, *n.* 2063.
Quam authoritatem conferat traditio pallii, *n.* 2064. & seq.
An ad alios transferri possit, *n.* 2066

## QUÆSTIO IX.

### *In Tit. 9. de Renuntiatione, à n. 2068.*

Articulus 1. quid, & quotuplex sit renuntiatio, *n.* 2069.
Quotuplex sit renuntiatio conditionata, *ibid.* quid tacita, *ibid.*
Articulus 2. quæ beneficia possint, vel non possint renuntiari, *n.* 2070.
An valeat renuntiatio beneficii Patronati, sine consensu Patroni.
An, si is, cui beneficium patronatum sine consensu Patroni resignatum est, moriatur, beneficium vacet per hujus, vel resignantis obitum.
An in renuntiatione beneficii electivi sufficiat consensus majoris partis electorum, Quæ beneficia resignari non possint, *n.* 2073.
An, si Pontifex admittat renuntiationem beneficii uniti, unio extinguatur, vel solùm suspendatur.
Articulus 3. qui possint renuntiare, *n.* 2074.
An Canonici suum Canonicatum, *ibid.*
An Prælati suam dignitatem, *ibid.*
An Clerici post pubertatem, sed adhuc minores, *ibid.*
An Clerici beneficiati Religionem ingressi, An horum renuntiatio firma sit non secuta professione, *ibid.*
An, & qualiter Clerici criminosi sua beneficia resignare possint, à *n.* 2075.
An Clerici habentes solùm jus ad beneficium possint hoc resignare in favorem alterius, *ibid.*
An, & qualiter infirmi resignare possint sua beneficia in favorem alterius, *ibid.*
Exponitur regula *de Viginti*, *n.* 2067.
Articulus 4. ex qua causa validè, ac licitè resignari possint beneficia, *n.* 2077.
Articulus 5. quis possit admittere renuntiationes beneficiorum, *n.* 2080.
An, ut beneficiatus licitè religionem ingrediatur, sufficiat licentia ab Episcopo petita, licèt non obtenta, *n.* 2083.
Quid de beneficiato intruso, *ibid.*
Quid, si resignatio fiat coram laico, *num.* 2084.
Quid, si coram Clerico carente potestate admittendi, *ibid.*
An Legati Apostolici legitimè admittant beneficiorum renuntiationes? *n.* 2086.
An, & qualiter Prælati, Summo Pontifice inferiores, admittere possint renuntiationes beneficiorum? *n.* 2087.
A quo admitti possint resignationes beneficiorum conditionatæ? *n.* 2089.
A quo resignationes sub conditione, cum reservatione pensionis? *ibid.*
A quo admitti possint renuntiationes beneficiorum causâ permutationis? præsertim triangulares, quadrangulares, reciprocæ, *n.* 2091.
Articulus 6. quæ conditiones necessariæ sint, ut beneficiorum resignationes legitimè fiant? *n.* 2093. an adjici possit pactum, ut Resignatarius resignanti solvat expensas, quas resignans fecit in beneficio acquirendo, pro illo litigando? *n.* 2094.
Articulus 7. de resignatione per Procuratorem, *n.* 2095.
Articulus 8. de renuntiationis effectu; *num.* 2100. an, & quando Resignatarius redire possit ad idem beneficium? à *n.* 2101.

## QUÆSTIO X.

### *In Titulum 10. de supplenda negligentia Prælatorum. n. 2103.*

Quid hìc intelligatur per negligentiam? *num.* 2103.
Intra quod tempus fieri debeat provisio beneficiorum vacantium? *n.* 2103. ad quem in casu negligentiæ devolvatur jus providendi? *n.* 2104. & seq.
Qualiter tempus, intra quod provisiones beneficiorum vacantium fieri debent, computandum sit? 2105, an concedatur tempus purgandi moram? *ibid.*
Ad quem in casu negligentiæ devolvatur, si provisio spectet ad Episcopum simul, & Capitulum? *n.* 2105.
Si Prælati regulares in provisione, & præsentatione beneficiorum tam sæcularium, quàm regularium, negligentes sint? *ibid.*
Si Episcopus negligens sit in aliis, v. g. in officio suo, in excommunicando, ordinando, causas cognoscendo? *n.* 2106.

Si

Si sit excommunicatus ab Archiepiscopo, adeóque fungi nequeat officio suo? *ibid. n.* 2106.
An interdum defectus, vel negligentia Prælati suppleatur per dationem Curatoris, seu Coadjutoris? *n.* 2207.
Quis Ecclesiæ Cathedrali vacanti administratorem dare possit? *ibid.*
An administrator ab alio, quàm à Papa Sede vacante constitutus, possit beneficia conferre, quæ ad solam Episcopi jurisdictionem, seu liberam collationem pertinent? *n.* 2208.
An aliquando propter contumaciam & negligentiam Superiorum (ut quando contumaciter recusant benedicere Abbates, &c.) potestas ad inferiorem devolvatur? *ibid. n.* 2208.

## QUÆSTIO XI.

### *Ad Titulum* 11. *De temporibus Ordinationum, & qualitate ordinandorum. a num.* 2109.

Oridinis duplex acceptio; *n.* 2 09. an prima tonsura sit Ordo? 2209. & seq. an Ordo Episcopalis sit distinctus à Presbyterali? *n.* 2222.
Articulus 1. de his, qui possunt, vel non possunt ordinari. à *n.* 2223.
An Ordins capax sit fœmina? *n.* 2223.
Non baptizatus baptismo fluminis? *ibid.*
An hermaphroditus? *ibid.*
An carentes ætate canonica? *n.* 2224.
An illiterati? *ibid.*
An criminosi? *ibd.*
An infames? *ibid.*
An conjugati? *ibid.*
An scienter absolutè rebaptizati? *ibid.*
An solenniter, & publicè pœnitentes? *ibid.*
Articulus 2. de his, qui possint ordinare; *num.* 2225.
Quibus competat ordinaria potestas conferendi ordines? *n.* 2225.
Quid circa primam tonsuram, vel etiam minores ordines possint Abbates, & Prælati Regulares? *n.* 2226.
An simplici Sacerdoti committi possit potestas alios ordinandi? *n.* 2228.
An Episcopi, etiam lapsi in hæresim, excommunicati non tolerati, suspensi, & interdicti valde conferant ordines? *n.* 2229.
An Episcopus possit licitè ordinare alios, quàm suos subditos? *num.* 2220. limitatio quædam sententiæ negantis. à *n.* 2222.
An Religiosi exempti possint ab alio, quàm Ordinario loci, in quo situm est eorum monasterium, in quo degunt, ordinari? *n.* 2222.
Articulus 3. quis Episcopus censeatur proprius ad conferendos ordines? *n.* 2223.
§. 1. de Episcopo proprio ratione originis; *n.* 2234.
Præmittitur Innocentii XI. constitutio, incip. Speculatores Domûs Israël. à *n.* 2224.
An censeatur Episcopus proprius ejus (quoad potestatem ordinandi) qui natus est solùm per accidens in ejus diœcesi? *n.* 2233.
An ordinandi censeatur proprius, qui est Episcopus originis paternæ? *ibid.*
Quis censeatur in hoc Episcopus ratione originis paternæ proprius nati naturaliter, ac illegitimè? *ibid.*
Quis sit proprius Episcopus expositorũ, quorum parentes ignorantur? *n.* 2234. vel eorum, qui sunt nullius diœcesis, *ibid.* vel libertorum, aut Libertinorum? *ibid.*
§. 2. de proprio Episcopo ratione domicilii. *n.* 2235.
Qualiter in ordine ad effectum recipiendi ordines ab Episcopo alicujus loci, requiratur, quòd quis in ejus diœcesi habeat domicilium? *n.* 2235.
An filius manens cum Patre sortiatur domicilium Patris, si alibi domicilium seu sedem non figat? *n.* 2236.
An filius amittat domiciliũ Patris, discedendo ab isto, si retineat animum ad illum redeundi? *ibid.*
An amittatur domicilium originis per hoc, quòd quis alibi constituat sibi domicilium habitationis? *ibid.*
An, ut quis mutet domicilium, requiratur licentia Episcopi? *ibid.*
§. 3. de proprio Episcopo ratione beneficii; *n.* 2237.
An, ut quis censeatur subjectus Episcopo quoad receptionem ordinum, quæ sufficiat, quòd in ejus diœcesi habeat præbendam temporalem? vel Capellaniam non collativam? etiã perpetuã vel beneficiũ concessũ in commendã temporalẽ, & pensionẽ Ecclesiasticã? *n.* 2237. aut beneficium manuale? aut beneficium non exigens residentiam? aut esto ejus præsentatio, institutio, vel collatio, pertineat ad alium? *n.* 2238.
An quoad dictam subjectionem sufficiat beneficium tenue? *n.* 2238. an beneficium justè obtentum sine possessione, vel possessum sine justo titulo? *n.* 2238.
An Clericus à proprio Episcopo tonsuratus, vel in minoribus legitimè ordinatus, possit ab alieno Episcopo ad ulteriores ordines promoveri titulo alicujus beneficii in illius diœcesi obtenti? *n.* 2239.
An quis titulo beneficii in aliena diœcesi obtenti in ordine ad effectum suscipiendi ordines ab illo diœcesano, ejus jurisdictioni subditus censeri debeat? *n.* 2239.
An ordinatus ab uno Episcopo possit ad altiorem ordinem promoveri ab alio, sine licentia prioris? *n.* 2240.
An Clerici Latini possint ordinati ab Episcopis Græcis, & è contra? *n.* 3242.
An Episcopi Italiæ possint ordinare ultramontanos, *n.* 3142.
Quid observandum Episcopo in ordinatione suorum familiarium, *n.* 2143.

Articulus 4. de literis dimissoriis ; *n.* 2144.
Quid hìc per *dimissorias* intelligatur, *ibid.*
An Clericus ad primam tonsuram, vel minores ordines legitimè promotus non promoveri possit ab alio Episcopo ad ulteriores ordines titulo beneficii in ipsius diœcesi obtenti, nisi ante illorum susceptionem exhibeat à proprio Episcopo tam originis, quàm domicilii, testimoniales literas super suis natalibus, ætate, moribus, & vitâ? *n.* 2145.
An easdem literas testimoniales ordinandus præsentare teneatur ordinanti, si ex accidenti natus in aliquo loco, tanto temporis spatio ibidem moram traxit, ut potuerit ibidem aliquo canonico impedimento irretiri? *num.* 2145.
Quinam concedere possint *dimissorias*? & quibus? *n.* 2146.
An Legati à latere? *n.* 2146.
An Prælati Regulares exempti? *ibid.*
An Archiepiscopus subditis suorum Suffraganeorum? *n.* 2147.
An Episcopi Vicarius, seu officialis? *num.* 2148.
Quando Episcopus censeatur esse in remotis? *ibid.*
An Archidiaconus, saltem in absentia Episcopi? *ibid.*
An Capitulum Sede vacante? *n.* 2149. an saltem in casu, quo ordinandus esset arctatus ratione beneficii? *n.* 2150. an Vicarius Capituli? *ibid.*
Articulus 5. de titulo ad recipiendos Ordines requisito. *n.* 2151. quid hìc veniat nomine *tituli*? *n.* 2152.
§. 1. de titulo ratione beneficii. *n.* 2153. An *beneficium* eodem modo accipiatur in ordine ad hoc, ut quis sit *subditus* Episcopo, ut ab eodem ordinetur; &, ut quis ad ejus titulum ordinari possit? *n.* 2154.
An, ut quis *ad titulum beneficij* ordinetur, sufficiat titulus, seu stipendium ab Episcopo assignatum super fructibus Episcopalis mensæ? *n.* 2155.
An titulus Capellaniæ, vel Coadjutoriæ? *ibid.*
An titulus pensionis? *ibid.* an, si beneficium, de se insufficiens ad Clerici sustentationem, sufficiat cum partimonio certo ac stabili? *n.* 2156. vel si tantos habeat reditus, ne Clericus cogatur mendicare? *ibid.* an beneficium actu collatum, sed necdum possessum? *ibid.* an mox conferendum? *n.* 2157.
An quis possit ordinari in subdiaconum, vel Diaconum ad titulum beneficii actu collati, esto fructus ei non currant, nisi adepto presbyterio? *n.* 2157.
§. 2. de titulo patrimonii ; *n.* 2158. an, & quando iste sufficiat, ut quis ad ejusmodi titulum ordinetur? *n.* 2158. quando censeatur sufficiens? *n.* 2159. an debeant ea bona (quæ faciunt sufficientiam titulo patrimonii) esse certa? immobilia? libera? frugifera? *n.* 2159.
An ordinatus ad titulum patrimonii hoc possit alienare? *n.* 2160.
An ad titulum patrimonii sufficiat titulus decentis sustentationis, à quocunque etiam Laico alicui resignatæ, donec ordinato aliunde sit provisum de sustentatione commoda ad dies vitæ? *n.* 2161.
§. 3. de titulo Religiosæ paupertatis, seu professionis, *n.* 2162. an Regulares etiam non professi solemniter ordinari possint ad titulum Religiosæ paupertatis? *ibid.*
An, siqui Regulares; solo titulo suæ professionis, vel votorum Religiosorum, in Sacerdotes ordinati, justis de causis à Religione dimittantur, vel ejiciantur, Religio teneatur illis, si pauperes sint, præstare alimenta? *n.* 2164.
Articulus 6. de loco Ordinationis ; *n.* 2164.
An Episcopus A. ordinans in aliena diœcesi Episcopi B. possit de hujus licentia ordinare alienum legitimè dimissum non generaliter, sed particulariter, ut ordinari possit ab Episcopo B. *n.* 2165.
An Episcopus in aliena diœcesi possit suo subdito conferre primam tonsuram, sine licentia Episcopi alieni? *n.* 2166.
An Episcopus possit ordinare, vel Pontificalia exercere in loco exempto, sine licentia Episcopi, in cujus diœcesi saltem materialiter, & physicè, existit ille locus exemptus? *n.* 2167.
Quid, si locus exemptus sit extra diœcesin, seu nullius diœcesis? *ibid. n.* 2167.
An Episcopus possit conferre ordines in loco vel specialiter, vel generaliter interdicto? *n.* 2168.
Articulus 7. de temporibus ordinationum. *n.* 2169.
An collatio primæ tonsuræ sit alligata certis temporibus? *n.* 2169. an ordines minores? *n. eod.*
An ordines sacri? *ibid.* quæ sint tempora à jure statuta pro collatione Sacrorum Ordinum? *ibid.*
§. 1. an extra tempora, jure statuta, promoveri possint Regulares ex privilegio? *num.* 2171.
An privilegia nostræ Societati concessa in hac materia conveniant etiam aliis Regularibus, viâ communicationis? *n.* 2172. & 2179. an hoc privilegium Societatis comprehendatur in decreto edito anno 1695. de moderatione indultorum suscipiendi ordines extra tempora? *n.* 2173.
§. 2. An ante Concilium Tridentinum quibusdam aliis Regularibus datum sit ejusmodi privilegium? *n.* 2174.
An huic decreto derogarum sit per Tridentinum? 2175. & seq. in specie, an privilegio Societatis? *ibid.* in privilegio aliorum Regularium? *ibid.*

Quid

Quid in confirmationibus privilegiorum operetur clausula: *dummodo Decretis Tridentini non adversentur*? *n.* 2178.
Quam pœnam incurrat ordinans, vel ordinatus extra tempora sine privilegio, vel facultate legitima? *n.* 2181.
§. 3. an privilegium recipiendi ordines extra tempora restrictum sit ad dies festos, etiam in foro? *n.* 2182.
§. 4. de interstitiis; *n.* 2184. quid veniat nomine interstitiorum? *ibid.* an quatuor minores conferri possint simul uno die? *ibid.* quantum tempus interponi debeat à susceptione ordinum minorum ad susceptionem subdiaconatûs? *ibid.* quantum ab hoc ad Diaconatum? & ab isto ad Sacerdotium? *ibid.*
An Episcopus cum suis dispensare possit in interstitiis? *n.* 2185. an etiam post constitutionem Innocentii XI. de qua *n.* 2186. *ibid.*
An Episcopus ex causa rationabili conferre possit eodem die ordines minores, & subdiaconatum? *n.* 2186. an eodem die duos Ordines sacros? *n.* 2187. an in servandis interstitiis dispensare possit Capitulum Sede vacante? *n.* 2189. quæ sit pœna ordinantis, vel ordinanti non servatis interstitiis? *ibid.*
Quid intelligatur per qualitatem Ordinandorum? *n. eod.*

## QUÆSTIO XII.

### *In Titulum* 12. *de scrutinio in ordine faciendo. num.* 2190.

Quid hìc veniat nomine *Scrutinij*? *ibid.* quale scrutinium, seu examen ordinandi faciendum sit, & quotuplex? *ibid.* quando fieri debeat primum scrutinium, seu examen? *ibid.* an ad hoc vocandus sit ex debito Archidiaconus? *ibid.* quid requiratur, & Archidiaconus licitè respondeat, *ordinandum esse dignum*, qui ordinetur? *ibid.*
An Episcopus possit denuò examinare promotos à suo Antecessore, *n.* 2191. quid agendum si Episcopus aliquos minùs idoneos ordinaverit, an tales suspendere debeat, *ibid.* an Clericos sibi subjectos, etiam cum suo assensu ordinatos ab alieno Episcopo, nihilominus examinare valeat.

## QUÆSTIO XIII.

### *In Tit.* 13. *de Ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiavit, vel ab excommunicato.*

An Episcopus, qui Episcopatui renuntiavit, desinat esse Episcopus proprius talis loci? *n.* 2193. an Episcopus, qui renuntiavit loco tantùm, seu diœcesi, non autem Episcopali dignitati, invitatus, seu rogatus ad hoc ministerium ab alio Ordinario, rectè conferat Ordines, sicut priùs? *n.* 193.
An, si renuntiavit loco, & dignitati, rectè conferat Minores? *ibid.* an etiam Majores? *ibid.*
An Episcopus excommunicatus excommunicatione durante suspensus sit ab exercitio Ordinis Episcopalis? *n.* 2194.
Quis dispenset cum ordinatis ignorantibus excommunicationem ordinantis? quis cum sic ordinatis scienter; *n.* 2194. an dicta procedant solùm de excommunicato vitando? *ibid.* an Sacros Ordines scienter recipiens ab eo, qui loco simul, & dignitati renuntiavit, executionem officii habeat? *ibid.* & à quo dispensari possit? *ibid.*

## QUÆSTIO XIV.

### *In Tit.* 14. *de ætate, qualitate, & Ordine Præficiendorum. n.* 2195.

Articulus 1. de ætate præficiendorum Ecclesiis, *n.* 2196.
Quam ætatem habere debeat præficiendus Ecclesiæ Cathedrali, seu Episcopatui? *n.* 2196. quam ut quis Cardinalis Episcopus? vel Cardinalis Diaconus? aut Cardinalis Prebsyter? *ibid.*
Quæ ætas requiratur in Præficiendo dignitati Episcopatu inferiori, & simul curata? *ibid.* quæ in præficiendo dignitatibus, & officiis non curatis? *n.* 2197. quæ in præficiendo beneficio Parochiali, vel curato? vel Vicario ejus perpetuo? *n.* 2198.
Quæ in eo, qui præficitur Canonicatui? præbendis, vel portionibus Ecclesiarum Cathedralium? *n.* 2199. vel Ecclesiæ Collegiatæ? vel aliis inferioribus? *ibid.*
De qualitate præficiendorum Ecclesiis, *n.* 2199.
Articulus 2. de ordine præficiendorum Ecclesiis, *n.* 2200.
Quis ordo requiratur ad recipiendum beneficium simplex? *n.* 2200. vel ad parochiale? *n.* 2201. an beneficium parochiale conferri ab Episcopo aliquando possit Clerico solùm in Minoribus? *n.* 2201.
Quis ordo prærequiratur in promovendo ad dignitates curatas? ad *Abbatiam*? præpositurum, Decanatum? *Archipresbyteratum*? *Archidiaconatum*? *ibid.* quis in eligendo in Episcopum? *n.* 2202.
Articulus 3. de ætate jure requisita ad suscipiendos Ordines? *n.* 2203. quæ ad primam tonsuram; vel Ordines minores? ad Subdiaconatum, & reliquos majores? *n.* 2203.
Quæ sit pœna scienter ordinantis, vel ordinati ante ætatem legitimam? *n.* 2204. quis dispenset in ætate requisita? *ibid.* qui legitimè testentur de ætate ordinandi? *ibid.*

## QUÆSTIO XV.

*In Tit.* 15. *de Sacra Unctione. n.* 2205.

Quid hìc veniat nomine *Sacræ unctionis*, *n.* 2205. quotuplex sit? *ibid.* de unctione Episcopi in ejus consecratione; Sacerdotis in ordinatione; Christianorum in Baptismo, & Confirmatione; Imperatorum, Regum; infirmorum; consecratione Altarium, dedicatione Templorum, & benedictione Calicum: *ibid.*

## QUÆSTIO XVI.

*In Tit.* 16. *de Sacramentis non iterandis. à n.* 2206.

Quid observandum, si aliquid omissum sit in Ordinum collatione? *n.* 2207. an corpora defunctorum fidelium, quæ à Schismaticis sepulta sunt in loco Sacro, debeant iterum exhumari? *n.* 2208. an vestes Sacerdotales, cum quibus; & Altaria, in quibus Presbyteri degradati celebrârunt, iterũ benedici, vel consecrari debeant? *n. eod.*

## QUÆSTIO XVII.

*In Tit.* 17. *de filiis Presbyterorum ordinandis, vel non ordinandis. à n.* 2209.

Articulus 1. an, & qualiter illegitimi ad suscipiendos Ordines admittantur? *n.* 2210.

An universim illegitimi repellantur ab Ordinibus? *n.* 2210. an esto fiant Religiosi? *n.* 2211.

An tales, facti Religiosi cum effectu, hoc ipso habilitentur ad Prælaturas? *n.* 2211. vel ad beneficia curata in, vel extra Ordinem? 2211. an ad alia ordinis beneficia? *ibid.* an Episcopus cum illegitimis dispensare possit ad minores Ordines, & beneficium non curatum? *n.* 2210.

An Monachus illegitimus, nec de consensu sui Superioris possit esse Vicarius Episcopi? *n.* 2211.

An filius illegitimus alicujus Religiosi possit Patri suo succedere in Prælatura ejusdem Religionis, in qua ipsius Pater Prælaturam, vel dignitatem habuit, aut habet? *n.* 2211. quid si necessitas, vel evidens utilitas Ecclesiæ postularet illegitimum ad Ordines admitti? *n.* 2212.

Articulus 2. quis dispenset ad Ordines cum illegitimis? *n.* 2213. an Episcopus *directè* dispensare possit in irregularitate *occultæ* ex defectu natalium? *n.* 2213. & seq. an cum illegitimis dispensare possit saltem *indirectè*? *n.* 2215.

Articulus 3. de filiis Presbyterorum legitimis, & illegitimis, *n.* 2226.

An filius illegitimus alicujus Clerici, etiam solùm in minoribus constituti, possit obtinere beneficiũ aliquod Ecclesiasticũ? *n.* 2226.

An talis, *tacitò*, quòd esset Sacerdotis filius, obtineret rescriptum Apostolicum, ut in ea Ecclesia serviret, in qua Pater ejus ministravit, rescriptum haberet effectum; *ibid.*

An Episcopus, qui scienter contulit filio Sacerdotis illegitimo paternam Ecclesiam, exinde possit illum removere? *n.* 2227.

An, si Episcopus illegitimum Sacerdotis filium *scienter* instituat in Ecclesia paterna, & facti pœnitens, eum removeat, substituto altero, remotio valeat? *n.* 2227.

An Superior proprio facto contradicere, illudque oppugnare, aut rescindere possit, si illud secundùm substantiam, seu jure naturali, subsistat, *ibid.*

An ex suppositione, quòd filius Sacerdotis, vel aliàs illegitimè natus jam ordinatus sit, ei de beneficio sit providendum, *n.* 1219.

An illegitimus possit præesse Ecclesiæ, in qua Pater ejus sine titulo ministravit, vel servivit ut Vicarius temporalis, vel Capellanus amovibilis, *n.* 2219.

An filius Clerici legitimus possit beneficium Ecclesiasticum obtinere, *n.* 1220. an saltem mediatè, *n.* 2221.

An filius Clerici legitimus, ac Pater ejus, in eadem Ecclesia, eodem tempore possint habere beneficium, *n.* 2222.

An filius Clerici illegitimus, ac Pater ejus eodem tempore in eadem Ecclesia nec dissimilia beneficia obtinere possint, *n.* 2223.

An decretum (quòd filius illegitimus nec mediatè possit in eodem beneficio succedere Patri suo) extendatur etiam ad nepotes, 2223.

An filius etiam illegitimus, in administrando beneficio Ecclesiastico, quòd obtinet, possit licitè constituere patrem suum Vicarium merè temporalem, *n.* 2224.

An filius legitimus Episcopi promoveri possit ad Ordines, & in paterna Ecclesia beneficiari etiam quoad Ecclesias, in quibus præsunt, vel præfuerunt genitores eorum, licèt beneficium collatum *simile* sit paterno, *n.* 2225.

Conciliantur c. *ad extirpandas*, & c. *ad hæc h. t. n.* 2225.

An filius, quem Sacerdos post promissum continentiæ votum *ex uxore* suscepit, legitimus sit, consequenter hæreditariæ successionis, aliorumque jurium capax, *n.* 2226. an etiam Ordinum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, . *n.* 2227.

An filius illegitimè natus, vivente Patre suo possit recipi in religionem, vel monasterium, in quo pater ejus professus est, *n.* 2228.

QUÆ-

## QUÆSTIO XVIII.

*In Tit.* 18. *de Servis non ordinandis, & eorum manumissione, à n.* 2230.

Articulus 1. de servis non ordinandis, à *n.* 2231.

An servi, seu mancipia ordinari non debeant, nisi à Dominis suis manumissi, seu libertate donati sint, *n.* 2231. an hoc procedat etiam de prima tonsura, *ibid.* an servus sciente, ac non contradicente Domino ordinatus etiam tantùm in prima tonsura, fiat liber, *n.* 2231. quid si Domino ignorante, *ibid.* quis censeatur jure ingenuus, *ibid.*

Ad quid teneatur Episcopus, scienter servum in sacris ordinans, Domino ignorante, vel invito, *n.* 2232. an eo casu ordinatus fiat liber? *ibid.* quid si Episcopus ordinavit talem cum ignorantia servitutis, *ibid.* an servus taliter ordinatus Domino reddendus sit, *n.* 2232.

An servus ordinatus, & Domnino redditus, maneat privatus usu ordinum, & amittat privilegium fori? *n.* 2233. an possit deferre habitum, & tonsuram? *ibid.* quid dicendum de libertis, servis originariis, & adscriptitiis? *ibid.*

Articulus 2. de manumissione servorum, à *n.* 2234. quibus modis fieri possit manumissio, ut manumissus evadat habilis ad recipiendos ordines, à *n.* 2234. & seq.

## QUÆSTIO XIX.

*De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.*

Qui censeantur ad ratiocinia obligati, ratione cujus ordinari non debeant? *n.* 2236. quando cesset hoc impedimentum, *n.* 2237. quid si taliter obligatus non sit solvendo? *ibid.*

An, quod dicitur de obligatis ad ratiocinia, etiam veniat de obligatis militiæ, *n.* 2237. vel ad obsequia personalia Domini ratione feudi, *ibid.* aut conductoribus vectigalium, fisci, agrorum colendorum &c. *ibid.*

An dictum impedimentum afficiat administratores bonorum Ecclesiasticorum, vel causæ piæ tam publicæ, quàm privatæ, item defensores personarum miserabilium, seu indefensarum, *n.* 2238. an sit discrimen aliquod constituendum inter tutores Ecclesiæ, & miserabilium personarum, ac inter tutores testamentarios, & legitimos, *n.* 2238.

## QUÆSTIO XX.

*In Tit.* 20. *de corpore vitiatis ordinandis, vel non? ân.* 2239.

Vitium corporis, impediens à receptione Ordinum triplex est; mutilatio, debilitatio & deformitas: explicantur singula; præstant impedimentum juris tantùm Ecclesiastici, *n.* 2239.

Articulus 1. de corpore mutilatis, *n.* 2240. Ex qua mutilatione contingat aliquem irregularem fieri, seu impeditum à receptione ordinum, *n.* 2240 & seq. quando mutilatio censeatur esse *ex culpa*, vel *ex causa*, *n.* 2241.

Articulus 2. de corpore debilitatis, vel deformibus, à *n.* 2242. quæ *debilitatio* corporis inducat irregularitatem respectu ordinum, *ibid.* quæ corporis *deformitas*, *n.* 2242. & seq.

Articulus 3. quis in hac irregularitate dispenset, à *n.* 2244. cui regulariter committatur dispensatio cum Oratore absente, sub quibus clausulis, ac earum effectu, *n.* 2245. & seq. an defectus corporis absque difformitate quandoque compensetur per alias dotes, *n.* 2245. qnæ causa communiter allegata sufficiat in hoc casu ad dispensandum, *n.* 2250.

## QUÆSTIO XXI.

*In Tit.* 21. *de bigamis non ordinandis. num.* 2251

Articulus 1., quid, & quotuplex sit bigamia *n.* 2251. quid bigamia vera, interpretativa, similitudinaria, *ibid.*

Quot modis contingat bigamia interpretativa, *n.* 2253. an ex quolibet modo bigamiæ interpretativæ sit quis irregularis titulo *bigamiæ*? *n.* 2255. & seq. in quo bigami deficiant à perfecta significatione Sacramenti matrimonii? *n.* 2245. an sit impedimentum tantùm juris humani? *n.* 2251. & 2261.

Articulus 2. an quælibet bigamia faciat irregularem, seu inhabilem ad ordines, si antecedat? *n.* 2259. & seq. quid si Clericatui superveniat? *n.* 2260.

Articulus 3. quis dispenset in irregularitate ex bigamia? *n.* 2262.

An Episcopus, & alii Papâ inferiores possint de jure ordinario dispensare cum bigamis, *veris*, vel *interpretativis*, ad primam tonsuram, vel beneficium simplex, secluſa urgenti necessitate? *n.* 2263. quid in casu urgentis necessitatis? *ibid.* an cum bigamis similitudinariis? *n.* 2270. de formula supplicandi pro dispensatione in irregularitate ex bigamia? *n.* 2271.

Articulus 4. de pœna bigami ordinati, & ordinantis, à *n.* 2272.

## QUÆSTIO XXII.

*In Tit.* 22. *de Clericis peregrinis, n.* 2274.

Quid veniat nomine Clerici *peregrini*, *num.* 2274. an Clericus peregrinus in aliena diœcesi ad divina celebranda, & ministranda Sa-

cramenta admittendus sit ab Episcopo loci, si non exhibeat formatas, & commendatitias sui Ordinarii authenticas, *n.* 2274. quid hìc veniat nomine dictarum literarum, *ibid.* & seq. an teneantur singuli Episcopi in suis diœcesibus interdicere, ne cui vago, aut ignoto Sacerdoti missas celebrare liceat, *n.* 2276. an procedat etiam de celebratione in Ecclesiis Regularium, *ibid.*

Quid, si Clericus peregrinus necessariis literis careat, de illis justam tamen fidem faciat, 2277. quid si nec hoc possit, *ibid.* quid si formatas perdidit, *ibid.*

An Prælatus, Episcopo inferior, sine diœcesani consensu in sua Ecclesia instituere possit Clericos peregrinos, *n.* 2278.

An Clericis, qui sunt in sacris, si peregrinari velint, vel discessuri sint, Episcopus negare possit commendatitias, vel testimoniales, *n.* 2279.

An, si Sacerdos peregrinus à celebratione missarum repellatur, quia vel non habet formatas, vel habet, sed suspectas, v. g. propter fractum sigillum, possit nihilominus secretò celebrare, *n.* 2281.

## QUÆSTIO XXIII.

*In Titulum* 23. *de officio Archidiaconi. num.* 2282.

Quodnam sit officium Archidiaconi ex primæva ejus institutione, *n.* 2283. hodie attenditur Ecclesiarum consuetudo; *ibid.*

An Archidiaconus ex institutione sua extendat se ad jurisdictionem fori externi, *ibid.* an sit principalis dignitas post Episcopum, *ibid.* an, & quoties visitare debeat Ecclesias sibi subjectas, *ibid.* quo commitatu, ac equitatu ei uti liceat in visitatione, *ibid.* an, dum visitat, amittat distributiones quotidianas, Quando Archidiaconus exerceat munus suum absente Episcopo, *n.* 2284. an Sede Episcopali vacante, *ibid.* referuntur actus particulares, quos exercere possunt, vel non possunt Archidiaconi, à *n.* 2284. & seq.

An Archidiaconus habeat jurisdictionem ordinariam, *n.* 2284. an extendentem se ad negotia ardua, *ibid.* an possit concedere dimissorias, *ibid.* an de jure conferre animarum curam, *ibid.* an excommunicare, *ibid.*

An quilibet Clerici possint Archidiaconos eligi, quæ qualitates in iis de jure requirantur, *n.* 2285.

An, & qualiter Archidiaconus differat ab Officiali, seu generali Vicario Episcopi, *n.* 2286. An Archidiaconus sit Vicarius Episcopi natus, *ibid.* an suam jurisdictionem immediatè habeat à lege, *ibid.* an ab Archidiacono possit appellari ad Episcopum, vel ejus Vicarium, *ibid.*

An Archidiaconatus, cui non est annexa jurisdictio, sit strictè dignitas, vel personatus, *n.* 2287.

An, & ubi Archidiaconus præcedat Præpositum, & Archipresbyterum, *n.* 2288.

An, & in quo Archidiaconus sit major Archipresbytero, & è contra, *n.* 2288.

An dignitates Ecclesiam Cathedralium sint absolutè majores dignitate Officialis, vel Vicarii generalis Episcopi, *n.* 2291.

## QUÆSTIO XXIV.

*In Titulum* 24. *de officio Archipresbyteri. à n.* 2293.

An Archipresbyter sit Vicarius Episcopi, *num* 2293. alius est Urbanus, alius Ruralis; & quod utriusque munus, à *n.* 2293. quid veniat nomine *Decani*? vel Choriepiscopi, *ibid.* an Archipresbyter habeat jurisdictionem, & qualem? etiam respectu eorum, qui sunt de diœcesi, *n.* 2294. an etiam quoad casus Episcopo reservatos, *ibid.*

An Archipresbyter subsit Archidiacono, *n.* 2295. in quibus præcedat Archidiaconum, *ibid.* Quod si munus Archipresbyteri ruralis, *n.* 2296. an habeat aliquam jurisdictionem fori externi? & in quos? an ejus jurisdictio sit ordinaria, vel delegata? an Archipresbyteri foranei, seu Decani rurales habeant dignitatem, vel personatum, aut merum officium? *ibid.* an Decani extra civitatem Episcopi sint *Urbani*, vel tantùm foranei, & *Rurales*? *n. eod.* an possint esse delegati Sedis Apostolicæ, *ibid.* & *n.* 2298. an, & cur in canonibus nullus sit titulus *de Decanis ruralibus*, à *n.* 2298.

## QUÆSTIO XXV.

*In Titulum* 25. *de officio Primicerij; à num.* 2299.

Quid veniat nomine Primicerii, *n.* 2299. & seq. quodnam sit ejus munus, *n.* 2300. & seq. an *Primicerius* sit nomen dignitatis? vel personatus, *ibid.* à *n.* 2301. & seq. Hodie potissimùm attenditur in hac materia consuetudo Ecclesiarum.

## QUÆSTIO XXVI.

*In Tit.* 26. *de officio Sacristæ. n.* 2303.

Quid in præsenti intelligatur per *Sacristam*, seu *Sacrarium*, *n.* 2303. an idem sit ac Thesaurarius, an habeat dignitatem, vel personatum, *ibid.* an etiam sit *Cimeliarcha*? an sit sub Archidiacono, *ibid.* an oblationes, quæ fiunt pro aspersione domûs, pertineant ad Rectorem Ecclesiæ, vel Sacristam, *n.* 2304.

## QUÆSTIO XXVII.

*In Titulum* 27. *de officio Custodis.*

Quis dicatur *Custos Ecclesiæ*, quodnam sit ejus officium? an oblationes, quæ fiunt tempo-

re

re Jubilæi, vel anno sancto in Ecclesia Cathedrali, spectent ad Custodem, *n.* 2305. ad quem spectent oblationes, quæ fiunt sacris imaginibus, sive intra, sive extra ipsam Ecclesiam parochialem positis, si tamen sint intra limites parochiæ, *n.* 2305.

## QUÆSTIO XXVIII.

*In Tit.* 28. *de officio Vicarij à n.* 2306.

Quid hìc veniat nomine Vicarii, *n.* 2306.

Quot sint classes Vicariorum Episcopalium? quid sit Episcopi Vicarius natus, seu legitimus? quid *Foraneus*, seu Ruralis? quid datus, seu constitutus, *ibid.* an hìc titulus agat solùm de istis; an indefinitè de Vicariis beneficiorum, *ibid.*

Articulus 1. de Vicariis perpetuis; *n.* 2307.

Quis dicatur Vicarius *perpetuus*, *num.* 2307? quibus de jure canonum concessum sit habere Vicarios suorum beneficiorum? *ibid.* & seq.

An Vicarii perpetui habeant verum titulum, *n.* 2309. an possint removeri præter juris ordinem? an jura constituta de Rectore parochialis Ecclesiæ locum habeant in Vicario perpetuo, *ibid.*

An teneantur ad residentiam? an sint verè Curati? an penes ipsum animarum cura sic sit in exercitio, ut in ea principalis, spreto Vicario se non possit ingerere? etiam in foro pœnitentiæ, an in eodem de jure consistere valeant duæ Vicariæ perpetuæ? an possint sibi substituere alium Vicarium vel temporalem, *ibid.* à *n.* 2309.

Articulus 2. de Vicario temporali, seu Cooperatore; *n.* 2310.

Quis dicatur Vicarius *temporalis*, *n.* 2310. an Vicarius temporalis constitui possit cum, vel sine titulo, *n.* 2311. an Vicarius temporalis fieri possit sola nominatione Parochi, *ibid.* an ad designandum Vicarium temporalem in Ecclesia patronata requiratur consensus *Patroni*? quando designari debeat Vicarius temporalis? an quando beneficium curatũ annectitur mensæ capitulari, vel Episcopali; quando Monasteria, conventus, & Capitula Ecclesiarũ Cathedralium, vel collegiatarum, à primæva sua institutione curam animarum habent, debeat Vicarius esse perpetuus, *num.* 2312. à quo Ecclesiæ Rectore mortuo Vicarius temporalis seu ad nutum amovibilis debeat recipere stipendium servitii, nondum solutum, *n.* 2313.

Articulus 3. de Vicario Episcopi; à *n.* 2314. quæstio procedit de Vicario generali, seu Officiali. An is possit esse tantùm in spiritualibus, vel tantùm in temporalibus, *num.* 2314. an Vicarius generalis Episcopi, seu officialis habeat dignitatem? an hæc dignitas sit beneficium Ecclesiasticum? an talis Vicariatus sit dignitas incompaibilis cum alia dignitate, *n.* 2314. qualis debeat esse talis Officialis? cujus ætatis? an in hoc dispenset Episcopus? an esse possit Monachus, vel Regularis professus Ord. Mendicant. *ibid.*

§. 1. de potestate Vicarii generalis, *n.* 2315. an ejus potestas sit generalis, vel ordinaria, an eam habeat à lege, vel ab homine? an ab eo appelletur ad Episcopum, saltem consentientibus partibus, an Episcopus revocare vel impugnare possit acta à Vicario generali, *ibid.*

§. 2. quæ possit Vicarius generalis ex commissione generali, *num.* 2316. an sibi possit substituere alium Vicarium, an causam commissam, vel ex parte, vel ex toto delegare, an inquirere, corrigere subditorum excessûs, seclusâ clausulâ (*etiamsi exigant mandatum speciale*) quid operetur hæc clausula, possit inquirere solùm ad informandum, *n.* 2316. Quid in commissione generali operetur annexa clausula (*dantes, & concedentes ei plenam, & liberam potestatem*) *num.* 2316. an cum hac clausula in commissione generali censeantur etiam concessa, quæ speciale mandatum requirunt, an saltem, si commissioni generali annectatur hæc clausula: *Constituo te meum Vicarium generalem cum facultate, & potestate, ut omnia, loco mei, efficere possis, quæ ego possum, etiamsi talia sint, quæ speciale mandatum requirunt*?

An Vicarius generalis Episcopi ex commissione generali possit dare literas commendatitias ad Ordines, an conferre beneficia, vel Vicariam perpetuam, an Ecclesiæ vacanti ad tempus provisionis dare Oeconomum Ecclesiæ Patronatæ, *ibid.* in fine.

An Vicarius generalis Episcopi jure suo possit confirmare electos, vel instituere præsentatos, *n.* 2317. præfertur sententiæ neganti, quæ affirmat; *n. eod.* & seq.

§. 3. In quibus Vicarius generalis Episcopi indigeat mandato speciali, *n.* 2319. an in erigendis Vicariis perpetuis, an consentire collationi, an admittere beneficiorum resignationes, an beneficia unire, uniones, & Ecclesias dividere, an beneficia supprimere, vel erigere, vel juris patronatus fundationi consensum præstare, an Coadjutores Vicarios imperitis Rectoribus Ecclesiarum deputare, an jus patronatus ex causa dotationis, fundationis, vel constructionis alicui reservare, absente Episcopo, an donationi juris patronatus decretum, seu authoritatem interponere, etiam absente Episcopo, an novas Parochias erigere, vel alia beneficia creare, an aliis pensiones imponere in casu, quo id potest Episcopus? an Oeconomum Ecclesiæ constituere, qui vicem Episcopi gerat in colligendis Ecclesiæ reditibus, & distribuendis in Clericos, & pauperes, *n.* 2319.

An possit sine mandato speciali Episcopi Clericos à beneficiis, & officiis, administra-

tione, vel ordine removere, *num.* 2320. an Eccleſias vetuſtate collapſas, nec defectu impenſarum reſtaurabiles, in matrices, vel alias Eccleſias Viciniores transferre? an præſentare ad beneficia, quorum Patronus eſt Epiſcopus? an de crimine hæreſis cognoſcere, vel ab eo abſolvere; publicè pœnitentes reconciliare? an puellas religioſum habitum ſuſcipere, vel religionem profiteri volentes, examinare? an ædificationi monaſterii per Teſtatorem relicti conſenſum, vel authoritatem præſtare? an concedere indulgentias; aliis dare licentiam audiendi confeſſiones, *n.* 2320.

An poſſit cauſas matrimoniales cognoſcere, aut tractare, vel in monitionibus matrimonii diſpenſare, *n.* 2321. an relaxare interdicta? an dimiſſorias, vel commendatitias ad ordines concedere, *ibid.*

An diœceſim viſitare? congregare Synodum diœceſanam? in alienationibus & transactionibus Eccleſiaſticarum rerum decretum interponere? abſolvere ab irregularitate, vel ſuſpenſione ex delicto occulto, *ibid.*

An diſceptare de cauſa reſtitutionis in integrum? recipere juramentum purgationis canonicæ? cognoſcere, vel exequi ea, quæ Epiſcopo ſpecialiter commiſſa, vel delegata ſunt, *ibid.*

An cognoſcere cauſas feudales? auctorare exemplum ex Originali deſumptum? concedere repreſſalias? abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis? inquiſitum condemnatum abſolvere? Clericorum bona confiſcare? pœnas corporales in pecuniarias convertere? diſpenſationes impertiri? imponere ſubſidium charitativum? exigere quartam decimarum? mortuariorum? & Synodaticum, *n.* 2321.

An in commiſſione Vicariatûs requiratur, omnes prædictos caſus nominatim exprimi? vel ſufficiat, exprimi aliquos cum clauſula: *& ad omnia alia, etiamſi exigant mandatum ſpeciale* & *n.* 2321. & ſeq.

§. 4. qualiter finiatur poteſtas Vicarii, à *num.* 2123. an ſuſpenſo tribunali conſtituentis? an hujus obitu, reſignatione, depoſitione, vel translatione? an conſtituto ſecundo Vicario primus cenſeatur revocatus, *n.* 2323. an jurisdictio Vicarii generalis mortuo Epiſcopo, continuetur ex vi prioris aſſumptionis, ſi confirmetur à Capitulo Sede vacante, *n.* 2324. an Vicarius generalis Epiſcopi, à Sede Apoſtolica, delegatam nihilominus expedire valeat mortuo, depoſito, translato, vel reſignate Epiſcopo, *n.* 2325. an ſuſpenſo Vicario Epiſcopi, cenſeatur etiam ſuſpenſus non obſtante juridica identitate jurisdictionis in utroque, *ibid.*

Articulus 4. de Vicario Capituli Sede vacante, à *n.* 2326.

Quando Capitulum Sede vacante teneatur conſtituere Vicarium? *n.* 2326. ad quem devolvatur jus conſtituendi talem Vicarium Capitulo negligente? *ibid.* an ſit aſſumendus ex gremio? *ibid.*

Quam poteſtatem habeat Vicarius Capituli? *n.* 2327. an Capitulum poſſit ejus poteſtatem reſtringere? an ab officio removere? *ibid.* & *n.* 2330. an Capitulum poteſtatem ad ſe devolutam Sede vacante per ſe ipſum exercere? *ibid.* an poſſit conſtituere plures Vicarios? an in electione talis Vicarii ſervanda ſit forma præſcripta in c. *quia propter*, *ibid.*

An Vicarius Capituli jurisdictionem aliquam habeat in Capitulum, ſicut Epiſcopus? *n.* 2329. an cognoſcere cauſas commiſſas Vicario Epiſcopi? *ibid.* quando exſpiret ejus poteſtas? *n.* 2330

## QUÆSTIO XXIX.

*In Tit. 29. de officio, & poteſtate Judicis delegati, à n. 2331.*

In quo differant *officium*, & *poteſtas*? *ibid.*

Articulus 1. quid ſit Judex delegatus? *n.* 2332. Quid ſit poteſtas ordinaria? quid extraordinaria? *n.* 2333. quid jurisdictio? *n.* 2334. quid jurisdictio ordinaria, quid delegata, quid voluntaria, quid contentioſa? *n.* 2335. Quid ſit jurisdictionem delegare, *n.* 2336. qualiter delegatus differat ab Ordinario, *n.* 2337. quot modis poſſit alicui competere jurisdictio, *ibid.* qualiter jurisdictio delegata differat à nudo miniſterio, quis dicatur ſubdelegatus, *ibid.*

Articulus 2. quotuplex ſit Judex delegatus, à *n.* 2338. an obſtet rationi Judicis delegati, quòd conſtituatur cum reſtrictione, vel ad certum tempus, vel ad locum, v. g. in certo diſtrictu, & territorio, vel etiam ad certam quantitatem, *ibid.* quid ſit jurisdictio delegata *in ſpecie*, quid *mandata*, *n.* 2339.

Articulus 3. quibus competat poteſtas delegandi, vel ſubdelegandi, à *n.* 2341.

An habens jurisdictionem delegatam in favorem partium, de harum conſenſu poſſit eam ſubdelegare, *n.* 2341.

An, quando Princeps alicui ſpecialiter delegat cauſam, cenſeatur tollere, omnem jurisdictionem Ordinariis inferioribus, *n. eod.* an, ſi propter utilitatem publicam, *ibid.* Quando cenſeatur in delegato requiri induſtria perſonæ, ſeu ut per ſe ipſum exequatur commiſſionem, *n.* 2341. *in fine.*

An omnis delegatus poſſit ſubdelegare, *n.* 2342.

An delegatus principis, *ibid.* an, ſi requiratur in eo induſtria perſonæ, *ibid.*

An ſubdelegatus delegati à Principe, *n.* 2342.

An delegatus ab inferiore ad univerſitatem cauſarum, *ibid.*

Articulus 4. qui poſſint eſſe delegati, à *n.* 2343. an ſuſpectus, an excommunicatus, an mi-

nor 20. annis, an alius secluso privilegio, si non sit positus in dignitate, aut Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, possit esse delegatus Sedis Apostolicæ, *n.* 2344. an delegatus Episcopi, vel alterius Papâ inferioris, possit esse etiam simplex Clericus *ibid.*

Articulus 5. quæ causæ possint delegari, à *n.* 2345. an etiam causæ meri imperii, ut est jus gladii, sive potestas puniendi, facinorosos pænâ mortis, vel mutilationis, aut perpetui carceris, *n.* 2345. quid imperium merum, quid mixtum, *n.* 2346. & seq.

An de jure canonico ab Ordinariis delegari possint causæ ipsorum jurisdictioni subjectæ, licèt sint imperii mixti, vel meri, *n.* 2344. quid pertineat ad imperium merum Ecclesiasticum, *n.* 2348. an in Ecclesiasticis sit locus imperio mero, *ibid.* an in generali concessione totius jurisdictionis censeantur ea comprehensa, quæ sunt primi gradûs, seu præcipua talis jurisdictionis, *ibid.*

Articulus 6. an delegatio fieri possit pluribus, à *n.* 2349. de variis modis delegandi causam pluribus; & qualiter sententiæ illorum in eo casu data teneat, & quid, si unus ex delegatis absit, vel se excuset, *ibid.*

Articulus 7. quodnam sit officium, & potestas delegati? à *n.* 2351.

An delegatus jurisdictionem commissam possit prorogare de persona in personam, non expressam in rescripto, *n.* 2351. an de tempore in tempus, saltem de partium consensu, *ibid.* an, si in rescripto nihil sit specialiter mandatum, delegatus sequi debeat jus commune, *n.* 2352.

Unde mensuram capiat potestas delegati, *n.* 2353. an Delegatus Papæ in causa delegationis etiam Ordinario sit major, *ibid.*

An Ordinarius à delegato Papæ jussus delegati sententiam exequi, cogatur, etiam quam videt injustam, *ibid.* exponitur, quo sensu accipiendum sit, Ordinarium deberi exequi sententiam Delegati Papæ, *licèt injusta sit*, à *n.* 2354.

An, & qualiter ad delegati potestatem pertineant omnia, sine quibus jurisdictionem mandatam exequi non potest, *n.* 2357.

An possit absolvere ab excommunicatione?

Articulus 8. quomodo jurisdictio Delegati finiatur, vel suspendatur, à *n.* 2359.

An finiatur in totum morte delegantis, re adhuc integra? *n.* 2359. an per sententiam, quæ facit Delegatum in ea causa desinere, esse Judicem cognitionis causæ? *ibid.* an morte Delegati, re adhuc integra? *ibid.* quid si delegatio facta sit personæ? quid, si dignitati? *ibid.* an extinguatur amissa dignitate, si facta sit personæ? *ibid.* an lapsu temporis? *ibid.* an finiatur morte ejus, qui conveniendus est, *ibid.* an relatione causæ ad delegantem? *ibid.* an revocatione? *ibid.*

An jurisdictio delegata suspendatur, quando de delegatione alicui facta, dubitatur? *n.* 2360. an, quando ut suspectus recusatur? *n.* 2361. an cùm à sententia Delegati appellatur? *n.* 2262. quando in hac materia jurisdictio Delegati censeatur adhuc integra, vel non integra? *n.* 2363.

An jurisdictio Delegati finiatur, si dolosè, aut negligenter intra annum non utatur jurisdictione commissa? *n.* 2365.

## QUÆSTIO XXX.

*In Tit.* 30. *de officio Legati, à n.* 2370.

Articulus 1. quot sint genera Legatorum Papæ, à *n.* 2371.

Qui sint Legati à latere? qui missi? seu Nuntii? qui Legati Nati? *ibid.*

Articulus 2. de officio, & potestate Legati, à *n.* 2372.

An Legatus Papæ, qui est de latere, habeat authoritatem cognoscendi de omnibus causis in Provincia suæ legationis? *n.* 2372. an in illis sit Judex ordinarius? *ibid.* unde officium, & potestas Legatorum Papalium colligatur? *ibid.*

In quibus Legati Pontificii conveniant? *ibid.*

Quando accipiant legationis insignia? quæ illa sint, an idem possint in provinciis sibi demandatis, quod in sua diœcesi Episcopus, habeantque jurisdictionem ordinariam, quam exercent jure suo? *n.* 2372.

An in suis provinciis in his, quæ pertinent ad mores componendos, & vitia corrigenda, possint statuta condere perpetua? *ibid.*

An Legato Papæ constituto credatur, antequam literas suæ legationis exhibeat? *ibid.*

An Legati Papæ causas provincialium, quæ per appellationem, aut simplicem querimoniam ad eos deferuntur, tanquam Judices ordinarii audiant, & cognoscant? *n.* 2373.

An Legatus Papæ per simplicem querimoniam adiri possit? *ibid.* an etiam Metropolitanus?

An Legati Papæ possint revocare leges suorum Antecessorum? *n.* 2374. an causas, ad se pertinentes, delegare? *ibid.*

An, si sint ad diversas provincias legati, possint negotia jurisdictionis tam voluntariæ, quàm contentiosæ expedire in una, & eò evocare partes alterius provinciæ sibi pariter commissæ, *n.* 2374.

Qualiter in adventu Legatus Papæ excipiendus sit? *n.* 2375.

Quæ sit pœna non admittentium Legatos Apostolicos, vel eos impedientium in officio suæ legationis? *n.* 2325.

In quibus inter se differant Legati Papæ?

An Legatus de latere in sua provincia ma-

jus cæteris imperium habeat? *num.* 2376.
An possit absolvere excommunicatum ex percussione Clerici etiam extra provinciam? *ibid.*
An præsente Legato à latere Legatus constitutus executionem suæ legationis habeat, ac usum insignium? *ibid.* an Legatus *natus* suam jurisdictionem exercere possit, præsente Legato constituto? *n.* 2376.
An Legati Pontificii sine speciali mandato possint jure legationis conferre beneficia vacantia? *n.* 2377. an præveniendo Ordinarios, etiam existentes extra provinciam? *ibid.* an etiam devoluta ad Ordinarium ex alterius negligentia? *ibid.* an etiam devoluta ad Pontificem, & aliàs ad eum spectantia? *ibid.* an etiam reservata, aut vacantia in Curia? *ibid.*
An Legati de latere conferre possint Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, vel reliquas dignitates minores non electivas, etiam absque consensu Patroni Ecclesiastici, licèt hic existat extra provinciam? *n.* 2378.
An monocularia, & manualia? *ibid.* an patronata de jure Laicorum sine consensu Patroni? *ibid.* an suæ collationi possint reservare beneficia non vacantia, etiam in favorem tertii? *ibid.* an dare jus ad beneficium vacaturum? *ibid.* an illud, antequam vacet, promittere? *ibid.*
An possint conferre Prælaturas Cathedralium, Regularium, & Collegiatarum Ecclesiarum? *n.* 2379. an dignitates majores in Cathedralibus electivas? *ibid.* an reservare non vacantia, quæ vacantia non possent conferre? *ibid.*
An una reservatione in Ecclesia aliquâ, vel de beneficio ad alicujus collationem spectante, facta, & adhuc pendente, aliam interim facere in eadem Ecclesia, vel de beneficio ad ejusdem collationem spectante? *ibid.*
Quando reservatio beneficii à Legato de latere facta exspiret? *ibid.* 2279.
Quam potestatem habeant Legati Missi cum potestate Legati de latere? *ibid.*
An Legatus Papæ possit dispensare cum natis extra matrimonium, eosque restituere natalibus, ut habeantur habiles ad Ordines, & beneficia? *ibid.* an Legati à latere, & Nuntii dispensent Apostolica Authoritate super impedimentis matrimonium dirimentibus? *ibid.*
An Legatus de Latere, spectato jure Decretalium, in jurisdictionalibus concurrat cum quolibet Ordinario? *n.* 2380. quid autem jure Tridentini? *n.* 2381. & seq.
An jure novo Tridentini in causis tanquam prima instantia adiri debeat Ordinarius? non Legatus Papæ? *n.* 2382.
An Legatus Cardinalis Episcoporum, & Exemptorum electiones, confirmare, & Abbatibus istis in Episcopos electis Abbatiam, & Monasterium suum deserendi licentiam dare possit? *n.* 2384.
An Legati *Nati* vendicare sibi possint aliquid speciale non expressum in literis suæ legationis? quid tamen habeant speciale præ aliis? *n.* 2386.
Articulus 3. quibus modis finiatur officium Legati? à *n.* 2386.

## QUÆSTIO XXXI.

### *In Tit.* 31. *de Officio Judicis ordinarii*, à *n.* 2390.

Quis dicatur Judex ordinarius? *n.* 2390.
Quibus comperat jurisdictio *ordinaria*, *ibid.*
Quotuplex sit ordinaria jurisdictio Episcopalis, *n.* 2391. ubi etiam de lege diœcesana, & jurisdictionis, *n.* 2391. quid intelligatur per *Cathedraticum*, vel *Synodaticum*, *num.* 2392. quid per *portionem* canonicam, Episcopalem, & parochialem, *ibid.* quid per *quartam decimationum*, quid per *procurationes*, *n.* 2393. quid per subsidium charitativum, *ibid.* quid per quartam funeralium, *ibid.*
Quæ spectent ad legem jurisdictionis, *n.* 2394. quæ ad legem diœcesanam Episcopi, *n.* 2395. an Episcopus, seu Ordinarius, ex lege jurisdictionis, inferiorum Judicum sententias, vel censuras? infringere, aut relaxare possit, *n.* 2396.
Quam potestatem habeat Ordinarius circa bona beneficiorum vacantium, *n.* 2398. quid excipiatur, quando allegat speciale privilegium, vel consuetudinem, *n.* 2393. quæ pœna secus agentium, *ibid.*
An Episcopus, vel Ordinarius in exemptos privilegio Papali, vel legitima consuetudine in his, in quibus exempti sunt, legitimè exerceat jurisdictionem ordinariam, *n.* 2399. quid si delinquant extra claustrum, & eorum Superior punire negligat, *ibid.* & seq.
An Regulares jure communi exempti sint ab Episcopi lege diœcesana, *n.* 2401. qualiter Ordinarii habeant intentionem fundatam in jure super subjectione omnium existentium in ipsorum diœcesi, *n.* 2401.
An Regulares exempti subsint Ordinariis quoad legem jurisdictionis ratione contractûs initi extra locum exemptum, vel circa rem non exemptam, vel ratione delicti contracti extra locum exemptum, *ibid.* & seq.
§. 1. an Regulares, exempti à jurisdictione Ordinarii, etiam censeantur exempti à jurisdictione Legati Apostolici, *n.* 2404. & seq.
§. 2. an, & qualiter exempti, vi Tridentini subjiciantur, locorum Ordinariis quoad prædicationem, *n.* 2406.
An Regulares habita licentiâ suorum Superiorum

riorum, in Ecclesiis sui Ordinis possint prædicare, sine licentia Ordinarij, modò se cum illa sui Superioris licentia coram illo personaliter præsentent, & benedictionem petant, esto eam non obtineant, *n.* 2407.
Qualiter accipiendum sit, ne ullus sit Regularium etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, *contradicente Episcopo*, prædicare præsumat, *ibid.*
An Regulares exempti extra Ecclesias suorũ Ordinum, prædicare possint sine licentia sui Superioris, & Ordinarii, *n.* 2408. an possint prævie examinari, *ibid.*
An, si Regulares absquè licentia Episcopi prædicaverint in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt, puniri possint ab Episcopis, *num.* 2409. & seq.
An, si Ordinario præsentetur Prædicator idoneus, licentia prædicandi eidem denegari possit, *n.* 2410.
An Ordinarii ad libitum Regulares à prædicatione suspendere possint? *ibid.* quid si in prædicatione scandala, vel hæreses prædicarent, *n.* 2411.
§. 3. an, & qualiter exempti, vi Tridentini subjiciantur locorum Ordinariis in accipienda approbatione pro audiendis confessionibus, à *n.* 2412. quid hic intelligatur per approbationem, *n.* 2412. & seq. an expressa approbatio sit jurisdictionis concessio, *ibid.* an approbatio alia sit expressa, alia tacita, 2015. quid sit Sacerdoti jurisdictionem dare, *ibid.* quando alicui detur approbatio *tacita?* an hæc sufficiat sufficientia approbationis exigitæ à Tridentino, *ibid.* & à *num.* 2815.
Quid jurisdictio, confert Ordinarius Sacerdoti, superaddat potestati clavium collatæ à Sacramento Ordinis, *n.* 2816. & seq. an probabilitate careat, quòd in Confessario per examen absolutè, ac simpliciter approbato, mutata diœcesi non cesset approbatio, *num.* 2878.
Quæ approbatio ad audiendas sæcularium confessiones Regularibus, etiam exemptis necessaria sit vi Concilii Tridentini, à *num.* 2414. an Tridentinum determinaverint approbationem esse recipiendam ab ordinario loci, ubi sit confessio, *n.* 1415. & seq. quæ nunc requiratur vi constitutionis Clementis X. *ibid.*
§. 4. an Exempti possint audire confessiones sæcularium, si approbatio illis injustè denegetur, à *n.* 2436.
§. 5. an Ordinarius Regulares exemptos suspendere possit à confessionibus audiendis, *n.* 2444.
An valida sit approbationis revocatio, si eam alicui datam Episcopus absque justa causa faciat, *n.* 2445.
An, & qualiter Episcopus approbationem, alicui à se datam simpliciter, possit revocare, *n.* 2446. an semel approbatos à se Ordinarius possit revocare ad examen, *num.* 2446. quando censeatur approbationi concessæ supervenire nova causa ad confessiones pertinens, *n.* 2447.
An integer Conventus, vel Collegium Regularium, à Confessionibus audiendis, suspendi per Ordinarium possit, *n.* 2448.
§. 6. an exempti legi jurisdictionis Ordinariorum subsint quoad punitionem, *n.* 2450.
an in dato casu locus sit c. *volentes*, *n.* 2452. quid si sint exempti personaliter, à *n.* 2452. quid si solùm localiter, *ibid.*
An Regulares Ordinum Mendicantium eximantur ab omni Ordinariorum specie jurisdictionis, & causarum, & jurium, tam in rebus, aut personis, quàm in causa mixta ex re, & persona, *n.* 2453. quid quoad contractus initos, delicta commissa, vel res sitas in loco non exempto, *ibid.*
An si Prælatus regularis sit negligens in correctione personarum exemptarum, devolvatur potestas corrigendi ad Ordinarium, seu Episcopum loci, *ibid.*
An processus Episcopi contra Regulares personaliter exemptos, sive intra, sive extra judicium, sive contra personas, sive contra res earum, ipsamque sententiam, & inde secuta, qualiscunque sit causa, civilis, criminalis, vel spiritualis, ipso jure sint nulla, *n.* 2454.
An censuræ contra personaliter exemptos ab Episcopo, etiam ignorante privilegium exemptionis, personalis, latæ, ipso jure sint nullæ, *ibid.*
§. 7. in quibus casibus exempti subjiciantur Ordinariis locorum, ut Delegatis, Papæ, virtute Concilii Tridentini, à *n.* 2455. referuntur ea, quæ in hoc statuit Tridentinum, à *n.* 2454. & seq. ad singula ejusdem capita respondetur, à *n.* 2459.
An vi Tridentini Regulares exempti degentes extra claustra cum licentia sui Superioris, & delinquentes, subjiciantur quoad punitionem Episcopis, ut Delegatis Papæ, *num.* 2460.
An Canonicus Regularis, jussu sui Superioris degens in ædibus Parochialis Ecclesiæ, suæ Congregationi unitæ, in qua curam animarum exercet, & Sacramenta administrat, possit ab Episcopo puniri vigore Tridentini, quasi extra Monasterium degat, si delictum ibi commissum non concernat curam animarum, vel Sacramentorum administrationem, *n.* 2561. & seq.
An hæc Tridentini decreta vim suam adhuc obtineant respectu eorum, qui post Trid. per specialia privilegia exempti sunt ab *omnimoda* jurisdictione Ordinariorum, Delegatorum, & aliorum Judicum, maximè cum clausulis efficacissimis, ac de plenitudine potestatis, motu proprio, & ex certa scientia, omnibus omnino contrariis expressè derogantibus, *n.* 2463.

Qualiter intelligendum veniat decretum Tridentini quoad jus celebrandi in Oratorio non designato ab Episcopo, & horis solùm non consuetis, *n.* 2464.

Qualiter intelligendum sit ejus decretum de subjectione Regularium quoad subjectionem, ac examen prævium recipiendis Ordinibus, *ibid.*

Item decretum de processionibus publicis, *ibid.*

§. 8. An Regulares exempti ad ea, in quibus subjiciuntur Ordinariis locorum, possint compelli censuris, à *n.* 2466.

An Ordinarii locorum, tanquam Judices Papæ, delegati ad corrigendum Clericos, possint procedere contra Regulares exemptos non facta mentione de exemptis, *num.* 2467.

§. 9. an Regulares exempti teneantur locorum Ordinariis exhibere privilegium exemptionis, *n.* 2468.

An, si exemptio sit notoria, *ibid.*

An intra terminum ab illis præscriptum, *ibid.*

An, si quis appellaret ad Papam, & citatus à Judice suo non comparuit, nec responsalem dedit, excommunicatio contra eum lata teneret, *ibid.*

An exempti per Sedem Apostolicam, à jurisdictione Ordinariis, teneantur ad jus reverentiale ipsi Ordinario, & in introitu Episcopi ire obviam illi, & honorem, quem alii faciunt, præstare, *ibid.*

An Ordinarius, invito Prælato, & Regularibus, in Ecclesiam exemptam convocare possit processiones, celebrare Ordines, aut publicas missas, vel alia officia divina, aut ibi exercere judicia &c. *ibid.*

§. 10. an exemptio Regularium sit odiosa, & ideo restringenda, *n.* 2469.

An intentio Ordinariorum super subjectione omnium in sua diœcesi sit absolutè, vel tantùm conditionatè fundata in jure communi, *n.* 2471.

An exemptio Regularium lædat jus commune, *n.* 2472. an per eam excitentur perturbationes, & dissolutiones, *ibid* & seq.

An exemptiones Regularium necessariò intelligi debeant ad terminos Concilii Tridentini, *nisi huic specificè formaliter, & in individuo derogetur*, *n.* 2474.

An Tridentino non derogetur per privilegia post illud concessa, nisi fiat ejus mentio generalis, vel specialis, *n.* 2474. & seq.

§. 11. an exemptio concepta sub verbis: *ab omni jurisdictione totaliter eximimus*, intelligatur etiam de jurisdictione, quàm Ordinarii habent jure speciali, *n.* 2477.

An exempti generaliter concessa limitetur per subsequentem expressionem aliquorum actuum, aut casuum, *n.* 2478.

An sub exemptione à Superioritate, & jurisdictione *quorumcunque Ordinariorum*, etiam veniant Ordinarii, per ordinem ad jurisdictionem, quam habent ut Delegati Papæ, *ibid.*

§. 12. de jure ordinario Archiepiscoporum in subditos suorum Suffraganeorum, *n.* 2480.

An Archiepiscopus sit Judex Ordinarius tantùm in sua diœcesi, *n.* 2480. an impeditus possit consecrationem sui Suffraganei alteri committere, *ibid.* quid possit circa subditos suorum Suffraganeorum, *ibid.* casus excepti, *n.* 2483.

An Archiepiscopus confirmatus, licèt nondum consecratus possit omnia, quæ sunt de potestate jurisdictionis, *n.* 2481.

Quid competat Vicariis generalibus Archiepiscoporum, dum ipsimet Archiepiscopi sunt vel in provincia, vel non longè distantes, *n.* 2482.

## QUÆSTIO XXXII.

### *In Titulum 32. de Officio Judicis. à num. 2486.*

Quid intelligatur per officium Judicis *nobile*, vel *mercenarium*, *ibid.* & 2488. & *num.* 2491.

Articulus 1. de potestate Judicis, à *n.* 2487. an potestas Judicis duplex sit, imperium, & jurisdictio? quotuplex sit imperium? quid *merum*? in quo consistat? quot habeat gradus? quid *mixtum*? à *n.* 2487.

Quid jurisdictio judiciaria? quid simplex? contentiosa, voluntaria? ordinaria, delegata? *n.* 2488. item plena, vel non plena? *n.* 2481.

Quid sit sententia Judicis? *n.* 2489. definitiva? interlocutoria? *n.* 2489.

An ad potestatem Judicis pertineat supplere, quæ desunt Advocatis partium? *n.* 2490. & 2492.

Quot modis Judex nobile officium exercere possit? *n.* 2493. qualiter differat actio, & imploratio officii Judicis? *ibid.*

An, cum imploratur officium Judicis, opus sit litis contestatione? 2494.

An habenti justam causam expediat adducere non tantùm concludentia, sed quandóque etiam *frivola*? *ibid.*

Articuius 2. de officio Judicis ordinarii, à *n.* 2495.

An quando jura partium sunt inæqualia, possit Judex, relicto jure probabili, sequi minus probabile? *n.* 2496.

Qualiter opinio de se probabilis, adjunctâ certâ circumstantiâ possit fieri non talis? *n.* 2497.

An Judici liceat accipere munera pro functionibus sui officii? *n.* 2499. an si litigantes habeant pro se opiniones æquè probabiles, possit Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio? *ibid.*

An inter duas probabilitates æquales possit Judex

Judex alterutram amplecti juxta boni viri arbitrium, licèt illa electio per consequens cedat in utilitatem amici ? *ibid.*

An Judex obligetur ad imponendam pœnam lege præscriptam? *n.* 2500.

An Judex certò sciens, Reum falsis allegationibus onerari, ac convinci, possit eum absolvere, vel debeat condemnare? *n.* 2501.

Quando procedere debeat Judex in civilibus? qualiter in criminalibus? *n.* 2502.

Articulus 3. qui possint esse Judices? à *num.* 2502.

## QUÆSTIO XXXIII.

### *In Titulum* 33. *de Majoritate, & obedientia. à n.* 2504.

Quid hìc veniat nomine *Majoritatis* ? quid nomine *obedientiæ*? *ibid.*

Articulus 1. de Majoritate, *n.* 2505.

Quot modis contingat Majoritas unius respectu alterius? *n.* 2505.

Quem respectum olim inferiores debuerint Majoribus? *n.* 2506.

Qualiter accipiendum, quòd Imperium collatum cum Sacerdotio huic non præesse, sed subesse debeat? *n.* 2507.

Quid attendendum in concursu duorum in aliqua ratione parium, in alia disparium? *n.* 2508. & 2509.

Qualiter valeat regula: qui prior tempore, potior jure? *n.* 2509.

Articulus 2. de obedientia, *n.* 2510. in quibus consistat? *ibid.* an, & qualiter debeatur potiùs obedientia proximo, quàm remoto Superiori ? *ibid.*

An in dubio, num illicitum sit, quod Superior præcipit, obtemperandum sit Superiori? *n.* 2511. Sed, quid si subdito solùm sit probabile, rem præceptam *non esse peccatum* ? probabilius autem, quòd sit peccatum? *n.* 2512. aliquorum in hoc judicium, *num.* 2512. & seq.

An casus hic controversus sit rarissimus ? *n.* 2513.

An subditus teneatur obedire, quando illi est manifestum, rem præceptam esse illicitam, *n.* 2513. & seq.

An, quando subditus directè judicat, motiva suadentia malitiam executionis mandati, habere majorem apparentiam veri, quàm motiva directè suadentia ejus bonitatem, licitè, ac religiosè subditus sibi imperet executionem mandati, *n.* 2514.

An judicium, quo quis directè, ac categoricè judicet de veritate intrinseca actionis hìc, & nunc exercendæ quoad bonitatem vel malitiam ejus, sit necessarium ad honestè operandum ? *ibid.*

An quis possit prudenter assentiri veritati objecti in se, licèt ea non appareat in se, sed solùm in alio? *ibid.*

An, ut opinio directa de honestate actûs sufficiat ad operandum inculpabibiter, necessarium sit, quòd antecedat judicium reflexum supra directum, huic superaddens novum pondus ex parte intellectûs? *n.* 2515.

An sit judicium prudens, quo quis sibi persuadet: *verum esse, quòd liceat mandatum exequi*, quando hoc ipsum apparet magis propinquum falso, quàm vero? *n.* 2515. & seq.

Qualiter *obedientia*, de qua in Rubrica h. t. accipienda sit, largè, an strictè? *n.* 2317.

An Judex inferior excusetur ab inobedientia, si differat executionem sententiæ Principis, aut Superioris, qua condemnavit aliquem ex motu iracundiæ, aut vindictæ, alióve modo, non servato juris, aut rectæ rationis ordine ? *n.* 2518.

An, ubi agitur de controversia subjectionis, & obedientiæ, possit aliquid attentari in præjudicium Rei, vel possessoris, antequam citetur? *n.* 2519.

An Abbates, & Sacerdotes, qui Episcopo diœcesano subsunt, teneantur ad ejus Synodum venire, & ad hoc per censuram compelli possint, *n.* 2520.

An Superiorissæ Monialium ratione publici muneris sint capaces jurisdictionis non annexæ Ordini? *n.* 2521. & seq.

An Clericus Episcopo subjectus teneatur ad obedientiam ei præstandam *in scripto*, vel per juramentum? *n.* 2523.

An Metropolitanus possit exigere juramentum à suo Suffraganeo ultra formam Canonicam? *n.* 2524.

Quæ sint pœnæ inobedientibus statutæ? *n.* 2525.

Quæ circa incorrigibiles ejiciendos, vel ejectos observanda sint ex constitutione Innocentii XII. *n.* 2526.

An jure novo, *ad ejiciendos incorrigibiles* sufficiant sex tantùm menses contigui in pœnitentia, & jejunio? *ibid.*

Articulus 3. an Minor exercere valeat jurisdictionem in Majorem? *n.* 2527. an saltem per accidens? *n.* 2529.

An Ecclesia Collegiata, vel conventualis, Sæcularis, vel Regularis, ipso facto fiat exempta à jurisdictione Prælati Episcopô inferioris, si legitimè erigatur in Cathedralem? *n.* 2528.

An, si Episcopo, de novo constituto, assignata sit propria diœcesis, intra cujus fines Archidiaconus existit, etiam iste illi subjectus erit? *ibid.*

An Monasterium Religiosi ordinis erigi possit in Ecclesiam Cathedralem, sic, ut ejus Prælatus, sive Regularis, sive Sæcularis, ibidem Episcopus sit, *ibid.*

An, si Episcopus delinquat intra fines Archidiaconi sibi subjecti, vel Archiepiscopus in diœcesi sui suffraganei, hic ab illo puniri possit, *n.* 2529.

Quid si Episcopus extraneus delinquat in territorio Prælati exempti, *ibid.*

An hoc pronuntiatum: *qui potest ligare, potest & solvere, ac è converso*, sit indefinitè accipiendum, à *n.* 2530.

Articulus 4. an Prælatus per lapsum in hæresim, vel schisma, amittat jurisdictionem, & jura sua, *n.* 2531.

An in hoc casu distinguendum inter ipsam Ecclesiam, Prælatum, & Capitulum? *ibid.*

An, si *solus* Episcopus, aut Prælatus Ecclesiæ; non autem Capitulum, vel Clerus; vel *solum* Capitulum, aut Clerus, non autem Prælatus, in hæresim, vel schisma prolabatur, Ecclesia privetur jurisdictione, vel juribus suis, *n.* 2531.

Quid, si solus Prælatus, vel solum Capitulum, aut Clerus labatur in hæresim, vel schisma, *n.* 3532. quid si cum Clero, & populo, *ibid.* opinio affirmantiũ, *ibid.* opinio negantium; à *n.* 2535. sententia Authoris, à *n.* 2541. cum quadam limitatione, *ibid.*

An, & qualiter Prælatus possit Ecclesiæ nocere in acquisitis, vel acquirendis? *n.* 2538. & seq.

Articulus 5. an Prælatus per reditum ad veram fidem, recuperet amissionem jurium, & bonorum? *n.* 2545.

An Ecclesia, cujus Episcopus, & totus Clerus, vel Monasterium, cujus Prælatus cum toto Capitulo, vel in hæresim, vel schisma prolapsus est, cùm hi ad Fidei Catholicæ unitatem reversi sunt, eorum restitutionem exigere possit? *n.* 2545. & seq. per totum.

## QUÆSTIO XXXIV.

### *In Titulum 34. de Treuga, & Pace.* *num.* 2550.

Quid sint *Inducia*, quid *Treuga*, quid *Pax*, à *n.* 2550. quid sit treuga *conventionalis*, quid *canonica*, quibus temporibus, & in ordine ad quas personas servanda treuga canonica, an treuga, seu induciæ conventionales sint juris gentium, *n.* 2550.

## QUÆSTIO XXXV.

### *In Tit. 35. de Pactis, n.* 2551.

Articulus 1. quid sit pactum, *n.* 2551. an differat à contractu, *ibid.* an à pollicitatione, seu promissione simplici, *ibid.* quis sit effectus pacti, an pariat obligationem *naturalem*, *n.* 2552. an promissiones naturaliter obligent ante acceptationem, 2553. an sufficiat acceptatio per alium, *n.* 2555.

Articulus 2. quotuplex sit pactum, *n.* 2560. quid pactum publicum, privatum, expressum, tacitum, pactum in rem, legitimum, obligatorium, liberatorium, nudum, vestitum, à *n.* 2560.

Articulus 3. quibus modis pactum vestiatur, à *n.* 2561. an, si transeat in contractum, *ibid.* an secuta impletione saltem ex parte unius, *n.* 2562. an, si adjiciatur aliud pactum Jure Civili firmum, *n.* 2564. an stipulatione, *n.* 2565. an legis assistentia, *n.* 2566. an appositio juramento, *n.* 2567. an hoc ipso, quòd fiat in judicio, *ibid.* an quasi contractu, *ibid.*

An idem sit, pactum nudum *juramento vestiri*? & *juramento confirmari*? quæ sit differentia? *n.* 2567.

Articulus 4. an pactum juratum obliget in vi pacti, & justitiæ? *num.* 2568. opinio affirmantium; *ibid.* opinio negantium, *num.* 2569. an adhæret Author, *ibid.* solvuntur contraria, à *n.* 2569.

Articulus 5. qui pacisci possint? *n.* 2572.

An quis pacisendo possit alteri acquirere? *n.* 2573. quid in hoc possint aliorum Administratores? Tutor pro pupillo? Curator pro minore, prodigo, & amente? Rector Ecclesiæ, seu Parochus pro Ecclesia, causis piis, & bonis ad conscientiam pertinentibus? *n.* 2575.

An Monasterium, habens privilegium v. g. sepeliendi possit ei derogare pacto inito cum Rectore Ecclesiæ de non sepeliendis ejus Parochianis in Ecclesia sua, cæteroquin privilegiata? *n.* 2577.

An valeat pactum præjudicans juri alterius, non consentientis? *n.* 2578.

An valeat pactum, quod ineunt Clerici, v. g. elocantes domum, vel vineam, ut sibi solvantur decimæ, alioquin debitæ parochiali Ecclesiæ? *ibid.*

An, quamvis quilibet fidelium possit sibi eligere sepulturam in qualibet Ecclesia, habente jus sepeliendi, etiam non parochiali; pactum tamen, quo obligetur habere sepulturam in alia, quàm parochiali, sit nullum? *n.* 2578.

Articulus 6. de quibus rebus pacisci liceat? *n.* 2579. quot modis actus aliquis *irritari* dicatur? *num.* 2580. an valeat pactum de eo, quod est impossibile *jure*? *num.* 2579. vel in præjudicium juris alieni? aut cultûs divini? 2580. an de succedendo post mortem Prælati, vel beneficiati? *n.* 2582. an pactum, quo quis, ut in Ecclesia, vel beneficio instituatur, promittit pensionem annuam, vel argumentum pensionis antiquæ se soluturum? *ibid.*

An Episcopus in ipsa collatione beneficii possit pensionem imponere, vel priorem augere? *ibid.*

An obliget pactum ob turpem causam? *num.* 2584.

An obliget pactum liberorum cum parentibus, quo accepta dote, vel legitima, renuntiant hæreditati, *nu.* 2585. quid si tale pactum juramento, nec vi, nec dolo præstito, ab iisdem firmatum sit? *ibid.* an idem dicendum

cendum sit, si taliter renuntient Minores? *ibid.* quid si filia ignoravit pactum, de quo agimus, jure civili esse reprobatum? *ibid.*
An dicta procedant etiam in casu, quo post tale pactum aucta sunt bona Patris? *n.* 2586.
An hæc renuntiatio jurata valeat etiam in casu, quo renuntians nullam priùs portionem, vel accepit à Patre? *n.* 2587.
Quid dicendum, si pactum sit extortum dolo, vi, metu, vel callida persuasione parentum, aut aliorum? *n.* 2588.
Quid, si Pater tali filio, suppositâ ejusmodi renuntiatione jurata, nihilominus aliquid testamento, reliquisset, vel in vita donâsset? nihilominus aliquid testamento reliquisset, vel in vita donâsset? *n.* 2589.
Quid si tale pactum, vel renuntiatio facta esset non sic simpliciter, ut Patri liberum esset disponere de illis bonis, sed in expressum, vel tacitum favorem, v. g. fratrum, aut iis deficientibus, aliorum cognatorum lateralium? *n.* 2590.
Quid si de hoc ipso dubium sit? *n.* 2591.
Quid dicendum, si filius, vel filia renuntians supervixit parenti? *n.* 2592.
Quid, si priùs objit, quàm Pater, *n.* 2593.
An valeat pactum affirmativum de succedendo, quo scilicet Titius Cajo promittti, quòd ipsum velit hæredem nominare, *num.* 2594.
An pactum vestiatur juramento, si turpitudinem contineat ex parte exigentis, vel acceptantis, *num.* 2596. quid si per vim, vel metum sit extortum, *ibid.*
An actus gestus, contra priùs juramentum, validus sit, si pendet à mera facultate agentis, *ibid.*
Quid sit juramentum *confirmatorium* actûs, *ibid.* quas conditiones regulariter habeat *promissio*, *n.* 2596.
Articulus 7. de confirmatione pacti per Superiorem, *n.* 2597.
An pacta, quæ fiunt in Ecclesiis, per consensum Pontificis, & ratihabitionem postea præstitam, confirmentur, *ibid.*
Quando consensus Superioris requiratur ad substantiam actûs? quando secus? *ibid.*
Quid sit fictio juris? quando æquivaleat mandato, an ubique habeat locum, *n.* 2597. an ad omnia pacta subditorum requiratur consensus Superioris? *ibid.*
Articulus 8. de effectu pactorum, qui est obligatio, *n.* 2599.
An pactum nudum pariat obligationem naturalem, *n.* 2599. & 2601.
Quid sit obligatio naturalis, civilis, & solius decentiæ, *n.* 2600.
Quid operetur obligatio naturalis tantùm, *n.* 2602. quid obligatio civilis tantùm, *n.* 2605.
An, quando jus humanum aliquod pactum, vel contractum, reddit irritum, qui jure naturæ cæteroquin validus esset, sic eum annullet, ut ab eo tollat omnem vim obligandi, etiam in conscientia, seu naturalem, *n.* 2606. refertur sententia affirmantium; altera negantium; *ibid.* mens Authoris; *ibid.* resolvuntur contraria, à *n.* 2608.
Articulus 9. de altero pactorum effectu, qui est actio, *n.* 2610.
An omnibus pactis *vestitis* concedatur actio in utroque foro, *ibid.* an etiam pacto nudo, *n.* 2611. quid in hoc de jure civili? *ibid.*
An pactum nudum jure canonico pariat actionem? *n.* 2613. refertur sententia negantium, *ibid.*
Approbatur sententia affirmantium; *ibid.* cum aliquibus limitationibus, à *num.* 2614. respondetur argumentis contrariis, à *num.* 2616.

## QUÆSTIO XXXVI.

*In Tit. 36. de Transactionibus, n. 2617.*

Articulus 1. quid, quotuplex sit transactio, *n.* 2617.
Articulus 2. de his, qui possunt, vel non possunt transigere, *n.* 2620.
An Procurator etiam cum libera, & generali administratione possit transigere? *ibid.* an non habens mandatum generale cum clausula ratihabitionis? *ibid.*
An Abbas, vel Prior conventualis Ecclesiæ cum Ecclesiastica, vel sæculari persona coram Delegato, vel Ordinario Judice transigere valeat, *ibid.* an hoc procedat de qualibet transactione, etiam causâ litis terminandæ? vel solùm alienante, *n.* 2621. an præter Capituli consensum requiratur etiam consensus Ordinarii, *n.* 2621. & seq. usque ad finem.
Articulus 3. de quibus rebus transigi possit, *n.* 2627. an super publico crimine capitali, *ibid.* vel criminalibus publicis, sed non capitalibus, *ibid.* an de privatis, in quibus criminaliter agitur, *ibid.* an de causis civilibus circa relicta in testamento, vel Codicillo: in sctiptis, si dubium oritur ex instrumento? *ibid.* An super beneficio, vel qualiber re spirituali? *n.* 2628. an super spirituali subjectione? *n.* 2630. an super jute Patronatûs, *n.* 2629.
Articulus 4. de forma transactionis, & ex quibus causis rescindi possit, *n.* 2631
An transactio specialis de re aliqua certa, vel sub certo titulo, extendatur ad alia, *n.* 2632.
An transactio fieri possit simplici acceptilatione? an etiam prtcedente Aquiliana, *num.* 2633.
Ex quibus causis transactio rescindi possit? *n.* 2634.
Articulus 5. de effectu transactionis, à. *num.* 2635.
An omnia instrumenta, probationes, & circa partium, in contrarium allata, post ritè

factam transactionem, irrita sint, & inania, *ibid.*
An transactio bona fide, & sine dolo facta, pariat exemptionem litis finitæ, ut instar rei judicatæ haberi debeat? *ibid.*
An titulo læsionis concedatur rescissio transactionis? *ibid.* & *n.* seq.
An transactio pariat actionem, vel tantùm exemptionem litis finitæ? *n.* 2636.
An, qui fuit Advocatus alicui, possit postea esse testis ejusdem in instrumento transactionis super ea? *ibid.*

## QUÆSTIO XXXVII.

*In Titulum* 37. *de postulando, à n.* 2637.

Quid hoc loco intelligatur per *postulare?* an sit munus publicum? an tam pro Actore, quàm Reo *postulari* possit, à *n.* 2637.
Articulus 1. qui possint postulare de jure civili? *n.* 2638. an, & qui prohibeantur edicto? qui lege? qui sententiâ? an Advocatus negare possit suum patrocinium justè petenti? *ibid.* in fine.
Articulus 2. qui possint postulare de jure Canonico, à *n.* 2639. an Clericus, præsertim in sacris, vel beneficiatus possit postulare in causa sæculari, & coram Judice sæculari? saltem pro se ipso, vel sua Ecclesia? aut conjunctis, & miserabilibus personis? à *n.* 2639. & seq.
An Monachi possint in foro sæculari postulare nomine suo, & pro se? *n.* 2640. an nomine sui Monasterii? *ibid.* an idem dicendum de Canonicis Regularibus? *n.* 2641. an Scholastici Soc. JESU possint cum licentia sui Superioris licitè postulare *pro se*, & *nomine suo* etiam in foro sæculari? *ibid.*
An Clericus, qui præsumit esse Advocatus contra Ecclesiam, cujus est Clericus, vel in qua beneficium habet, propter hanc ingratitudinem possit illo privari, *n.* 2642.
An prohibitus postulare, seu advocare, prohibeatur allegationes juris domi conficere, ac consilium etiam in scriptis petentibus dare? *ibid.*

## QUÆSTIO XXXVIII.

*In Tit.* 38. *de Procuratoribus, à n.* 2644.

Articulus 1. quis, & quotuplex sit Procurator, *n.* 2645. quo differat Procurator à negotiorum gestore? à Tutore, & Curatore? à mero Defensore? *ibid.* quid veniat nomine Procuratoris generalis? vel specialis? quid per generalem cum, vel sine clausula (*cum libera*) quid per Procuratorem in rem *alienam*? vel in rem *suam*? item, judicialem? vel extrajudicialem? per procuratorem ad *negotia*? *ibid.* ad *lites*? &c. à *n.* 2646.
Articulus 2. qui possint, vel non possint constituere Procuratorem? *n.* 2647.
Articulus 3. qui possint constitui Procuratores? *n.* 2649. an Laicus constitui possit Procurator in causis spiritualibus, tam ad agendum, quàm defendendum? *ibid.* an infamis? *ibid.* an unus, vel plures, vel singuli in solidum, vel tantùm omnes conjunctim? an minores 25. annis? *ibid.*
Articulus 4. pro quibus causis constitui possit Procurator? *n.* 2650.
Articulus 5. de modo constituendi Procuratorem, à *n.* 2651.
§. 1. de mandato procuratorio; *n.* 2552.
An de gestis cum Procuratore *falso*, seu qui mandatum non habuit, teneatur Dominus, seu Principalis? *n.* 2653.
An Procurator in judiciis admittatur, si mandatum legitimè non ostendat? *ibid.* & seq.
Quid importet mandatum generale *cum libera*? quid speciale, *n.* 2656.
Quid mandatum procuratorium continere debeat, *n.* 2656. in fine.
§. 2. de Satisdatione Procuratoris, à *n.* 2657. qualiter satisdatio differat à cautione, *ibid.* quot sint species satisdationum judicialium? quid importet satisdatio *judicatum solvi?* quid *judicio sisti*? quid *rem ratam haberi*? *ibid n.* 2657.
An hodierno jure Reus conventus teneatur universim ad satisdationem judicatum solvi, *n.* 2658.
An satisdatio exigenda, & præstanda sit ante litis contestationem, *ibid.*
An sit jure constitutum in Procuratore Rei, ut, etsi mandatum idoneum habeat, nihilominus de judicato solvendo caveat *ibid.*.
An Procurator Actoris, exhibens Judici mandatum, teneatur cavere *de rato*, *ibid.*
Quid si Procuratorem Reus constituit, *ibid.*
Articulus 6. quando finiatur officium Procuratoris, *n.* 2659.
Quæ sit differentia inter Procuratorem, & Advocatum, *ibid.*
§. 1. quomodo finiatur officium Procuratoris ad lites? *n.* 2660.
An Procurator ante litem contestatam, sine causa revocari possit, *ibid.* an etiam post litem contestatam, *ibid.* quando dicatur constitui in rem suam, *n.* 2660.
An, si Procurator legitimè revocatus sit à Domino coram testibus, & hæc revocatio perveniat ad ejus notitiam, sententia contra ipsum lata, in præjudicium Domini, sit nulla, *n.* 2661.
An, si Dominus Procuratorem, ad judicia constitutum, ignorante adversario, vel Judice post litem contestatam revocavit, acta cum Procuratore revocato valeant, *n.* 2662.
An Procurator etiam per instrumentum constitutus, revocari possit solis verbis, vel scripturâ, *ibid.*
An judicium agitatum, & factum, revocato Procuratore, si Judex, vel pars contraria revocationem ignoravit, teneat, *ibid.*

An

An valeat rescriptum impetratum à procuratore, cui revocatio est intimata? *n.* 2663.
An revocatio in contemptum Judicis, præsertim Sedis Apostolicæ, & in præjudicium Adversarii facta, postquam in causa conclusum est, teneat? *n.* 2664.
An Procurator, qui habet à Domino potestatem substituendi alium Procuratorem, sed non revocandi semel substitutum, possit à se substitutum, post mandatum ab illo susceptum, revocare? *n.* 2665.
An Procurator, qui per facultatem à Domino acceptam, alium sibi substituit, revocare possit substitutum, postquam is mandatum suscepit? *ibid.*
An, si Delegatus Papæ causam totam alteri subdelegârit, ab eodem revocare, seu jurisdictionē reassumere possit, si res integra sit, *ibid.*
Quod sit discrimen inter Procuratorem, & Delegatum Papæ, *n.* 2666.
§. 2. quomodo finiatur officium Procuratoris ad negotia? *n.* 2667.
An Procurator ad negotia, re integra, liberè revocari possit à Domino? *n.* 2668. an, si constitutus sit indistinctè ad negotia, revocatio effectum habeat, priusquam illi intimata sit? *n. eod.*
An officium Procuratoris finiatur mutuo consensu mandantis, & mandatarii? *ibid.* an finitâ instantiâ judicii, latâ scilicet sententiâ definitivâ; *ibid.* an morte constituentis, re integra? *ibid.* an morte ipsius Procuratoris, sive sit, sive non sit res integra? *ibid.* an procurator latâ sententiâ definitivâ teneatur prosequi judicium appellationis? *ibid.*

## QUÆSTIO XXXIX.

### *In Tit. 39. de Syndico, à n. 2669.*

Quid hìc veniat nomine *Syndici*? qualiter differat à Procuratore? *n.* 2669. an ad constituendum Syndicum omnes de Collegio vocandi sint, qui habent jus suffragii, *n.* 2670. an constitui possit aliquis, sive sit de Collegio, sive non, *ibid.*
An Regulares in causa suæ Communitatis, de consensu Prælati, possint constitui Syndici, *ibid.*
An *præceptum* sit, ne Monachi agant in judiciis per se, sed per Syndicum, *n.* 2671.
Quæ possit Syndicus, seu Actor Universitatis, *n.* 2672. quæ potestas pertineat ad illius officium? an potestas non tantùm agendi? sed etiam defendendi, *ibid.* an sit idoneus, si non habeat mandatum Domini ad agendum & respondendum, quin sufficiat ad unum tantùm, *n.* 2673.
An Procurator constitutus ad lites, intelligatur constitutus ad lites, non tantùm præsentes, sed etiam futuras, *n.* 2674.
An in mandato generaliter dato Procuratori semper intelligatur excepta ea, quæ speciale mandatum exigunt, *ibid.* quid si cum clausula *ad omnia*, esto mandatum speciale requirant, *n.* 2674. & seq.
An, si in Procuratorio mandato unus, vel plures articuli ex iis, qui *speciale* mandatum requirunt, expressi sint, adjectâ clausulâ generali, tunc etiam ad casus non expressos (*similes*) Procurator admittendus sit, *n.* 2676.
An Procurator, vel Syndicus absque mandato speciali possit juramentum adversatio deferre ad litis decisionem, vel transigere, aut pacisci, si ei bonorum, vel causæ libera administratio commissa non sit, *ibid.*
Quid dicendum de administratore bonorum, seu jurium, *ibid.*
An Procurator datus ad litem, contra latam sententiam appellare possit, *n.* 2677. an vigore prioris mandati? an etiam teneatur, *ibid.* an hoc etiam procedat, si sit Procurator generalis, *ibid.*
An Syndicus teneatur cavere *de rato*, *n.* 2678. an satisdare *judicatum solvi*, *ibid.* qualiter finiatur officium ejus, *ibid.*

## QUÆSTIO XL.

### *In Tit. 40. de ijs, quæ vi, metúsve causâ fiunt, à n. 2679.*

Pro quo hìc supponat *metus*, *n.* 2681. an metus, qui est coactio solùm conditionata, stet cum voluntario simpliciter, *n.* 2683. an ad quamlibet obligationem *voluntariam* sufficiat voluntarium simpliciter, *n.* 2684. an contra obligationem simpliciter voluntariâ, inductam metu gravi, injustè incusso, detur restitutio, *n.* 2685.
An juramentum metu extortum valeat, *n.* 2686. quid requiratur ad hæc, ut quis restituatur contra obligationem ex metu contractam, *ibid.*
An Professio religiosa, facta ex metu gravi, & injustè incusso, ipso jure sit irrita, *n.* 2687.
An is, qui metu gravi injustè adactus, aliquid dedit, datum repetere possit; vel, si nondum dedit, & à metum incutiente conveniatur ad dandum ex tali contractu injustè extorto, possit illum repellere, per exceptionem, *quòd* metûs causâ, *n.* 2688.
An per vim cogens aliquem ad donandum, vel dandum, acquirat rei donatæ dominium, *ibid.* an nihilominus ante Judicis sententiam teneatur in conscientia danti restituere damnum, *ibid.* quid si coactio tendebat ad dandum, non cogenti, sed alteri? *ibid.* quam metum passus eo casu habeat actionem, *ibid.*
An renuntians juri Ecclesiasticæ electionis ob gravem metum, seu terrorem, nihilominus institui, seu confirmari possit, *n.* 2689. quid si renuntiatio sit jurata, *ibid.*
An, qui juramento injustè extorto renuntiavit beneficio, agat contra juramentum, si beneficium repetat, *n.* 2690.

## QUÆSTIO XLI.

*In Tit.* 41. *de in integrum restitutione, à n.* 2692.


Quid veniat hìc appellatione restitutionis in integrum? an sit remedium solùm extraordinarium? an etiam cum remedio ordinario possit concurrere? an in casu, quo remedium extraordinarium est utilius ordinario, illud concedatur, *n.* 2692. & seq.

Articulus 1. à quo legitimè impetrari possit restitutio in integrum, à *n.* 2694. an petitio restitutionis sit propriè actio, *ibid.*

An potestas concedendi restitutionem in integrum conveniat Magistratui municipali, *ibid.*

An per restitutionem in integrum succurratur Minoribus, & his, qui gaudent jure Minorum? an etiam Majoribus, ac ex qua clausula, *n.* 2694.

An restitutio in integrum rectè proponatur coram Arbitro, *ibid.* an coram Delegato, *ibid.* an, si incidat in commissio negotio, vel Delegatus sit Papæ; aut si datus ad Universitatem causarum, *ibid.* de modo petendi restitutionem, *n.* 2695.

Articulus 2. an, & qualiter currat tempus petendæ restitutionis in integrum, *n.* 2696.

Intra quod tempus peri debeat, an adversus lapsum quadriennii nunquam concedatur, *ibid.*

Quando incipiat currere tempus quadriennii, *n.* 2697. an hoc tempus sit *continuum*, vel *utile*? & quid his terminis importetur, *n.* 2698. an hoc tempus currat impeditis, *ibid.*

An quadriennium restitutioni petendæ præfixum in principio sit utile? & continuum in progressu, *n.* 2698.

An currat Minori, vel Ecclesiæ probabiliter ignoranti? *ibid.* an currat Ecclesiæ, quamdiu vivit Prælatus, à quo ipsa læsa fuit, vel quando illa interim passa est frequentes. & repentinas mutationes Prælatorum? *ibid.*

An, quando actus, ex quo secuta est læsio, est jure nullus, debeat peri restitutio in integrum, *n.* 2699. V. etiam *n.* 2719.

Articulus 3. an restitutio in integrum sæpius peti possit, *n.* 2700.

An, si Ecclesia contra latam sententiam non appellavit, sed restitutionem in integrum petivit, & repulsa est, iterum in alio judicio restitui non debeat, nisi ad petendam appellationem? *ibid.* quid si superveniat nova causa? seu novæ defensiones ostendantur, *ibid.*

An, si restitutio denegata fuit, & sententia transiit in rem judicatam, non ampliùs detur restitutio in eadem causa ab eodem Judice, *ibid.* an saltem quoad negligentiam omissæ appellationis, quæ, denegata restitutione, facienda fuisset, *ibid.*

An, si negata restitutione petatur secundò restitutio propter novas defensiones, seu probationes adducendas, concedi possit restitutio in eadem causa, *ibid.*

An, si restitutio secunda petatur contra priorem restitutionem, regulariter sit concedenda, *ibid.*

Articulus 4. quæ requirantur ad restitutionem in integrum, *n.* 2710.

Quid requiratur, quando actus, ex quo quis restituendus est, fuit jure validus, *ibid.* quid ubi dubium est de valore actûs, *ibid.*

Quid, quando quis restituendus est, non ex certa causa, & in edicto Prætoris enumerata, nimirum vi, metu, dolo, ætate, absentia; sed ex causa incerta, & clausula generali: si qua justa causa, *ibid.*

An sufficiat probatio læsionis, facta per juramentum læsi? *ibid.*

An ad concedendam restitutionem in integrum requiratur, ut læsio enormis sit, & tanta, ut dimidium justi pretii excedat? *ibid.*

Articulus 5. quibus in specie concedatur restitutio in integrum? *n.* 2702. an Minoribus? *ibid.* an Ecclesiæ? *ibid.* & *n.* 2703. an locis piis? *ibid.* an Reipublicæ? *n.* 2705. an etiam Majoribus? *ibid.* an rudibus, & impertis? *n.* 2706.

Articulus 6. qui sint casus in specie, pro quibus Minoribus, vel Ecclesiæ conceditur restitutio in integrum? *n.* 2707.

An, si Ecclesia sit læsa per negligentiam Procuratoris, restituatur contra sententiam definitivam? *n.* 2708. an, si propter negligentiam propriam? *n.* 2709. an restituatur contra sententiam Papæ? *n.* 2711.

An Princeps possit concedere restitutionem in integrum etiam contra sententiam bis confirmatam? *ibid.*

An per restitutionem in integrum, regulariter, & ordinariè suspendatur executio sententiæ latæ? *n.* 2712.

An, si Ecclesia petiit restitutionem in integrum, & hæc illi denegata sit, in alio judicio restitui possit? *n.* 2715.

Articulus 7. in quibus casibus non concedatur Minoribus restitutio in integrum? *n.* 2716.

An fiat restitutio contra professionem religiosam, si ad eam inductus sit ex falsa causa? *n.* 2717.

An restitutio contra *damnum emergens*, sit majoris privilegii, quam restitutio contra *lucrum cessans*? *n.* 2718.

An restituatur Minor contra minorem, vel, Ecclesia contra Ecclesiam? *ibid.*

Articulus 8. intra quod tempus peti debeat restitutio in integrum? *n.* 2719.

Cui incumbat onus probandi in dubio, an transactum sit quadriennium? *ibid.*

Articulus 9. an concedatur restitutio adversus propriam confessionem? *n.* 2722. an etiam in casu confessionis juratæ? *n.* 2723.

Articulus 10. coram quo Judice peti debeat restitutio in integrum? *n.* 2725.

§. 1. quâ formâ peti, & fieri debeat restitutio in integrum? *n.* 2728.

§. 2. an

§. 2. an Ecclesia læsa in alienatione fundi restituatur etiam in fructibus? *n.* 2729.
§. 3. qualiter servari debeat æqualitas dati, & accepti, concessâ læso restitutione in integrum? *n.* 2733.
Articulus 11. quis sit effectus restitutionis in integrum? â *n.* 2734.
An, cùm Minor, vel Ecclesia restituitur, etiam ii, contra quos restituuntur, reponantur in pristinum statum? *n.* 2734.
An ad effectum restitutionis pertineat, quòd pendente ejus judicio nihil ab una, vel altera parte sit innovandum, donec res finita sit? *ibid.*
Quot sint causæ concedendi beneficium restitutionis in integrum? *n.* 2735.

## QUÆSTIO XLII.

*In Tit.* 42. *de alienatione, judicij mutandi causâ, factâ, n.* 2737.

Quid propriè sit *hæc alienatio, facta ex causa mutandi judicij*? *n.* 2738.
Quid requiratur, ut *actio in factum* alicui competat adversus facientem alienationem, causâ mutandi judicii? *n.* 2739.
An de Jure Canonico in casu alienationis cum dolo factæ causâ mutandi judicii, non tantùm alienans, sed etiam is, in quem res translata est, non solùm coram Judice suo ordinario, sed etiam coram alieno, nimirum delegato vigore rescripti (esto solùm contra alienantem impetratum sit) conveniri possit? *n.* 2740.
An Clerici valeant facere sibi cedi actiones, & lites à Laicis causâ mutandi judicium, ut eos trahant ad forum Ecclesiasticum? *ibid.*
An actio in factum competens ex alienatione dicta transeat ad hæredes? & contra hæredes? *n.* 2741.

## QUÆSTIO XLIII.

*In Tit.* 43. *& ultimum, de Arbitris, num.* 2741.

Articulus 1. quid, & quotuplex sit Arbiter, à *n.* 2743.
Quid Arbiter juris, sive necessarius? quid voluntarius, seu compromissarius? *ibid.* quid Arbitrator, & arbitramentum? Arbitratores esse possunt vel cum pacto obligatorio ad acquiescendum electi pronuntiato, vel sine tali pacto; & hoc secundo modo constitutus sponte à partibus, *arbitrator* dicitur; alter Arbiter compromissarius; *ibid.* quid sit laudum? *ibid.*
Quæ differentia sit inter Arbitros necessarios, & voluntarios? *n.* 2744.
An ambo habeant jurisdictionem? *n.* 2745.
An ab Arbitro juris appellari possit ad eum, qui eum dedit, vel à partibus eligi jussit? *n.* 2746.
Qualiter Compromissarius differat à Judice; *n.* 2747.
An Procurator litigans coram Arbitro satisdet de rato? *n.* 2748.
An Arbiter jussus procedere secundùm leges, & jura, possit procedere secundùm consuetudines legitimè inductas? *n.* 2749.
Articulus 2. qui possint compromittere, *n.* 2751.
Articulus 3. in quos compromitti possit, *num.* 2752.
An subditus in suum Judicem Ordinarium? *ibid.*
An *in* Laicum in causa Ecclesiastica? *ibid.*
An in servum? *ibid.* an in mulierem? *ibid.* an in Minorem? *ibid.*
An Compromissio fieri possit non tantùm in unum, sed etiam in plures? *n.* 2763.
An debeat Arbitris inter se discordibus dari licentia eligendi tertium, non expressâ certâ personâ tertii? *ibid.* & seq.
An Arbiter post rem judicatam super discordiis novis assumptus, possit per suum arbitrium sententiam immutare? *n.* 2755.
Articulus 4. super quibus rebus compromitti possit? *n.* 2756.
An Ecclesia exempta sine licentia Papæ, cujus vertitur præjudicium, compromittat super exemptione? *ibid.*
An compromitti possit super causa criminali, vel matrimoniali? *n.* 2757.
An, si Judices delegati non possint convenire in dubio suæ jurisdictionis, Arbitri super ea materia eligendi sint, quorum consensu tunc electio facienda? *ibid.*
Quis cognoscat de causa recusationis, si Judex recusetur? *ibid.* an ad hoc eligendi Arbitri? *ibid.* an Judex recusatus Arbitris terminum præfinire possit, intra quem cognoscere debeant *ibid.* V. etiam à *n.* 2783.
An si inter Episcopum, & Clerum controversia sit in causa civili, Arbitri ex partium consensu pro ejus cognitione constituendi sint? *n.* 2758.
An coram Arbitris sit locus reconventioni, si non sint Arbitri juris? *n.* 2759.
An discordia in causa electionis per Arbitros terminari possit? *ibid.*
An Arbiter suam sententiam in præsentia compromitentium pronuntiare debeat, & quidem intra tempus ipsi à partibus constitutum? *n.* 2760.
Articulus 5. de sententia, seu pronuntiato Arbitri? *n.* 2761.
An ex arbitrio, laudo, vel arbitramento detur actio? *n.* 2761. 1765.
An sententia, ab iis prolata post mortem unius ex Arbitris assumptis, teneat? *n.* 2762.
Quæ sententia prævaleat, si contingat Arbitros dissentire? *n.* 2763.
An unius ex tribus contumacia, sententiam ab aliis dictam faciat inutilem? *n.* 2764.
An, cùm in jure dicitur, aliquid permitti arbitrio Judicis, sit sensus, quòd illud arbitrium possit esse vagum, vel debeat regulari juxta leges? *n.* 2765.

An Arbiter post rem judicatam, super discordiis novis assumptus, possit per suum arbitriũ sententiam immutare, licèt de componendo inter partes mandatum acceperit à Papa, si in rescripto non fiat mentio rei judicatæ? *num.* 2766.

Articulus 6. an ab arbitrio Arbitri Compromissarii peti possit reductio ad arbitrium boni viri? *n.* 2767.

Quid sit reductio? *ibid.* an à Judice reductionis rectè appelletur? *ibid.* à quo petenda sit reductio? *n.* 2768.

An, quando in aliqua causa compromittitur in Clericum, & Laicum simul, & eorum laudum petitur reduci ad arbitrium boni viri, adeundus sit Superior Clerici, an Laici? *n.* 2768.

Quo tempore peti possit reductio? *ibid.* & seq.

Articulus 7. qualiter esset potestas Arbitri? *n.* 2770.

Articulus ultimus, de reliquis ad hunc titulum pertinentibus, à *n.* 2774.

Qualiter Arbitri, à partibus sponte electi, sed sine pacto obligatorio habeant nomen Judicis Compromissarii? *n.* 2775.

An semper standum sit sententiæ Arbitri Compromissarii? *ibid.*

In quo Arbitri differant ab illis, qui Mediatores, & amicabiles Compositores dicuntur? *n.* 2776.

An electio Arbitri possit remitti in arbitrium, seu voluntatem tertii, & facta electione à tertio, partes obligentur, non secus, quàm si ipsæ elegissent? *n.* 2778.

Ubi exercendum arbitrium? *ibid.*

An, nisi aliud in compromisso expressum sit, sententia dicta, uno, vel utroque litigatorum absente, valeat? *n.* 2780.

An per contestationem litis coram Arbitro interrumpatur præscriptio? *ibid.*

An acta coram Arbitro fidem faciant coram Judice ordinario? *n.* 2781.

An Arbiter Compromissarius, vel Arbitrator teneatur officium sibi delatum acceptare? *ibid.* an, si expressè tacitè acceptavit officium, possint renuntiare? *n.* 2782.

An infames possint esse Judices Compromissarii? *n.* 2782.

De casu, quo recusatur Judex, à *n.* 2783. ad *n.* 2791.

De approbatione pro confessionibus audiendis, *n.* 2815.

De clausulis derogatoriis derogatoriarum, *n.* 2817.

An Abbas, qui resignavit, habeat vocem activam in electione novi; *n.* 2818.

An, si resignatio sit in favorem tertii? *ibid.*

An Monialis, quæ ad tempus aliquod legitimè vixit in alio Monasterio, admitti debeat ad suum suffragium, clausum, Scrutatoribus communicandum, si interim vacet officium Superioristæ in Monasterio suæ professionis? *n.* 2819.

An Monialis in Monasterio, in quo nec est professa, neque translata legitime cum effectu (extincto nimirum jure ad priùs Monasterium *a quo*) sit eligibilis ad Superioritatem? *ibid.*

Qualiter intelligendum, quòd privilegia personalia non tranleant ad hæredes? *n.* 2820.

Quid dicendum, quando dubitatur, an legi universaliter loquenti, sit locus in tali casu particulari? *n.* 2821. quid sit ab universali deficere legem *contrariè*, vel *negativè*? *ibid.*

An, uti lex universalis deficit contrariè, locus sit epichiæ? *ibid.* & *n.* 2822. quid si solùm negativè? *n.* 2822.

Explicatur regula *Nemo.* 6. *de reg. juris n.* 6. 2823.

Referuntur variæ impossibilium species? *n.* 2824.

Exponitur regula *Ignorantia facti*, 13. *in* 6. *n.* 2831.

Item regula *Decet*, 16. *in* 6. *n.* 2841.

Et regula *Indultum*, 17. *in.* 6. *n.* 2849.

Qualiter intelligendum illud: *beneficium à jure concessum, non esse alicui auferendum? n.* 2851.

Qualiter regula: *Non firmatur*, 18. *de reg. juris in* 6. *n.* 2852. & seq.

An quis circa idem objectum materiale possit habere duplex judicium? quorum uno probabiliter affirmet, *illud existere*; altero, *esse probabile, non existere*? à *n.* 2857. ad 2867.

An utraque pars contradictionis possit esse *probabilis subjectivè* diversis intellectibus? *n.* 2867.

An utraque pars contradictionis eidem intellectui simul tempore possit esse *probabilis objectivè*? *n.* 2868.

An utraque pars contradictionis eidem intellectui simul tempore possit esse *probabilis subjectivè*? *n.* 2869.

An eidem intellectui possit esse *subjectivè probabile*, legem existere, & *objectivè probabile* legem non existere, vel è contra? *n.* 2870. & seq.

An, quando quis judicio subjectivè probabili judicat, legem non existere; pro sensu composito, & retento illo judicio, possit judicio etiam probabiliori subjective affirmare, legem existere? *n.* 2872.

An quando est dubium, an lex existat? vel extendatur ad casum præsentem, vel lex obliget dubitantem? vel teneatur amplecti, quod tutius est? sententia Patris Sanchez negantis, *n.* 2874. & seq. aliquorum limitatio sententiæ affirmantis; *n.* 2875.

An lex Tridentini præcipiens confessionem peccatorum, *quorum quis conscientiam habet*, extendat se etiam *ad peccatum dubium? n.* 2876. & seq.

An careat probabilitate sententia, quæ docet, approbatum ab uno Episcopo, mutatione domicilii, vel diœcesis, approbationem non perdere? *n.* 2878.

Krimer
Jn.
L. A.
Dissertation

Th
442a